Rara 4333

944.

Rara 4334 K4130

~~Qyst.~~

2703 2 Bde.

100.

K 4/28

K 4/28

~~100~~

gf. de hoc libro Reinmannum in catalogo critico. pag. 290.

BENEDICTI PERERII VALENTINI E' SOCIETATE IESV,

Tomus Quartus

COMMENTARIORVM IN LIBRVM GENESIS.

A capite vigesimo quinto, vsque ad quinquagesimum; & finem Libri.

Hic porrò quartus Tomus, præter copiosam verborum, & sententiarum Moysis expositionem, continet centum & vndecim principales Disputationes.

Editio altera, plurimis mendis quibus præcedens scatebat, repurgata.

Jos. Georg Keszei, P. Eyb: 1651.

M. Ge. Lw. Oeder.



LVGDVNI,

APVD HORATIVM CARDON.

M. D C.

PERMISSV SVPERIORVM.

27023452
Univ.-Bibl.
Giessen

Seminar für Philosophie
der
Justus Liebig-Universität
62119.584

CÆSARI BARONIO

S. R. E. REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO CARDINALI ET BIBLIOTHECARIO APOSTOLICO,

BENEDICTVS PERERIVS, S. D.

ESTI multa in te sunt, Cardinalis Illustrissime, à quibus verè potes, ac luculenter, copioséque laudari: vnum tamen illud, quod crebro, de te, hominum sermone celebratur, tanti est, vt vel solũ, amplissimis tuis laudibus satis esse possit. Tu enim insignem eruditionem cum eximia integritate morum, singularíque animi modestia & pietate ita miscuisti, & quodammodo adæquasti: vt virtúsne an doctrina in te præponderet, difficile sit iudicium. Rara profectò societas, & admiranda maximè, simúlque veneranda scientiæ atque innocentiæ coniunctio: hæc nempe consummatam in Christiana disciplina sapientis viri laudem continet. Hoc igitur quasi coniugio quodam probitatis & doctrinæ, id tu, Baroni optime atque doctissime, assecutus es, vt & præstabilis virtus tua, propter adiunctam sapientiam, maiori etiam honore ac veneratione colatur: & excellens

scientia, quæ obnoxia multorum inuidiæ atque obtrectationibus esse solet, quòd in te mira sit ingenij ac morum suauitate condita, & præstantium virtutũ ornata comitatu, amorem tibi omnium & reuerentiã cõciliet. Ac me quidem huius rei contemplatio & admiratio impulit, vt tibi potissimum inscriberem quartam hanc, extremámque Commentariorum meorum partem, in qua totius libri Geneseos Expositioni quasi fastigium imposui. Sed præterea fuit altera quædam causa, grauior etiam apud me atque efficacior. Scio te, lectione ac meditatione sacrarum literarum mirificè delectari: & hoc amplius, in eo studio perdiligenter & assiduè versari, atque ita excellere, quasi non aliud vnquã studium colueris. Testes sunt Annales tui, omnem iam per orbẽ Christianum celebrati, atque omni deinceps æuo celebrandi: qui vt multiiugi scatent eruditione: ita exquisitis diuinæ Scripturæ sententijs, doctísque plurimorum difficilium locorum interpretationibus exuberant: Ex quo facile est intelligere, quantum præstare in hoc studio potueris, si ad hoc præcipuè, isto ingenio, & industria, curáque incumbere voluisses. Cõfido igitur, hoc, quod nunc ad te defero meorum scriptorum munusculum, dupliciter gratum tibi futurum. Etenim continet sacrarum historiarum quæ in primis memorabiles atque illustres sunt, dulcissimam, maximéque frugiferam cognitionem, cuius te cupidissimum esse noui: idémque ab homine, tui iam pridem amãtissimo, datum est: haud sanè par meritis & dignitati tuæ: sed quantum certè maximum, in præsens, studia nostra ferre potuerunt. Vale.

AVCTOR

AVCTOR OPERIS LECTORI, S.D.

ABSOLVI tandem, iuuante Deo, quadripartitum opus Commentariorum meorũ in primum sacræ Scripturæ librum, qui inscribitur Geneſis: arduum sanè atque impeditum opus, nec minùs laborioſo, quàm longo ſtudio curáque confectum. Ter namque in Romano Gymnaſio eum librum publicè ſum interpretatus: & Commentariis eius libri componendis, limandiſque, atque in lucem edendis, vndecim annos impendi. Ac niſi vererer, ne fortè laborum commemoratio, commendatio quædam operis, & quaſi vẽditatio cuipiam eſſe videretur: narrarem tibi, Lector, in horum molitione Commentariorum, quoties mihi, quantúmque deſudandum fuerit: ingenti ſæpe tædio ſuſceptæ prouinciæ: interdum etiam non ſine pœnitentia inſtituti operis, atque eius perficiendi & abſoluendi deſperatione. Verùm benignus & miſericors Deus, mirè noſtram tum animi, tum corporis infirmitatem adiuuit: nouos identidem exſuſcitans impetus animi, alacritatémque ac vigorem ſubinde redintegrans, quo cœptum ſcribendi curſum, ad metam vſque conſtanter perſequeremur. Ac nos quidem nec tam longinqui temporis tæderet, nec pœnite-

rit tot tantorúmque laborum, si operis absolutio, & præstantia libri, quem hisce Commentariis interpretati sumus, & aliorum expectationi, & nostro consilio, votóque responderet. Sedenim dignitatem & quasi pretium operis (si quod eius tamen pretium fuerit) verè ac prudenter æstimabunt homines hac in arte, studiôque sacrarum litterarum periti ac perfecti. Sciat porrò Lector, Commentaria nostra in caput 49. Geneseos, ante sex annos, sub titulo lib. de Benedic. Patriarch. coniunctè cum secundo Tomo Commentariorum nostrorum in Genesim euulgata, nũc denuo à nobis recognita & aucta, in hoc quarto Tomo, suum in locum videlicet, propriámque sedem esse reposita. Quòd si diuina gratia, quæ nobis adhuc in scribendo benignè adfuit, aliquot deinceps annos in commentandi & scribendi studio ac labore nos itidem fouere, & adiuuare pergat: breui dabimus in publicum duos Tomos Electarum disputationum: alterum ad sacrã Scripturam veteris Testamenti, alterum ad Noui pertinẽtem, & vtrumque maxima iam in parte confectum. Sed quia nescimus quid nobis expediat, quidve de nobis statuerit is, sub cuius nutu vitæ nostræ momenta decurrunt, vsurpare iuuat illam fortissimi Ducis sanctique viri Iudæ Machabæi plenam pietatis sententiam: Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. Vale.

1. Mach. 3.

* * *

INDEX

INDEX

COPIOSISSIMVS

DISPVTATIONVM ET QVÆSTIONVM, RERVMQVE OMNIVM MEMORABILIUM, quæ in hoc quarto Tomo tractantur. Est autem Index hic digestus, & distinctus per viginti sex capita, quæ in his Commentariis explicantur, id est, à capite vigesimo quinto, vsque ad quinquagesimum, & finem libri.

Notæ porrò numerorum adiectæ huic Indici, indicant numeros appositos in magine ad Commentaria singulorum Capitum.

CAPVT VIGESIMVM QVINTVM GENESIS.

Continet nouem Disputationes.

QVÆNAM ætas matura & idonea sit coniugio, tam in viro quàm in fœmina, secundùm Hesiodũ, Platonem, Aristotelem. num. 3.

Cur Moses tam multa de Iacob, de Isaac verò perpauca scripserit. 2.

PRIMA DISPVTATIO.

CVR complures in veteri Testamento pernobiles fœminæ, fuerint steriles. 5.

Quãdiu Isaac precatus Deum sit pro sterilitate vxoris suæ: & hîc opinio discutitur B. Chrysostomi. 6.

Cur Isaac tanto tempore sterilem expertus vxorem, non alteram duxit: sicut ob eandem causam Abraham duxit Agar. 7.

Quodnam sit acerrimum vxori amoris erga virum suum incitamẽtum secundùm Aristotelem. Ibid.

An Isaac ob monogamiam, præferẽdus sit Abrahæ, qui duas simul vxores habuit. 8.

Cum generatio Iacob à Deo promissa, & ipse esset prædestinatus, quomodo dicitur, ea, propter Isaac preces, fuisse diuinitus concessa: & an prædestinatio, & prouidentia

tia Dei, humanis & naturalibus medijs adiuuetur. 9.10.11.
Qualis fuerit illa colliſio mutua Iacob & Eſau in vtero matris. 12.
An ille motus infantium in vtero, fuerit naturalis, an ſupernaturali modo factus. 13.
Qualis exercitatio corporis vtilis, ex ſententia Ariſtotelis, ſit mulieribus pregnantibus. 15.

SECVNDA DISPVTATIO.

AD quem locum, ſiue ad quam perſonam iuerit Rebecca, vt Deum conſuleret; & qualis fuerit illa conſulendi ratio: Variæ Auctorum expoſitiones, & opiniones. 16.

TERTIA DISPVTATIO.

DE quatuor modis conſulendi Deũ per Prophetas, per ſomnia, per ſortes, per Sacerdotes ſiue Ephod. 20. & ſequentibus.
De triplici affectione animi, qua prę parabantur Prophetæ, vt propheticum ſpiritum diuinitus acciperent. 22.
De modo, quo reſpõdebat Deus per Ephod Sacerdotale, ſiue pontificale. 25.
De mirabili fulgore lapidũ, qui erant in rationali, ex quo prænoſcebantur futura: & quando iſtud miraculum ceſſauerit in populo Hebræo, ex Ioſepho 25. & 26.
Supradictos quatuor modos conſulendi Deum, deſijſſe ante Machabæorum principatum. 26.
Cur lapides pretioſi, qui erant in rationali, dicti ſint Vrim & Thumim: & cur dictum ſit Rationale, & Græce λόγιον. 27.
Reijcitur fabula Hebræorum, aientium quoties prophetæ in Scriptura vaticinantur contra Idumæos, nomine Idumæorũ, denotari Romanos. 29.
Allegorica expoſitio hiſtoriæ Iacob, & Eſau, cùm dicitur, Maior ſeruiet minori: ſecundùm Auguſtinum & Rupertum. 30.31.32.
Cur Deus per totum orbem diſpergi voluerit Iudæos, egregia ratio Beati Auguſtini. 30.
Cur mali plures ſint, quàm boni, pręclara diſputatio Nazianzeni. 33.
Conflictum Iacob & Eſau in vtero, figuram fuiſſe concertationis bonorum, & malorum in Eccleſia, & vitiorum, ac virtutum in animo cuiuſque, diſputatio Auguſtini & Origenis. 32. & 34.

QVARTA DISPVTATIO.

DE germano ſenſu & intellectu eorum verborũ S. Pauli, quibus in Epiſtola ad Romanos capit. 9, tractat hunc locum Geneſis de Iacob & Eſau valdè copioſa & vtilis diſputatio. 36.
Iacob non ob præuiſa bona eius merita futura, electũ eſſe à Deo. 38.
Aduerſus Originem, aſſerentem animas hominum fuiſſe in exordio mundi omnes creatas; & propter peccata, quæ tunc egerunt fuiſſe detruſas in corpora. 39.
Tribus modis Eſau ſeruiuit fratri ſuo Iacob, ex ſententia B. Thomæ 40.
Quatuor clariſſima præcipuæ dilectionis Dei erga Iacob argumenta. 41.

QVINTA DISPVTATIO.

DIſputatur an Iacob fuerit ſanctificatus in vtero matris ſuæ. 42.

SEXTA DISPVTATIO.

QVo sensu B. Paulus locum hunc Geneſis de Iacob & Eſau citauerit ad Romanos 9. hiſtoricóne, an myſtico: nũ reſpectu vitæ æternæ an reſpectu bonorum temporalium. 43.

Si Paulus citauit locum Geneſis de Iacob & Eſau ſecundùm hiſtoricum ſenſum, & reſpectu bonorũ temporalium, quomodo id congruat & deſeruiat conſilio & propoſito eius. 44.

Si Paulus citauit eum locum Geneſis reſpectu electionis ad vitam æternam, non citaſſe eum hiſtorico, ſed myſtico ſenſu. 45.

Electio Iacob, & rèprobatio Eſau, cuius rei myſterium & figuram habuerint. 46.

SEPTIMA DISPVTATIO.

AN Pauli argumentatio ducta ex Iacob & Eſau exemplo, ſi vſurpata ſit ſecũdũ ſenſum myſticum ſit valida. 47.

Vnde compertum eſſe potuerit Beato Paulo, Iacob fuiſſe figuram electorum, Eſau autem reproborũ ſecũdùm myſticum ſenſum principaliter intentum à Spiritu ſancto. 48.

Diſputatur, quiſnam ſenſus myſticus ſit idoneus & validus ad argumẽtandum. 49.

Quibus modis cognoſci queat, ſenſũ aliquem myſticum fuiſſe à Spiritu Sancto principaliter intentum. Ibidem.

Conſenſus Patrum vtentium ſenſu aliquo myſtico in argumentando, & probando quidpiam, declarat fuiſſe eum principaliter intentum à Spirito Sancto. 50.

Vter ſenſus præſtabilior in explicanda ſcriptura iudicari debeat, hiſtoricus an myſticus. 52.

De piloſitate Eſau: & copia pilorum in homine, cuius rei ſit indicium. 53.

De tribus nominibus, Eſau, Edom, & Seir, quibus in ſcriptura appellari ſolet frater ipſius Iacob. 55.

De naturali modo egrediendi ex vtero matris, ex Ariſtotele, Varrone, & Plinio. 56.

Diſputatur de ſignificatione nominis Iacob. 57.

Quid illa retentio plantæ Eſau, facta à Iacob, ſignificaret. 58.

Venator & venari, ſæpius in malam partem vſurpari in Scriptura. 59.

Quanto in honore fuerit antiquitus ſtudium venandi & agriculturæ. 61.

Quid in Scriptura ſignificet vocabulum Simplex. 62.

Pulchra B. Gregorij diſputatio allegorica ſuper diuerſitate ingeniorum, & morum Eſau & Iacob. 64.

Breuis diſputatio in Genethliacos. 66.

De ſimplicitate victus antiquorum hominum. 68.

An edulium lentis Iacob, fuerit ex genere lentis Ægyptiacæ apud veteres admodum celebratæ, ſicut ſentire videtur S. Auguſtinus. 69.

OCTAVA DISPVTATIO.

AN Iacob peccauerit, inducendo Eſau ad vendendum ſibi ius primogenituræ, cum ei adiũctum eſſet ſacerdotium, præſertim autẽ tam vili pretio. 71.

Refellitur traditio Hebræorum aien-

tium, Iacob præter edulium lētis, aliud quoddam ingens pretiū dedisse pro venditione primogenituræ. 74.
Breuis disputatio num ante legē Mosis, omnes primogeniti essent sacerdotes. 76.
Quid in Scriptura significet vox profanus, & verbum profanare. 79.

NONA DISPVTATIO.

QVale, & quantum, & quotuplex fuerit peccatum Esau in vendenda primogenitura. 81.
De quinque vel sex peccatis Esau. 82.
Pulchra disputatio S. Gregorij de sex modis peccandi per intemperantiam Gulæ. 82.83.
Esau duodecim in rebus præfigurauit reproborum hominum ingenia, mores, studia, exitus denique ac fines. 85.

CAPVT XXVI.

AN fuerit idem rex Abimelech, qui nominatur in hoc libro cap. 20. & 26.1. & 2.
De causis fertilitatis & sterilitatis terræ Ægypti. 5.
De varijs modis prouidentiæ Dei circa seruos suos. 7.
Quatuor Abrahæ eximia merita, ob quæ Deus tot, tantáque promisit ei ac semini eius. 8.9.
An maiora fuerint merita Abrahæ, quàm Isaac: & de excellentia meritorum, in his qui fuerunt Fundatores, & tanquam Patriarchæ religiosorum Ordinum. 9.
Qualis fuerit ille iocus & lusus Isaac cum Rebecca, ex quo Abimelec cognouit esse vxorem eius. 12.
Exempla clarissimorum virorum, qui recreandi animi gratiâ, etiam ad pueriles ludos & iocos descenderunt. 14.
Allegoria super lusu & ioco Iacob cū Rebecca. 15.
De centuplo messis prouentu, qui contigit Isaac, an fuerit naturalis, an supra naturam, & miraculo assignandus. 18. & sequentibns.
Disputatur, festinatam opulentiam, nec esse inculpatam, nec diuturnā; & item inuidiosam, atque odiosam, esse solere. 21.
Neminem subitò fieri optimum, sed per gradus quosdam, & incremēta. 22.
Pulchra Origenis disputatio allegorica super illo centuplo prouentu Isaac. 23.
Disputatur de malo Inuidiæ: pulchra Inuidiæ descriptio ex Ouidio, & quàm cæca sit inuidia. 24.25.
Aquarum copia, & agriculturam, & rem pecuariam, & omnes propemodum humanæ vitæ partes continet, præsertim in Palęstina, ex Plinio. 25.
Origenis disputatio Allegorica super puteis factis ab Isaac in terra Palęstinorum. 30.
Allegoria Origenis super iurgijs & rixis inter Palæstinos & pastores Isaac propter aquam. 34.
B. Gregorij præclara disputatio tropologica super fossione puteorum Isaac. 36.
Cur Deus omnium, dictus sit propriè, Deus Abraham. 38.
Quanta sit gratia diuinæ protectionis & assistentiæ quam Deus exhibet Sanctis: & de quatuor modis diuinæ protectionis. 48.

De

De facilitate condonandi iniurias exemplo Isaac. 43.
Erudita disputatio Origenis allegorica, quo pacto rex Abimelec figuram gesserit Philosophorum, & sapientum huius mundi. 45.
Breuis disputatio de varijs significationibus, quas in scriptura habet vocabulum Pacis. 46.
Conuiualem societatem & hilaritatē maximè conducere ignoscendis delictis, instituendis, aut resarciendis amicitijs, & sinceritati animorum declarādæ: contra quam turpissimè peccauit Alexander magnus, & alij quidam Imperatores. 47.
An Latini meliùs appellauerint Conuiuium, quam Græci Compotationem: & cur tam Græci quàm Hebræi epularem conuictum, à potando appellauerint. 48.
Cur inuentor vini, vocatus sit ab Ethnicis Liber. ibid.
De multiplici opportunitate & commoditate temporis matutini. 49.
Allegoria Origenis super conuiuio Isaac. 50.
De nomine vrbis Bersabeæ. 51.
Lapsus Thostati circa tempus mortis Sem filij Noe. 57.
De reuerentia, qua gener & nurus colere debēt socerum, & socrum, ex Aristot. 59.
Egregia disputatio allegorica super tota historia Isaac, Ruperti. 56.
Prædicatores Euangelij, esse tāquam canes Domini. 60.
De hęreticis vexantibus Catholicos. 61.
In omni tempore contra nouas hæreses emergentes Christus excitauit nouos Doctores & propugnatores Catholicæ doctrinæ. 61.
Qualis esse debeat ratio bene & condignè allegorizandi sacras historias. 62.

CAPVT XXVII.

DISPVTATIONES OCTO.

DE sexdecim incommodis senectutis. 2. & sequēt. Exemplum viuacissimæ ac vegetissimæ senectutis in Paulo Concordiensi, disertissimis verbis enarratum à B. Hieronymo. 3.
Perfectam esse Philosophiam, assiduam mortis meditationem. 4.
De varijs modis, & generibus venationum, & quodnam eorum sit optimum, auctore Platone. 5.
Cur Isaac benedicturꝰ filio suo Esau, requisiuit ab eo priùs cībatum ex venatione. 8.
Pro spiritualibus bonis acceptis, reddi debere temporalia, pulchra B. Augustini disputatio. 9.
Allegorica Ruperti disputatio in Prę latos Ecclesiasticos, parum sincerè beneficia & dignitates Ecclesiasticas dispensantes. 10.
Egregia B. Ambrosij documenta & præcepta in diligendis tractandísque filijs, valdè parentibus obseruanda. 12.
Disputatio, quam detestabile sit crimen, & atrociter à Deo sæpe vindicatum, filios esse iniuriosos & contumelioſos aduersus parentes; de quo præclara traditur Platonis doctrina, & admodum memorabile exemplum à B. Augustino proditum. 14.
De duplici specie simplicitatis & innocentiæ, ex B. Basilio. 16.
Super eo quod Iacob assumpsit habi-

tum Esau, vt benedictionem patris præriperet, quadruplex traditur allegorica expositio, Hyppoliti martyris, Ambrosij, Augustini, & Gregorij. 17.

PRIMA DISPVTATIO.

AN peccauerit Iacob, cùm indutus vestibus Esau, videri voluit patri suo esse Esau. 20.
Iacob nihil in illa simulatione habitus peccasse, communis Patrũ ac Theologorum astruitur sententia. 22.
Bonam esse & vtilem nonnullam simulationem, & deceptionem in loco, & in tẽpore, quomodo probet S. Chrysostomus. 23.
Disputatio Thostati pro defensione Iacob. 24.
De quinque speciebus simulationis à Scoto traditis. 25.
De quadruplici specie simulationis & fraudis secundùm ipsum Auctorem. 26.

SECVNDA DISPVTATIO.

AN sit tolerabilis eorum sententia, qui arbitrantur Iacob esse mentitum patri suo, nec peccasse tamen, quia sit aliquod mendaciũ inculpabile, & laudabile. 29.
Disputatio Platonis, quod omne mẽdacium sit indecens atque inutile Deo, non tamen hominibus. 29.
Exponitur sententia Origenis de mendacio nonnumquam licito. 31.
Quid de mendacio senserit Chrysostomus & Cassianus 32. & 33.
Istas opiniones refellit Auctor, tripliciter probans omne mendacium per se esse malum. 35.
Ad quem finem & vsum data sit homini facultas loquendi, & instituta sint verba. 36.
Quanta virtus sit hominis, esse veracem ex Aristotele, & Pithagora. 37.
Disputatio, an obstetrices Aegyptiacæ propter mendacium quod dixerunt, perdiderint mercedem vitæ æternæ, & solùm promeruerint temporalem, vt significat B. Gregorius. 38. vsque ad 42.
An mendacium officiosum possit esse meritorium boni cuiuspiam tẽporalis apud Deum. 41.
Pestilens Darij Persarum Regis de mendacio sententia. 42.

TERTIA DISPVTATIO.

AN Iacob sit quidem mentitus, sed quia fecit id ex reuelatione & instinctu Dei, nihil peccauerit, vt quibusdam visum est. 43.
Probatur euidenter, Deum, nec auctorem, nec præceptorem nec sua sorem mendacij esse posse. 44.

QVARTA DISPVTATIO.

AN probanda sit opinio multorum, aientiũ Iacob esse mentitum, & peccasse venialiter. 45.
Prẽter B. Virginem. de nullo Sanctorum certò dici posse, per totam vitam, eum numquam peccasse venialiter, sententia B. Augustini, & doctrina Tridentini Concilij. 47

QVINTA DISPVTATIO.

DEclaratur & defenditur communis Theologorum sententia, quæ Iacob vindicat ab omni mendacio. 49.

Disputa

Disputatur, an Iacob iure habere deberet primogenituram Esau, quia eam ille vendiderat ipsi 50. & seq.
Cur Doctores tantopere conati sunt vindicare Iacob ab omni mendacio. 53.
Soluuntur omnia argumenta eorum, qui probare conati sunt, Iacob mentitum esse, & peccasse venialiter. 54.
Consuetudinem esse Scripturæ, appellare vnum hominem nomine alterius, propter insignem quampiam similitudinem quam gerit illius. 54.
Iacob sine mendacio dixisse: *Ego sum Esau* dupliciter ostenditur. ibid.
An excusari possit à mendacio Iacob, cum dixit patri suo: *feci sicut præcepisti mihi*: & rursus, *Comede de venatione mea*. 56.
Quinque regulæ ad cognoscendum & iudicandum, quæ sint in Scriptura pro mendacijs habenda, & quæ non. 57.
Cur Isaac tactus maximè iudicio explorare voluit, an qui secum loquebatur, esset Esau. 59.
Cur Deus sit passus decipi Isaac circa benedictionem Iacob, Quæstio Damasi Papę, & responsio B. Hieronymi. 61.
De variis modis, quibus prophetarũ spiritus tangitur, & afficitur, ex B. Gregorio. 62.
Cur voluit Deus, vt Iacob per deceptionem patris, & non apertè ac simpliciter benedictionem paternam obtineret. 63.
De antiquitate moris, vt primariæ personæ pretiosis vestibus induantur. 64.
Cõsuetudo sacrorum Prophetarum, & sanctorum scriptorum, vt earũ rerum vtantur similitudinibus, in quibus vitam exercuerunt. 65.
Super illis verbis Isaac, *Odor filij mei, sicut odor agri pleni*, disputatur qualis sit, & quantæ suauitatis odor agri: & quando terra suauissimè oleat, & super hoc pulcherima Beati Gregorij & Ambrosij allegorica expositio. 67. 68.
Quatuor bonorum genera, per benedictionem Isaac esse promissa Iacob, & posteris eius. 71.
Cur Isaac in benedictione filij sui Iacob, solius meminerit roris, tacens imbres, niues, ac vẽtos & calorem cęlestem. 72.
Quantę vtilitatis fuerit in terra Palęstina defluxus roris, vt pote in qua non nisi duobus anni temporibus ferè plueret: vnde frequenter in Scriptura nominatur imber temporaneus & serotinus. 72.
Quę sint bonę ac fœcundę terrę, &, vt vocat scriptura, pinguis, signa. 73.
De mira societate & quasi coniugio quodam cęli ac terrę ad procreanda omnia sublunaria: quod veteres poëtę per Iouem ac Iunonem figurarunt, sic interpretante B. Augustino. 74.
Multiplex interpretatio allegorica illius benedictionis, quam Isaac cõtulit in Iacob. 75.
Consuetudo est scripturæ in dandis promissionibus, promittere aliquibus magna quæpiam bona, quæ nõ ipsis, sed multo pòst tempore, alijs præstanda sint, & cur id fiat. 77.
Disputatio Philonis de quadruplici estasi. 80.
Vocabulum Doli, & apud profanos, & apud sacros scriptores indifferenter vsurpari in bonã atque malam partem. 83.
Vtrum benedictio, quam Isaac dedit

Iacob, putans esse Esau, propter errorem personæ, censeri deberet valida. 84.

SEPTIMA DISPVTATIO.

CVr Isaac tantopere recusauerit benedicere Esau. 85.
Cur Isaac non poterat benedicere duobus filijs suis Iacob; & Esau, cùm Iacob benedixerit duodecim filijs suis. 86.
Vtrum Abrahã benedixerit filio suo Isaac. 87.
Cur antiquitus tanti fieret benedictio paterna: & an cuiuslibet patris benedictio æqualem vim haberet. 88.

OCTAVA DISPVTATIO.

AN Moses dicens, lacrymis Esau permotum Isaac, benedixisse illi, contraria scripserit B. Paulo aienti ad Hebræos 12. Esau non inuenisse pœnitentiæ locum, quãquam cum lacrymis inquisisset eam. 91.
An ex ista sententia Pauli posset inferri, posse in hac vita esse peccatũ aliquod impœnitibile, atque irremissibile. 92.
Quid in Scriptura significet verbum pœnitere, & vocabulum Pœnitẽtiæ. 94.
Qualia fuerint ingenia & mores Idumæorum, ex Iosepho. 96.
Egregia disputatio Philonis, quòd improbis melius sit eos seruire bonis, quàm dominari illis: & super eadem re, præclara Ambrosij & Basilij doctrina. 97.98.
Idumæi quandiu permanserint sub iugo Iudæorum & quoties illis seruierint. 100.
Quando Idumæi dominati sunt Iudæis. 101.
De duplici genere Iratorum hominũ ex Aristotelis sententia. 105.

CAPVT XXVIII.

Decem Disputationes.

PRIMA DISPVTATIO.

AN locus, in quo Iacob vidit scalam, fuerit mons Moria, in quo postea ædificatum est templum Hierosolymitanum, vt putarunt multi: quos tamen egregiè refutat Thostatus. 4.

SECVNDA DISPVTATIO.

CVr Iacob & incomitatus, & pedes atque omnium ferè rerum inops missus sit in Mesopotamiã. 10.
Quomodo talis profectio Iacob in Mesopotamiam figura fuerit descensus filij Dei in terram ex B. Augustino. 11.
Hoc exemplo paupertatis Iacob pulchre disputat Philo qualis vitæ ratio deceat studiosum virtutis, & sapientiæ. 13.
Disputatio allegorica Beati Gregorij super historia Iacob in itinere dormientis in terra, capite super lapide posito: & quòd nomen Somnitribus modis vsurpetur in Scriptura. 14.
Explicatur copiosè ac diligenter locus libri Sapientiæ pertinens ad hanc historiam Iacob. 15.
Latinum interpretem verbũ Honestare, nonnumquam ponere pro locupletare & ditare. 16.

TERTIA DISPVTATIO.

QVæ fuerit propria & primaria significatio eius scalæ, quam vidit in somnijs Iacob. 18.
Quomodo scala illa figura fuerit diuinæ prouidentiæ. 19.
Simile huius scalę videri, quod Poetę finxerunt de Iouis catena. 19.
Varijs gradibus illius scalæ significari varios diuinę prouidentiæ modos pro rerum ipsarum varietate. 20.
Duo illius scalę latera significabant duas prouidentiæ Dei proprietates, fortitudinem, & suauitatem: Attingit enim à fine vsque ad finē fortiter, & disponit omnia suauiter. 21.
Quomodo mala, quæ cernuntur tam in rebus tā naturalibus, quàm humanis, cohærere queant cum perfectissima Dei prouidentia. 21.
Præclara B. Dionysij de suauitate diuinæ prouidentiæ sententia. 22.
Administros diuinæ prouidentiæ esse Angelos. 23.
Quid ascensus & descensus Angelorum per scalam significaret. 23.
Dominus in culmine scalæ innixus ei, quid significaret. 25.
An prouidentia mundi à solo Deo proueniat, an ex alijs quoque rebus. 26.
Falsa Platonicorum de prouidentia mundi opinio refellitur. 26.
Quomodo visio illius scalæ, prętер generalem significationem diuinę prouidentiæ, propriè pertineret ad Eruditionem, & cōsolationem, & confirmationem ipsius Iacob. 27.

QVARTA DISPVTATIO.

DE duabus allegoricis interpretationibus illius scalæ; quarū altera pertinet ad incarnationem filij Dei, altera ad Christi Ecclesiā. 29.
Scala illa figura fuit generationis, siue genealogiæ Christi Domini, quam Matthæus & Lucas descripserunt: Cuius scalæ gradus, fuerunt generationes & personæ in Christi genealogia memoratæ. Latera scalæ, quibus infixi tenentur gradus, sunt Dei misericordia & veritas. Inferior scalæ pars hærens in terra, & superior attingens cœlum, præfigurabant duas Christi naturas, diuinam & humanam. Deus fastigio scalæ innixus, significabat diuinitatem humanitati vnitam. Angeli ascendentes, erant qui ferebant ad Deum preces & desideria Patriarcharum & Prophetarum de aduentu Messiæ: descendentes Angeli erant, qui oracula Dei deferebant ad homines, pertinētia ad Christi mysteria. 29.
Quemadmodum S. Augustinus eandem scalę allegoriam paulò diuersiùs, sed doctè interpretetur. 30.
Allegoriam scalæ pertinentem ad Christi Ecclesiam, quemadmodū tractet & explicet Caietanus. 32.

QVINTA DISPVTATIO.

DE Tropologica illius scalæ interpretatione, secūdùm quam ostenditur scalam illam fuisse figuram Euangelicæ perfectionis, & disciplinæ religiosæ. 32.
Cur disciplina religiosa assimiletur scalæ. Ibidem.
Duo latera huius scalæ, esse fidem & opera: siue verbum Dei, & sacramenta: siue duo illa moralis Philosophiæ præcipua capita, sustine, & abstine. Gradus scalæ, esse varias

varias gratiarum & virtutum ſpecies, ſiue tria genera ſtudentium virtuti,& Deo ſeruientium, Incipientes dico,Proficientes,& Perfectos. 32.

Angelorum per ſcalam aſcenſus & deſcenſus, denotabat duplicem Sanctorum in terris vitam, Contemplatiuam,& Actiuam. Neque eſt viſus in illa ſcala angelus quiſquam aut reſidens, aut ſubſiſtens: quod in ſtudio vitæ perfectę neceſſe ſit aut proficere,aut deficere, vt pulchrè oſtendit S. Bernardus. 33.

Latera ſcalæ facit Sanctus Bernardus aſperitatem vitæ, & humilitatem mentis. Cur autem ſpiritualis diſciplina cõparetur aſcenſui per gradus ſcalæ,egregiè declarat B. Bernardus. 34.

Sicut primus aſcẽſus illius ſcalæ erat receſſus à terra, ita primus gradus diſciplinæ virtutis, eſt declinare à vitiis & cupiditatibus terrenis, & hoc diſertè docet Baſilius. 35.36.

Traduntur ab Auctore decem gradus ſcalæ ſpiritualis, per quos aſcendendo, peruenitur ad culmen perfectionis euangelicæ,ac religioſæ.37.& ſequentibus.

SEXTA DISPVTATIO.

EXponuntur & perpenduntur eiuſdẽ ſcalæ interpretationes, à Philone traditæ. 38.

Scala Iacob inſtabilitatem & viciſſitudinem ſignificabat rerum humanarum: & in huius rei Symbolum Pyttacus ſcalam in templis dicauit donarij loco,vt imago eſſet volubilitatis fortunæ. 41.

Cum Deus ſit vbique locorum, cur certa quædam loca propriè Deo ſacrata ſint, & in veteri & in nouo teſtamento. 42.

De differentia cognitionis Dei per fidem,à cognitione Dei per donum contemplationis,pulchra diſputatio B.Gregorij. 43.

Quod dixit Iacob, *Verè Dominus eſt in loco iſto, & non eſt alius hic niſi domus Dei,& porta Cæli*: præclarè docet S. Bernardus id multo iuſtius & congruẽtius in ſacra Chriſtianorum templa dici poſſe. 46.

SEPTIMA DISPVTATIO.

SVper eo quod fecit Iacob erigendo lapidem in titulum,& vngẽdo ipſum. 49.

Quatuor ſignificationes in ſcriptura huius vocis, Titulus. 49

OCTAVA DISPVTATIO.

AN rectè fecerit Iacob,oleo lapĩdem vngendo, & an talis vnctio fuerit apud Ethnicos viſitata. 51.

De duplici oleo ſacro, cuius eſt in Eccleſia vſus. 51.

Exponuntur octo proprietates Olei propter quas tam frequens & varius eſt in rebus ſacris Olei vſus, fuítque olim in veteri Teſtamento. 54.

NONA DISPVTATIO.

AN Bethel, & Luza fuerint duæ vrbes,loco & ſitu diſtinctæ. 56.

S. Hieronymus mutauit ſententiã de tribu,in qua erat vrbs Bethel. 56.

Excutitur opinio Andreæ Maſij de vrbe Bethel. 57.

Sẽtẽtia Auctoris de vrbe Bethel. 59.

Cur

Cur Bethel dicta sit posterioribus tẽporibus Bethauen; & quando id nomen ei fuerit impositum: & an reuera fuerit aliquis locus Bethauen, distinctus à Bethel. 60.

DECIMA DISPVTATIO.

AN votum quod Iacob fecit Deo sit vsquequaque laudabile: super qua re tractãtur quatuor quęstiones. 61.
Quot modis sumatur in Scriptura nomen Panis ex sententia B. Gregorij. 65.
Multis Ethnicorum testimonijs probatur, mediocritatem facultatum, esse homini tutiorem, & meliorem. 66.67.

CAPVT XXIX.

Sex Disputationes.

PRIMA DISPVTATIO.

AN Iacob honestè ac decorè fecit, in publico Rachelem osculando. 1.
De sex osculorum generibus in Scriptura traditis. 2.
Quas partes corporis oscolari mos fuerit olim, & cur. 4.
De tribus generibus hominũ in Ecclesia Christi, pulchra disputatio Sancti Augustini. 6.
Antiquitus molere frumenta, opus erat vilissimarum mulierum. 7.
Qualem sententiam habet Hebraismus ille frequens in Scriptura, Os meum, & caro mea, & quid significet caro, & sanguis, & communicare carni, & sanguini. 8.
De duplici genere lippitudinis, auctore Celso: & pulchra disputatio Sancti Gregorij de lippitudine & albugine spirituali. 10.

SECVNDA DISPVTATIO.

DEclaratur mos antiquus contrahẽdi matrimonia per coẽptionem, vt vir & mulier se inuicẽ emerent. 11.
Quomodo Latinus Interpres nonnunquam posuerit verbum fodere pro emere. 12.
Varia quondam Gentium consuetudo circa dotes matrimoniales. 13.
Quando fuerit confectum matrimonium inter Iacob, & Rachel initio prioris septennij, an in fine. 15.
Pulchra disputatio allegorica Ruperti quod seruitus Iacob pro habenda vxore Rachel, figura fuerit Christi & Ecclesiæ eius spõsæ. 16.

TERTIA DISPVTATIO.

VTrum amor, quo Iacob tantopere dilexit Rachelem, fuerit immoderatus, atque culpabilis. 16.
Quomodo septem anni seruitutis videbantur pauci dies ipsi Iacob prę amoris magnitudine: cùm ingens atque vehemens amor, sit impatiens moræ. 17.
An pulchritudo corporalis, sit verum bonum atque expetendum. 16.
Cõuiualis nuptiarũ celebritas, quàm fuerit apud veteres tam Ethnicos, quam ex populo Dei, solemnis. 12.
Describitur magnificentia nuptialis conuiuij Alexãdri Magni, & principum eius. 22.
Quemadmodũ Plato minuerit sumptus nuptialium conuiuiorum. 22.
Cur mos erat apud Veteres, sponsam

vespere in domum viri ducere. 23.
An Lia peccauerit, ingrediens ad Iacob, cuius se sciebat non esse vxorem: & quàm multiplex & graue fuerit peccatum Laban, id iubentis facere Liam. 24.25.

QVARTA DISPVTATIO.

QVî fieri potuerit vt Iacob per totam noctem nullo modo cognouerit Liam, discernens eam à Rachele. 26.
An excusatio Laban petita ex consuetudine illius regionis, in qua maiores filias oportebat priùs dare nuptui quàm minores, fuerit probabilis. 27.
Quot dies antiquitus duraret celebritas nuptiarum. 29.

QVINTA DISPVTATIO.

AN tetragamia Iacob fuerit licita, & honesta. 30.
An polygamia sit contra naturam. 32.
Tribus modis dici posse concubitum carnalem esse contra naturam. 32.

SEXTA DISPVTATIO.

AN vnius fœminę cum multis viris carnalis coniunctio, fuerit aliquando licita & honesta. 35.
Probatur octo rationibus, cõiugium vnius fœminæ cum multis viris nunquam fuisse licitum. 35.
Allegoria S. Augustini, & Gregorij, & Ruperti super coniugio Iacob cum duabus sororibus. 36.

CAPVT XXX.

Quatuor disputationes.

TRriplex genus & ratio zeli. 1.
Quæ sint causæ sterilitatis mulierũ secundùm Aristotelem. 4.
De quatuor clauibus, quas Hebræi philosophantur solum Deum habere. 5.
Etiam ethnici, & in primis Plato, agnouit fœcunditatem muliebrẽ, & generationem liberorum, vt singulare Dei munus, ei maximè ferri acceptum oportere. 6.
Ridicula Romanarum mulierum superstitio, vt fœcundari possent. 6.
In coniugio Iacob cum duabus ancillis, quid lateat mysterij secundũ Augustinum & Rupertum. 7.
Phrasis illa Hebraica (parere super genua sua) quam habeat sententiã. 8.

PRIMA DISPVTATIO.

DE virtute & natura Mandragoræ. 9.
Descriptio Mãdragoræ, & virtutum, & effectuum eius, ex Dioscoride. 9.
Quid Plinius de Mandragora tradiderit, & cùm Plinius & Dioscorides eadem multifariam tradant, disputatur, vtrum Plinius sumpserit ex Dioscoride. 10.
Quid de Mãdragora prodiderint Galenus, & Auicenna. 10.
Mira tradidisse S. Epiphanium de virtute Mandrangoræ in Elephantis. 11.
Quid nam B. Augustinus compertũ habue

habuerit de mandragora. 11.
Suidæ,& Rhodogini,& Matthioli de Mandragora opinio. 12.& 13.
Cur Pythagoras Mandragoram vocauerit Antropomorphon. 13.
Sententia Oleastri de Mandragora, minimè probanda. 14.
De Mandragora opinio Rabbinorũ, & Francisci Georgij & Sixti Senensis. 14.
Auctoris sententia de Mandragora, quinque Propositionibus cõprehensa & explicata. 15.
Mandragoram per se non conducere mulierum fœcunditati: posse tamẽ per accidens multum prodesse. 17.& 18.
Quæ sit vera natura,& proprietas,& virtus,& effectus Mandragoræ. 19.
Quomodo Iacob plenè satisfacere potuerit quatuor vxoribus in reddendo debito. 21.22.
Tempus Natiuitatis Ioseph bene cognitum, quasi quædam Clauis est, ad totius propemodum Chronologiæ Iacob notitiam aperiendam. 24.
Quanta in gratia sit apud Deum vir bonus. 25.
Cyri apud Xenophontem obseruanda sentẽtia, fieri non posse, vt domus illa bene administretur, quæ improbis vtatur seruis. 25.
An verbum Augurandi sit omnino profanum; & à tractatione rerum sacratum planè remouendum, ex Origene, Theodoreto, & Augustino. 26.
Quid significaret apud veteres, Homo boni pedis. 27.
Quid nomine Domus significetur in Scriptura,& apud Aristotelem, & Xenophontem. 28.
Pulchra Ruperti allegoria super eo, quod dixit Iacob: *Iustum est vt aliquando prouideam domui meæ.* 28.
Quæ sit germana sententia illorum verborum, Respondebit mihi cras iustitia mea. Et quòd, Respondere, idem valet in scriptura, atque reddere cuipiam quod meritum, & debitum est. 35.

SECVNDA DISPVTATIO.

AN laudari possit iustitia Iacob in eo quod egit cum Laban, per illud diuersicolorum virgarũ inuentum, multo fœcundiorem faciendo gregẽ suũ. 38. & sequen.
Super illis verbis: *Cunctum autem gregem vnicolorem tradidit in manu filiorum suorum*: Disceptatio cũ permultis Hebraizantibus in defensionem Latinæ lectionis, quæ est hoc loco. 42.

TERTIA DISPVTATIO.

AN quod fecit Iacob, vt ad virgarum multicolorum obtutum, pecudes generarent versicolores fœtus, id fuerit miraculum diuinæ omnipotentiæ, an effectus, & opus naturæ. 47.
Intentus aspectus in aliquod illustre obiectum, aut vehemens imaginatio, quantam vim habeat in corpus humanum, & in ea, quæ in ipso sunt,& super hac re memorabile refertur exẽplum,& lepidissimi versus Thomæ Mori martyris. 51.
Quod factum est in pecudibus Iacob ex aspectu virgarum, id fuisse simpliciter naturale; secundùm quid autem; minime. 51.

QVARTA DISPVTATIO.

QVÆNAM sit physica ratio, quæue causa naturalis, cur pecudes in obtutu virgarum multi-

colorum concipientes, genuerint fœtus ſimiles virgarum coloribus. 53.

Aquarum potu mutari colorem pecudum, ex Ariſtotele, & Varrone. 53.

Egregia Diſputatio Marſilij Ficini, quòd anima per vehemẽtẽ imaginationẽ vel affectum, habeat vim demutãdi, variéque afficiendi corpus non modo proprium, verùm etiam alienum. 54.

Quatenus, & in quibus, imaginatio vehemens poſſit corpus mutare, ex S. Thoma. 56.

Quam rationem tradat Thoſtatus, cur vehemens imaginatio generãtis fœtum ſimilem faciat rei imaginatæ. 57.

Super eadem iſta re docta Franciſci Valleſij diſputatio. 58.

Quando maximè imaginatio generantis, fœtum afficiat, & cur id rarò contingat. 59.

Quis dicatur primi temporis conceptus ouium, & quis ſerotinus. 61.

Super hac hiſtoria de virgis poſitis à Iacob, commemoratur pulcherrima Beati Gregorij Diſputatio allegorica. 63.

De obſeruatione, & cautione adhibenda in exponendis ſacris libris nunc ſecundùm hiſtoriam, & aliâs ſecũdùm myſterium, perutile documentum B. Gregorij. 63.

CAPVT XXXI.

VNA DISPVTATIO.

QVid ſignificet illud quod dixit Iacob, *Mutauit mercedem meam decem vicibus.* 3.

SVper furto idolorum Labã, facto à Rachele. 3.

Quid ſignificet vox Teraphin ſatis frequens in ſcriptura. 3. & ſequẽt.

Hiſtoria quam refert Thoſtatus de capite per artẽ necromantiæ facto ab Alberto magno, quod reddebat reſponſa conſulentibus: & à B. Thoma Aquinate, diſcipulo eius confractum eſt. 4.

Quo animo Rachel furata ſit Idola patris ſui: & an ipſa tunc coleret idola, diſputatio inter auctores. 5. & 8.

Solere ſcripturam appellare nonnunquam aliquid tale, non quia tale ſit, ſed quia videatur, & putetur tale. 7.

Diſceptatio Catherini aduerſus Caietanum, an Rachel fuerit tunc infidelis: & an coniugium inter fidelem & infidelem, ſit vetitum iure naturæ: & defenditur Caietanus. 9. vſque ad 12.

Super iſto furto Rachelis, allegorica Beati Gregorij tractatio. 12.

Nomen fratris in ſcriptura quatuor modis accipi. 13.

Cur Deus in ſcriptura ſæpe dicatur timor & terror hominis. 14. 15.

Deus dicitur in Scriptura aliquando eſſe talis non propriè, ſed vel effectiuè, vt cum dicitur eſſe lux & ſalus hominis: vel obiectiuè, vt cùm dicitur eſſe ſpes & patientia, & expectatio hominis. 15.

Diſceptatio amœna & erudita ſuper monte Galaad. 16. & ſequent.

CAPVT

CAüVT XXXII.

QVINQVE DISPVTATIONES.

VEtvs sententia Patrum, quòd suum quæque Gẽs Angelum habeat præsidem, vnde sit petita. 3.
Obseruatio de vsu comparatiui apud Hebræos. 4.
Duodecim variæ significationes præpositionis (In) vsitatæ in scriptura 5.
Cur Iacob tantopere timuerit fratrẽ suum Esau. 6.
Epicteti præclara Disputatio, quatenus sapienti timor, citra culpam, accidere queat. 9.
De fluuio vel torrente Iaboch. 10.

PRIMA DISPVTATIO.

AN qui luctatus est cum Iacob, fuerit Angelus an filius Dei. 11.
Tractatur opinio multorum veterũ Patrum aientium eos, qui apparuerunt Sanctis in veteri testamẽto, non fuisse propriè Angelos, sed filium Dei; quæ tamen refellitur ab Auctore. 12.& 13.
Eum, qui luctatus est cum Iacob, fuisse Angelum, non autem filium Dei. 14.
Qui apparuit in Rubo Moysi, non Deus, sed Angelus propriè fuit. 14.
Egregia B. Gregorij disputatio, cur qui apparuerũt Patribus, aliquãdo dicantur Angeli, interdum autem Deus. 15.
Eũ, qui apparuit in mõte Sina Moysi, fuisse Angelum. 16.
Notabilis sententia & doctrina Beati Dionysij Areopagitæ, Omnes visiones & reuelationes ante Christi aduentum quibuscumque Patribus factas, eas non fuisse immediatè à Deo profectas, sed opera, & ministerio Angelorum peractas. 17.

SECVNDA DISPVTATIO.

AN lucta illa Iacob fuerit corporalis, an spiritualis: & an cum Angelo bono, an cum Diabolo. 20
De antiquitate certaminis luctę apud veteres, & in eo, de vsu arenę Nili. 20.
Origenes, & B. Hieronymus, putarũt Iacob fuisse luctatum cum malo Angelo. 21.& 22.
De variis studiis & moribus Dæmonum; quibusdã seruientibus amoribus, & rebus amatoriis: aliis iras & furores, & bella commouentibus, & inter homines odia concitantibus ex B. Hieronymo. 21.
Figmentum Hebræorum, Diabolum in specie Esau, luctatum esse cum Iacob. 22.
Probatur luctam illam Iacob fuisse corporalem, & cum bono Angelo. 23.& seq.
Verbum, *Dirigere*, quid significet in scriptura. 26

TERTIA DISPVTATIO.

QVomodo intelligẽdum sit Angelum non potuisse luctando superare sanctum Iacob. 27.
An quod Angelus nõ posset in lucta superare Iacob, fuerit fictio quædam & simulatio Angeli, an vera impotentia. 28.

Tractatur quæstio de nervo fœmoris Iacob percusso ab Angelo. 30.
Quandiu claudicatio Iacob, ex percusso nervo duraverit. 32.

QVARTA DISPVTATIO.

DE allegorico & tropologico illius luctæ Iacob cum Angelo tractatu, ex Philone, & B. Augustino. 33.34.
De tribus gradibus hominum cognoscentium Deum, pulchra disputatio ex Philone. 33.
Super eadem lucta, eximia disputatio S. Gregorij tropologica. 36.
In exercitio vitæ contēplatiuæ, quāto magis spiritus eleuatur & vegetatur, tanto magis carnem deprimi & debilitari. 36.
Mirabilem in exercitio contemplationis sentiri vicissitudinem proficiendi & deficiendi, ex B. Gregorio. 37.
De Contemplationis dulcedine, & efficacitate. 37.
Cur Angelus properabat discedere à Iacob, ascendente Aurora. 39.
Non eandem esse rationem imponēdi nomina Angelis, quæ est necessaria in hominibus. 40.
S. Hilarius putauit Angelum illum cum Iacob luctatum, fuisse filium Dei: & super eo mira eius oratio. 41.
Quomodo intelligendum sit, quod dixit Iacob, se vidisse Deum facie ad faciem. 43.
Quid sit in scriptura videre, vel loqui facie ad faciem. 43.
De abstinentia Iudæorum ab esu nervi, propter nervum Iacob. 45.

QVINTA DISPVTATIO.

DE germana & propria significatione nominis Israel, quod nomen impositum fuit Iacob. 46.
Variè B. Hieronymum scripsisse de interpretatione nominis Israel 47.
Exponitur opinio multorum Patrū, interpretantium nomen Israel, virum videntem Deum. 50.

CAPVT XXXIII.

VNICA DISPVTATIO.

QVibus artibus quibúsve rebus alienati, & irati homines placari, & cōciliari solent. 1.
De quinque modis exterioris adorationis. 2.
An Iacob dicens fratri suo Esau, *Vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei*: de mēdacio, simul, & de adulatione reprehendendus sit. 3.

DISPVTATIO.

SVper eo quod dicitur, Iacob emisse partem agri centū agnis, vbi pro agnis est Hebræa vox (Chesita) super qua voce magna est inter Auctores disceptatio. 12.

CAPVT XXXIIII.

DVÆ DISPVTATIONES.

QVo tēpore euenerit raptus Dinæ: & num ante venditionē Ioseph, an post. 1.
Quantum sit malum, mulierem esse curiosam, & vagabundam. 4.
Quid sit in scriptura, loqui ad cor. 5.

Super

Super illis verbis, *Cõglutinata est anima eius cum ea, tristemque deliniuit blanditijs*: Tropologica disputatio B. Gregorij. 6.
Probatur, dolum, quo vsi sunt filij Iacob cum Sichimitis, fuisse malum, & culpandum, & hoc contra opinionem Hebræorum. 8.
Vtrum ante legem Mosis illicitum esset Hebræis inire matrimonium cum incircumcisis. 9.
Apud Hebræos, etiam ante legem Mosis fuisse proprias quasdam leges, & ceremonias, ritúsque à Deo traditos; sed litteris & scriptis minimè consignatos. 9.
Iosephus Hebræus arguitur infidelitatis in referẽdo sacras historias. 11.

PRIMA DISPVTATIO.

QVæ sit Physica ratio & causa, cur tertio die post factam circumcisionem, grauissimus dolor circumcisis acciderit. 12.

SECVNDA DISPVTATIO.

AN filij Iacob in faciẽdo cædem Sichimitarũ peccauerint. 14.
Latinum Interpretem nonnumquam ponere verbũ defendere pro vindicare. 14.
Disceptatio, quomodo Iudith laudet Simeon à cæde Sichimitarum, de qua Iacob infrà c. 49. vehementer eum accusauit. 15. & sequent.
Octo vel nouem peccata filiorum Iacob circa cædem Sichimitarum. 18.
Egregia Platonis sententia de modo & mensura in vlciscendo seruanda. 21.
Opinio Ruperti aientis Dinam fuisse vxorem Iob, excutitur. 22.

CAPVT XXXV.

QVATVOR DISPVTATIONES.

ANillis verbis: *Locutus est Deus ad Iacob: fac altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Esau*, significatum fuerit mysterium Trinitatis, vt censet Hilarius. 3.
Consuetudo scripturæ & linguæ Hebrææ, vt aliquis de se ipso loquens, tamquam de tertia persona loquatur. 3.
Exemplo Iacob doceri nos, quid agere debeamus in rebus aduersis. 5.
Quę fuerint illa Idola, quę apud suos reperit Iacob. 6.
Cur Idola, Iacob appellauerit Deos alienos. 7.
Cur Iacob suos iusserit mutare vestimenta. 8.
Terebinthi arboris descriptio. 9.
Quam mirabiliter Deus hostes populi sui terrore immisso, profligare sit solitus. 12.
Super defossione idolorũ, quam fecit Iacob, pulchra Ruperti Allegoria. 13.
Quomodo Debbora nutrix Rebeccæ, fuerit in comitatu Iacob, & quàm fuerit annosa. 14.
Quid significet apud Auctores nomen Nutrix, & Nutricius, & quãti momenti sit eorum munus ad educationem puerorum, ex Platone & Chrysippo. 15.
Cur Moses narrauerit mortem Debboræ & tacuerit mortem Rebeccæ, pulchra Ruperti Allegoria. 16.

PRIMA DISPVTATIO.

DE impositione nominis Israel; & quomodo dicatur hîc fuisse

fuisse impositum nomen Israel,cũ id ante decem annos impositum fuisse,legatur supra Genesis. 32.19
Mos est Scripturę,easdem promissiones vel prædictiones, vel res alias semel iam datas, & commemoratas;postea diuersis temporibus tãquam nouas denuo tradere. 25.

SECVNDA DISPVTATIO.

CVr Iacob post impositum sibi nomẽ Israel,frequẽtius postea appellatus sit nomine Iacob: cùm tamen ei dictum fuerit,*Non vocaberis vltrà Iacob,sed Israel erit nomẽ tuum.* 26.
Explicatur consuetudo scripturæ dicentis rem quampiam vel personã appellatum iri certo aliquo nomine,quo tamen propriè numquam ferè est appellata. 30.
Mos sacræ scripturæ circa verba futuri temporis. 31.
An Bethel,quæ nominatur in hoc capite, fuerit Hierusalem, vt placuit Thostato. 32.33.

TERTIA DISPVTATIO.

SVper eo,quod dicitur, Iacob venisse tempore verno Ephratam. 34
Vicissitudo atque alternatio bonorũ & malorum in hac vita, solennis est mortalibus,atque vtilis. 38.
De causis difficultatum & dolorum, qui mulieribus in pariendo contingunt. 39.
Speciosa nomina imponere filijs, cutæ fuisse veteribus. 40.
Quid sit vocari filium dexteræ,quod sonat nomen Hebræum Beniamin. 41.

QVARTA DISPVTATIO.

DIsputatio Thostati cum Lyrano super origine nominũ Ephrata,& Bethleem. 42.
Liam aliquanto tempore esse mortuã post obitum Rachelis. 44.
Cur Iacob erexerit titulum super sepulcrum Rachelis. 45.
Quis locus fuerit Turris Gregis. 46.
Cuius ætatis fuerit Ruben, cum violauit nouercam suam. 47.
Cur Beniamin numeretur inter filios Iacob,natos in Mesopotamia, cùm natus sit in terra Chanaam. 48.
Exponitur Chronologia totius vitæ Isaac. 50.

CAPVT XXXVI.

TRES DISPVTATIONES.

QVando primũ iuerit Esau habitatum in Monte Seir. 2.

PRIMA DISPVTATIO.

VTrum Ana fuerit primus auctor & inuentor generationis mulorum. 3.& sequent.
Anam non fuisse primum inuentorẽ generationis mulorum:sed eorum generationem ab exordio vsque mundi fuisse. 7.
Rupertus putauit generationem mulorum esse contra naturam, & vetitam lege Dei. 7.
Probatur generationem mulorum esse secundùm naturam. 8.
Disputatur vtrum miscere inter se animalia diuersæ speciei,fuerit propriè contra legem Mosis. 9.

SECVN

SECVNDA DISPVTATIO.

AN B. Iob fueri ex genere Esau, an ex stirpe Nachor fratris Abraham; super quo tractãtur quatuor opiniones. 10.
Prima opinio Hebræorum & S. Hieronymi, fuisse Iob ex stirpe Nachor. 10.
Secunda opinio Rabbini Salomonis Iob fuisse Chananæum. 10.
Tertia opinio Caietani, aientis nihil certi posse sciri de genere & stirpe Iob. 11.
Quarta opinio est communis veterũ & Patrũ, Iob fuisse de stirpe Esau. Ita sentit Aristæus, Athanasius, Chrysostomus, Augustinus, Theodoretus, S. Gregorius. 12. & sequentibus.
Discutitur prima opinio, quæ est Hebræorum, & S. Hieronymi, quòd fuerit Iob ex stirpe Nachor. 15.
Examinatur communis sententia Patrum; quod Iob fuerit de stirpe Esau. 16.
Expẽditur Scriptura septuaginta Interpretum, quæ est sub finem libri Iob, Vbi traditur ipsum fuisse de genere Esau. 17.
Probatur multis argumẽtis Iob fuisse de stirpe Esau, in quam sententiã discedit etiam Auctor. 18. 19.

TERTIA DISPVTATIO.

DE tẽpore in quo vixit Iob. 20.
Seuerus Sulpicius, & Rabbi Salomon, & S. Hieronymus videntur facere eum synchronon, & æqualem Mosis. 21.
Expenditur opinio S. Gregorij aientis floruisse Iob tempore Iudicum Hebræi populi. 22.
Videtur Aristęus, facere Iob supparẽ Iacob, dicens eum filium fuisse Esau: idemque sentire videtur quodam loco S. Hieronymus. 20.
Auctor putat Iob fuisse circa id tempus, quo Iacob cum omni familia sua descendit in Aegyptum. 23.
Iob vixisse annos ducentos decem & septem: & peruenisse vsque ad ætatem Mosis: immo post eius ortũ vixisse octoginta duos annos. 23.

CAPVT XXXVII.

NOVEM DISPVTATIONES.

PRæconiũ Sancti Ioseph ex B. Ambrosio, & ab ipso Auctore. 1.
Cur de solo Ioseph omnium filiorum Iacob Moses tam copiosè, & accuratè scripsit. 2.

PRIMA DISPVTATIO.

DE dissonãtia, quæ est inter Latinam, & Græcam lectionem super ætate Ioseph. 4.
Cur tam diligenter Moses exposuerit ætatem Ioseph. 8.

SECVNDA DISPVTATIO.

QVodnam fuerit crimen illud pessimum, de quo Ioseph accusauit fratres suos. 10. 12.
Ioseph recte ac laudabiliter accusasse fratres suos apud patrem. 16.
Quando & cur omittenda sit fraterna correctio aliquorum. 17.

TERTIA DISPVTATIO.

AN principalis causa cur Iacob præ cęteris filijs diligeret Io-

seph, fuerit quòd eum in senectute genuisset. 18.
An verè dictum sit, Ioseph fuisse natum in senectute patris sui. 19.
Cur filij nati in senectute, cariores sint parentibus. 20.
Qualis fuerit tunica illa polymita Ioseph. 26. & sequent.
Philonis allegoria super veste polymita Ioseph. 28.
B. Gregorij super eadem veste, tropologica expositio. 29.

QVARTA DISPVTATIO.

DE inuidia fratrum Ioseph aduersus ipsum. 30.
Quantum bonum sit fraterna beneuolentia, & concordia. 30.
Cur inter fratres & amicos interdum atrociora, quàm inter extraneos odia excitentur secundùm Aristotelem. 31.
Quatuordecim proprietates Inuidorum. 32. & sequent.
Inuidiam similem esse Ophthalmiæ: Inter bruta, odia esse posse, nō autem inuidiam: odium aliquando iustum esse posse, inuidiam nunquam: nimio prosperitatis excessu, obrui inuidiam: Inuidos odisse etiā suos benefactores, pulchra Basilij oratio: Inuidi tormentū, esse prosperitatem aliorum; solatium verò, calamitatem, & miseriam: Inuidos sæpe multum prodesse his, quibus inuident: Quantum inuidia noceat inuidenti, egregia Basilij disputatio: Inuidiæ comitem & pedissequam esse multiformem simulationem: Inuidia & animum & corpus hominis notabiliter fœdari & affligi: Remedium Inuidiæ esse contemptum bonorum temporalium, pulchra disputatio Gregorij & Basilij. 33. & sequent.
Somnia Ioseph, quid præfigurauerint de Christo. 42.
An Ioseph narrando somnia sua, quæ gloriam eius præsignabant, peccauerit per inanem gloriam, breuis Disputatio. 43. 44.

QVINTA DISPVTATIO.

AN cùm Ioseph narrauit somnia sua, tūc viueret mater eius Rachel: & quando eum pater, & mater eius adorauerint 45. & seq.
Disputatio B. Gregorij de sex causis somniorum. 53.
Excutitur opinio S. Ambrosij, qui excusare videtur peccatum filiorū Iacob aduersus Ioseph. 59.
Dissensionem malorum hominum inter se, non parum aliquando prodesse bonis viris. 62.
Egregia oratio Ruben ad fratres pro liberatione Ioseph, quam refert Iosephus. 63.
Ab exordio vsque mundi, suam cuiq; Sanctorum fuisse crucem. 64.
Qualis fuerit cisterna, in quam demissus est Ioseph. 64.
De Gente & regione Ismaelitarū. 67.

SEXTA DISPVTATIO.

AN Ioseph venditus sit Madianitis, an Ismaelitis, an vtrisque simul. 71. & sequent.
Cur Ismaelitæ, & Madianitæ, dicti sint Arabes, siue Æthiopes. 73.

SEPTIMA DISPVTATIO.

DE pretio, quo Ioseph venditus est: an argēteis vel aureis: & an viginti, vel viginti quinque, vel triginta venditus sit. 75.
Examinatur sententia Iosephi tradē-
tis

tis Ioseph esse venditum viginti minis: & de diuersitate drachmæ, & minæ, secundùm varios auctores. 76.
An vera sit Hebræorum opinio, Ioseph ter esse venditum. 77.
Iustinum historicum narrando historiam Ioseph, tripliciter errasse. 38.
Præclara oratio Ruben, cum reuersus ad cisternam non inuenit ibi Ioseph, auctore Philone. 79.
Noua, & mira, sed minimè probabilis opinio Ruperti discutitur. 83.
An Iacob aliquando reprehenderit filios de eo quod fecerant in Ioseph. 84.
Oratio Iacob deplorantis interitum, vt putabat, Ioseph, auctore Philone. 85.
Vestis occisi Iulij Cæsaris, quantum in furorem concitauerit populum Romanum. 86.
Scissio vestium quid apud Hebræos denotaret: & quòd idem mos scindendi vestes fuerit apud Persas, auctore Herodoto. 87.
Quænam Gentes olim, & quam ob causam induebantur sacco, siue cilicio. 88.
Profusionem lacrymarum, non leue doloris esse leuamentum, pulchra disputatio S. Basilij. 90.91.

OCTAVA DISPVTATIO.

SVper Hebræa voce (Sceol) quam Latinus Interpres Infernum, & Inferos reddere solet: an ea vox in Scriptura nunquam significet locum inferorum vbi detinentur animæ; sed tantummodò fossam & sepulchrum cadauerum, vt putant Hebræi, & quidam Christianorũ nimis hebraizantium, Et præterea Caietanus, Pagninus, Vatablus, Albinus, Eugubinus. Sed ante omnes, nostri temporis Hæretici. 92. & sequent.
Probatur multis rationibus, & auctoritate Septuaginta Interpretum, & Paraphrasis Chaldaicæ, & Sãctorum Patrum, multorúmq; auctorum, & compluribus Scripturæ testimonijs, vocẽ (Sceol) siue (Infernus) sæpenumero in Scriptura significare solere locũ inferorum, vbi detinentur animæ defunctorum. 96. & sequent.
Disputatur an in Scriptura nomen Animæ nonunquã significet corpus, siue cadauer, vt quidam malè docti opinati sunt. 102.
Egregia disputatio Genebrardi in Hereticos nostri temporis, super illis verbis Psalmi. 15. *Non derelinques animam meam in Inferno.* 103.

NONA DISPVTATIO.

DE Phutiphare Eunucho & magistro militum, qui emit Ioseph. 108.
Quomodo ille Eunuchus esse potuerit, cum habuerit vxorem, & filiã. 109.
De varijs generibus Eunuchorum, & de duplici fine castrandi homines. 110.
Sententia Pauli Æginetæ de varijs modis eunuchizandi homines. 110.
Quãdo fuerit origo Eunuchismi. 110.
Exponũtur octo Eunuchorum olim apud Principes munera & ministeria. 111.
Eunuchos non carere sensu & libidine voluptatis venereæ, S. Augustini disputatio. 112.
An ille Phutipharemptor Ioseph fuerit Magister militum, an Præfectus Coquorum Pharaonis. 114.

Super isto Phutiphare emptore Ioseph, pulcherrima Philonis allegorica disputatio. 118.
Super eadem re tractatus allegoricus & tropologicus S. Ambrosij. 119. 120.

CAPVT XXXVIII.

Sex Disputationes.

PRIMA DISPVTATIO.

QVod narrat Moses hoc capite de cõiugio Iudæ cum Chananæa muliere; & item de incestu eius cum nuru sua Thamar, quo tempore contigerit; num ante, an post venditionem Ioseph. 2. & sequentibus.
Quantum temporis interfluxerit inter venditionem Ioseph, & ingressum Iacob in Ægyptum. 2.

SECVNDA DISPVTATIO.

SVper illis verbis: *Fuit Her primogenitus Iudæ nequam in conspectu domini, & ideo ab eo occisus est.* 9. & sequentibus.
Quodnam fuerit peccatum Her. An quod dicitur, Mollicies, & immũdicia: & quomodo tale peccatum vocetur contra naturam: & de varijs modis peccãdi contra naturã, à B. Thoma expositis. 9. & 10.

TERTIA DISPVTATIO.

HEr peccasse quinq; modis. 11.
Quid sit illud tam frequens in Scriptura, *In conspectu Dei*, vel, *Coram Deo.* 12.
Qualis mulier fuerit illa Thamar, ex Philone. 13.
De peccato alterius filij Iudæ, qui dictus est Onan. 14.
De lege siue more antiquo, vt vxor defuncti viri sine liberis, nuberet fratri eius. 14. 15.
Vter fratrum peior fuerit, Her, an Onan, disputatur. 17.
An fabula de ortu Erichthonij originem habuerit ex sacra historia Onan. 19.

QVARTA DISPVTATIO.

DE peccato concubitus Iudæ cũ nuru sua Thamar. 20.
Quomodo intelligendum sit Thamar fuisse iustiorem quàm Iudam. 21.
Egregia disputatio S. Augustini, quod Thamar quærendo concubitũ Iudæ, licèt tantùm cupiditate prolis, multum tamen peccauerit. 23.
Etiam per mala hominum facta prophetari & significari futura bona olim gerenda. 24.
Discutitur opinio S. Ambrosij & Chrysostomi, qui significare videntur Thamar & Iudam nõ peccasse. 26.

QVINTA DISPVTATIO.

AN iusta fuerit sententia Iudæ damnãtis ipsam Thamar pœna ignis. 30.
An Iudas legitimam potestatem habuerit damnandi & puniẽdi Thamar. 30.
Cur Thamar propter fornicationẽ, cuius accusata fuerat apud Iudam, damnata sit ab eo pœna combustionis. 31.
Futilis & falsa traditio Hebræorum reijcitur, qui Thamar dixerunt fuisse filiam Sacerdotis Melchisedech. 31.

An

An crimen illud Thamar, de quo accusabatur, possit appellari adulterium. 32.
An fuerit iniquum, damnare Thamar vna cũ filio quẽ vtero gerebat. 35.
Explicatur Romanorum, Atheniensium, Aegyptiorum lex, de supplicio mulieris grauidæ differendo vsque ad partum eius. 36.
Quid in Scriptura significet coccum, & vermiculus: & ibi lapsus Thostati. 38.

SEXTA DISPVTATIO.

De allegorica expositione generationis Phares, & Zare, ex Irenęo, Chrysostomo, Theodoreto, Cyrillo, Isidoro, & Ruperto. 40.

CAPVT XXXIX.

Erudita disputatio de laudibus Castitatis Ioseph. 1.
Perpenduntur exempla castitatis ab Ethnicis celebrata. 1.
Quatuor insignes virtutes Ioseph, ex Ruperto. 2.
Luculentum præconium sanctitatis Ioseph, ex S. Augustino. 3.
Aristotelis sententia, qualis merces debeatur seruis, & de eorum victu & vestitu. 5.
Quo tempore euenerit tentatio illa castitatis Ioseph, id est, quandiu post eius venditionem. 8.
Super eo, quod Ioseph dixit Dominę suæ auersando eius stuprum, pulchra Beati Gregorij moralis disputatio. 13.
Plenior oratio Ioseph recusantis stuprum Dominæ suæ à Philone oratoria arte egregiè composita refertur. 14.
Præclara disputatio de tribus quasi vinculis quibus Sancti viri tenentur astricti, & cohibentur à peccãdo. 17. & sequent.
Memorabilis oratio B. Basilij de timore diuini iudicij, quo animus hominis à peccandi cupiditate vehementer reuocatur. 18.
Exaggeratio virtutis Ioseph, tam cõstanter repugnantis libidini Dominæ suæ. 20.
Oratio Dominæ Ioseph, sollicitantis ipsum ad flagitium, auctore Iosepho. 21.
Ingens esse incitabulum libidinis solitudinem, & secretum loci, veterũ testimonijs ostenditur. 22.
Sentẽtia Beati Hieronymi, vel ipsum mulieris tactum, quasi contagiosum, & venenatum quid, esse viro fugiendum. 25.
Oratio Ioseph, multis rationibus reuocare conantis Dominam suam à turpi proposito, Auctore Iosepho. 24.
Philonis pulchra disputatio allegorica, multis valdè vtilibus scatẽs documentis, ad ciuilium rerum administrationem pertinentibus, ex hac historia Ioseph deprompta. 25.
Eiusdem historiæ allegorica expositio Ruperti ad Christum & synagogam pertinens. 26.
Præconium virtutis Ioseph, ex Sancto Ambrosio. 27.
Oratio Dominæ Ioseph accusantis ipsum apud maritum, auctore Iosepho. 28.
Cur Dominus Ioseph credens tentatam ab eo fuisse vxoris suæ pudicitiam, non iusserit eum occidi, disputatio Chrysostomi. 29.
Quid in carcere passus sit Ioseph: & quàm vtilis fuerit his, qui erant in carcere, tum exemplo vitæ, tũ ser-

monibus suis,ex Philone. 30.
Super carcere Ioseph Allegoria Ruperti pertinens ad Christum. 32.

CAPVT XL.

QVãto tempore postquam Ioseph coniectus fuerat in carcerem, interpretatus sit ipse somnia pincernæ & pistoris. 2.
De antiquitate ministerij pincernarum, & pistorum. 3.
Discutitur opinio S. Augustini, existimantis peccasse Ioseph, cum verba illa dicit Pincernæ, *Memento mei cùm tibi bene fuerit, &c.* 5.
Defenditur Ioseph à peccato. 5.
De antiquitate, & atrocitate: atque ignominia supplicij Crucis. 9.
Quã fuerit antiquus apud varias Gentes, & superstitiosus mos celebrandi diem natalem vel suum, vel aliorum. 10.
Cur Ecclesia Christi trium duntaxat diem Natalẽ celebret, ipsius Christi Domini, & Deiparæ Virginis, & Ioannis Baptistę. 11.
Super hac historia somniorum pincernę, & pistoris, duplex allegorica disputatio: vna Philonis, Politica; altera Ruperti, Theologica. 12.
Pulchrè docet Philo, vitam hominũ, réspque mortalium, esse simillimas somnijs. 12.
Quemadmodum vir ciuilis, optimus sit Interpres humanorum somniorum. 13.
Memoratur scitum quoddam Platonis dictũ, aientis, Hominum spes, somnia esse vigilantium. 12.
Quòd illorum duorum, qui erant in carcere, alter liberatus sit, & restitutus dignitati suę; alter verò punitus Crucis patibulo; valdè docta disputatione ostendit Rupertus fuisse id figuram prędestinationis, & reprobationis hominum. 14.

CAPVT XLI.

SEX DISPVTATIONES.

ETHnicos Scriptores sapiẽtiã Ioseph tribuisse magicis artibus. 3.
Cur Ioseph non vltro exposuerit somnium Pharaoni, antequam ab eo narraretur: sicut Daniel regi Nabuchodonosor. 4.

PRIMA DISPVTATIO.

AN somniũ illud Pharaonis fuerit propheticum, & ob id ipse possit vocari propheta. 5.
Somnium illud fuisse propheticum, nec tamen Pharaonem fuisse prophetam, sed interpretem eius Ioseph, pulchra disputatio ex S. Augustino, Gregorio, & S. Thoma. 5. & sequent.
An illa vbertas septennis Ægypti, & item sterilitas naturaliter, an præter naturam sit facta. 7. & 8.

SECVNDA DISPVTATIO.

CVr Deus non vnum, sed duo somnia idem significãtia miserit Pharaoni. 9.
Exponũtur quatuor causę cur fruges non purgarę, sed in spicis & manipulis conditę, diutius & meliùs conseruentur. 10.
Quantę principibus curę esse debeat publica annona; & de præfectis annonæ apud Romanos. 11.

Pro

Procuratio annonę quantę Pompeio magno gloriæ fuerit; & item Troiano. 11.
De antiquitate vsus annulorũ, sentẽtia Plinij excutitur. 16.
De duplici vsu anulorum. 16.
De byssinæ vestis vsu, & aurei torquis. 17.
Quænam olim bonorũ insignia hominibus bene de se meritis, principes dare solerent. 18.

TERTIA DISPVTATIO.

QVid significet Hebraica dictio (Abrech) quam Latinus Interpres vertit, (Genu flectere). 19.
Quomodo S. Hieronymus nonnumquam discrepet à vulgata translatione Latina, cuius ipse tamen auctor creditur. 19.

QVARTA DISPVTATIO.

DE nomine illo (Saluator mũdi) quo Ioseph vocatus est à Pharaone. 20.

QVINTA DISPVTATIO.

AN Phutiphar socer Ioseph, fuerit ille ipse, qui emerat eum ab Ismaelitis, & in carcerem detruserat. 24. & sequent.
Quænam ciuitas fuerit Heliopolis in Ægypto: & an Phutiphar socer Ioseph, fuerit propriè sacerdos. 27.

SEXTA DISPVTATIO.

DE ætate triginta annorum, in qua erat Ioseph cùm est præpositus Aegypto. 29.
Cur Moses explicare voluit ætatem, in qua erat Ioseph, cùm ad tantam gloriam euectus est. 29.
Quænam fuerint clarissima virtutum Ioseph insignia. 30.
Quænam hominis ætas matura & idonea esse incipiat regẽdo & docendo, pulcherima disputatio B. Gregorij. 31. 32.
Egregia Gregorij sententia: Quæ miraculo fiunt, non esse trahenda in exemplum operationis. 32.

CAPVT XLII.

QVATVOR DISPVTATIONES.

CVr Ioseph tandiu non fecerit certiorem patrem suum de statu suo in Ægypto, vel dum erat in seruitute, vel postea, cùm fuit in principatu, præclara disputatio S. Augustini. 1.
Ab initio vsque mundi consueuisse Deum per varias tribulationes seruos suos à peccatis purgare. 1.

PRIMA DISPVTATIO.

CVr Ioseph toties fratres suos tũ verbis, tum factis, durè atque asperè tractauerit. 4.
Quemadmodum exemplo Ioseph, Christiani principes tractare debeant Iudæos sibi subiectos, pulchra disputatio Ruperti. 7.
Quomodo Ioseph non fuerit agnitus à fratribus suis, & ipsos statim ipse agnouerit. 8.
Quod sit munus exploratorum hostilis terrę. 9.
Quàm sit, naturâ loci, Ægyptus inaccessa, & vndique munita. 10.

SECVNDA DISPVTATIO.

AN excusari à mẽdacio possit Ioseph, cùm dixit fratribus suis: *Exploratores estis.* 11.

Variæ

Variæ expoſitiones quomodo illa verba dicens Ioſeph non ſit mẽtitus. 12.

TERTIA DISPVTATIO.

AN verba illa, quæ dixit Ioſeph fratribus ſuis: *Alioquin per ſalutem Pharaonis exploratores eſtis,* contineant periurium. 15.
Egregia B. Thomæ doctrina de duplici modo iurandi. 17.
Cur Ioſeph, fratres ſuos in carcere afflixerit tribus diebus, & non pluribus, vel paucioribus. 20.
Cur Simeon potiùs, quàm alius quilibet fratrum retentus fuerit à Ioſepho in Aegypto. 22.

QVARTA DISPVTATIO.

DE præcipuo quodam effectu Tribulationis, qui eſt aperire, atque illuminare oculos animæ: Super illis verbis: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum.* &c. 23. & ſequentibus.
Quibus rebus in Scriptura celebratis comparari & aſſimilari queat Tribulatio. 23.
Tribulatio triplicem parit cognitionẽ, Dei, noſtri, & huius mũdi. 24.
Exponũtur tres modi vocationis hominum ad Deum, ſecundùm Caſſianum: quorum primus eſt à Deo, ſecundus per hominem, tertius ex neceſſitate, ſiue per Tribulationẽ, quod genus vocationis eſt multo frequentiſſimum. 25. & 26.
Qualem ſui cognitionem afferat homini Tribulatio. 27.
Egregia Plinij ſententia, qua docet vtilem animo eſſe afflictionem corporis. 27.
Qualem & quam multiplicem huius mundi notitiam efficiat Tribulatio: docens vanum eſſe, & fallacẽ, & inſtabilem & amarum, & prauum. 28. & ſequentibus.
Præclara Gregorij ſententia de Vanitate mundi. 29.
De inſtabilitate mundi. 30.
Comparatio mundi cum mari. 30.
De amaritudine mundi. 31.
Vnde Cognoſcatur euidenter Mundi amaritudo. 31.
Tria genera malorũ quæ vigent præcipuè, maximéque regnant in mũdo. 33.
Pulcherrima ſimilitudo Damaſceni qua inſignis ſtultitia amatorum huius Mundi arguitur. 34.

CAPVT XLIII.

DVÆ DISPVTATIONES.

PVlchra diſputatio B. Gregorij de virtute Diſcretionis, quæ doctoribus, & rectoribus aliorum apprimè neceſſaria eſt. 1.
Cõſuetudinem eſſe Scripturæ, quod ex alicuius facto ſequitur, etiam ſi præter eius conſilium & volũtatem, attribuere nihilominus illi. 4.
Cur Iacob dilectum ſuum Beniamin nõ credidit ipſi Ruben, ſed Iudæ. 7.

PRIMA DISPVTATIO.

SVper Cõuiuio quod fecit Ioſeph fratribus ſuis. 12.
De conuiuiis, apud veteres Romanos celebratis quæ vocabantur chariſtia. 12.
Quanta fuerit apud veteres Romanos erga ſeniores reuerentia iuniorum in conuiuiis. 13.

Cur

Cur Ægyptij auersabantur conuiuia Hebræorum. 14.
Vter mos antiquior fuerit, sedendi ne an accumbendi in conuiuiis. 15.
De consuetudine dandi partes conuiuis, & mittendi etiam absentibus. 16.
Quo numero partes datæ fuerint fratribus Ioseph: & de numero ferculorũ in conuiuiis apud veteres. 17.
Vter mos antiquior fuerit in conuiuiis, dandine suas cuique conuiuæ partes, an vescendi in commune ex eadem patina. 17.
Quomodo intelligendum sit, Beniamin quinque partibus excessisse fratres suos: & cur Ioseph ita prætulerit Beniamin aliis fratribus. 19. & 20.
Cum dicit Scriptura Ioseph & fratres eius fuisse inebriatos, an talis ebrietas fuerit culpabilis. 22.
Verbum inebriandi dupliciter accipi in Scriptura. 22.

SECVNDA DISPVTATIO.

VAldè erudita, & copiosa disputatio Philonis, an omnis ebrietas sit in vitio, & omnino fugienda sapienti. 24.

CAPVT XLIIII.

DVÆ DISPVTATIONES.

CVr Ioseph furti calumniam struxerit aduersus Beniamin, & an in eo peccauerit. 1. & seq.
Quàm fuerit olim probrosum scyphos principum furto tollere ex conuiuiis. 3.
De antiquitate & honore scyphorũ apud Veteres. 4.

PRIMA DISPVTATIO.

QVomodo intelligendum sit Ioseph augurari solitum in scypho argenteo. 5. & seq.
De duplici significatione vocis Augurari, vel Augurium. 6.
Quanta esset Augurum auctoritas apud Romanos. 6.
Cur Aristoteles sternutamentum vocauerit augurale signum. 7.
Quemadmodum Aegyptij solerent per scyphos augurari. 8.
De variis speciebus magiæ: & de superstitiosa quadam diuinatione, vel potius fabulosa, quæ in fonte Ceretis, & Paliscorum exerceri solebat. 8.

SECVNDA DISPVTATIO.

AN Ioseph dicens non esse similem sui in augurandi scientia, mentitus sit, & se ipsum infamauerit: exponuntur octo opiniones. 9. & seq.
Verba illa Ioseph de sua in augurando scientia, quatuor modis à mendacio vindicari posse. 16.

CAPVT XLV.

RAtio, qua Ioseph manifestans se fratribus vsus est, auctore Philone.
Doctè S. Thomas disputat, cur qui timent, conticescant. 1.
Cur dolentes, clamare soleant; timẽtes autem silere, ex Aristotele. 1.
An gaudium Aegyptiorum de aduẽtu fratrum Ioseph fuerit verum, an simulatum. 4.
Quàm sit Aulicis familiaris simula-

tio,& dissimulatio. 4.
Quibus rebus vitetur inuidia,& comparetur beneuolentia eorum,quibus cum viuitur. 5.
Quomodo intelligẽdũ sit illud,quod dixit Pharao fratribus Ioseph, *Ego dabo vobis omnia bona Aegypti.* 6.
Cur Ioseph abeuntibus fratribus suis dixit. *Ne irascamini in via.* 8.
Quid sit illud quod dicitur de Iacob, vbi resciuit de vita & gloria filij sui Ioseph. *Reuixit spiritus eius.* 9.
Figmentum Hebræorum, propheticum spiritum non manere in hominibus tristibus & dolentibus, sed in lætis & alacribus. 12.

CAPVT XLVI.

DVÆ DISPVTATIONES.

AVctore S. Augustino, quo tempore Iacob intrauit Ægyptum, cœpta est superstitio Ægyptiorum circa cultum Bouis, qui vocabatur Apis: vbi multa de isto Boue,& superstitione. 2.
Vnde factum sit, vt Hebræi recèns egressi ex Ægypto, caput vituli adorauerint. 2.
Quis locus fuerit, qui vocatur hoc capite puteus iuramenti. 3.
Cur eum locum præcipuè adierit Iacob, vt consuleret Deum de profectione sua in Ægyptum. 4.
Quomodo dixit Deus Iacob; *Ego descendam tecum illuc*, cùm ipse sit immobilis & vbique locorum. 7.
De antiqua consuetudine claudendi oculos morientibus: & vt id fieret à maximè coniunctis & dilectis morienti. 8.& 9.

PRIMA DISPVTATIO.

DE nominibus eorum, qui vnà cum Iacob intrauerunt Ægyptum. 10.
De quadam discrepantia inter hunc locum & alterum in priori libro Paralipomenõ super filijs Simeonis. 10.
Cur inter intrantes Ægyptum numerentur Her,& Onan,filij Iuda,qui multo ante mortui fuerant 11.
Cur inter intrãtes Ægyptum memorentur filij Phares,qui multis post annis nati sunt. 12.
Cur per anticipationem memorentur filij Phares potiùs,quàm Zare, & Sale. 13.
Quomodo intelligendum sit, triginta tres posteros Iacob ex Lia intrasse Ægyptum. 14.
De discrepantia, quæ videtur esse inter lectionem Hebraicam,& Latinam à Græca,circa posteros Beniamin. 15.
Cur Septuaginta Interpretes plures enumerarunt posteros Ioseph, quàm habeat Hebraica, & Latina lectio. 16.
Notabilis admiratio & dubitatio S. Augustini super numero posterorum Ioseph,& Beniamin,tradito à Septuaginta Interpretibus. 18.
Quomodo Moses priùs dicat intrasse sexaginta sex Aegyptũ, & mox subiungat fuisse eos Septuaginta. 19.

SECVNDA DISPVTATIO.

DE discrepantia,quæ videtur esse hoc loco, lectionis Græcæ à Latina & Hebraica;habet enim illa Septuaginta quinque intrasse Aegyptum, cũ tamen Latina & Hebraica lectio habeat tantùm Septuaginta. 20.

Discuti

Discutitur opinio Eugubini, damnãtis Septuaginta,& reijcientis illum numerum Septuaginta quinque tamquam mendosum. 20.
Quàm sit absurdum vel S.Stephanũ, vel S. Lucam falsam septuaginta interpretationem,vel in docendo, vel in scribendo esse secutos. 20.
Expenditur sententia B. Hieronymi super hac quæstione : & cur Sanctus Lucas sequi maluerit translationem Septuaginta, quàm Scripturam Hebraicam. 21.
Quid S.Augustinus senserit super illo numero Septuaginta quinque, posito à Septuaginta Interpretibus. 22.
Auctoris sententia super ista disputatione probantis nullum esse errorem in illo numero Septuaginta quinque. 24.
Propriè loquendo non fuisse nisi sexaginta sex,qui cum Iacob ingressi sunt Aegyptum. Cùm ergo dicit Moses fuisse septuaginta, id tripliciter exponi, atque intelligi posse. 26.
Esse morem Scripturæ,quod propriè conuenit patribus, id etiam filijs ratione patrum attribuere. 27.
Cur Moses inter eos, qui cum Iacob intrarunt Aegyptum, memorauit aliquot nondum tum natos:& cur potius de posteris Beniamin,& Iuda,quàm de posteris Leui,vel aliorum. 28.29.
Mirum exemplum numerosæ propagationis posterorum ex vno homine viuente. 30.
Refelluntur tria insignia errata Manethonis vetusti scriptoris rerum Aegyptiacarum, super Hebræis, qui intrarũt Ægyptũ cũ Iacob. 30.
Cur Ioseph vehemẽter cupiebat fratres suos haberi pastores ab Ægyptiis. 31.
Laus artis & vitæ pastoralis:& de prima origine seruitutis inter homines,ex S.Augustino. 32.
Cur Ioseph tantopere cuperet tradi fratribus suis ad habitandum terrã Gessen. 33.
Cur Aegyptij detestarentur pastores ouium. 35.

CAPVT XLVII.

SEX DISPVTATIONES.

CVm dicitur Ioseph introduxisse ad Pharaonem extremos quinque fratrum suorum, variè disputatur inter auctores, quid per illud (extremos) intelligere oporteat.

PRIMA DISPVTATIO.

SVper illis verbis Iacob, *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorũ sunt,parui & mali.* 2.

Habitatores terræ vocari in Scriptura non iustos, sed peccatores, ex sententia B.Hieronymi. 2.
Cur Iacob suam præcipuè vitam appellauerit peregrinationem. 3.
Ex eo quod Iacob intrans Aegyptũ fuit centum triginta annorum, quinque res colligi ad sacrã Chronologiam pertinentes. 4.
Cuius ætatis fuerint fratres Ioseph, cùm Iacob venit in Aegyptum. 4.
Decem labores & afflictiones Sancti Patriarchæ Iacob. 7.
Verè competit in omnes mortales, quod de se dixit Iacob : sunt enim omnium dies pauci & mali: & hîc de variis malorum generibus,quibus vita mortalium obsessa & oppressa est. 7.

An terra Rameſſes, fuerit eadem atq; terra Geſſen. 8.
Non ſolos Hebræos habitaſſe in terra Geſſen, ſed mixtos Aegyptiis. 8.

SECVNDA DISPVTATIO.

DE immunitate ſacerdotum Aegypti. 9.
Imitandum eſſe Chriſtianis principibus exemplum Pharaonis tam reuerenter & liberaliter tractantis ſacerdotes; ſuper quo multorum ſententiæ memorantur. 9.
Cur ſacerdotibus Aegyptiorum data fuerit immunitas, & victus ex publico: nempe propter famam probitatis, & ſapientiæ eorum: & vt expedito ac libero animo rebus ſacris vacarent. 10.
Pulchra oratio Cheremontis de præſtantia veterum ſacerdotum Aegypti, quam refert S. Hieron. 10.
Ariſtoteles facere videtur inuentores Mathematicarũ, Aegypti ſacerdotes. 11.
Multa Herodotus & Diodorus prodiderunt de immunitate & multiplici dóctrina veterum Aegypti ſacerdotum, quæ hîc memorãtur. 11.
Memorabilis ſententia B. Thomæ ad commendandam ſacerdotum immunitatem pertinens. 12.
An fuerit iuſta lex, quàm tulit Ioſeph Aegyptijs, vt quintam partem frugum, tributi annui nomine penderent Regi. 13.
Egregia B. Gregorij diſputatio tropologica ſuper verbis illis, quæ Ioſeph dixit Aegyptiis, *Accipite ſemina, ſerite agros, vt fruges habere poſſitis.* 14.

TERTIA DISPVTATIO.

DE Chronologia totius vitæ S. Iacob. 15.
Quoto anno poſt diluuium, & poſt orbẽ conditum natus ſit Iacob. 15.
Diluuium Ogygis apud Græcos antiquiſſimum, & celebratiſſimũ cõtigiſſe eo tempore, quo tempore Iacob verſabatur in Meſopotamia. 17.
Animaduerſio in Iulium Africanũ, aientem in ætate Moſis contigiſſe diluuium Ogygis. 18.
In ætate Iacob ingens viſum eſſe dicitur in cœlo portentũ: Stella nãq; Veneris, viſa eſt mutaſſe colorẽ, magnitudinem, figurã, & curſum; ſicut auctoritate Varronis confirmat S. Auguſtinus. 19.
Mors Iacob quot annis præceſſerit egreſſum Hebræorum ex Aegypto, & ortum Moſis. 20.

QVARTA DISPVTATIO.

CVr Iacob tam curioſus, & ſollicitus fuerit ſepulturæ corporis ſui in terra Chanaam. 21.
Fertur antiquam fuiſſe traditionem Sanctis Patriarchis perſuasã, multos de his viris Sanctis, qui ſepulti erant in terra Chanaam, reſurrecturos fuiſſe cum Chriſto: & ideo Patriarchas illic maximè optaſſe ſepeliri. 21.
Allegorica diſputatio B. Auguſtini ſuper eo, quod Iacob tantopere concupiuit ſepeliri corpus ſuum in terra Chanaam. 22.

QVINTA DISPVTATIO.

AN homini Chriſtiano ſepultura corporis ſui, vel aliorum vehementer optanda, & ſolicitè curanda ſit. 23.
Celebres aliquot ſentẽtiæ illuſtrium Auctorum Ethnicorum de non anxiè curanda ſepultura corporis ſui. 24.

Si

Si suppetat facultas, non esse negligenda m sepulturam defunctorum, maximè iustorum, erudita disputatio B. Augustini. 26.

SEXTA DISPVTATIO.

DE discrepantia lectionis Græcæ à Latina & Hebraica super illis verbis extremis hui⁹ capitis. 47: *Adorauit Israel Deum, conuersus ad lectuli caput.* 27.

Quid adorauerit Iacob conuersus ad lectuli caput, quinque expositiones. 28.

Cur Iacob petens à filio suo Ioseph sepeliri corpus suum in terra Chanaam, non fuerit contentus simplici promissione eius, sed exegerit ab eo iusiurandum. 29.

Examinatur lectio Græca, quę sic habet, *Adorauit Israel summitatem virga eius.* 30.

Quod Iacob adorauerit fastigiũ virgæ Ioseph, sententia fuit Chrysostomi, Theodoreti, Adriani papæ, & Leontij, imò ipsius B. Pauli. 31. & 32.

Vnde nata sit tanta diuersitas Græcæ lectionis ab Hebraica & Latina. 32.

Excutitur animaduersio S. Hieronymi in translationem Græcam huius loci. 33.

Iusta reprehensio Eugubini, irreuerenter, indignéque loquentis de Septuaginta Interpretibus, & de S. Luca. 34.

Auctoris sententia de concilianda lectione Græca cũ Latina super hoc loco. 35.

Expenditur documentum quoddam S. Hieronymi affirmantis Euangelistas & Apostolos testimonia Scripturæ veteris testamenti, citasse secundùm Hebraicam lectionẽ & sensum; vbicumque Græca discrepant ab Hebraicis. 37.

CAPVT XLVIII.

Duæ Disputationes.

PRIMA DISPVTATIO.

CVr Iacob volens benedicere Ephraim & Manasse, commutauerit manus super eos in similitudinẽ crucis. 1.

Cur inter filios illorum Patriarcharum ferè posteriores prępositi sunt prioribus: cuius rei quadruplex exponitur ratio mystica. 1. & 2.

Quinque in Scriptura percelebres translationes rerum valde insigniũ ab vna persona ad aliam non sine mysterio. 3.

Cur dextera habeatur potior & honorabilior, quàm sinistra, causa naturalis ex Aristotele. 4.

Octo significationes huius vocis (dextera) in Scriptura notabiles. 5.

Apud veteres Persas, auctore Xenophonte, honoratior ducebatur sinistra, quàm dextera. 7.

Commutatio manuum Iacob super Ephraim & Manasse, figuram expressit Sanctæ Crucis: & tunc primùm præfigurata inuenitur Sancta Crux, quantum videlicet ad similitudinem, & figuram eius. 8.

SECVNDA DISPVTATIO.

QVæ fuerit illa pars, quam Iacob extraordinariam dedit filio suo Ioseph: an ea fuerit vrbs Sichem, an pars agri eius, & quomodo eam partem Iacob acquisierit

arcu & gladio, tredecim expositiones. 9. & sequent.
Paraphrasis Chaldaica per arcum & gladium, interpretatur preces & obsecrationes ad Deum: vbi ostenditur preces Sanctorum, rectè appellari Arma. 13.
Probatur partem illam, quam Iacob dedit filio suo Ioseph, non fuisse vrbem Sichem: sed fuisse partem agri, quam ipse ante multos annos emerat à filijs Hemor. 18. 19.
Cur ossa Ioseph sepulta fuerint in parte illa agri, quam emerat Iacob à filijs Hemor. 19.
Cur in Scriptura perfrequens mētio fiat arcus, & gladij. 20.
Illud, quod dixit Iacob, *In gladio & arcu meo*, si non propriè dixit, sed figuratè ac Metaphoricè, tribus id modis exponi posse. 21.

CAPVT XLIX.

QVATVORDECIM DISPVTATIONES.

Licèt compluribus omissus per errorem fuerit titulus.

PRIMA DISPVTATIO.

AN nouissima verba, quæ locutus est Iacob filij suis, vocari debeant Benedictiones, vt vulgo appellātur; an Prophetiæ. 1. & seq.
De veteri quodam libro, qui inscribebatur Testamentum duodecim Prophetarum. 4.
De antiquo more, quo patres, appropinquante morte filijs suis benedicere solebant. 4.
Vtrum humanus animus appropinquante morte, fiat diuinior & prę-sagus futurorum. 6.
Quale genus prophetię fuerit id, quo Iacob prædixit futura filijs suis. 8.

SECVNDA DISPVTATIO.

AN in Scriptura, cum dicuntur, nouissimi dies, per eos intelligere oporteat semper tempus Messiæ aduentus vel prioris vel posterioris. 8. & sequent.

TERTIA DISPVTATIO.

CVm Isidoro Pelusiota, qui scriptis prodidit Iacob fuisse diuinitus repente captum obliuione eorum, quæ prædicere volebat de vēturo Messia filijs suis; & alia pro alijs dixisse illis, præter opinionem suam. 10.

PRIMA PROPHETIA. DE RVBEN.

CVr dicatur Ruben esse fortitudo patris sui, & principiū doloris eius. 11.
De octo prærogatiuis primogenitorum ante legem Mosis. 14.
Quid significet, Ruben effusum esse sicut aquam. 16.
An fuerit contra charitatem, patrem imprecatum esse mala filio suo. 18.
Quanta fuerit turpitudo & deformitas peccati Ruben. 19.

QVARTA DISPVTATIO.

AN maledicta, quibus Iacob defixit filium suum Ruben, pertineant ad historiam incestus eius cum nouerca sua; an potiùs ad cædem Saluatoris nostri factam à Iudæis, vt contendit probare S. Ambrosius. 20.

De

De allegorico, & tropologico sensu huius propehetiæ. 21.
Quatuor documenta moralia deprõpta ex hacprophetia de Rubẽ. 24.
De multiplici differentia interaquam & alios liquores. 26.

SECVNDA PROPHETIA DE SIMEONE ET LEVI.

QVanta fuerit iniquitas Simeonis & Leui in cæde Sichimitarum. 26.
Quomodo Iacob tantopere inculcet Simeonem de cæde Sichimitarũ, de qua eum laudare videtur Sãcta femina Iudith. 27.
Cur Moses Deuteronomij. 33. in benedicendo aliis tribubus, soli tribui Simeon benedictionem non impertiuit. 34.
Mystica expesitio huius prophetiæ pertinẽs ad Christum & ad Synagogam. 37.
Moralis doctrina de reprimendo appetitu vindictæ, etiam quem zelus iustitiæ incitat. 38.

TERTIA PROPHETIA. DE IVDA.

De præstantia & vtilitate huius prophetiæ. 39.
De varia interpretatione illarum vocum, Sceptrũ, Dux, & fœmur. 45.
Diceptatio de voce (Shiloh) pro qua Latinus interpres vertit (qui mittendus est.) 46

QVARTA DISPVTATIO.

QVomodo Messias dicatur fuisse expectatio gentium, cum ipse esset ignotus Gentibus. 48. & seq.
Mystica explanatio huius prophetiæ de Christo, & de Ecclesia, & de summo Pontifice. 54.
Cur Apostoli & prophetæ dicantur oculi Ecclesiæ pulchriores vino. 64.
Cur Pastores, & Doctores Ecclesiæ comparentur dentibus lacte candidioribus. 61.

SEXTA DISPVTATIO.

QVantum temporis efluxerit, ex quo Iacob edidit hoc vaticinium vsque ad defectionũ Iudaici principatus, & vsque ad ortum Christi Domini. 62.
De quadriformi regimine populi Hebręi sub Ducibus, & Iudicibus, & Regibus, & Pontificibus, & quandiu quodlibet istorum duraverit. 63.

SEPTIMA DISPVTATIO.

ADuersus Iudæos impudenter negãtes, concludi ex hac prophetia Iacob, iam venisse Messiã, 64. & sequent.
Discutiuntur sex interpretationes, quibus Iudæi conantur obscurare ac peruertere claram & rectam huius prophetię sententiam. 65. & sequentibus.
An cum dicitur, *Nõ deficiet sceptrum de Iuda*, vox sceptrum siue virga, significet virgam Tribulationis & oppressionis. 65.
An istis verbis significetur, post aduentum Messiæ numquam defecturum sceptrum in Iuda: non autem quod nũquam deficiet vsque ad Messiæ aduentum. 66.
An etiam nunc in aliquibus regionibus habeat tribus Iuda principatũ in populo Iudaico. 66.
An vox (Shiloh) pro qua Latinè est, *Qui mittendus est*, significet in hoc loco vrbem Shiloh. 68.

An

An illud, *Qui mittendus est*, denotet hoc loco regem Nabuchodonosor. 69.
An hæc prophetia de tribu Iuda fuerit tantùm conditionalis, non autem absoluta & simpliciter certa. 70.
Quanto tempore principatus in populo Hebręo fuerit penes proprios eius gentis principes. 72.73.
Quot annis tribus Iuda imperium in populo Hebræo tenuerit. 73.

OCTAVA DISPVTATIO.

QVomodo veritati huius prophetiæ respondent euentus. 72.
Super hac quæstione exponũtur nouem opiniones: Prima Eusebij Cæsarienſis, Diodori, & Hugonis. Secunda B. Cyrilli Alexandrini. Tertia Lyrani, Thostati, & Dionysij Carthusiani. Quarta Genebrardi. Quinta, quorundam Recentiorum. Sexta, Pauli Burgensis, Galatini, Anij & Lucidi. Septima Caietani. Octaua, Cani. Nona, quã sequitur Auctor, & fuit multorum veterum Patrum. 74. vsque ad 100.

NONA DISPVTATIO.

AN Machabæi paternum genus duxerint ex tribu Iuda. 81. & sequentibus.

DECIMA DISPVTATIO.

AN hæc prophetia possit verè & commodè intelligi & exponi non propriè tantùm de tribu Iuda, sed in vniuersum de Gente Iudaica. 92. & sequent.
Si hæc prophetia cõmuniter & vniuersè pertinet ad populum Hebræum, cur ea specialiter applicata sit tribui Iuda. Ibid.
Cur nec Christus Dominus, nec Apostoli, nec Euangelistæ vmquam hoc vaticinio Iacob vsi sint: cum eo vaticinio tempus Messiæ aduẽtus euidenter demonstretur. 105.

QVARTA PROPHETIA DE ZABVLON.

AN vrbs Sidon terminus fuerit sortis Zabulon. 108.
Aliquot insignia terræ, quàm possedit tribus Zabulon. 109.
Cur maritimæ Gẽtes, ferè magis sint vitiosæ, quàm mediterranæ. 110.
Allegorica interpretatio huius prophetiæ pertinens ad Ecclesiam Christi. 111.

QVINTA PROPHETIA. DE ISSACHAR.

DE amœnitate & abundantia campi Esdrelon, qui erat in tribu Issachar. 114.
Expositio mystica huius prophetiæ continens magnę vtilitatis & cõsolationis seruorum Dei documẽta. 119.

SEXTA PROPHETIA. DE DAN.

SAmpsonem eodem, quo Herculem, floruisse seculo; maioráque illius fuisse facta, quàm poëtarum de hoc mendacia. 121.
Cur tribus Dan, vel ipse Sampson comparetur colubro. 123.124.
Illorum verbotũ Iacob, *Salutare tuũ expectabo Domine*, exponũtur octo interpretationes. 125. & seq.
Sampsonem decem rebus fuisse figuram Messię. 129.

VNDE

VNDECIMA DISPVTATIO.

AN de tribu Dan futurus sit Antichristus: & an hoc vaticiniũ Iacob sub nomine Dan pertineat ad ipsum Antichristũ. 131. & seq.

SEPTIMA PROPHETIA.
DE GAD.

AN Iephthe fuerit de tribu Gad, an de tribu Manasse. 141.
Allegorica expositio huius prophetiæ. 142.
De more & de causis cur se homines accingere, vel præcingere soleant. 143.
Documenta moralia, quę præbet hęc prophetia. 145.

OCTAVA PROPHETIA.
DE ASER.

EXplicatur vtilis allegoria huius prophetiæ. 149.

NONA PROPHETIA.
DE NEPHTHALIM.

TRiplex expositio huius prophetiæ: & an Barac Iudex Hebræi populi, trepidauerit & timoris argui rectè possit in ea, quam in hostes Hebræorum suscepit expeditione. 150.
Allegorica interpretatio huius prophetiæ pertinens ad Christum. 154.

DECIMA PROPHETIA.
DE IOSEPH.

CVr Ioseph dicatur filius accrescens, & cur pulchritudo eius laudetur à Iacob. 155.
Quibus rebus Ioseph figura Christi fuerit. 157.
Quomodo intelligendum sit, Ioseph fuisse pastorem, & lapidem. 161.
Quomodo cœlum, & abyssus causæ sint abundantiæ rerum, quæ terra nascuntur. 164.
Quomodo Christus habuerit benedictionem cœli & abyssi: & de duplici benedictione carnis Christi: & quomodo Christus habuerit benedictionem vuluæ & vberum. 165.
De vberibus, & vulua sponsæ Christi, id est, Ecclesiæ. 166.

DVODECIMA DISPVTATIO.

SVper illis verbis, *Benedictiones patris tui, confortatæ sunt benedictionibus patrum eius*, & vtrum Iacob plura & maiora promissa & dona habuerit à Deo, quàm priores patriarchæ. 167. vsque ad 162.

XI. PROPHETIA.
DE BENIAMIN.

13. DISPVTATIO.

CVr Beniamin dictus sit à Iacob Lupus rapax, mane comedens prædam, & vespere diuidens spolia: tractantur quinque interpretationes. 178. & sequent.
Quemadmodum Sancti Patres hanc prophetiam de Beniamin, pulchre accomodauerint ad B. Paulum, qui fuit ex ea tribu. 182.
De fortitudine bellica Beniamitarũ. 185.
Cur illi Patriarchæ tantopere concupiuerint corpora sua post mortem sepeliri in terra Chanaam. 88

14. DISPVTATIO.

QVid sit Apponi ad patres suos; vel congregari ad populum suum, quod in Veteri Testamento dicitur de his qui mortui sunt. 193.

An verum sit, quod tradidit Paulus Burgensis, neminem iustorum hominum, qui fuerunt ante Abrahã, statim post mortẽ descẽdisse recta in Limbum, non priùs expiatum igne purgatorio. 196.

CAPVT L.

PRIMA DISPVTATIO.

DE ratione sepeliendi mortuos apud veteres Ægyptios. 1.

An mos fuerit apud veteres Hebræos cadauera condire aromatibus. 2.

De ratione condiendi cadauera apud Ægyptios ex Herodoto, & Diodoro. 3.

Cur Aegyptij defunctorum corpora non cremauerint. 4.

Varij mores Gentium in tractandis mortuorum corporibus. 5.

De numero dierum, quos condiendis & sepeliendis mortuis impendebant Aegyptii. 6.

An Herodotus & Diodorus discordent à Mose super conditura cadauerum apud Aegyptios. 7.

SECVNDA DISPVTATIO.

DE more lugendi mortuos apud Aegyptios: & quomodo intelligendum sit Aegyptios per septuaginta dies lugere mortuos cõsueuisse. 8.

Luctum super mortuis, si modicus sit esse laudabilem. 9.

De simulato luctu super mortuo, & de Præficis conductis ad comploradum & eiulandum super mortuum, quarum erat vsus apud Romanos: & vnde mos iste originem habuerit. 10.

Quanto tempore lugendi sint mortui, varia Gentium instituta. 11.

Quod Hebræi in mortẽ Aaronis & Mosis triginta diebus fleuerint, vnde id didicerint illi secundùm Rupertum. 12.

TERTIA DISPVTATIO.

QVomodo intelligendũ sit quod dicitur in hoc capite, Iacob fodisse sibi sepulchrum in terra Chanaam. 13.

Quid in Scriptura interdum significare soleat verbum fodere. 14.

Quænam fuerit area Arad. 15.

Cur Hebræi planctum illum septem dierum non potiùs fecerunt in Hebron, vbi sepeliendum erat corpus Iacob, quàm in area Arad. 16.

An laudandus sit apud Christianos Nouendialis luctus mortuorum, dubitatio S. Augustini. 17.

QVARTA DISPVTATIO.

DE more sepeliendi mortuos extra vrbes: & vtrum ante Christianos mos fuerit alicubi sepeliendi mortuos intra ciuitates. 18.

Refellitur Thostatus, arbitratus ante Christianos nullo tempore nullãque in Gente morem fuisse sepeliendi mortuos intra ciuitates, viuorũm

uorúmque domicilia. 18.
Moris fuisse apud Græcos sepelire mortuos extra vrbes, probatur Platonis, & Ciceronis, & Plutarchi auctoritate. 19.
Cur in id ferè consenserint Gentes, vt extra domicilia viuorum, mortui conderentur. 20.
Etiam antiquitus ín more fuisse apud Ethnicos sepeliri mortuos intra vrbes, & ædes. 21.
De modo sepulturæ Aethiopum. 21.
Lycurgum voluisse sepeliri morruos intra ciuitatem, & prope templa. 22.
Vnde rectitudo, vel prauitas eorum, quæ ab homine fiunt æstimari debeat. 23.
Arguitur falsitatis atque infidelitatis Iosephus in commemoranda sacra historia. 26.

QVINTA DISPVTATIO.

DE Chronologia vitę Ioseph. 27.
Ioseph breuiorem vitam, quàm eius maiores, ac fratres vixisse, & cur id ei contigerit. 27.
Quatuor mendacia Iustini historici super S. Patriarcha Ioseph. 29.
Cur Ioseph non mandauit fratribus suis, vt statim post mortem suam corpus suum transferrent in terrã Chanaam, vt mandauerat Iacob de suo corpore. 30.
Quo in loco terræ Chanaam sepulta fuerint ossa Ioseph. 31.
An ossa vndecim Patriarcharum sint asportata in terram Chanaam, & condita in Sichem. 32.
De sepultura corporis Ioseph. 33.
Fabula Hebræorum super sepultura corporis Ioseph, quam memorat Historia scholastica. 34.

INDEX
CENTVM SEXAGINTA OCTO LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRAE.

Qui hoc Quarto Tomo aut propriè signantérque tractantur, aut certè tractatu aliarum rerum non parum illustrantur. In quo Indice prior nota signat numerum capitum Libri Geneſis: posterior autem, numeros adiectos in margine ad Commentarios singulorum Capitum.

Exodi 3.
AParuit ei Dominus in flamma ignis, de medio rubi. 32.14.
Exodi 11.
A primogenito Pharaonis qui sedet in solio eius, vsque ad primogenitum ancillæ, quæ est ad molam. 29.7.
Exodi 21.
Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, conuictus noxæ, morte morietur. 40.7
Exodi 23.
Miserebor cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit 40.14.
Exodi 28.
Pones autem in Rationali iudicij Doctrinam & veritatem. 25. 27.

Exodi 32.

Feceruntq. sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolauerunt ei hostias 46.2.

Leuitici 10. & 19.

Vt habeatis scientiam discernẽdi inter sanctum & profanum 25.79.

Leuitici 17.

Siquis venatione, vel aucupio cœperit feram, vel auem, quibus vesci licitum. 25. 60.

Leuitici 18.

Turpitudinem vxoris fratris tui nõ reuelabis, quia turpitudo fratris tui est 38.15.

Leuitici 19.

Iumenta tua non facies coire cum alterius generis animantibus 36.9.

Leuitici 21.

Non contaminetur sacerdos in mortibus ciuium. 37.102. & 103.

Leuitici 21.

Si lippus, si albuginem habens in oculo 29.10.

Leuitici 22.

Omne animal, quod vel contritis, vel trũcis, sectis ablatísque testiculis est, non offeretis Domino: & in terra vestra hoc omnino non facietis. 37.110.

Leuitici 26.

Non facietis vobis idolum, & sculptile, nec titulos erigetis, nec in signum lapidis ponetis in terra vestra, vt adoretis eũ 28. 49.

Leuitici 26.

Dabo vobis cælum desuper sicut ferrum, & terram æneam. 27,74.

Numerorum, cap 11.

Cõgrega mihi septuaginta viros de senibus Israel. 49.83. & sequentibus.

Numerorum 12.

Ore ad os loquor ei 32. 43.

Numerorum 16.

Descenderúntque viui in infernùm 37.99.

Deuteronomij 15.

Non arabis in primogenito bouis 41. 12.

Deuteronomii 21.

Non permanebit cadauer eius in ligno, sed in eadem die sepelietur 49.6.

Deuteronomii 22.

Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit 42. 24.

Deuteronomii 23.

Non intrabit Eunuchus attritis vel amputatis testiculis, & abscisso veretro, Ecclesiam Domini 37. 110.

Deuteronomij 33.

Viuat Ruben, & non moriatur, & sit paruus in numero. 49.17.

Deuteronomij 33.

Audi Domine vocem Iudæ, & ad populum suum introduc eum: manus eius pugnabunt pro eo, & adiutor illius contra aduersarios eius erit. 49.41.

Deuteronomii 33.

Et Beniamin ait: Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo; quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet. 46. 181.

Deuteronomii 33.

Ioseph quoque ait, De benedictione Domini terra eius, de pomis cæli, & de rore, atque abysso subiacente, &c 49.174 175.

Deuteronomij 33.

Lætare Zabulon in exitu tuo, &c. 49. 108.

Deuteronomij 33.

Lætare Issachar in Tabernaculis tuis. 49. 113.

Deuteronomii 33.

Benedictus in latitudine Gad, quasi leo requieuit, cœpítque brachium & verticem. 46 146.

Deuteronomij 33.

Dan, catulus leonis, fluet largiter de Basan. 49.137.

Deuteronomij 33.

Nephtalim abundantia perfruetur: & plenus erit benedictionibus Domini: mare & meridiem possidebit. 49 153.

Deuteronomij 33.

Benedictus in filijs Aser: sit placens fratribus suis, & tingat in oleo pedem suum, ferrum & æs calceamentum eius: sicut dies inuentutis tuæ, ita & senectus tua. 49. 148.

Iosue 10.

Stetit sol in medio cæli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei 47.19.

Iosue 16.

Solitudo quæ ascendit de Hierico ad mõtem Bethel, & egreditur de Luza 28.59.

Iosue vltimo.

Ossa quoque Ioseph, quæ tulerant de Ægypto sepelierunt in Sichem, in parte agri, quem emerat Iacob à filijs Hemor, cẽtum nouellis ouibus. 48.19.

Iudicum 14.

Quod si solueritis mihi intra septem dies conuiuij, dabo vobis triginta sindones, & triginta tunicas 29.29.

Iudicum 19.

Tantum obsecro, ne scelus hoc contra naturam operemini. 29.32.

1. Reg. cap 9.

Qui enim propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns. 25.21.

1.Reg.16.

Ne respicias vultum eius,neque altitudinẽ staturę eius,quoniam abieci eum:Nec iuxta intuitum hominis ego iudico 48.2.

1.Reg.18.

Non habet rex sponsalia necesse,nisi tantũ centum præputia Philistinorum 29.11.

1.Regum 21.

Non habeo laicos panes ad manum, sed tantùm panem sanctum.25.79.

1.Regum 21.

Et immutauit os suum (Dauid) coram eis, & collabebatur inter manus eorum:& impingebat in hostia portæ, defluebántque saliuæ eius in barbam 27.26.

1.Reg cap.23.& 30.

Dixit Dauid ad Abiathar sacerdotem,applica ad me Ephod.25.24.25.

2.Reg.cap.1.

Præcepit(Dauid)vt docerent filios Iuda arcum.48.20.

2.Regum 18.

Absalon erexerat sibi, cum adhuc viueret, titulum.28.49.

3.Regum 19.

Et omne os,quod non adorauerit eum,osculans manum.33.2.

1.Paralipomenon c.4.

Filij Simeon,Namael,& Iamin, Iadib,Aara Saul.46.10.

2.Paralipomenon 23.

Postquam coangustatus est, orauit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiã valdè coram Deo patrum suorum, & cognouit Manasse, quòd Dominus ipse est Deus. 42.24.

Tobiæ 5.

Ego(Raphael Angelus) sum Azarias Ananiæ magni filius.27.55.

Tobiæ 12.

Ego sum Raphael Angelus, vnus ex septẽ. qui adstamus ante Dominum.32.19.

Iudit.9.

Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum. 34.14.

Iob.3.

Pereat dies,in qua natus sum 40.11.

Iob.3.

Quare exceptus sum genibus? cur lactatus vberibus? 30.8.

Iob.14.

Homo natus de muliere, breui viuens tẽpore,repletur multis miserijs 47.7.

Iob 14.

Operi manuũ tuarũ porrige dexterã 48.5.

Iob 19.

En decies confunditis me 31.1.

Iob 26.

Nudus est infernus coram illo 37.101.

Iob 31.

Si osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima,& negatio contra Deum altissimum 33.2.

Iob 34.

Quem constituit alium super terram : aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est 28.26.

Psalmo 9.

Conuertantur peccatores in infernum. 37. 99.

Psalmo 15.

Non derelinques animam meam in inferno,nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.37.100.

Psalmo 15.

Delectationes in dextera tua.48.5.

Psalmo 20.

Dextera tua inueniat omnes, qui te oderunt,48.5.

Psalmo 33.

Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum,& eripiet eos 32.1.

Psalmo 38.

Aduena ego sum, & peregrinus sicut omnes patres mei.47.2.

Psalmo 40.

Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. 39.20.

Psalmo 43.

Non in arcu meo sperabo,& gladius meus non saluabit me.48.20.

Psalmo 57.

Priusquam intelligerẽt spinæ vestræ Rhãnum.50.15.

Psalmo 72.

Existimabam vt cognoscerem, hoc labor est ante me donec intrem in Sanctuarium Dei,& intelligam in nouissimis eorum. 25.85.

Psalmo 74.

Visitasti terram,& inebriasti eam 43.21

Psalmo 77.

Imple facies eorum ignorantia,& quærent nomen tuum Domine 49.18.

Psalmo 78.

Posuerũt morticinia seruorum tuorũ,escas volatilibus cæli,carnes sanctorum tuorum bestijs terrę,& nõ erat,qui sepeliret 47.25.

Psalmo 80

Accipite psalmum, & date tympanũ 27.9.

Psalmo 100.

Qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum eorum. 32. 26

Psalmo 109.

Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis 48.5.

Psalmo 113.

In exitu Israel de Aegypto, domus Iacob de populo Barbaro 43.14.

Psalmo. 115.

Pretiosa in cõspectu Domini mors Sãctorum eius. 47. 25.

Psalmo. 118.

Bonum mihi quia humiliasti me, vt discã iustificationes tuas 42.26.

Psalmo. 118.

Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui. 39.18.

Psalmo 138.

Si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero in infernum, ades 37.104.

Prouerbiorum 3.

Lõgitudo dierum in dextera eius: & in sinistra illius diuitiæ & gloria 48.5.

Prouerbiorum 4.

Vias, quæ à dextris sunt nouit Dominus, peruersæ vero sunt quæ à sinistris 48.5.

Prouerbiorum 7.

Apprehensúmque deosculatur iuuenem, &c. 16.2.

Prouerbiorum 9.

Noli arguere derisorẽ, ne oderit te 37. 17.

Prouerbiorum 15.

Infernus & perditio corã Domino 37. 105.

Prouerbiorum 23.

Ne comedas cum homine inuido, & ne desideres cibos eius. 37. 38.

Prouerbiorum 27.

Infernus nunquam impletur. 37.106.

Prouerbiorum 28.

Qui ábscondit scelera sua non dirigetur. 32.26.

Prouerbiorum 30.

Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi: tribue victui meo necessaria 28. 66.

Prouerbiorum 30.

Qui fortiter premit vbera ad eliciendum lac exprimit butirum: & qui vehementer emungit, elicit sanguinem. 36.63.

Ecclesiast. 10.

Cor sapientis in dextera eius, cor stulti in sinistra illius 48.6.

Ecclesiast. 12.

Memento Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent 27.2.

Canticorum 2.

Dextera illius amplexabitur me 48.5.

Canticorum 4.

Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris, 27.c.1.

Canticorum 7.

Mandragoræ dederũt odorem 30. 14. & 15.

Sapientiæ 3.

Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis 25.85.

Sapientiæ 5.

Quid profuit nobis superbia, aut diuitiarũ iactantia, transierunt omnia illa tanquam vmbra &c. 42.30.

Sapientiæ 7.

Cum sit vna (sapientia) omnia potest: & in se permanens omnia innouat. 28.25.

Sapientiæ 10.

Hæc (sapientia) profugum iræ fratris, Iustũ, deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, &c. 28.15.

Ecclesiastici 22. & 38.

Super mortuum plora: defecit enim lux eius, fili in mortuum produc lacrymas, & fac luctum secundùm meritum eius. 50.9.

Ecclesiastici 27.

Vasa figuli probat fornax, & homines iustos caminus Tribulationis 40.5.

Ecclesiastici 30.

Mortuus est pater, & quasi non mortuus esset. similem enim reliquit sibi 38.11.

Ecclesiastici 30.

Videns oculis & ingemiscens, quasi spado cõplectens virginem, & suspirans. 37. 112.

Ecclesiastici 49.

Ioseph princeps fuit fratrum, firmamentum Gentis, rector fratrum, stabilimentum populi 49.162.

Ecclesiastici 49.

Et ossa ipsius (Ioseph) visitata sunt, & post mortem prophetauerunt. 50.35.

Isaiæ 1.

Si fuerint peccata vestra vt coccinũ, quasi nix dealbuntur 38.38.

Isaiæ 2.

Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montiũ. 49.8. & 10.

Isaiæ 2.

Ne dimittas illis peccatum 49.18.

Isaiæ 8.

Ipse est pauor vester, ipse est terror vester 31.15.

Isaiæ 14.

Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris, 25.50.

INDEX.

Isaiæ 20.

Domine in angustia requisierunt te : in Tribulatione murmuris, doctrina tua eis. 42.24.

Isaiæ 38.& 4.Reg.20.

Et reuersus est Sol decem lineis per gradus,quos descenderat 47.19.

Isaiæ 40.

Loquimini ad cor Hierusalem 34.5.

Isaiæ 40.

Quare dicis Iacob, & loqueris Israel, Abscondita est via mea à Domino, & à Deo meo iudicium meum transiuit.49.10.

Isaiæ 59.& Hieremiæ 14.

Peccata nostra responderunt nobis 30. 36.

Isaiæ 64.

Pater noster es tu, & nos lutum, & fictor noster, & opera manuum tuarum omnes nos 40.14.

Isaiæ 66.

Super genua blandientur vobis 30.8.

Ieremiæ 8.& 46.

Numquid resina non est in Galaad,aut medicus non est ibi,37.69.

Ieremiæ 16.

Non sepelientur,neque plangentur,& non se incident,neque caluitium fiet pro eis,& non frangent inter eos lugenti panem ad consolandum super mortuo, & non dabũt eis potum Calicis ad consolandum super patre & matre.50.9.

Ieremiæ 20.

Maledicta dies in qua natus sum.40.11.

Ieremiæ 26.

Noli subtrahere ab illis verbum, si forte audiant,& conuertantur à via sua mala: & pœniteat me mali quod cogito facere eis 27 94.

Ezechielis 18.

Anima,quę peccauerit,ipsa morietur.38. 35.

Aggei 2.

Et veniet desideratus cũctis gẽtibus.49.49.

Zachariæ 8.

In diebus illis apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium,& apprehendent fimbriã viri Iudæi,&c.26.44.

Malachiæ 1.

Iacob dilexi,& Esau odio habui 25.26.

1 Machabæorum 4.

Et reposuerunt lapides in monte domus, in loco apto, quoadusque veniret propheta,& responderet eis 2 26.

Machabæorum 5.

Et viri Iuda magnificati sunt valdè in cõspectu omnis Israel.45.78.

1.Machabæorum c.6.

Nunc reminiscor malorum, quæ feci in Hierusalem:& cognoui,quia propterea inuenerunt me mala ista,42.24.

Matthæi 4.

Terra Zabulon,& terra Nephtalim, via maris trans Iordanem Galileæ Gentium, populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.49.109.

Matthæi 10.

Estote prudentes sicut serpentes,& simplices sicut columbæ.25.62.

Matthæi 11.

Ipse(Ioannes Baptista)est Elias 27.54.

Matthæi 19.

Sunt Eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt,& sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus,& sũt Eunuchi,qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum 37. 110.

Mathæi 42.

Tunc duo erunt in agro, vnus assumetur, & vnus reliquetur, duæ erunt molentes in mola, vna assumetur & altera relinquetur. duo erunt in lecto,vnus assumetur,& vnus relinquetur 29. 6.

Lucæ 7.

Osculum mihi non dedisti.29.2.

Lucæ 12.

Ne terreamini ab ijs,qui occidunt corpus, & post hæc non habent ampliùs quid faciant.47.23.

Lucæ 14.

Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem & vxorem & filios,adhuc autem,& animam suam,non potest, meus esse discipulus.28.29.

Lucæ 16.

Factum est vt moreretur mendicus,& portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus autem est diues, & sepultus est in inferno 47.23.

Lucæ 23.

Et dixit illi Iesus,Amẽ dico tibi,hodie mecum eris in paradiso 40.15.

Ioannis 2

Soluite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud.27. 5.

Ioannis 4

Dicit ei mulier : Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus 49.105.

Actorum 2.

Neque anima eius derelicta est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem.37. 103.

Actorum

Actorum 7.

Mittens autẽ Ioseph accersiuit Iacob patrem suum, & omnem cognationẽ in animabus Septuaginta quinque. 46.19.& seq.

Actorum 23.

Et cum hæc dixisset(Paulus) facta est dissẽsio inter Phariseos, & Sadducæos,& soluta est multitudo. 37. 62.

Epistolæ ad Romanos cap.9.

Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret, nõ ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia maior seruiet minori. 25. 36. & 43.

Ad Romanos 11.

Sine pœnitentia sunt dona Dei.27.94.

Ad Romanos 12.

Non vos ipsos defendẽtes carissimi.34.14.

Ad Romanos 16. & 2.Corinth.130.

Salutate inuicem in osculo sancto. 29.4.

1. Corinth.5.

Auditur inter vos talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat. 35. 47.

1.Corinth.13.

Videmus nunc per speculum in ægnimate, tunc autem facie ad faciem.32.43.

2.Corinth.4.

Quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modũ in sublimitate,æternum gloriæ pondus operatur in nobis.41.29.

Ad Ephesios 1.

Elegit nos ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati.25.38.

Ad Ephesios 5.

Nolite inebriari vino,in quo est luxuria. 43.13.

Ad Ephesios 6.

Induite vos armaturam Dei,vt possitis stare aduersus insidias Diaboli, induti loricã iustitiæ,&c.48.13.

Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens.29.16

Ad Philipenses 2.

Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem,mortem autem crucis. 40.9.

2.Ad Tim.3.

Hoc autem scito, quia in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa &c.49.9

Ad Hebræos 2.

Nusquam Angelos apprehendit,sed semen Abrahæ apprehendit 48.2.

Ad Hebræos 3.

Videte fratres, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati 42.32.

Ad Hebræos 7

Et(vt ita dictum sit)per Abraham, & Leui, qui decimas accepit,decimatus est: adhuc enim in lumbis patris erat, quando obuiauit ei Melchisedech.46 27.& 29.

Ad Hebræos.7.

Manifestum est enim quòd ex Iuda ortus sit Dominus noster,de qua tribu nullus altari præsto fuit.48.79.& 71.

Ad Hebræos 11.

Fide Iacob moriens,singulos filiorum. Ioseph benedixit,& adorauit fastigium virgę eius.47.32.

Ad Hebræos 12.

Flagellat Deus omnem filium,quem recipit 40.5.

Ad Hebræos 12.

Nequis sit fornicator,aut profanus,vt Esau qui propter vnam escam vendidit primogenita sua 25 79.

Ad Hebræos 12.

Non inuenit (Esau) pœnitentiæ locum quamquam cum lacrymis inquisisset eam 27.91.

1.Ioannis cap.1.

Quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ,hoc annunciamus vobis. 27.59.

Apocalypsis 1.

Gratia vobis & pax ab eo qui est,& qui erat, & qui venturus est,& à septem spiritibus,qui in conspectu throni eius sunt.32. 19.

Apocalypsis 8.

Væ habitatoribus terræ 47.2.

Apocalypsis 14.

In ore eorum non est inuentum mendacium.27.35.

FINIS.

BENEDICTI PERERII COMMENTARIORVM IN GENESIM

TOMVS QVARTVS.

Ex capite vigesimoquinto.

ARGVMENTVM.

De miro duorum Geminorum Iacob & Esau conceptu, gestatione in vtero, & partu: De diuersitate ingeniorum & morum vtriusque: De venditione primogenituræ Esau ob vnam escam lenticulæ.

HÆ quoque sunt generationes Isaac filij Abraham: Abraham genuit Isaac, qui cùm quadraginta esset annorum, duxit vxorem Rebeccam filiam Bathuelis Syri de Mesopotamia, sororem Laban. Deprecatúsque est Isaac Dominũ pro vxore sua, eo quòd esset sterilis: qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Sed collidebantur in vtero eius paruuli; quæ ait: Si sic mihi futurum erat, quod necesse fuit concipere? Perrexítque vt consuleret Dominum. Qui respondens, ait: Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populúsque populum superabit, & maior seruiet minori. Iam tẽpus pariendi aduenerat, & ecce gemini in vtero eius reperti sunt. Qui prior egressus VERS. 19. 20 21 22 23 24

25 est, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus: vocatúmque
est nomen eius Esau. Protinus alter egrediens, plantam fra-
tris tenebat manu: & ideireo appellauit eum Iacob. Sexage-
26 narius erat Isaac, quando nati sunt ei paruuli. Quibus adul-
27 tis factus est Esau vir gnarus venandi & homo agricola: Ia-
28 cob autem vir simplex habitabat in tabernaculis. Isaac ama-
29 bat Esau, eo quòd de venationibus illius vesceretur: & Re-
30 becca diligebat Iacob. Coxit autem Iacob pulmentum: ad
quem cum venisset Esau de agro lassus, ait: Da mihi de co-
31 ctione hac rufa, quia oppidò lassus sum. Quam ob causam
32 vocatum est nomen eius Edom. Cui dixit Iacob: Vende mihi
33 primogenita tua. Ille respondit: En morior, quid mihi prode-
34 runt primogenita? Ait Iacob: Iura ergo mihi. Iurauit ei Esau,
& vendidit primogenita. Et sic accepto pane & lentis edulio,
comedit, & bibit, & abijt; paruipendens quòd primogenita
vendidisset.

PRÆFATIO.

SATIS constat, ortum Iacob non minus quindecim annis priorem fuisse, quàm excessum Abrahæ. Sexagenarius 1
enim cũ esset Isaac, genuit Iacob, vt in hoc capite scriptum est. Abraham porrò centenarius genera uit Isaac, & vixit ad annos vsque centum septuaginta quinque. Quinetiam Ismahelis mors tribus & sexaginta annis subsecuta est generationem Iacob. Erat enim Ismahel quatuordecim annis grandior natu quàm Isaac, vt ex cap. 16. & 21. Geneseos colligitur. Si igitur sexagenarius erat Isaac, cum genuit Iacob, fuisse id temporis Ismahelem septuaginta quatuor annorum necesse est: vixit autem Ismahel centum triginta septem annos. Cur igitur, dicet aliquis, Moses rectum historiæ ordinem inuertens, priùs narrauit mortem Abrahæ & Ismahelis, quàm ortum Iacob? In promptu ratio est. Voluit scilicet Moses, quam orsus fuerat scribere historiam Abrahæ, vniuersam continenti serie pertexere vsque ad vltimum, eáq; finita, historiam rerum Iacob exordiri. De Ismahele porrò, quia progenies eius non pertinebat ad populum Dei, non aliud dicturus erat, nisi fuisse completam in eo promissionem Dei datam Abrahæ, cui promissum erat, semen Ismahelis maiorem in modum iri multiplicatum: nec solùm

multi

multitudine, verùm & nobilitate principum, & ferociâ gentis fore percelebre. Hoc igitur strictim explicauit Moses: & ita se totum ad historiam Iacob subtiliter, copiosè, & diligenter enarrandam contulit. Ergo apparet, figuras, quas vocãt, Anticipationis, & Postpositionis, siue Recapitulationis, & præposteras, quãtum ad ordinẽ temporũ, narrationes, nõ solùm frequentes esse in scriptis propheticis, sed in historicis etiam non rarò inueniri. Quapropter non semper ex ordine, quem tenet sacer & canonicus scriptor, de ordine temporum & rerum gestarum licet certum facere iudicium. Sed obseruari oportet, an scriptor, quem alioqui recti ordinis diligentem, atque obseruantem esse compertum est, eius commutandi idoneam aliquam, & probabilem causam habere potuerit, sicut habuisse Mosem in hoc loco, dictum est.

Cur Moses tam multa de Iacob, de Isaac verò tã pauca scripserit.

2 Sed cur reliquam huius libri partem, quæ viginti quinque capita continet, omnem fermè consumpsit Moses in enarranda historia Iacob, paucis admodum de patriarcha Isaac commemoratis? Ego quatuor eius rei causas possum afferre. Ac primò quidem, Iacob & totius, & solius populi Dei parens fuit: habuit enim duodecim filios, è quibus duodecim Tribus ortæ sunt, vnde vniuersus Hebræus populus proseminatus est. Id verò in Isaac dici non potest, alter enim filius eius Esau, sator fuit gentis Idumæorum, quæ ad populum Dei minimè pertinuit. Potius itaque hac ratione, Iacob, Patriarcha fuit Hebræorum, quàm Isaac. Deinde, id factum est propter varios admodum & insignes casus Iacob tam secundos, quàm aduersos; in quibus multarum, magnarúmque virtutum eius experimenta simul & exempla, ad posterorum eruditionem, atque imitationem, eluxerunt. His adde, quòd Iacob pluribus & excellentioribus Dei visionibus honoratus & nobilitatus est: Isaac quippe duas tantùm habuit diuinas visiones, quæ narrantur capite 26. Geneseos: At Iacob quinque vel sex habuit, egregias sanè & admirabiles. Prima exponitur Gen. 28. Secunda 31. tertia 32. quarta 35. quinta eodem in loco: sexta 46. Accedit denique quarta causa, copia scilicet atque excellentia prophetici spiritus, quo Iacob, diuino munere, completus & illustratus est: cuius clarissimum specimen dedit, cùm proximus morti, quæ omnibus ac singulis filijs suis, multa post secula, euentura erant, mirabiliter prædixit; eiúsque prædicta omnia, euentorum veritas comprobauit. Gene 49.

VERS. 20. Isaac cùm quadraginta esset annorum, duxit vxorem Rebeccam.

VIDE continentiam iuuenis Isaac; qui in tam feruida, & ad libidines procliui ætate, ad quadrageſimum vſque annum, virginalem continentiam purè conſeruauit. Neque enim fas eſt putare, ſanctiſſimum iuuenem, vllam illicitæ voluptati operam dediſſe ante coniugium. Commendatur præterea, exemplo Isaac, tempus hominis maturum, ætáſque matrimonio tempeſtiua. A qua ætate proximè abeſt ætas, quam Ariſtoteles coniugio præſcripſit, affirmans libro 7. Politicorum, idoneam coniugio ætatem mulieris, eſſe decem & octo annorum; viri autem, triginta ſeptē. Plato autem libro 5. de Repub. mulierem vult eſſe viginti annorum, virum triginta. Heſiodus περὶ ἔργων, tempeſtiuam coniugio ætatem fore putat, ſi coniuges nec multo minores trigeſimo anno fuerint, nec multo fuerint maiores. Matrimonia igitur nec præcocia, nec ſera nimis eſſe cōuenit: magna enim vtrimque proueniunt incommoda, quæ Ariſtoteles eo quem dixi loco, verè ac luculentè demonſtrat. Aetas porrò Isaac quadraginta annorum, reſpondet ętati viginti quinque annorum huius temporis; videlicet habita ratione proportionis totius vitæ noſtræ, ad vitam priſcorum illorum hominum: Isaac quippe annos vixit centum octoginta. 3

Aetas idonea coniugio.

Aristoteles.

Plato.

Hesiodus.

Quoniam autem Sara iam nonagenaria genuit Isaac, Geneſ. 21. & mortua eſt centeſimo vigeſimo ſeptimo anno ætatis ſuæ, Geneſ. 23. id eſt, anno Isaac trigeſimo ſeptimo, liquet, triennio poſt exceſſum Saræ, factum eſſe hoc matrimonium. Atque id quidem Rupertus trahit & cōuertit in allegoriam, ita ſcribens libro 7. Commentariorum in Geneſim cap. 2. Ergo tribus annis ante nuptias Rebeccæ, Sara defuncta erat. Sic proculdubio ante paſſionem Chriſti, qua prædicationis Euangelicæ gratiam ille copulauit, tribus annis, à diebus, vel baptiſmo Ioannis, mortua eſt lex, & prophetiæ, non ſibi, ſed Iudæis, teſtante ipſo Domino, cum dixit: *Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem prophetauerunt.* Nam ex quo prę-ſentem, & teſtimonio Ioannis declaratum Chriſtum filium Dei viui blaſphemare cœperunt; reliquit omnis ſanctitas omníſque vita iniquos cœtus eorum, eo quòd eſſent Concilium vanitatis, & Eccleſia malignantium: præter paucos, qui fidem retinentes Abrahæ, tabernaculum Saræ eſſe meruerunt. De qualibus in pſalmo dicitur: *In circuitu eius tabernaculum eius.* In hoc tabernaculum introduxit Isaac Rebeccam, & accepit vxorem, id eſt, apertis illorum ſenſibus, immiſit Chriſtus ſpiritualem ſcripturarum intellectum, & nouam ſibi inſtituit Eccleſiam. Sic Rupertus. Non ait Rupertus, legem Moyſis triennio ante Paſſionem Chriſti fuiſſe mortuam ſimpliciter: conſtat enim Theologorum omnium ſententia, legalia Moyſi non eſſe mortua, niſi per mortem Domini noſtri; tunc enim obligatio eorum ſoluta eſt, virtúſque prorſus exinanita. Significat 4

Ruperti Allegoria.

Matt. 11.

Psal. 17.

igitur

igitur tantùm Rupertus, incredulis & perfidis Iudæis, qui Dominum Iesum, & testimonio Ioannis, & tot tantísque miraculis verum Messiam testatum atque declaratum recipere noluerunt; ex eo tempore, nec legem, nec prophetias quicquam profuisse.

PRIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis.

Deprecatus est Isaac Dominum pro vxore sua, eo quòd esset sterilis: qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. VERS. 21.

5 HÆc verba quatuor ferunt quæstiones. Primam quæstionem ponunt Origenes, Chrysostomus, & Theodoretus. Cur complures in veteri Testamento celeberrimi nominis fœminæ, clarissimorum futuræ virorum matres, fuerint naturâ steriles; nec nisi supernaturali potestate, singularíque Dei munere prolem genuerint: tales fuisse legimus in sacris literis, Saram, Rebeccam, Rachelem, matrem Samsonis & Samuelis, Elisabeth quoque matrem Ioannis Baptistæ; idémque de Parentibus Deiparæ Virginis Mariæ traditum est. Tres eiusce rei rationes ex prædictis auctoribus expromptas hîc strictim attingam. Primam rationem Theodoretus lxxiiij. quæstione in Genesim exponit hisce verbis: Volens Deus componere genus Israeliticum, ostendit illud non naturali successione, sed gratiâ, & fauore suo esse multiplicandum. Hanc autem prouidentiam adeptus est genus illud, quia Christus Dominus inde secundùm carnem nasci debebat. Hæc Theodoretus. Ad præmonstrandam igitur futuram filiorum nobilitatem, atque claritatem, steriles voluit esse parentes eorum, quò præstabilior & admirabilior ipsorum esset generatio. Duas alias rationes tangit Chrysostomus homilia 49. in Genesim: Vt, inquit, ex mirabili partu sterilium fœminarum, iam tunc præstrueretur ac præmuniretur fides partui Virginis. Quamobrem & Angelus Gabriel fidem nunciati à se partus Virginis confirmare voluit exemplo partus Elisabeth, quæ sterilis erat. *Ecce*, inquit, *Elizabeth cognata tua sterilis, & ipsa concepit filium in senectute sua: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Exemplum item istarum sterilium fœminarum valuit plurimum ad moderandos consolandósque animos coniugum sterilium, vt nec viri propterea contemnerent vxores; nec mulieres iniquo animo ferrent sterilitatem suam.

Cur complures in veteri Testamento pernobiles fœminæ fuerint steriles.

Theodoretus.

Chrysostom.

Luc. 1.

6 Altera quæstio est: Ait Moses, deprecatum esse Isaac Deum pro sterilitate vxoris. Sed vndénam exploratum & cognitum habuit Isaac, ste-

rilitatem esse vxoris, ac non suam potius? in vtróuis enim coniuge tum sterilitas, tum alia quædam generationis impedimenta esse possunt. Respondeo, certũ fuisse Isaac ex diuina promissione data parenti suo Abrahæ, Gen. 21. sibi non defuturam prolem: dixit enim Deus Abrahæ: *In Isaac vocabitur tibi semen.* Non igitur dubitabat se prolem habiturum, siue ex Rebecca, siue ex alia quapiam vxore. Sed enim, quia vehementer amabat Rebeccam, ex ea maximè promissam sibi atque optatam prolem suscipere cupiebat. Verùm quando cœpit Isaac precari Deum pro sterilitate vxoris, & quandiu in precando perseuerauit? Chrysostomus existimat precari cœpisse statim post initum coniugium, & totos viginti annos in precando perseueraſſe: idque argumentatur ex eo, quod Moses dixit Isaac fuisse quadraginta annorum, cum duxit Rebeccam: & exauditis pro vxore precibus suis, genuisse prolem, cum iam esset sexaginta annorum. Chrysostomi verba ex homilia 49. in Genesim, hęc sunt: Non statim, inquit, exauditus est Isaac, nec assecutus quod optabat, sed viginti annos perseuerauit orans & deprecans Deum, & tunc denique assecutus est quod desiderabat. Si enim quadraginta annorum erat, quãdo Rebeccam duxit, sexaginta verò quando illa peperit: manifestum est, quòd viginti annis perseuerauit orans Deum; & sic vterum Rebeccæ inhabilem generationi, idoneum fecit. Vides orationis vim, quòd & naturam ipsam superat? Sic Chrysost. Sed quòd mulier statim post coniugium non pariat, non propterea iudicanda videtur sterilis. Sed ad id verè iudicandum, aliquot in coniugio annos præterfluere necesse est. Nempe naturale est, mulieres maturiùs quidem nonnullas, seriùs verò alias parere. Probabilius igitur dictu fuerit, transactis aliquot annis in cõiugio sine prole, tunc demum Isaac existimasse vxorem esse sterilem, & pro eius sterilitate abolenda, Deo supplicasse; non enim nisi post longum temporis spatium, ei sterilitas vxoris exploratè percepta esse potuit. Sed fuisse tamen deprecationem Isaac multam & diuturnam, patet ex verbo Hebræo (hatar) quod est hoc loco: significat enim multiplicare, siue verba, siue preces: vide super hoc loco Oleastrum.

Cur Isaac sterilem expertus Rebeccã, non alteram duxit vxorẽ, sicut Abrahã duxit Agar.

Tertia quæstio: Cum Isaac vidit sterilem Rebeccam, cur non aliam 7
duxit vxorem, ex qua prolem haberet; exemplo scilicet patris sui Abrahæ, qui propter sterilitatem Saræ duxit Agar? Friuolum est quod super ea re tradunt Hebræi, vt Lyranus, & Thostatus referunt, minimè improbantes eam traditionem. Aiunt Hebræi, ex eo tempore quo Isaac voluntariè passus est se ligari à patre vt immolaretur Deo, fuisse eum consecratum Deo, & idcirco non fuisse licitum ei accipere nisi vnam vxorem. Quasi verò, nec Samson, nec Samuel ex vtero matrum consecrati Deo, nisi vnam vxorem habere potuerint. Quid, quòd omnes primogeniti, secundùm legem Mosis, sanctificati & consecrati erant Deo? Sacerdotibus quoque, Deo vtique consecratis, interdictam fuisse polygamiã, nusquam legimus? Illud igitur probabilius est responsum: Abraham non fuisse ducturum aliam vxorem, viuente Sara, quam vnicè diligebat, nisi Sara ipsa id suasisset, & ad id eum impulisset, Genes. 16. hoc autem non

Gen. 16.

Futilis opinio Hebræorum.

Lyranus.

Thostatus.

Gen. 12.

fecit

fecit Rebecca. Declaratum quoque ea re est, fuisse Isaac amantissimũ castitatis & pudicitiæ: certissimámque spem & fiduciam habuisse, se non cariturum prole; confirmatum maximè Saræ matris suæ exemplo, quæ præter sterilitatem, etiam senio grauata, nihilominus tamen Dei munere, prolem genuerat. Arctissimum porrò vinculum, & vehemens quasi coagulum mutui inter coniuges amoris est, si mulier persuasum habeat, virum sibi maritalem seruare fidem; suíque vnius amore contentum, alienis amoribus non affici. Quam ob causam fertur in Romanorum historijs, Pompeium Magnum ardentissimè dilectum esse ab vxoribus suis, quòd inuiolatam eis tori fidem præstaret. Intellexit hoc, & scriptis prodidit Aristoteles libro 2. Oeconomicorum: Maximus, inquit, honor est sobriæ mulieris, si cernat virum suum seruare sibi castitatem: nec de vlla muliere alia cogitare, sed præ cæteris omnibus se ab eo diligi. Tanto enim magis studebit mulier, se talem præstare viro, quanto se cognouerit & fideliùs & castiùs à viro diligi. Sic Aristoteles.

Iudic. 13. 1. Reg. 1. Exod. 12.

Quodnam sit acerrimũ vxorij amoris erga virũ incitamentum.

Pompeius Magnus.

Aristotel.

8 Neque verò, quia monogamia præstabilior videtur esse polygamia, idcirco præferendum Isaac putamus Abrahæ: virtutis enim & sanctitatis præstantia aliunde spectanda & æstimanda est. Audiat Lector Beatum Augustinum in libro xvj. de Ciuitate Dei cap. xxxvj. ea de re præclarè differentem. Non ideo, inquit, Isaac præferre debemus Abrahæ, quia ille nullam fœminam præter vnam coniugem nouit. Erant enim proculdubio Abrahæ fidei & obedientiæ merita potiora quàm Isaac: in tantum, vt propter Abraham dixerit Deus se benefacturum ipsi Isaac, Genes. 26. Ex quo licet intelligere, quàm castè Abraham fecerit, quòd hominibus impudicis & nequitiæ suæ patrocinia de sacra Scriptura requirentibus, videtur feciſſe libidinosè. Deinde, etiam hoc nouerimus, non ex bonis singulis, inter se homines comparari debere, sed in vnoquoque considerandа esse vniuersa. Fieri enim potest, vt habeat aliquid in vita & moribus, quispiam, quo superet alium, idque sit longè præstabilius, quàm est illud, vnde ab alio superatur. Ac per hoc, sano veróque iudicio, cùm cõtinentia cõiugio præferatur, melior tamẽ est homo fidelis cõiugatus, quã cõtinens infidelis. Sed cõstituamus ambos fideles & bonos: etiam sic profectò melior est cõiugatus fidelissimus & obedientissimus Dei, quàm cõtinẽs minoris fidei, minorísq; obediẽtiæ. Si verò paria sint cætera, continẽtem cõiugato præferre quis ambigat? Hactenus Aug.

An Isaac ob monogamiam præferendus sit Abrahæ. S. August.

9 Quarta quæstio: Si futura proles Isaac, erat à Deo promissa Abrahæ; omnino igitur futura erat; siquidem fidelis est Deus in promissis suis, & impossibile est mentiri Deum: cur igitur Isaac gnarus diuinæ illius promissionis, tantopere erat solicitus & anxius, & quasi dubius de futura prole? Deinde Iacob prædestinatus erat à Deo; ergo generatio Iacob, necessariò futura erat. Diuina enim prædestinatio, est immutabilis, vt quæ de absoluta & efficaci Dei voluntate proueniat, de qua sola intelligendum est, quod dixit apud Isaiam 46. Deus: *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Non igitur prædestinatio, aut quod prædestinatũ est, pendet ex homine, nec ab eo vel iuuari, vel impediri potest. Quamobrem

Cùm generatio Iacob promissa esset à Deo, & ipse esset prædestinatus, qui dicitur ea facta propter preces Isaac?

obrem meritò quæritur in hoc loco, quemadmodum verè dictum sit à Moſe, Deum propter preces Iſaac, dediſſe conceptum Rebeccæ. Huius quæſtionis duas, breuitate & diſtinctione ſcholaſtica, ſolutiones tradit Thomas Anglicus in cap. xxv. Geneſis, ita ſcribens: Cur Iſaac orauit pro fœcunditate vxoris, cum ſciret à Deo infallibiliter promiſſam ſibi eſſe prolem? Dicendum, quòd diuina promiſſio & prædeſtinatio non euacuat orationes. Deus enim non promittit aut prædeſtinat talia futura abſolutè, & nullo habito reſpectu ad aliud quippiam: ſed ſub congruis conditionibus, & præſuppoſitis debitis diſpoſitionibus. Prædeſtinat igitur Deus aliquem finem vel effectum, ſimul etiam prædeſtinans media, per quæ ad talem finē poſſit peruenire, & diſponens cauſas ſecundas, per quas effectus ille produci debeat; inter iſtiuſmodi autem media & cauſas, ſunt orationes Sanctorum & opera. Poſſet etiam dici, quòd licèt Iſaac eſſet certus ex diuina promiſſione, ſe habiturum prolem, non tamen erat certus, eam ſe prolem habiturum ex Rebecca; ex qua tamen ſuſcipere filios flagrantiſſimè cupiebat; atque pro ea re Deo ſupplicauit: Sic Thomas.

Thomas Anglicus.

Primam huius Auctoris ſolutionem, quæ probabilior eſt, ante ipſum tractauit accuratiùs S. Thomas prima Parte quæſt. 23. art. 8. Diſputans enim, prædeſtinationem iuuari poſſe precibus Sanctorum, ad id probandum, affert exemplum hoc Iſaac, ob cuius preces dedit Deus conceptum Rebeccæ: ex illo autem conceptu natus eſt Iacob, qui prædeſtinatus fuit. Nec fuiſſet tamen impleta prædeſtinatio, ſi Iacob natus non eſſet. Ex quo apparet, prædeſtinationem, Sanctorum precibus iuuari poſſe. Verùm quia nonnihil in ea re latebat difficultatis, vt eam penitus exhauriret, diſtinctionem hanc ſubiungit. In prædeſtinatione duo eſſe conſideranda, & ipſam præordinationem diuinam, quæ eſt æterna, & effectum eius. Priori modo, prædeſtinatio, cùm ſit æterna, non poteſt iuuari Sanctorum precibus, quæ ſunt temporales: poſteriori autem modo, iuuari poteſt, quia prouidentia, cuius pars eſt prædeſtinatio, ſic prouidet effectus, vt ad eos producendos, etiam ordinet cauſas ſecundas, ſicut videre eſt in cauſis naturalibus. Quocirca ſub ordinem prædeſtinationis non ſolùm cadit finis & effectus, ſed etiam media & cauſæ ad eos conſequendos & producendos ordinatæ. Neque verò Deus ad explendam prædeſtinationem aut prouidentiam ſuam, propter indigentiam, vtitur adiumento hominum vel rerum naturalium; ſed vtitur eiuſmodi cauſis & mediis, tum vt ordinis pulchritudo ſeruetur in rebus: tum vt creaturis quoque dignitatem cauſalitatis communicet. Quoniam verò ſecundæ cauſæ non poſſunt egredi ordinem cauſæ primæ vniuerſalis, ſed ipſum exequuntur; ex eo fit, vt prædeſtinatio per creaturas adiuuari quidem poſſit, impediri verò nullo modo poſſit. Hactenus ex B. Thoma.

10

S. Thomas.

Quomodo Diuina prouidẽtia & prædeſtinatio, per cauſas ſecundas tam naturales quàm humanas iuuetur.

Hoc ipſum confirmari atque illuſtrari poteſt pulcherrima B. Gregorij ſententia ex primo libro Dialogorum eius, & capite 8. huc tranſpoſita. Sic autem eo loco ſcribit Gregorius: Obtineri nequaquam poſſunt quæ prædeſtinata non fuerunt: ſed ea quæ ſancti viri orando efficiunt, ita

11

S. Gregor.

præ

prædestinata sunt, vt precibus obtineantur. Nam ipsa quoque perennis regni prædestinatio ita est ab Omnipotenti Deo disposita; vt ad hoc electi per laborem perueniant: quatenus postulando mereantur accipere, quod eis Omnipotēs Deus ante secula disposuit donare. Quod profectò videre licet in ipsa Scriptura, quæ narrat dixisse Deum Abrahæ: *In Isaac vocabitur tibi semen.* Et rursus: *Patrem multarum gentium constitui te.* Et, *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli: & sicut arenam maris.* Ex quo apertè constat prædestinasse Deum multiplicare semen Abrahæ per Isaac. Et scriptum tamen est, deprecatum esse Isaac Dominum pro vxore sua, & exauditum esse à Deo, qui dedit conceptum Rebeccæ. Si ergo multiplicatio seminis Abrahæ per Isaac prædestinata fuerat, cur Isaac coniugem, sterilem accepit, quæ propter preces eius concepisse dicitur? Sed nimirum constat, quia prædestinatio precibus impletur: quādo is per quem Deus multiplicare semen Abrahæ prædestinauerat, oratione obtinuit vt filios habere posset. Sic B. Gregorius.

Genes. 21. & 17. *Infra 22.* *Infra 25.*

Sed collidebantur in vtero eius paruuli: quæ ait; Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? *Versu 22.*

12 PRo illo *collidebantur*, Græcè ἔσκιρτον, id est, exultabant: verbo namque Exultandi vtitur S. Ambrosius hunc locum tractans in libro de Isaac, capit. 4. Similiter redditur idem verbum in vulgata editione. Psalm. 113. *Montes exultauerunt.* sanctus Augustinus quæstione septuagesima secunda in Genesim, & libro 16. de Ciuitate Dei, cap. 35. legit *gestiebant.* Sanctus Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim super hunc locum, verbum illud Græcum exponit, ludebant, siue calcitrabant: quod Aquila transtulit; constringebantur filij in vtero eius: Symmachus verò, in similitudinem nauis in superficiē ferebātur. Scholiastes tamē ex Symmacho refert διεπάλαιον, id est, colluctabantur. Oleaster annotauit, verbum Hebræum (rasàs) significare frangere, siue confringere, verùm non omnino: sic enim differre à verbo (scabàr) quod significat; omnino, & vsquequaque confringere & conterere. Vtriusque verbi differens significatio apparet in illis verbis Isaiæ cap. 42. quibus loquens de Messia, inquit, *Calamum quassatum non confringet.* Quoniam igitur non planè liquet propria eius verbi significatio, idcirco non omnino, inquit Caietanus, certus est modus commotionis infantium in vtero Rebeccæ: an scilicet esset motus tanquam currentium contra se inuicem, an in modum pugnantium, an in similitudinem inuicem se collidentium. Certum tamen est, eum motum, qualiscumque fuerit, grauissimum fuisse ac molestissimum matri: propterea enim dixit ipsa: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?*

Ambros. *Augustinus.* *Hieronymus.* *Oleaster.* *Locus Isaiæ cap. 42.* *Caietanus.*

An ille motus filiorum Rebeccæ in vtero eius, fuerit naturalis, nec ne.

SED quæritur, an ille motus filiorum in vtero Rebeccæ, fuerit naturalis, id est, ex natura profectus: an verò singulariter à Deo effectus, præter modum & ordinem naturæ. Fuisse eum motum naturalē, posset quispiam fortasse opinari, duabus hisce rationibus adductus. Solet enim vsuvenire mulieribus, vt post conceptum, graues quosdam motus concepti fœtus in vtero sentiant, vel in dextro latere, vel in sinistro; nimirum pro varietate sexus vel masculini, vel fœminini. Aristotelis libro 7. de Historia Animalium cap. 3. & 4. breuem ea de re sententiam audiamus: Mares fœtus, inquit Aristoteles, magna ex parte circa quadragesimum diem dextro potius latere mouentur, fœminæ autem sinistro, circiter nonagesimum. Nihil tamen certi in his affirmari licet: multis enim ferentibus fœminam, motus agitur in dextro; & contrà in sinistro gerentibus marem. Plus etiam motus magna ex parte mas in vtero infert quàm fœmina, & celeriùs prodit; fœminæ enim partus tardior est. Dolor etiam ex fœmina continuus, sed obtusior; ex mare acer, & longè molestior. Sic Aristoteles. Quid igitur mirum, si duo simul fœtus in vtero, sicut habebat Rebecca, grauem motum & molestiam efficerent; eum vel vnus fœtus masculinus acrem & molestum cum agitatione dolorem naturaliter afferat? Deinde naturaliter factum videtur, vt propter angustias vteri, qui geminos commodè non poterat capere, vnus alterum premeret, commodiorem sibi locum quærens. Atque hæc dubitari possent in hac sententia. 13

Aristotel.

Verùm contraria sententia, non solùm probabilior, sed planè vera & certa est. Etenim motus ille in vtero, fuit nouus, singularis, inusitatus, præter modum & ordinem naturæ, tanquam duorum inter se certantium. Nam si propter angustiam loci esset id factum, non vtique Iacob, egredientis ex vtero Esau plantam tenuisset, quasi retrahere eum volens ab egressu; sed eum potius extrusisset, & egredi coegisset, quò scilicet amplior sibi locus in vtero relinqueretur. Sed quid ego quæro argumenta ad id probandum? cùm certissimam eius rei fidem scriptura ipsa faciat, declarans eum motum esse diuinitus factum ad præfigurandum futuras discordias & contentiones inter posteros Iacob & Esau. Siquidem super eo motu filiorum in vtero consultus à Rebecca Deus, respondit: *Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, & populus populum superabit: & maior seruiet minori.* Ergo si motus ille in vtero, factus est ad præfigurandum id quod post futurum erat, non potuit eiusmodi motus, vel ex naturali, vel ex humana causa proficisci; sed ex tali causa, quæ prænosceret futura, & ad ea significanda posset ordinare quod agebat. Talis causa nec est natura, vt quæ non agit per intellectum, ordinans ad aliud quod agit; nec est homo vel Angelus, quibus, nempe futura, vt vocant, contingentia non sunt nota. Ad hanc sententiam spectat quod scribit Rupertus lib. 7. Commentariorum in Genesim cap. 3. Collidebantur, ait ille, paruuli, non studio contendendi, vel scientia certandi, siue affectatione vincendi: sed eodem Dei nutu permoti, quo non solùm irrationalia pecora, verùm etiam inanimata elementa præsagio futurorum 14

Rupertus.

permo

permoueri solent, qualia sæpe iam facta nouimus, & adhuc maiora futura sunt, testante Domino Luc. 21. *Erunt signa in sole, luna, & stellis*, &c. Sed iuxta mysticum sensum, collisio paruulorum in vtero Rebeccæ, præsignabat id quod in Actibus Apostolorum legimus: Gentiles namque ad fidem & gratiam Christi admissos, Iudæi propellere contendebant, saluti eorum inuidentes. Hæc Rupertus.

Luc. 21.

Act. 11.

Perrexítque vt consuleret Dominum.

Versu 22.

ILLVD *perrexit* significat eam ex eo loco vbi erat, concessisse in alium locum, consulendi oraculi gratiâ. Aristoteles quidem libro 7. Politic. cap. 16. tradit, salubre prægnantibus esse, si exercendi corporis gratia, quotidie aliquantulum spatij conficiant; atque huius rei gratia, sacram aliquam ædem visant, præsertim eorũ Deorũ, qui tuendæ ac prosperandæ generationi prolis humanæ præesse creduntur. Aristotelis verba, hæc sunt: Mulieribus vterũ gerẽtibus, corporũ est adhibenda cura, vt neque desidia torpeãt, nec cibo vtantur tenuiore. Quod facile fuerit Legislatori prouidere, si lege sanxerit, vt singulis diebus spatium aliquod, deos, qui generationi præesse putantur, venerandi gratia, conficiant. Mentem autem, contra quàm corpus, tranquillam securàmque gerere conuenit. Sic Aristoteles. Verùm non ob eam causam Rebecca perrexit ad consulendum Deum: Sed, vt narrat Scriptura, territa prodigiosa illa filiorum in vtero collisione, vt super ea re diuinum sciscitaretur oraculum & responsum. Quare satis miror, quendam huius temporis scriptorem, virum sanè nec indoctum, & valdè pium, in suis Commentarijs prodidisse, illam Rebeccæ profectionem non tam diuinę rei gratia fuscepta fuisse, quàm quòd prægnantibus commoda & salubris esse soleat nonnulla corporis agitatio, & ad Diuorum sacra profectio.

Aristotel. Prægnãtibus quotidianam, sed modicam corporis exercitationẽ, esse salubrem; contràverò, quietem & tranquillitatem mentis.

Hamersus in in Genes.

Pro illo (vt consuleret Dominum) Paraphrasis Chaldaica sic habet:

Abijt, vt peteret doctrinam à facie Domini. Paraphrastes verò Hierosolimitanus ita vertit. *Abijt, vt peteret misericordiam à Domino, in domo vbi concionabatur Sem.*

SECVNDA DISPVTATIO.

Ad quem locum, siue ad quam personam perrexerit Rebecca, & quemadmodum consuluerit Deum.

Caietanus. CAIETANVS vtrumque esse putat incertum, cum neque hîc, neque alibi expositum sit à Scriptura. Hebræorum opinio est, Rebeccam iuisse ad Sem filium Noë, quem id temporis, sacris præfuisse ferunt, & per ipsum solitum esse DEVM, consulentibus, oracula & responsa reddere: cui sententiæ adstipulatur Paraphrastes Hierosolymitanus, vt ex verbis paulò antè memoratis manifestum est. Viuebat autem eo tempore Sem; immò vsque ad quadragesimum octauum, vel quinquagesimum ætatis Iacob annum vitam produxit. Aben-esra ait, Dominum responsum dedisse Rebeccæ per prophetam aliquem, vel per ipsum Abraham, quem vixisse constat quindecim annis post ortum Iacob & Esau. Oleaster super ea re ita scribit: Putarem iuisse Rebeccam ad sacrificium offerendum Domino, & ibidem à Domino responsum accepisse, sicut fecit Abraham. Nec sollicitus sis de Sacerdote, quoniam sine Sacerdote tunc quilibet Domino hostias offerebat, vt legimus supra de Abraham Genes. 15. & infra Genes. 33. de Iacob. Non enim audeo dicere, eam iuisse ad Melchisedech; quia nullum eius rei extat in Scriptura vestigium. Fortè tunc aliquis erat propheta Domini, à quo iscitari poterat; sed quis ille fuerit ignoratur. Sic Oleaster. Verùm nos antiquiorum & grauiorum auctorum super ea re sententias recenseamus. 16

Oleaster.

Euisebius & Gennadius tradunt, Rebeccam iuisse ad montem Moria, & ad Melchisedec, qui eo in loco Sacerdotem agebat Dei altissimi, & tanquam diuinorum arcanorum conscius & interpres, consulebatur ab omnibus. Diodorus Tarsensis putat, Rebeccam recepisse se in locum aliquem secretum orandi causa, & post orationem fuisse reuelatum ei, quod scire auebat: sicut accidit Danieli, vt in eius libro, capite nono scriptum est. Sanctus Chrysostomus existimat eam adijsse Sacerdotes. Sic enim scribit homil. 50. in Genesim: Quid est quod ait: *Perrexit vt consuleret Dominum*, nimirum cucurrit ad veram scientiam, & festinauit ad Sacerdotem, Dei ministrum, per quem latentium scientiam volebat discere. Et enarrans omnia quæ sibi contigerant, didicit diligenter omnia, misericorde Deo, per Sacerdotis linguam detegente ei omnia manifestè, & alacriorem eam reddente. Et vide quanta etiam tunc erat Sacerdotum dignitas. Nusquam enim dicit, quòd Sacerdos ei responderit, sed quòd Dominus ei responderit; nempe per Sacerdotem. Etenim & alio loco Angelum vocat Sacerdotem diuina Scriptura, monstrans quòd ea loquatur Sacerdos, quæ inspirat ac suggerit ei diuini Spiritus gratia. Hæc Chrysostomus. Theodoretus quæstione 75. in Genesim arbitratur, iuisse 17

Euisebius & Gennadius in Catena, in Genes.

Diodorus.

S. Chrysostom.

Malach. 2.

iuisse ad altaria, in quibus sacrificari Deo à sanctis Patriarchis solebat. Theodo.
Quidam (inquit Theodoretus) Rebeccam adiisse dicunt ad Melchisedech, nempe Sacerdotem Dei altissimi, virum nobilem, & pietate insignem. Verùm, cum Patriarchæ consueuissent in locis in quibus habitabant construere altaria quędam, verisimile est illam, ad vnum ex istis supplicasse Deo, & ita nouisse quæ futura erant.

18 S. Augustinus omnes fermè prædictas sententias complexus est; super eadem etiam ipse quæstione breuiter disserens in libro Quæstionum in Genesim, quæst. 72. Quæritur, inquit Augustinus, quónam abierit Rebecca, vt consuleret Dominum: non enim erant tunc Prophetæ aut Sacerdotes secundùm ordinem Tabernaculi vel Templi Domini: nisi fortè iuit ad locum, vbi aram constituerat Abraham. Sed illic, quomodo respõsa darentur, omnino tacet Scriptura; vtrum per aliquem Sacerdotem, quod incredibile est, si erat, non fuisse nominatum, & nullam Sacerdotũ aliquorum factam esse mentionem. An fortè ibi, cum orando allegassent desideria sua ad Deum, dormiebant in eo loco, vt per somnium monerentur? An erant aliqui tales etiam illo tempore homines Dei, in quibus posset Deus interrogari? Quicquid horum est, & si quid aliud, quod me fortè, ne commemorarem, præterierit: mentiri tamen Scriptura non potest, quæ dixit, Rebeccam iuisse ad interrogandum Dominum, atque Dominum respondisse. Hæc Augustinus. S. Augustin.

19 Super eadem re Auctor Historiæ Scholasticæ in librum Geneseos cap. 66. enarrans historiam huius loci, ad hunc modum scribit: Dicitur Rebecca iuisse ad consulendum Dominum. Fortasse igitur iuit ad montem Moria, vbi Abraham altare fecerat Domino: & immolatis hostiis, substratis earum pellibus incubans, per somnium accepit oraculum. Fortasse etiam more Gentium quem viderat apud parentes suos in Mesopotamia, speciem Lauri, quam Tripodem dicunt, capiti suppositit; & ramis arboris, quæ Agnus Castus dicitur, incubuit, vt sic visiones capitis phantasticas dormiens non sentiret, & diuinæ reuelationis ritè capax esset. Vel viuentem adhuc summum Sacerdotem Melchisedech cõsuluit. Quocumque autem modo id factum sit, eam bene feciisse satis indicat responsum diuinum ei redditum. Sic ille. Ego, si in rebus tam incompertis, & incertis locus est vllus coniecturæ, aut potius diuinationi, propensior sum ad sententiam Diodori, quam supra exposui, Rebeccam secessisse in locum aliquem abditum, remotúmque tanquam quoddam Oratorium; vbi in preces effusa, diuinum responsum super ea re quam scire cupiebat, studiosissimè expetiit. Et vel in somno, vel in vigilia per interiorẽ illustrationẽ Dei, aut per vocẽ aliquã cœlitus editam, & ad ipsam missam, vel per Angelum quempiam in figura humana cum ea loquentem, Diuinum oraculum, & responsum accepit. Auctor Historiæ Scholasticæ. Auctoris opinio.

TERTIA DISPVTATIO.

De quatuor modis consulendi Deum, olim in populo Hebræo ante Saluatoris nostri aduentum, vsitatis atque celebratis.

EX occasione superioris disputationis, visum est alteram hãc 20
adiungere bene cum illa cohærentem atque congruentem, ipsam certè per se dignam tractatu atque cognitu: in cuius explicatu, simul etiam non paucos alios Scripturæ locos illustrabimus. Legenti sacras literas manifestum fit, ab exordio populi Hebræi, fermè ad tempora vsque principatus Machabæorum semper in eo populo fuisse insignes aliquos viros sapientia, pietate, ac sanctimonia, diuinæ sententiæ ac voluntatis conscios & interpretes, quos populus in rebus maximè arduis & dubijs consulebat, & per eos diuina responsa super eisdem rebus accipiebat. Horum primus ac præstantissimus fuit Moses: qui partim ad columnam nubis & ignis, partim intra
Exod. 28. Heb. 9. Sanctuarium vbi erat Arca & Cherubin, & Propitiatorium, Deum sibi loquentem audiebat, vel vltro edentem oracula, vel responsa eorum quæ scisciatus fuerat populus, reddentem, vt in libro Exodi, Leuitici, Numerorum Deuteronomij multifariàm proditum est. Verùm quia tantæ consulentium multitudini vnus ipse sufficere ac satisfacere non poterat, iussit Deus Septuaginta Seniores deligi, quos ipse simili prophetiæ spiritu implens, voluit quæstionibus & dubitationibus populi satisfacere, vt scriptũ est in libro Numerorum, capite 11. Post Moysen, istiusmodi gratiam & potestatem posuit Deus in summo Pontifice Eleazaro, ad quem adire consulendi gratia voluit Deus, non modò populum, sed ipsum etiam populi Ducem. Lege caput Numerorum 27.

Cęterùm quatuor obseruare licet fuisse in eo populo nobiles atque in- 21
signes, & solemnes Deum consulendi modos, quos in præsens cursim attingam. Primus modus consulendi Deum, erat per Prophetas: hos adi-
Primus modus consulẽdi Deum per Prophetas. bat populus vel publicè vniuersus, vel priuatim singuli, cùm grauis aliqua & ardua dubitatio incidebat, quæ humano consilio & prudentia explicari non posset. Exemplum huius rei habes illustre in primo libro Regum capite nono, vbi narratur historia Saulis euntis consultum Samue-
Locus 1. Reg. cap. 9. lem super asinis quas amiserat: sic enim in eo loco scriptum est: *Ecce vir Dei est in ciuitate hac, vir nobilis: omne quod loquitur, sine ambiguitate venit: nunc ergo eamus illuc, si fortè indicet nobis de via nostra propter quam venimus.* Et subditur: *Olim in Israel sic loquebatur vnusquisque vadens consulere Deum: Venite, & eamus ad Videntem: qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.* Et paulo infra, cum adiissent Samuelem, & sciscitati essent quod volebant; is respondit Sauli: *Omnia quæ sunt in corde tuo indicabo tibi. Et de asinis quas nudius tertius perdidisti, ne sollicitus sis, quia inuentæ sunt:* nec solùm hoc quod rogatus fuerat, indicauit, sed præterea

de

de Regno quod ei dandum erat, & alia quædam prædixit. Similia traduntur de Ahia Silonite propheta Domini, in 3. Reg. cap. 14. vbi sic est: *Dixit Ieroboam vxori suæ: Vade in Silo, vbi est Ahias propheta, qui locutus est mihi quòd regnaturus essem super populum hunc: ipse enim indicabit tibi quid euenturum sit puero huic.* & mox adiungitur responsum prophetæ super eo de quo fuerat consultus. Complura huius rei exempla habes apud Hieremiam cap. 36. & 42. & in Helia & Heliseo in 3. & 4. lib. Reg. apud Danielem item cap. 2. & 4.

22 Sedenim, tripliciter affectos fuisse prophetas animaduerto erga ea de quibus consulebantur. Nonnumquam prædocebat eos Deus id quod alij consulturi erant, & ipsos scisciturus, vt de Samuele, & Ahia Silonite supradictis locis scriptum est. Interdum tunc reuelabatur Prophetis, cum consulebantur, vt de Helia colligitur 4. Reg. 1. & 2. & de Heliseo 4. Reg. 4. 5. 6. & 7. Aliquando Prophetæ nesciebant respondere statim vt consulebantur, sed aliquantisper post: nimirum excitata priùs & ad Deum erecta eorum mente, vel audiendo cantari Dei laudes, vt accidit Heliseo, qui interrogatus à tribus regibus de penuria aquarum quam eorum exercitus patiebatur, paulisper stetit, iussitque adduci ad se psaltem, quo psallente, afflatus illico prophetiæ spiritu, prædixit quod futurum erat, sicut legitur 4. Reg. cap. 3. Vel per multam & feruentem deprecationem atque orationem, adiunctis etiam ieiuniis atque aliis corporis afflictationibus, sicut legitur de Hieremia in libro eius cap. 42. & de Daniele in eiusdem libri cap. 9. & 10. Nec solùm consulebantur viri, sed etiam fœminæ, diuinum & ipsæ habentes prophetiæ spiritum, vti fuit Debbora, de qua scriptum est Iudic. 5. & Holda, vt habes 4 Reg. 23.

Varia Prophetarum affectio animi erga ea de quibus cõsulebantur.

Debbora & Holda fœminæ vates.

23 Alter consulendi Dei modus erat in vsu per somnia, de quo legitur 1. Reg. 28. Deum à Saule consultum, nec per Prophetas, nec per somnia, nec per Sacerdotes ei respondisse: respondebat autem Deus, vel per propria consulentium somnia, vel per aliorum. Verùm vt iste modus ritè fieret, tria seruanda erant: primò, vt is modus non adhiberetur nisi cùm alia ratio consulendi Deum, verbi gratia, per Prophetas aut Sacerdotes, vel non aderat, vel non illis succedebat. Deinde, vt id non fieret nisi in rebus grauissimis, & vehementer vrgentibus, & humano consilio ac prouidentia inexplicabilibus. Ad hæc, præmitti oportebat ieiunia, & preces ab omni superstitione vacuas. Ad hanc sententiam pertinet, quod scribit Auctor Traditionum Hebraicarum in libros Regum, qui nomẽ fert S. Hieronymi. Nam super caput 28. primi libri Regum ita scribit: Respondebat Dominus per somnia, sicut Hebræi asserunt, eo quòd orando & ieiunando poscebant oraculum sibi fieri diuinum: & Deus illis per somnia reuelabat ea quæ futura erant.

Secundus modus consulẽdi Deum per sõnia.

24 Tertius modus consulendi Deum fiebat per sortes: quo modo vsus est Samuel in electione regis Saulis, vt habes 1. Reg. 10. & ipse Saul, vt reperiret quis contra præceptum suũ mãducasset ante vesperam, vt legitur 1. Reg. ca. 14. & item Iosue, vt deprehenderet eum qui peccauerat in anathemate, vt proditum est in libro Iosue cap. 7. Sedenim hic modus, erat

Tertius modus consulẽdi per sortes. 1. Reg. 10. 1. Reg. 14.

erat ratus, nec in vsu circa criminalia & capitalia, nisi ex certo Dei instinctu vel etiam expresso mandato.

Quartus modus consulendi per Sacerdotes, siue per Ephod.

Quartus modus multo nobilissimus & celeberrimus, ac priscis illis tē- 24
poribus post latam Mosis legem, atque institutum Sacerdotium, & Pontificatum Aaronicum, satis frequentatus, fiebat per Sacerdotes, & vt scriptura loquitur, per applicationem Ephod. Erat autem Ephod, vestis pontificia, quam Latinè dixeris Superhumerale, habēs lapides pretiosos, qua tegebat humeros Pontificis, & in pectore habens Rationale iudicij, pannum scilicet quendam duplicatum vnius palmi, & omnino quadratum, in quo erant duodecim lapides pretiosi, trino dispositi ordine, singulíque habentes nomina singulorum duodecim Patriarcharum. Huius vestis & materiam & formā habes descriptam Exodi 28. Applicare autem Ephod dicebatur Sacerdos, cum ipse se induebat ea veste, vt ea ornatus, idoneus & dignus efficeretur diuina oracula & responsa accipere. Dicebatur item Sacerdos applicare Ephod ad aliquem, cum indutus Ephod, accedebat ad eum qui consulendi causa ipsum adibat. Habes duo eius rei in 1. Regū clarissima exemplum. Etenim cap. 23. sic legitur: *Eo tempore quo fugiebat Abiathar ad Dauid in Ceilam, descendit, Ephod secum habens: & dixit Dauid ad Abiathar sacerdotem: Applica Ephod: & ait Dauid; Domine Deus, audiuit seruus tuus quòd disponat Saul venire in Ceilam vt euertat vrbem propter me: indica Domine Deus seruo tuo, si tradent me viri Ceila in manus eius. Et ait Dominus; tradent, &c.* Et in cap. 30. eiusdem libri: *Et ait Dauid ad Abiathar sacerdotem: Applica ad me Ephod. Et applicauit Abiathar Ephod ad Dauid, & consuluit Dauid Dominum, dicēs, Persequar latrunculos hos, & comprehendam eos an non? Dixítque ei Dominus, Persequere; absque dubio enim comprehendes eos; & excuties prædam.*

Ephod pontificale.

Locus 1. Reg. c. 23. & 30

Quomodo Deus per Ephod daret responsa.

Hebræorum opinio.

Thostatus.

Sed qua ratione Deus, per istum modum dabat responsa? Opinio est 25
Hebræorum, quæstionem, super qua consulebatur Deus, scriptam inseri consueuisse plicaturis & commissuris Rationalis atque Ephod: postea verò educi cum responso diuino, ibidem scripto. Lege quæ super ea re disputat Thostatus in 28. ca. 1. libri Regum, & item in 21. & 30. cap. eiusdē libri. Sed probabilius est, duplici modo id fieri consueuisse: vno modo, vt Pontifex sacra illa veste ornatus, cùm consulebatur, diuino afflaretur spiritu prophetiæ, reuelatis sibi quæ consulentibus responderē debebat. Atque hoc fieri volebat Deus ad commendandam illius sacerdotij & pōtificatus dignitatem; quo scilicet ei maior apud omnes fides, honor, & veneratio haberetur. Altero modo fiebat per nouum quendam atque insolitum splendorem emanantem ex pretiosis lapidibus, quos gerebat Pontifex partim in humeris, partim in pectore: quo fulgore, faustus susceptī, vel suscipiendi negocij exitus & successus portendebatur. De hoc modo nihil proditum est in sacris litteris; sed Iosephi rerum Iudaicarum peritissimi, & grauissimi scriptoris auctoritatem & sententiam sequimur, de istiusmodi miraculo in tertio libro Iudaicarum antiquitatum ad hūc modum scribentis: Ex lapillis quos Pontifex in humeris gestabat (erant autem sardonyches) micabat alter, quoties litatum esset, is qui dextrum humerum

Ioseph. de mirabili &

merum occupabat: tantúmq. fulgorem emittebat, vt procul etiã intuentibus conſpiceretur: idque præter naturam ſuam & conſuetudinem. Sed mirabilius eſt quod nunc dicturus ſum. Per duodecim gemmas, quas in pectore Pontifex inſutas Eſſeni (id eſt Rationali) geſtas; in bello victoriam prænuntiare Deus ſolebat. Nam priuſquam exercitus ſe moueret, tantus fulgor ex eis emicabat, vt toti populo facilè innoteſceret, adeſſe Deum, opémque & auxilium ſuum inuocantibus eſſe laturum. Quapropter Græci, quotquot à noſtra religione non abhorrent, cum hoc miraculum pro compertiſſimo habeant, eſſena vocant λόγιον, hoc eſt, oraculum. Deſiit tam Eſſen, quàm Sardonyx fulgorem emittere, annis ducentis antequam hæc commentaremur, irato Deo propter legum ſuarum præuaricationem. Hæc Ioſephus.

quaſi fatidico fulgore lapidum qui erãt in Rationali.

26 Sed in iſtis Ioſephi verbis duas res lectori conſiderandas eſſe cenſeo. Primùm apertè indicat Ioſephus modum illum monſtrandi futura per fulgorem lapidum qui erant in Rationali, non fuiſſe generalem, nec pertinuiſſe ad prædictionem quarumlibet rerum futurarum; ſed in rebus tantùm bellicis locum & vim habuiſſe, valuiſſéq. ſolùm ad portendendum belli exitum atque ſucceſſum. Quocirca modus hic rarior erat ſuperioribus, minúſq. celebris. Deinde ait Ioſephus, miraculum illud fulgoris lapidum ceſſaſſe ducentis annis ante id tempus, in quo ſcribebat ipſe libros Antiquitatum Iudaicarum. Hos porrò ducentos annos ſi præciſè accipiamus; neceſſe erit dicere, ceſſaſſe miraculum illud in principatu Ionathæ, qui poſt fratrem ſuum Iudam Machabæum, princeps & Pontifex fuit apud Iudæos. Etenim Ioſephus libros Antiquitatum ſcripſit decimo tertio anno principatus Domitiani, vt in extremis verbis vigeſimi voluminis, totiuſq. operis ipſemet teſtatur: competit autem decimus tertius annus Domitiani in olympiadem ducenteſimam decimam octauam. Hinc porrò, ſi ad ſuperiora, retróq. lapſa tempora recurrens, percenſeas ducentos annos, comperies ducenteſimum annum cadere in olympiadem centeſimam ſexageſimam octauam, in quo ſcilicet tempore Ionathas principatum, ſimúlque Pontificatum geſſit. At enim, deſitum eſſe miraculum illud, aliquando ante Principatum Iudæ qui præceſſit Ionatham, videtur non temerè poſſe quiſpiam exiſtimare ex his quæ de Iuda ſcripta ſunt in prioris libri Machabæorum, cap. quarto. Eſt autem ſic ibi ſcriptum: *Et cogitauit de altari holocauſtorum, quid de eo faceret. Et incidit illis conſilium bonum, vt deſtruerent illud, ne fortè illis eſſet in opprobrium, quia contaminauerunt illud Gentes: & demoliti ſunt illud: Et repoſuerunt lapides in monte domus, in loco apto, quoadúſque veniret Prophetа, & reſponderet de eis.* Ex iſtis verbis liquet, iam tunc deſijſſe modum illum conſulendi per Prophetas, cum nullus id temporis in populo Iudaico propheta eſſet. Ceſſauerat item modus conſulẽdi per Sacerdotes, ſiue per applicationem Ephod, ſiue per nouum fulgorem lapidum, qui erant in Rationali. Si enim iſti modi conſulendi Deum tũc viguiſſent, proculdubio eis vſus eſſet Iudas, vt quid fieri oporteret ſuper altari holocauſtorum à Gentibus polluto & profanato, Dei ſententiam explorare ac nocte poſſet.

Expenditur ſententia Ioſephi circa ceſſationem illius miraculi.

Supradictos conſulẽdi Dei modos deſiſſe ante Machabæorum principatum.

Locus 1. Machabæorum, cap. 4.

Cur lapides pretiosi qui erant in Rationali, dicti sint Vrim & Thummim.

Sed reuertamur ad Ephod. Quoniam igitur per Rationale iudicij, in 27
quo erant duodecim illi lapides pretiosi & sacri, Deus responsa dabat de futuris & de his quæ agenda erant, ideo lapides illos Deus appellauit duobus vocabulis Hebræis, Vrim, & Thummim, quæ virtutem illam Rationalis, reddendi responsa diuina significant. Vrim namque Latinè significat lumina siue illuminationes, quòd sacerdos diuinitus illuminaretur ad præuidendum & prædicendum futura. Quamobrem Septuaginta appellarunt δήλωσιν, id est, manifestationem. Hieronymus autem vertit, Doctrinam, quòd Sacerdos illuminatus à Deo doceret populum de ijs quæ consulebatur. At verò Thummim, significat perfectiones; quòd ea quæ respondebat Sacerdos, perfecta erant, id est, verissima, sine vllo veritatis defectu, & absque vlla admixtione mendacij: quocirca Septuaginta verterunt, ἀλήθειαν & Hieronymus eos secutus reddidit veritatem. De his lege caput XXVIII. Exodi. Cum igitur Deus iubet in Rationali poni Vrim, & Thummim, intelligat Lector significari, debere poni in Rationali duodecim illos lapides pretiosos, qui diuinam hanc virtutem haberent præmonstrandi futura, & prædocēdi quæ agenda erant. Ob eandem quoque causam Græci Rationale appellarunt λόγιον, quasi dicas fatidicum, reddénsque oracula. Latinè verò dictū est Rationale, vel ad expressionem vocis Græcæ; vel quòd cum per illud ederentur Diuina responsa, non videretur res quædam esse irrationalis, sed ratione atque intelligentia pollens. Dicebatur porrò Rationale iudicij, quòd per id docebantur homines quid faciendum esset: in Scriptura enim vocabulum iudicij, eandem sæpe vim & notionem habet atque vocabulum officij apud scriptores Latinos: significat enim id quod quisque facere debet.

Cur appellatū sit Rationale; & cur græcè λόγιον.

VERS. 23. Qui responsens ait: Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populúsque populum superabit, & maior seruiet minori.

OBSERVET Lector phrasim & modum loquendi scripturæ; dixit enim duas gentes esse in vtero Rebeccæ, significare volens duos filios, qui postea futuri erant capita & principia duarum gentium; gentem dico Hebræorum atque Idumæorum. Contrà verò fit, cum nomina auctorum ac principum alicuius gentis ponuntur pro ea gente, vt nomen Iacob & Israël pro eius posteris, & pro vniuerso populo Hebræo: & infra Genes. cap. 27. benedicti quam Isaac dedit Iacob, sub nomine eius pertinet ad populum ex ipso propagandum. Ergo ponendi auctorem gentis pro ipsa gente, & contrà, gentem pro auctore ac parente ipsius, haud infrequens est in Scriptura vsus. Sic igitur verba ista interpretemur: *Duæ gentes sunt in vtero tuo:* id est, virtute ac potestate continentur in duobus filijs quos vtero geris. *Et duo populi ex vtero tuo diuidentur.* Id est, ex vtero tuo prodibunt duo filij, 28

sato

ſatores duorum populorum, qui diuiſi erunt ſedibus, moribus, legibus, religione; eruntque ſtudijs atque animis inuicē contrarijs; tales fuiſſe Idumæos & Hebræos, conſtat ex multis Scripturæ locis. Iam verò quod adiunctum eſt: *Et populus populum ſuperabit*, completum eſt in poſteris Eſau tempore Dauidis: is enim ſubiugauit Idumæos; ſibique ſeruire coegit: in qua illi ſeruitute aliquot ſęculis permanſerunt. Atque hoc proditum eſt libro 2. Regum, cap. 8. *Poſuit Dauid* (ait ſcriptura) *in Idumæa cuſtodes, ſtatuitque præſidiū, & facta eſt vniuerſa Idumæa ſeruiens Dauid.* Sequitur: *Maior ſeruiet minori.* Idumæus populus vocatur maior populo Hebræo, quòd progenitus eſſet ex Eſau fratre maiore natu quàm Iacob. Deinde, quòd multis ſeculis ante Hebræos, propriam Idumæi regionem poſſederant in monte Seir; quódq. multò ante proprium ipſi regimen habuerint, primò quidem Ducum, tum Regum. Ad hæc, quòd ab initio gens Idumæorum multò fuerit numeroſior quàm Hebræorum; id enim ſignificaſſe videtur Moyſes Deuteronomij cap. 7.

29 Hebræi quod de poſteris Eſau dicitur, id referunt ipſi ad Romanos; quos nugantur, originem & genus duxiſſe ex gente Idumæorum: dicunt enim Iulium Cæſarem, & qui poſt illum Romano præfuēre imperio, ex gente Idumæorum extitiſſe. Hanc fabulam tradunt Dauid Chimhi in Abdiam prophetam, & in 34. cap. Iſaiæ, & Rabbi Salomon in Abdiam, & in cap. 4. Threnorum, denique multis in locis Talmud ſcriptum legitur. Sed longè vetuſtius fuiſſe id figmētum Hebræorum, declarat S. Hieronymus compluribus locis id commemorans ac deridens; præſertim verò in cap. 3. Ioēlis, ſuper illis verbis: *Aegyptus in deſolationem erit, & Idumæa in deſertum perditionis*: quo in loco ſcribit Hieronymus Hebræos vaniſſima ſpe deluſos tradere; quemadmodum Pharao, qui per quadringentos & triginta annos Hebræos captiuos afflixerat, & ipſe & omni eius exercitus in Mari rubro ſubmerſus eſt: Sic fore vt Romani, qui eodem annorum ſpatio Iudæos ſibi ſubiectos oppreſſuri ſunt, denique vltione Dei deleantur. Idem quoque diſertis verbis ſuper ea re diſputat in primum caput Abdiæ. Ergo quod hîc de Hebræis aduerſus Idumæos dictum eſt, *Populus populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori*; ipſi de ſua gente interpretantur aduerſus Romanos. Hoc Hebræorum commentum, ſiue delirium, confutat Paulus Burgenſis in Additione ad primum cap. Abdiæ, & ad trigeſimum quartum Iſaiæ, & ad 7. cap. Danielis; & item Galatinus lib. 4. de Arcanis Catholicæ veritatis cap. 28. Ecquod autem magis ridiculum eſſe poteſt mendacium, quàm dicere Iulium Cæſarem, ceteróſq. deinceps Imperatores Romanorum genere fuiſſe Idumæos? Verùm, eſto. Sed ſi propterea Romani cenſeri debent nomine Idumęorum, quorum exitium & Abdias, aliique complures prophetæ vaticinati ſunt, quia Iulius Cæſar Imperator Romanorum genus duxerit ex Idumæis; hinc neceſſariò efficitur ipſos Hebræos eſſe Idumæos; quippe qui regem habuerint Herodem, quem fuiſſe Idumæum negari non poteſt. ſed nugas & fabulas Hebræorum miſſas faciamus.

Hebræorū fabula, quoties prophetæ vaticinantur cōtra Idumæos, nomine Idumæorum denotari Romanos.

Dauid Chimhi.

Rab. Salomō.

S. Hieronymus.

Exo. 14.

Paulus Burgenſis.

Galatinus.

Præter historicum huius loci sensum, ingens latet velut sub cortice 30
historiæ, medullæ mysterium: & quod de Isaac & Ismahele dixit Paulus ad Gal. 4. affirmans, quæ de illis in libro Geneseos scripserat Moses, fuisse dicta per allegoriam; idem profectò de Iacob & Esau in præsentia dici potest: nam quæ de Iacob & Esau in hoc loco tradita sunt, ea secundùm allegoriam spectant ad populum Iudaicum & Christianum. Atque hic sensus, licet mysticus sit, videtur tamen principaliter à Spiritu sancto intentus. Audiat Lector sanctum Augustinum in lib. 16. de Ciuit. Dei, cap. 25. Quod autem dictum est (inquit Augustinus) *Maior seruiet minori*, nemo ferè nostrum aliter intellexit, quàm maiorem populum Iudæorum minori populo Christiano seruiturum. Et reuera quamuis hoc videri possit impletum in Idumæorum gente, quæ nata est ex maiori fratre Esau, cui & nomen fuit Edom, quia postea superanda erat à populo Hebræorum ex Iacob orto, eiq. futura erat subiecta: attamen in aliquid maius intentam fuisse istam prophetiam, qua dictum est, *Populus populum superabit, & maior seruiet minori*, conuenientius creditur. Et quid est hoc, nisi quod in Iudæis & Christianis euidenter impletur? Sic Augustinus. Hanc porro Allegoriam articulatè ac distinctè declarat idem Augustinus in sermonibus de Tempore, Serm. 78. ad hunc modum scribens: Quod dictum est: *Populus populum superabit, & maior seruiet minori*. Secundum literam in Esau & Iacob non videmus impletum: non enim corporaliter beato Iacob seruisse Esau commemorat Scriptura. Et quia nisi id fieri deberet, non commemorasset Scriptura, oportere id spiritualiter intelligere. Ergo id factum & impletum agnoscimus in Christianis, & Iudæis. Maior enim & senior populus Iudæorum minori & iuniori, id est, populo Christiano seruire probatur, dum per totum mundum libros diuinæ legis ad instructionem omnium gentium portare cognoscitur. Ideo enim per omnem terram Iudæi dispersi sunt, vt cum aliquem Paganum ad fidem Christi volumus inuitare, Christum Dominum ab omnibus Prophetis prænuntiatum esse testantes, & ille resistens dixerit, à nobis potius quàm à Spiritu sancto libros diuinæ legis, & propheticos esse conscriptos; nos habemus vnde eum redarguere certa ratione possimus, dicentes: Si de meis libris tibi dubitatio nascitur, ecce Iudæorum libros, vtique inimicorum nostrorum, quos certum est, si ego conscribere vellem, mutare non potui; ipsos relege, & cum in ipsis hoc ipsum quod in meis libris inueneneris, noli esse incredulus, sed fidelis. Hoc igitur ordine maior populus minori seruire cogitur, dum etiam per illorum libros, ad credendum in Christum Gentium populus inuitatur. Hæc ibi Augustinus qui super ea ipsa re, luculenta oratione disputat in Psalmos, exponens verba illa psalmi 58. *Deus ostendit mihi super inimicos meos: ne occidas eos, ne quando obliuiscantur populi mei: disperge illos in virtute tua, &c.*

Allegoria huius historiæ pertinens ad populũ Iudaicum & Christianum.

S. Augustinus

Cur Deus per totum orbem dispergi voluerit Iudæos.

Non est absimile quod super eadem re tradit Rupertus cap. 4. lib. 7. 31
hisce verbis: Populus qui de Gentibus venit, Iudaico populo secundùm vocationis ordinem rectè minor dicitur; quippe hospes testamentorum erat, & promissionis, & sine Deo in hoc mundo. Nam ille maior est, cuius

Rupertus.

(vt Apostolus ait ad Rom.9.adoptio erat filiorum, & gloria, & legislatio,& obsequium,& testamentum,& promissa, cuius Patres, ex quibus Christus secundùm carnem,qui est super omnia Deus benedictus.Quomodo autem minor maiorem superauerit, & maior seruierit minori,iuxta historiam notum est, quia percussit Dauid Edom (vt scriptum est libro 2. Regum cap.8.) & tributarium fecit.Iuxta spiritualem verò sensum pulchrè Apostolus ad Rom. 11.id docet per similitudinem oliuæ & oleastri.*Fracti sunt,inquit,naturales rami,& tu cùm esses oleaster,contra naturam insertus es in illis,& socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es. Propter incredulitatem fracti sunt illi,tu autem fide stas.*Ergo maiorem incredulitate fractum,minor in fide stans superauit: & maior seruit minori,dum oleastro, naturalis oliuæ ramus in societatem cedit radicis oliuæ & pinguedinis.Sic Rupertus.Sedenim non modò iuxta istũ sensum mysticũ,& secũdùm potentiam & gloriã spiritualẽ; sed etiam temporali potentia & & dominatione, Christianus populus Iudaicum superauit, & maior ille seruit minori: quia Christiani principes in plerisque regionibus Iudæos seruitutem etiam corporalem & ciuilem seruire sibi cogunt: immò inferioris sunt conditionis,vilioréque quàm fuere Idumæi subiecti Iudæis; nam illi etiam tunc proprios habuere Principes, propriámque regionem possederunt, quod Iudæis post excidium illud Titi & Adriani, ad hæc tempora,numquam datum est.

33 Alteram ex hac ipsa historia allegoriam excudit Augustinus,quæ pertinet ad ostendendum diuersam conditionem bonorum virorum atque improborum,qui sunt in populo Christiano. Qui cum ex eodem Christi semine,id est,per verbum eius,& in vtero Ecclesiæ sint concepti & generati,multum tamen inter se studijs atque moribus discrepant:& mali quidem,quorum maior est populus,hostiliter bonos insectantur atque infestant: verùm denique boni præualent, quia quicquid aduersus eos moliuntur improbi,ad maiorem eorum virtutem & gloriam proficit.Ponam hîc Augustini verba ex eodem illo sermone, quem dixi, 78. Ex vno,inquit,semine Isaac,& Esau nascitur,& Iacob: Sic de vno Baptismo Christi & Ecclesiæ vtero procreatur populus Christianus:qui tamen pro morũ diuersitate, sicut Esau & Iacob in duas partes diuiditur; cum ex fructibus operũ vnapars cognoscatur esse carnalis, altera spiritualis.Et quẽadmodum illi duo paruuli in vtero Rebeccæ,sic & isti populi, in ventre Ecclesiæ,vsque in diem Iudicij colliduntur,dum improbi perpetuò insectantur bonos, & quantum possunt,lædere conantur.Et populus quidem improborum, rectè dici potest maior, quia semper maior est numerus malorum,& (vt Scriptura inquit) stultorum infinitus est numerus. Sed quomodo mali seruiunt bonis,cum dominari potius eis videantur?ad eũdem nempe modum,quo limæ & mallei seruiunt auro,& molæ seruiunt tritico,& panibus coquendis & conficiendis furnalia.Et quemadmodum in fornace aurificis,palea seruit auro,vbi sine dubio palea consumitur,& aurum probatur.Non ergo glorientur nec se extollant mali, quando bonis aliquas tribulationes immiserint: quia cum illos persequuntur in

Altera Allegoria eiusdem historiæ.

S. August.

Eccl.1.

corpore, seipsos occidere probantur in mente, & quibus nocere volunt, prosunt plurimum, sibi autem ipsi maximè nocent. Hactenus ex Augustino.

Quod autem dixit Augustinus, populum malorum appellari maiorem, propter ampliorem eorum numerum quàm bonorum, non modò verum esse constat, sed causam etiam eius rei probabilissimam exposuit Gregorius Nazianzenus, in Apologia, ad hanc fermè sententiam scribēs: Desiderabile quid & promptum est malitia; & nihil adeo facile & procliue existit, vt facere malum, etiam si nemo sit qui nos id facere doceat vel cogat. Contra verò res admodum rara & molesta est boni acquisitio, etiam si permulta sint quæ nos ad illam prouocent & trahant. Bonum humanæ naturæ difficile acquisitu est, similiter vt ignem inhærere humidiori materiæ. Plurimi ad communicationem mali parati & apti sunt, velut calamus quidam, qui scintilla & vento correptus, facile, propter ariditatem accenditur & consumitur. Etenim citiùs quis modicam malitiam vbertim in se recipit, quàm copiosam virtutem paulatim. Nam & modicum absinthij, amaritudinē suā multo etiam melli celerrimè indit; mel verò dulcedinem suam absinthio non ita facile ingerit, etiamsi duplo maius adhibeatur: & modicus calculus subtractus, totum fluuium in decliuia distrahit: è contrario verò, vix illum, robustissimum munimentum coercet, vel ne exorbitet impedit. Sic Nazianzenus. 33

Nazianzenus.

Origenis. Tropologia.

Non est profectò etiam hoc loco non attingenda tropologica interpretatio, quam ex hac historia deductam Origenes hisce verbis tradidit in homil. 12. in Genesim: Ego puto quòd etiam de singulis nobis hoc dici possit, duas gentes & duos populos esse in nobis. Nam & virtutum populus & vitiorum intra nos est. De corde enim nostro prodeunt cogitationes malæ, adulteria, furta, homicidia, hæreses & his similia: vides quantus malorum populus intra nos est? Si verò mereamur illam vocem dicere Sanctorum: *A timore tuo Domine concepimus & peperimus, & spiritum salutis tuæ fecimus super terram.* tunc & alter intra nos populus inuenietur per Spiritum Dei generatus; quem designauit Apostolus dicens: *Fructus Spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas, patientia, bonitas, mansuetudo, continentia, castitas, & his similia.* Vides & hunc alterum populum, qui intra nos est? Sed hic minor est, ille verò maior: semper enim plures sunt mali quam boni, & vitia numerosiora virtutibus. Verùm si tales nos simus, quales Rebecca (cuius nomen Latinè interpretatum significat patientiam) & mereamur de Isaac (id est de Verbo Dei habere conceptum) etiam in nobis populus populum superabit, & maior seruiet minori: seruiet enim caro spiritui, & vitia cedent virtutibus. Ad hunc modum Origenes. 34

Matt. 15. *Isa. 25.* *Ad Gal. 5.*

Restat vna quædam hoc loco dubitatio: Cur solus Isaac dicatur supplicasse Deo pro sterilitate vxoris, eiúsque precum merito tribuatur, quod Rebecca conceperit; cum etiam Rebeccam pro eadem re orasse Deum, & ratio ipsa suadeat, & facile intelligi possit ex ipso textu Hebræo. 35

Nam

Nam pro eo quod Latinè legitur, *Deprecatus est pro vxore sua*, Hebræa ad verbum hanc reddunt sententiam : *Multiplicauit (scilicet preces) è regione vxoris suæ, vel coram vxore sua.* quo significatur, simul eos orasse Dominum. At verò sola dicitur Rebecca pro collisione illa portent osa filiorum in vtero suo, consultum iuisse Deum, atque ei solùm à Deo datum esse responsum; cum etiam pro ea re Isaac supplicasse Deo, non sit dubitandum. Respondendum est, ea re non obscurè significatum esse, diuersa sanctorum esse merita, diuersaque Dei erga eos munera & priuilegia. Præterea, illud de sterilitate Rebeccæ, magis pertinebat ad Isaac, propter diuinam promissionem posteritatis ipsius, quam ille potissimùm ex Rebecca habere cupiebat. Hoc autem, magis attingebat Rebeccam, vt quæ ob illam prodigiosam filiorum in vtero concertationem, in maximum salutis & vitæ discrimen adducebatur. Adde quod voluit Deus super ea re potius à Rebecca, quàm ab Isaac consuli; vt illa diuino edocta responso intelligeret, ius primogenituræ diuina voluntate translatum esse ab Esau ad Iacob; vt postea fidenter ipsa Iacob impelleret ad præripiendam benedictionem Isaac contra eius voluntatem & opinionem. Verùm quia S. Paulus hoc exemplo Iacob & Esau, quasi fundamento vsus est altissimæ illius de Prædestinatione ac Reprobatione hominum disputationis; conueniens esse visum nobis est, vt locum illum B. Pauli, per aliquot breues disputationes, subtiliter ac diligenter explicemus.

QVARTA DISPVTATIO.

De germano sensu & intellectu verborum S. Pauli, quibus in Epistola ad Romanos capite nono locum hunc Geneseos de Iacob & Esau tractat.

36 PRonam verba B. Pauli, & ea, quatenus proposito nostro cõducit, exponam. Verba Pauli, quæ ad præsentem disputationem spectant, hæc sunt: *Non solùm autem illa: sed & Rebecca, ex vno concubitu habens, Isaac patris nostri. Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, vt secundùm electionem propositum Dei maneret; non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia maior seruiet minori: sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Quidnam præcipuè eo loco docere voluerit Paulus, fusè declarat S. Hieronymus in Epistola 150. quam scripsit ad Heldibiam, in Responsione ad Quæstionem 10. & item B. Augustinus lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. & in Enchiridio c. 93. Nos breuissimè dicamus, voluisse Paulum eo loco insignem quendam errorem Iudæorum sui tẽporis, corrigere, atque eorum deprimere arrogantiam. Arbitrabantur illi, se, quòd essent

Locus Pauli ad Ro. 9. fusè tractatur.

Malac. 1.

S. Hieroni. B. August. Consilium & propositum S. Pauli.

essent filij Abrahæ secundùm carnem, diuinarum promissionum, quæ datæ sunt Abrahæ, præsertim verò eius quæ ad Messiã pertinebat, solos esse debere participes: Gentes verò, tum quòd ad semen Abrahæ non pertinerent, tum propter Idololatriam, aliáque grauissima eorũ scelera, participatione doctrinæ & gratiæ euangelicæ excludi debere. Paulus igitur eiuscemodi volens redarguere errorem, probat Diuinas promissiones datas Abrahæ, non pertinere ad filios eius secundũ carnẽ tantũ, sed ad filios eius secundũ repromissionẽ, i. secundùm electionẽ diuinã. Id verò confirmat duobus exẽplis, altero Isaac & Ismahelis, altero Iacob & Esau. Tã Isaac quã Ismahel, filij erant Abrahæ; immò aliquot annis prior natu erat Ismahel; at solus Isaac, eiúsq; posteritas particeps fuit promissionũ Dei testãte Deo Ge. 21. *In Isaac vocabitur tibi semen*, id est, sola progenies Isaac, cẽsebitur posteritas tua, cui soli prẽstabo quæ tibi promisi. Idẽ ipsum euidentiùs cernitur in Iacob & Esau: nam cum essent ijsdem parentibus orti, eodem conceptu generati, eodémque partu editi, quinetiam maior natu esset Esau; dictum tamen à Deo est: *Maior seruiet minori*. Non igitur ad participandas Diuinas promissiones satis est, semen Abrahę secundùm carnem, sed oportet semen esse secundùm electionem Dei: quæ non contingit homini propter eius merita; vt videre est in Iacob, qui ante ortum, cum nihil meruisset, electus tamen est ipse, posthabito & reiecto fratre suo Esau. Non igitur obstat veritati promissionum Dei, quòd illis priuati sint pleríque de semine Abrahæ secundùm carnem; quoniam eas præstitit Deus semini Abrahæ secundùm promissionem, quod præ illo, est propemodum innumerabile. Post hæc Paulus disputationem suam ab hypothesi, id est, populo Iudaico & Gentili, & à filiis Abrahæ, & Isaac, transfert ad thesim, in vniuersum disputans, electionem ac prædestinationem bonorum, malorúmque reiectionem, non ex meritis bonis, aut malis, sed ex gratuita Dei voluntate prouenire. Atque hæc est illius Paulinæ disputationis sententia. Verùm nos per partes verba illa Pauli perpẽdentes, germanam eorum sententiam enucleemus.

Non solùm autem illa. Id est, Non solùm Sara, cuius filius fuit Isaac, cõ- 37
firmat id quod diximus de distinctione seminis Abrahę secundùm carnẽ, atque secundũm promissionem & electionem: verùm etiam Rebecca euidentiùs idem confirmat, exemplo duorum suorum filiorum Iacob & Esau. Nimirum animaduertit Paulus, exemplo quod adduxerat Isaac & Ismahelis, potuisse Hebræos opponere, idcirco Isaac fuisse electũ à Deo, reiectum verò Ismahelem, quòd ille natus esset ex matre libera, & patre iam circumciso; hic autem ex ancilla, & incircumciso patre: atque eos duos filios Abrahæ diuersis temporibus esse generatos, vt non temere posset existimari, maioris fuisse virtutis, & meriti, & gratiæ apud Deum Abraham, cum genuit Isaac, quàm cum procreauit Ismahelem. Quocirca Paulus, vt isti occurreret obiectioni, subdidit exẽplum Rebeccæ, & filiorum eius, in quos nihil tale dici poterat; cum eisdem parentibus, eodémque tempore generati essent: *Et vno concubitu habens Isaac patris nostri.* Longè diuersa huius loci lectio est in libris Græcis qui nunc extant:

quamobrem

quamobrem Valla, Faber, Eraſmus, aliíque Latinæ tranſlationis vulgatæ obtrectatores, in hoc loco vehementer oppugnant Latinum interpretem, cúmque manifeſtæ falſitatis conuinci & teneri affirmant. Sed pro veritate Latinæ tranſlationis acriter contra iſtos propugnat pius admodum & doctus vir Titelmanus in collationibus quas ſcripſit ſuper Epiſtolam Pauli ad Romanos, probans auctoritate multorum patrum, Græcorum iuxta & Latinorum, ſic eos varijs in locis hunc Pauli locum legiſſe, ac citaſſe, vt vertit eum Latinus interpres: ex quo certum licet facere iudicium, codices Græcos qui eo tempore fuere, ab ijs qui nunc extant, fuiſſe in lectione huius loci diuerſos. Verùm huius diſputationis arbitrium & iudicium, non eſt à nobis, qui hæc in præſens obiter tractamus, Lectori expectandum. Sed vnde compertum fuit B. Paulo (nam & hoc fortaſſe Lector ſcire cuperet) vno atque eodem concubitu ſatos eſſe Iacob & Eſau? Videlicet ex ipſa narratione ſcripturæ, tradentis in hoc loco, natos eodem tempore fuiſſe Iacob & Eſau. Si autem idem tempus fuit ortus vtriuſque, idem quoque tempus fuiſſe ſatus & conceptus eorum exiſtimare conuenit; præſertim verò cum id non obſcurè ſignificet Scriptura, dicēs in hoc loco Geneſis, exaudiſſe Deum preces Iſaac, & dediſſe conceptum Rebeccæ. *Sed collidebantur, inquit, paruuli in vtero eius*, ſignificās paruulos generatos vno eo conceptu, quem Deus Rebeccæ dederat. Apparet igitur Iacob & Eſau eodem patris ſatu, eodémque matris conceptu eſſe genitos. *Titelmanus.*

38 Subdit Apoſtolus, *Cum nondum nati eſſent*. His verbis confutatur error Manichæorum, diuerſitatem eorum, quę cuique hominum tota vita contingunt, natiuitati eorum adſcribentium: vt cuiuſque hominis vita & mors diſponatur ſecūdùm conſtellationem, ſub qua quiſque natus eſt. Aduerſus quem errorem valet illa Hieremiæ cap. 10. ſententia: *A ſignis cæli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ ſunt.* Et quod ſcriptum eſt Deuteron. 4. Solem & Lunam, aliáque ſidera non eſſe ab homine adoranda, quòd ea creata ſint à Deo in miniſterium & ſeruitium cunctarum gentium. Seruiunt igitur homini, non dominātur aſtra. Hunc ipſum errorem denuo ſuſcitatum à Priſcilliano, damnatum reperimus in Concilio Bracharenſi. Sequitur: *Aut aliquid boni egiſſent aut mali.* Duo hiſce verbis errores refelluntur: vnus quidem Pelagianorum, aientium homines eligi à Deo propter eorum antecedentia merita. At enim Paulus clamat ſcribēs ad Titum 3. *Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit.* Et apud Ioannem in Euāgelio Saluator noſter dixit: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Nec verò dici poteſt, Iacob fuiſſe electum à Deo potius quàm Eſau propter bona eius opera, non quidem ante electionem facta, ſed poſt facienda: quæ tamen à Deo (quem nihil latet futurorum) præuiſa, cauſa fuerint electionis Iacob. Hoc inquam dici non poteſt: id enim Paulinam huius loci rationem & argumentationem plānè inualidam redderet. Paulus enim omnimodè excludit opera Iacob tam præterita quàm futura; & totam electionis eius cauſam ad ſolam refert diuinam voluntatem, dicens: *Cùm*

Manichæorū & Priſcilliani error.

Concilium Bracharenſe.

Ioan. 15.

Iacob non ob præuiſa bona eius merita futura electū eſſe à Deo.

nondum aliquid boni egissent aut mali: Vt secũdùm electionem propositum Dei maneret. Id est, vt propositum quo Deus decreuerat honorare Iacob præ Esau, firmum, & immobile esset, non quidem propter opera eius, *sed secundùm electionem.* Id est, spontaneam eius voluntatem. *Ex vocante*, id est gratia vocantis, de qua vocatione suprà dixerat: *Quos prædestinauit, hos & vocauit.* Palàm igitur est, Paulum penitus excludere opera qualiacumque illa sint, & solam Dei gratuitam voluntatem, ac gratiam, agnoscere causam electionis, ac prædestinationis. Quòd autem non ex futuris bonis operibus à Deo præuisis electus fuerit Iacob, aut etiam Sancti eligantur, & prædestinentur, clarissimè docet Paulus ad Ephes. 1. dicens: *Elegit nos ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in caritate, qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, secundùm propositum voluntatis suæ. In quo etiam nos sorte vocati sumus, prædestinati secundùm propositum eius, qui operatur omnia secundùm propositum voluntatis suæ, vt simus in laudem gloriæ eius.* Ex his verbis liquidò perspicitur, prædestinatos esse homines à Deo, non quia futuri erant Sancti, sed vt essent Sancti, & causam electionis, ac prædestinationis Sanctorum, Paulum non aliam agnoscere, aut prædicare nisi propositum, consilium, beneplacitum, & gratuitam Dei voluntatem. Consulat Lector Augustinum in Libro ad Simplicianum, quæstione secunda super hac re copiosè differentem.

Ad Rom. 8.

Alter verò error supradictis Pauli verbis reiectus, fuit Origenis, & Priscilliani: qui dixerunt animas hominum simul cum Angelis creatas esse multo ante corpora; ac pro meritis eorum quæ tunc egerunt, priusquam includerentur in corpora, diuersitatem vitæ & conditionis sortitas esse in corporibus. In libro secundo, Peri Archôn ait Origenes, Esau animam in deteriori vita, ob antiqua peccata fuisse damnatam; Et in libro tertio, ob eandem causam dixit factum vt Deus Iacob diligeret, & odio haberet Esau, refert hæc Hieronymus in epistolam quinquagesimam nouam, ad Auitum. Sed hoc apertè repellit quod hîc dixit Paulus: *Cum nondum boni vel mali aliquid egissent.* Facit etiam contra id, quod Deus dixit Iob capite trigesimo octauo. *Vbi eras cum me laudarent astra matutina & iubilarent omnes filij Dei?* potuisset enim ille, secundùm hanc Origenis opinionem (si quidem vera esset) respondere: Eram ipse tunc inter ipsos Dei filios & Angelos iubilantes. Ceterùm fuisse Origenem propter hanc opinionem vehementer exagitatum, vexatúmque à Doctoribus Catholicis sui temporis, coniecturam equidem facio minimè leuem & vanam ex his quæ scripsit ipse in homilia 12. in Genesim: vbi tractans hunc locum Geneseos de Iacob & Esau, & ponens quæstionem cur illi cum ad huc in vtero essent, Iacob prælatus fuerit Esau; non ausus est secundùm hanc suam opinionem, eius rei causam reddere, sed refugit disputationem; nimirum veritus ac pertimescens grauissimam offensionem & reprehensionem doctorum Ecclesiæ, qui eo tempore aduersus hanc opinionem acerrimè pugnauerant. Verba Origenis ex eo loco, huiusmodi sunt: Cum Iacob & Esau nondum

B. August. tom. 4.

Origenis & Priscilliani error.

B. Hieronym.

39

nati

nati essent, sed inclusi materno vtero continerentur, cur Iacob prælatus sit Esau, & maior subiectus minori, seruitute fuerit, & ille dilectus sit, hic autem odio habitus; non est meum discutere. Si enim voluero in altum fodere, & aquæ viuæ latentes venas aperire, continuò aderunt Philistini, & litigabũt mecum, & rixas mihi & calumnias commouebunt, & incipient replere terra sua & luto puteos meos. Nam vtique si permitterent isti Philistini, & ego volebam accedere ad Dominum meum potentissimum Iesum, qui dicit: *Eum qui venit ad me, non eyciam foras.* Volebam ad eum accedere, & sicut Discipuli interrogauerunt eum de cæco nato: *Domine quis peccauit, hic an parentes eius vt cæcus nasceretur?* Et ego volebam interrogare eum, Domine quis peccauit, hic Esau, an parentes eius, vt sic hirsutus & horridus nasceretur, & in vtero supplantaretur à fratre suo? Sed si voluero de his interrogare verbum Dei & inquirere, statim mihi lites Philistini & calumnias mouent. Et ideo nos relinquentes hunc puteum, & vocantes Inimicitiam, alium sine altercatione fodiamus. Ad hanc ferè sententiam Origenes. Sed redeamus ad Beati Pauli orationem & disputationem.

Ioan. 6.

Infra 9.

40 Duobus porro Scripturæ testimonijs vtitur Paulus ad id, quod intendit, eo loco probandum. Vnum est illud ex hoc loco Geneseos depromptum: *Maior seruiet minori.* Quorum verborum sententiam nos paulò supra exposuimus. S. Thomas locum illum Pauli explanans in Commentarijs suis, tripliciter posse intelligi ait verba illa: *Maior seruiet minori*, Primò secundum singulares personas Iacob & Esau: quomodo intelligendum est Esau seruisse ipsi Iacob, non per se, & directè, sed indirectè & per occasionem, quia dum odit, & insectatus est fratrem suum Iacob, id maximè ad bonum eius gloriámque profecit; nam vt scriptum est Prouerbiorum xj. *Qui stultus est, seruiet sapienti.* Deinde potest id referri ad duos populos ex illis duobus fratribus progenitos, Idumæorum scilicet & Hebræorum Nam in eo loco Geneseos, vnde verba hæc citata sunt à Paulo, ita scriptum est. *Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi diuidentur ex ventre tuo, & populus populum superabit, & maior seruiet minori.* Idumæi namque à Dauide bello subiugati, seruiere Hebræis: quamobrem dixit in quodam psalmo Dauid: *In Idumæam extendam calceamentum meum.* Tertio modo possunt ea ipsa verba intelligi figuratè & allegoricè, vt per Esau præfiguratus sit populus Iudæorum, per Iacob populus Christianus ex Gentibus collectus. Ille maior dici potest, quia prior ad fidem & cultum Dei vocatus & ascitus est, immò vocatur, Exodi 4. primogenitus Dei: hic verò minor dicitur, quia nouissimè ad fidem Christi vocatus & conuersus est; qui etiam figuratur in illa parabola euangelica per filium prodigum, Luc, 14. Iudæi autem dicuntur seruire Christianis, quia nobis ipsi custodiunt sacram Scripturam, non in suam vtilitatem, sed in vsus nostros atque eorum qui ex Paganismo conuertuntur ad Christianismum, vt ob id Iudæi tanquam Capsarij Christianorum rectè appellari queant. Hactenus ex S. Thoma.

S. Thomas. Tribus modis Esau seruiuit ipsi Iacob.

Psal. 107.

41 Alterum testimonium Scripturæ quo Paulus vtitur, petitum est

ex primo capite Prophetiæ Malachiæ: *Iacob dilexi, & Esau odio habui.* exi
miæ autem dilectionis Dei erga Iacob, quatuor clarissima fuere signa.
Vnum fuit signum, quòd ius Primogenituræ, id temporis magni honoris
& vtilitatis, naturaliter debitum Esau, Deus transtulerit ad Iacob: quo fa-
ctum est vt Esau quasi seruus constitueretur Iacob, & maior seruituti mi-
noris subijceretur, sicut etiam indicauit Isaac infra Genes. 27. Alterum si-
gnum fuit, quòd Iacob progeniem & posteritatem, Deus multo potentiorem, & nobiliorem fecit, quàm Esau: immò verò posteros Esau seruire fecit posteris Iacob. Tertium signum fuit, quòd ipsi Iacob assignauit pos-
sessionem amplioris, fertilioris, amœnioris, celebriorísque terræ, ac demum fluentis lacte & melle. Quartum signum, quòd ex semine Iacob generari voluit Messiam, filium suum, Regem regum, Dominúmque dominantium, & Saluatorem mundi, in quo benedicendæ erant omnes gentes. Ob hæc igitur verè dictum est: *Iacob dilexi, Esau odio habuit*: quasi diceret Deus, Cùm fratres essent Iacob & Esau, ijsdem parentibus, & eodem satu generati, nullísque meritis prorsus dispares; nisi quòd Esau, quia primogenitus erat, præferendus hoc nomine videbatur Iacob: ego tamen gratuita mea dilectione, elegi Iacob, vt darem ei fertilem terram Chanaan, & vt ex ipso nasceretur Messias: Esau verò non elegi, sed reieci in aspera saxa, & montosa loca Seir. Sed numquid propterea Deus dilexit Iacob, Esau verò odio habuit, quia præuidit, iri se ab eo dilectum, nõ autem ab Esau? nam & hoc significari videtur illis verbis scripturæ Prouerbiorum 8. *Ego diligentes me diligo.* Minimè verò: dilectio enim Iacob præuenta est à dilectione Dei; non enim quia nos diligimus Deum, aut dilecturi sumus Deum, ideo Deus diligit, aut dilexit nos; sed contrà, quia ipse diligit nos, inde accipimus & habemus; quo possimus eum diligere, testante hoc ipsum dilecto Iesu discipulo Ioanne, cum ait primæ Epistolæ suæ capite quarto: *Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos.* Nam si fides qua credimus Deo, est donũ Dei, vt inquit Paulus ad Ephes. 2. quanto magis charitas qua Deum diligimus? cum paulus dicat ad Romanos 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Deus autem diligentes se diligit, eorum dilectionem augendo, conseruando, tandémque remunerando. At prior ipse dilexit eos, gratiam illis immerentibus, atque charitatem donando, quo possent ipsum diligere. Si enim non sumus sufficientes cogitare aliquid boni ex nobis, quanto minus Deum, vt oportet, diligere?

Quatuor clarissimæ eximiæ dilectionis Dei erga Iacob argumenta.

An Iacob dilectus à Deo, electúsque sit propoer bona eius opera futura

2. Cor. 3.

QVIN

QVINTA DISPVTATIO.

An Iacob fuerit ſanctificatus in vtero matris ſuæ.

42 NOn faciam, vt in hoc loco non indicem lectori, quod à nõnullis minimè obſcuris & indoctis auctoribus, de ſanctificatione Iacob in vtero matris ſuæ creditum & proditum eſt. Putarunt quidam, ex eo quod S. Paulus dixit, Deum dilexiſſe Iacob priuſquam boni quicquam egiſſet, & cum adhuc eſſet in vtero matris ſuæ; ſignificari, Iacob fuiſſe in vtero matris ſanctificatum. Hoc iſti ſic argumentari voluiſſe videntur: Deum diligere aliquem hominem, non tantùm ſignificat affectum voluntatis diuinæ, ſed effectum quoque, & boni alicuius donationem: idem enim eſt, Deum diligere aliquem, ac facere & tribuere ei bonum aliquod. Quare, ſimpliciter Deum diligere hominem, eſt dare homini bonum ſimpliciter dictum; hoc autem eſt id quod pertinet ad ſanctificationem hominis. Si Deus igitur ſimpliciter dilexit Iacob adhuc in vtero matris conſtitutum, hinc ſequitur, vt bono ſimpliciter dicto eum affecerit; id autem eſt, vt eum ſanctificauerit. Huc etiam applicari poteſt, quod apud Danielem cap. 3. ſcriptum eſt, vbi Azarias in oratione, quam habet ad Deum, hæc inter alia dicit verba: *Propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum, & Iſrael ſanctum tuum.* Quid obſecro cauſæ eſt, vt Iſrael ſiue Iacob propriè appelletur ſanctus, potiùs quàm Abraham & Iſaac? Non alia ſanè fingi videtur poſſe cauſa, niſi ſingularis ſanctificationis eius in vtero gratia & priuilegium. Carthuſianus, ſuper iſtum locum Danielis, refert B. Auguſtinum videri ſenſiſſe, Iacob fuiſſe ſanctificatum in vtero: ſed vbi Auguſtinus id ſignificet, equidem adhuc quæro. Nam ille locum Auguſtini citat nullum: & ego diu multúmque Auguſtini ſcripta peruolutando, tale nihil adhuc reperi. Idipsũ præterea tradit Auctor Hiſtoriæ Scholaſticæ; cuius in capite 66. ſuper librum Geneſis, hæc ſunt verba: Creditur in vtero iam tunc ſanctificatus fuiſſe Iacob; & per illum motum colliſionis eius in vtero cum Eſau, id eſſe præfiguratum; quia non eſſet conſenſus Chriſti cum Belial.

Locus Danielis, cap. 3.

Dionyſius Carthuſianus

Auctor Hiſtoriæ Scholaſticæ.

1. Cor. 10.

43 Ego de re tam graui, de qua nihil in ſacris litteris proditum, nihil Eccleſiæ auctoritate conſtitutum, nihil Patrum & Theologorum ſententia firmatum eſt, non ſatis tutum reor, aſſeuerare quidquam; ſed ſatius eſſe, aſſenſum pariter ac diſſenſum ſuſtinere. Firmamenta certè illius opinionis parum firma ſunt. Cùm enim Deus apud Malachiam dixit ſe dilexiſſe Iacob, continuò ſignum eius dilectionis ſubdit; non ſanè ſanctificationẽ eius in vtero, ſed quia dederat ei poſſeſſionem melioris & ſtabilioris terræ, vt manifeſtum eſt conſideranti locum illum Malachiæ. Paulus item citans hoc ipſum teſtimonium Malachiæ, Diuinam dilectionem Iacob,

Auctoris ſententia.

non refert ad sanctificationem eius in vtero, sed, vt Augustinus, aliíque
Augustinus. complures interpretantur, ad Diuinam dilectionem & electionem, & prædestinationem eius ad vitam æternam. Neque verò quod ex Daniele ductum est, istam opinionem iuuat. Dicitur enim Iacob præcipuè sanctus, vel quia primus omnium sanctificasse videtur seipsum, & dicasse Deo vouens ei decimas omnium quæ possideret, ac se totum Dei cultui
Genes. 28. obstringens & mancipans: vel quia plenus Spiritu sancto, futuros omnium filiorum suorum, & qui nascituri ex illis erant, casus & euentus mirabiliter præuidit atque prænunciauit: præsertim verò, quia nobilissimũ
Infra 49. illud de tempore aduentus Messiæ vaticinium edidit; cuius expectatione seipsum consolans Iacob, lætissimóque animo moriens, dixit: *Salutare tuũ expectabo, Domine.* Videat Lector Commentarios nostros in Danielem super eo ipso loco.

SEXTA DISPVTATIO.

Quo sensu Paulus testimonio Scripturæ de Iacob electione & reprobatione Esau sit vsus, Historicóne an mystico; & respectu vitæ æternæ, an tantummodo respectu bonorum temporalium.

Quo sensu Paulus testimonia scripturæ citauerit, an historico, an mystico sẽsu: & respectùne vitæ æternæ, an solum respectu bonorum temporalium.

IN hac quæstionis solutionem percipiet Lector ex duarum 43
propositionum, quas hîc subiiciam, explicatione ac confirmatione. Prima propositio. Si Paulus testimonia illa Scripturæ ex libro Geneseos, & ex prophetia Malachiæ accepit in sensu historico, quem habent illa in proprijs suis locis, & secundùm quem à proprijs auctoribus scripta sunt, videtur dicendum, B. Paulum non esse locutum de diuina dilectione & electione Iacob, quãtum ad gratiam prædestinationis eius ad vitam æternam; sed quantum ad excellentiam bonorum temporalium, in quibus prælatus est fratri suo Esau, & à Deo vehementer magnificatus. Hoc probatur dupliciter. Ac primò quidem in vigesimoquinto capite Geneseos, vnde Paulus sumpsit illud testimonium: *Maior seruiet minori:* manifestum est non agi de diuina electione ac prædestinatione Iacob ad vitam æternam, sed de eminentia eius super fratrem suum Esau in posteris vtriusque: sic enim ibi legitur: *Respondit ei (Rebeccæ) Deus: Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi diuidẽtur ex vtero tuo, & populus populum superabit, & maior seruiet minori.* Quis non videt, hoc, secundùm historiam, non pertinere ad electionem & prædestinationem Iacob ad vitam æternam, sed ad præstantiam posteritatis Iacob? Hebræi namque potentiores futuri erant, dominatúrique Idumæis. Similiter quod dixit apud Malachiam Deus: *Iacob dilexi, & Esau odio habui,* Secundùm litteralem sensum, non spectare ad dilectionem Iacob respectu vitæ æternæ, verba quæ proximè sequuntur, perspicuè

Locus Malachiæ c. 1.

ſpicuè declarant: tale enim ſubdit Deus argumentum odij ſui, ſeu reprobationis Eſau, quòd ei dediſſet regionem aſperam in montibus Seir, & quòd eam deuaſtaturus & demoliturus eſſet in æternum; cum tamen Iacob fertilem & amœnam terram, ſtabilémque ſedem aſſignaſſet. Sed præſtat ex eo loco ipſa Scripturæ verba hîc ponere. *Dilexi vos, dicit Dominus: Et dixiſtis, In quo dilexiſti nos? Nõne frater erat Eſau Iacob, dicit Dominus: Et dilexi Iacob, Eſau autem odio habui? & poſui Seir montes eius in ſolitudinem, & hæreditatem eius in dracones deſerti. Quod ſi dixerit Idumæa, Deſtructi ſumus, ſed reuertentes ædificabimus quæ deſtructa ſunt; hæc dicit Dominus exercituum: Iſti ædificabunt, & ego deſtruam, & vocabuntur termini impietatis, & populus cui iratus eſt Dominus vſque in æternum. Et oculi veſtri videbunt, & vos dicetis: Magnificetur Dominus ſuper terminũ in Iſrael.* Ergo bona temporalia Hebræis, qui poſteri erant Iacob, tùm data, tũ deinceps danda, argumentum & ſignum euidens ponit Deus dilectionis ſuæ erga Iacob: contrà verò, mala & calamitates poſterorum Eſau, odij ſui ac reprobationis Eſau.

Quomodo teſtimonia Scripturæ de electione Iacob & reprobatione Eſau sũpta à Paulo ſecundùm hiſtoricũ ſenſum, reſpectu bonorum tantùm tẽporaliũ apti cõgruant & inſeruiant propoſito eius.

44 Sic porrò ſumpta teſtimonia iſta Scripturæ dupliciter inſeruiunt propoſito Pauli: tum ad probandam illam diſtinctionem filiorum Abrahæ ſecundùm carnem & ſecundùm repromiſſionem, vt ſuprà docuimus: tũ ad oſtendendum, in diuina electione hominum non eſſe ſpectanda propria eorum merita ſiue bona, ſiue mala, ſed æternum Dei propoſitum, beneplacitum, & gratuitam voluntatem. Quod autem Paulus teſtimonia illa Scripturæ ſecundùm ſenſum hiſtoricum citauerit de Diuina electione Iacob & reprobatione Eſau quantum ad bona temporalia, non autẽ quãtum ad vitam æternam, eſſe præterea poteſt hoc alterum argumentum. Paulus commemorauit teſtimonium illud Scripturæ de Iacob & Eſau, tanquam rem notiſſimam Iudæis, & ex illis Scripturæ locis exploratiſſimam: erat autem Iudæis notum, Iacob fuiſſe dilectum & electum à Deo; Eſau verò reprobatum & quaſi odio habitum, propter inſignia bona quæ dederat Iacob & poſteris eius, nõ autem Eſau; idque ex locis illis ſcripturæ cognitum habebant: quòd autem Iacob fuiſſet prędeſtinatus à Deo ad vitam ęternam, Eſau verò reprobatus, id non erat illis compertum, neque notum ex iſtis locis Scripturæ: non igitur Paulus de hac electione vel reprobatione locutus eſt, verùm de illa priori, quæ pertinet ad bona temporalia. Adde, ſi placet, in veteri Teſtamento, vt docet B. Hieronymus, aliíque Doctores, de præmio vitæ æternæ, & de ſupplicio æternæ mortis, aut nullum fieri ſermonem, aut certè perquàm rarum; atque eum non niſi figuratum, & bonorum malorúmve tẽporalium ſimilitudinibus inuolutum atq; opertum, vt quod de electione Iacob & reprobatione Eſau proditum eſt in ſacris litteris, non ad vitam æternam, ſed ad bona temporalia retuliſſe Iudæos, minimè dubitandum ſit.

S. Hieron. ad Dardanum epiſt. 129.

Si Paulus teſtimonia illa Scripturæ citauit de diuina electione

45 Secunda propoſitio. Si Paulus citauit illa Scripturæ loca loquẽs de diuina dilectione & electione Iacob, atq; de odio & reprobatione Eſau quãtum ad vitã æternam; videtur dicendũ, ea teſtimonia Paulum non citaſſe ſecũdùm litteralem & hiſtoricum ſenſum, ſed myſticum & allegoricum.

Hoc

Iacob & Esau quantum ad vitam æternam, citasse ea non historico, sed mystico sensu.

Hoc probatur dupliciter; tum ratione, tum auctoritate. Et ratio quidem euidens est, atque in promptu ex antecedentis propositionis confirmatione. Si enim scriptura illis locis secundùm historicum & litteralem sensum loquitur de electione Iacob & reprobatione Esau quantum ad bona tẽporalia, non autem de prædestinatione aut reprobatione quantum ad vitam æternam, vti iam ostensum est; hinc planè concluditur, si ea testimonia Paulus intellexit & vsurpauit de diuina electione & reprobatione eorum quantum ad vitam ætetnam, eum fuisse vsum illis testimoniis non historico sensu, sed mystico & allegorico. Idem ipsum confirmatur auctoritate B. Hieronymi: qui explanans verba illa Dei, quæ sunt apud Malachiam: *Iacob dilexi, & Esau odio habui*, Ad hunc modum scribit: Hunc locum Apostolus, mystica disputatione euentilans, egregiè tractat in Epistola ad Romanos. Ecce tibi, tractationem illam Pauli, mysticam Hieronymus appellat, non autem historicam & litteralem: nam, quæ est litteralis eorum verborum intelligentia, eam mox subiungit Hieronymus, talẽ nempe, qualem nos paulò superiùs tradidimus. Et Lyranus super eisdem illis verbis Malachiæ sic inquit: Iacob dilexit Deus, dando ei benedictionem paternam, & hæreditatis promissionem, quæ bona in eo tempore annexa erant Primogenituræ. Esau verò odio habuit, denegando ista bona illi, cum tamen esset primogenitus. Hæc autem dilectio Iacob & odiũ Esau, fuerunt signa electionis & reprobationis æternæ: & sic allegat ista verba Paulus ad Romanos 9.

B. Hieron.

Lyranus.

Electio Iacob & reprobatio Esau, cuiusnã rei mysterium & figuram habuerit.

Dupliciter porrò potuit vti Paulus figuratè ac mysticè isto exemplo Iacob & Esau. Primò quidem respectu ipsarum personarum Iacob & Esau; quasi docens, dilectionem Iacob quantum ad bona temporalia, & reprobationem Esau, fuisse figuram vel signum diuinæ electionis Iacob ad vitam æternam, & reprobationis Esau: & ad hunc modum putat Lyranus accepisse Paulum. Quemadmodum enim Deus ad possessionem primogenituræ, & ad hæreditatem terræ Chanaan, & vt pater esset Messiæ, elegit Iacob, ob nulla eius merita, sed gratuita voluntate sua: ita quoque ex beneplacito suo ab æterno dilexit, & elegit, & prædestinauit eum in adoptionem filiorum Dei, & participationem vitæ æternæ, reiecto ac reprobato Esau. Altero modo sic intelligi potest illud mysterium & allegoria: vt electio Iacob & reprobatio Esau, quantum ad bona temporalia, fuerit figura diuinæ electionis Gentium ad gratiam Euangelicam, & reprobationis Iudæorum, de qua videtur ibi Paulus disputare: ad eundem scilicet modum quo Paulus in epistola ad Galatas disputat, eiectionem Agar & Ismahelis ex domo Abrahæ, per allegoriam significasse eiectionem synagogæ à regno Dei: sicut Christus Dominus eis præminatus fuerat, dicens: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Vel electionem illam Iacob & reprobationem Esau, Paulus in vniuersum accepit vt figuram electionis hominum ad vitam æternam, & reprobationis, non ob merita hominum, sed ex beneplacito Dei. Ergo, vt in summa dicam, quod fusius hîc disputaui, vtrumuis licet probabiliter opinari, aut Paulum citasse testimonia illa Scripturæ de Iacob & Esau secun-

46

Ad Gal. 4. Genes. 21.

Matt. 21.

dùm

dùm historicum & litteralem sensum, aut etiam secundùm mysticum & allegoricum: & item locutum esse Paulum de diuina electione Iacob & reprobatione Esau quantum ad bona solùm temporalia secundùm historicum sensum: vel secundùm mysticum & allegoricum, etiam quantum ad vitam æternam. Vtrolibet autem modo testimonia illa fuerint à Paulo accepta, valdè congruunt & conducunt proposito eius, vt per totam hanc Disputationem manifestum Lectori fecimus.

SEPTIMA DISPVTATIO.

An Pauli argumentatio, si ea ducta fuit ex sensu mystico, sit valida.

47 CÆTERVM, posset illud dicere fortasse quispiam; si ad probandum diuinam electionem hominum ad vitam æternam & item reprobationem, non ex propriis eorum meritis, sed mera Dei voluntate prouenire; vsus est Paulus exemplo Iacob & Esau, non secundùm historicum & litteralem sensum, sed mysticum: ergo Pauli argumentatio & probatio fuit inualida. Siquidem solus litteralis sensus est, (vt nunc loquimur in scholis) argumentatiuus & probatiuus; solúsque valet ad reuincendos aduersarios veritatis: mysticus verò sensus ad hæc inefficax est, & solùm ad eos qui iam fideles sunt, & pietatis cultores, commonendos, cohortandos, erudiendos, solandósque conducit. Verùm non ita res habet: & Pauli argumentatio exemplo Iacob & Esau nixa fultáque, est prævalida. Hanc enim illa vim habet: Electio Iacob & reprobatio Esau, quantum ad bona temporalia, figura fuit diuinæ electionis & reprobationis hominũ, quantum ad vitam æternam. & hoc præfigurari per illud, Spiritus sanctus voluit; cuius nimirum consilio & voluntate, & res illa gesta est, & scriptis à Mose prodita: sed electio & reprobatio Iacob atque Esau, facta est non ob propria eorum merita, quippe cum adhuc in vtero matris essent; sed quia sic Deo visum & placitum est: ergo similiter, neque diuina electio & reprobatio hominum, quantum ad vitam æternam, ex propriis eorum vel bonis, vel malis meritis prouenit, sed ex mera Dei voluntate. Palam igitur est, exemplum Iacob & Esau etiam mystico sensu acceptum, præbuisse B. Paulo firmum ad id quod eo loco probare volebat argumentum. Cæterùm hoc quod dixi, non potest, ita vt oportet, intelligi, & lectori persuaderi, nisi duabus antè quæstionibus breuiter explicatis.

Vnde cõpertũ fuerit B. Paulo, Iacob figuram à Spiritu sancto intẽtã, fuisse electorũ; Esau autem reproborum.

48 Prima quæstio: Vnde compertum fuit B. Paulo, illam electionem Iacob & reprobationem Esau quantum ad bona temporalia, figuram fuisse à Spiritu sancto intentam, electionis & reprobationis quantum ad vitam æternam, tam ipsorum illorum fratrum, quàm aliorum quorumlibet hominum electorum, atque reproborum? Respondeo, potuisse id exploratũ & cognitum esse Paulò dupliciter, Primo quidem ex antiqua traditione,

quæ id temporis vigeret in Synagoga, & ex communi Doctorum eius temporis consensu. Multa quippe de Scripturarum intellectu occultiori & mystico, minimè litteris expressa, nec in vulgus nota, per continuam Maiorum traditionem, apud proceres Synagogæ, sapientésque Iudæorũ, communi sensu & approbatione recepta erant; quibus Paulus & vt veris, & vt confessis libenter vtebatur. Atque id fortasse fuit quod de Iacob & Esau eo loco Paulus vsurpauit. Illud tamen probabilius dictu fuerit, pernotuisse id Paulo ex diuina reuelatione: nam cum electus ipse, constitutúsque à Deo esset maximus Ecclesiæ doctor, minimè dubitandum est, quin perfecta Scripturarum intelligentia, tam historica quàm mystica, fuerit ei diuinitus inspirata: quam ipse tum verbis, tum scriptis Ecclesiæ cognoscendam, colendam, & custodiendam traderet. Secundùm hanc igitur Sapientiam (vt vocat Petrus secundæ Epistolæ capite vltimo) à Deo sibi datam, intellexit Paulus historiam de duobus filijs Abrahæ, Isaac & Ismahele, allegoriam fuisse duorum testamentorum, Veteris & Noui, & Synagogæ atque Ecclesiæ, ad Galatas capitulo quarto & quod in coniugio primorum hominum dictum est: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna*: vidit fuisse Sacramentum magnum & mysterium in Christo & Ecclesia, ad Ephes. 5. transitum quoque Hebræorum per Mare rubrum submersis Ægyptijs, & ductum columnæ nubis significare Christianum baptisma; & item Petram ex qua percussa scaturiuit aqua in potum populi Hebræi, figuram fuisse Christi, primæ ad Corinthios capite decimo. Et ideo confidenter pronuntiauit, legem Mosaicam vmbram habuisse futurorum bonorum, non autem ipsam veritatem, ad Hebræos 10. Ac deinde omnia quæ illi populo contigerunt, in futurarum rerum figuram & significationem contigisse, affirmat primæ ad Corinth. 10. Ad eundem igitur modum, Paulus cognouit, & pro vero & certo tradidit, gratuitam electionem Iacob fuisse figuram gratuitæ electionis tam ipsius quàm aliorum omnium prædestinatorum hominum ad vitam æternam.

Gen. 2. Matth. 19.

Exod 14. Suprà 13. Num. 1.

Quisnã sensus mysticus sit validus ad argumentandum.

Altera quæstio: Quisnam sensus mysticus sit idoneus, & validus ad argumentandum, & probandum. Non enim quemlibet ad id esse idoneum & accommodatum, in confesso est. Respondeo, talem esse eum, quem planè constet, sub specie & figura historiæ, præcipuè à Spiritu sancto fuisse spectatum & designatum, atque intentum. Si enim de sensu quopiam mystico liquet, eum à Spiritu sancto esse intentum, necesse est confiteri, verum esse eum, certámque fidem facere; atque idcirco ab omnibus, quibus manifestum id fuerit, concedi & admitti oportere. Sed vnde, quæso, constare nobis potest, hunc aut illum sensum mysticum, esse intentum à Spiritu sancto? Hoc namque opus, hic labor est. Potest sanè id exploratum & compertum esse duobus modis: vno modò certè atque indubitanter; altero modò solùm probabiliter. Priori modo cognoscitur id dupliciter. Primo auctoritate sacrorum scriptorum Noui Testamenti, qui complures historias Veteris Testamenti, secundùm mysti-

49

Quibus modis cognoscatur sensum aliquem mysticũ fuisse principi-

cum

cum sensum atque intellectum, Ecclesiæ tradiderunt: Eiusmodi namque sensus mysticos, esse à Spiritu sancto, dubitare fas non est. Talis est sensus mysticus, secundùm quem Matthæus captite secundo, illud Oseæ: *Ex Aegypto vocaui Filium meum:* citauit de Christi reditu ex Ægypto: & illud Hieremiæ: *Vox in Rama audita est, &c.* de cæde sanctorum Innocentium. Ioannes itidem capite decimo-nono, illud Exodi de Agno paschali: *Os non comminuetis ex eo,* commemorauit de Christo Domino, cuius in cruce morientis, non sunt fracta crura. Huius quoque generis est sensus ille, secundùm quem Dominus dixit, Ionam deuoratum à pisce, & triduo post, viuum in terras emissum; significasse passionem & resurrectionem suam: & exaltationem serpentis in deserto, præmonstrasse futuram suam exaltationem per mortem crucis. Beatus etiam Petrus primæ Epistolæ capite tertio ait octo illos homines seruatos in Arca Noe ab exitio Diluuij, significasse eos qui in Ecclesia saluantur per Baptismum. Quoniam verò talis sensus mysticus, vt diximus, principaliter est intẽtus à Spiritu sancto; hinc fit, vt secundùm eum, res olim prædicta, denique impleta fuerit; quasi per sensum historicum cœpta fuerit impleri; consummatio tamen eius, in re per sensum mysticum significata, demum facta sit: Et ad hoc significandum solent Euangelistæ illud dicere: *Vt adimpleretur quod dictum fuerat.* vel: *Tunc adimpletum est quod dictum fuerat.*

paliter à Spiritu sancto intentum.
Oseæ.11.
Hiere.31.
Exo.12.
Matt.12.
Ionæ.2.
Ioan.3.
Num.21.
Gen.7.

Consensus Patrum, sensu mystico vtentium in argumentãdo quippiã, declarat, illũ fuisse principaliter intẽtum à Spiritu sancto.

50 Idem ipsum certò etiam indicatur ex communi omnium fermè Patrũ, ac Theologorum consensu: quando sensu aliquo mystico vtuntur omnes ad sententiam quampiam, & dogma Catholicum comprobandum. Exempli loco sit, quod Isaias cap. 14. vaticinatur secundùm historiæ veritatem de infelici casu regis Babylonis in summam miseriam, ex altissimo prospe ritatis gradu. Et quod Ezechiel prophetauit capite vigesimo octauo de felicitate & copia, bonorúmque affluentia Principis Tyri: & in capite 31. de sublimitate ac magnificentia regis Assur. Hisce autem historijs atque exemplis Patres & Theologi, (diuino scilicet illustratu, atque inspiratu, sunt enim dati à Deo Ecclesiæ Doctores, & sanctarum Scripturarum expositores) intellexerunt præfigurare voluisse Spiritum sanctum, lapsum Angeli Luciferi ex summa felicitate cum qua creatus à Deo fuerat, in maximam miseriam, ob eius peccatum: & idcirco illis prophetijs, secundùm mysticum sensum acceptis, sæpissime vsi sunt, ad probandum de casu Luciferi sententiam & doctrinam, in Ecclesia, vsque à primordijs eius, receptam & celebratam.

51 Alter modus idem cognoscendi iudicandique, non quidem, vt superiores, certus atque indubitatus, verùm satis tamen probabilis, huiusmodi est. Si sensus quispiam mysticus, historiæ, vnde ducitur, aptissimè, & quasi ad amussim respondeat, non solùm quantum ad vnam & alteram sententiam, vel pauca quædam verba; sed quantum ad omnia, & antecedentia, & consequentia, & quantum ad omnem historiæ contextum; & is præterea sensus pertineat ad res, quarum cognitio pulcherrima est, atque vtilissima, veluti ad illustranda Fidei nostræ dogmata, Christi mysteria, Ecclesiæ Sacramẽta, ad excitationem animorũ ad amorem Dei

rerúmque cœlestium,& ad studium cultúmque virtutum:hunc ego sensum mysticum,magna sanè probabilitate,magnóque,opinor,assensu omnium,dixerim à Spiritu Sancto esse intentum:Atque huius meæ opinionis rationem hanc,satis,nisi fallor,probabilem afferre possum:sensus mysticos,de quibus liquet,fuisse eos à Spiritu Sancto intentos,quorum nos paulo supra,aliquot posuimus exempla,videre est,planè tales esse, quales hîc à nobis descripti sunt, nimirum, maximè congruentes cum historia, & de rebus nobilissimis,atque vtilissimis:Ergo quicumque alij,similes eorum hac in re fuerint,similiter fuisse eos à Spiritu Sancto intentos,probabiliter existimari potest.

Vter sẽsus præstabilior,in exponenda Scriptura iudicari debeat, historicus,an mysticus.

Ex his porrò,quæ cursim in hac disputatione attigimus,illud enotescit,quòd etiam in quæstionem vocari posset ; An sensus mysticus, eum dico,qui præcipuè intentus est à Spiritu Sancto,anteferendus sit historico,ac litterali sensui,necne. Breui præcidam. Ego ita sentio : historicum sensum,ratione necessitatis,esse præferendum;ratione verò dignitatis,atque vtilitatis,mysticum esse anteponendum. Etenim primò supponere necessarium est,ac bene firmare sensum historicum, vt sine quo mysticus constare nullo modo potest ; non secus ac sine fundamento parietes, & tectum. Audi S.Hieronymum in cap. 13.Isaiæ:Spiritualis,inquit,interpretatio sequi debet ordinem historiæ:quòd plerique ignorantes,Lymphatico in scripturis vagantur errore. Consona Hieronymo scribit Augustinus ad hunc modum.Quando auditis Scripturam narrantem , quæ gesta sunt,prius credatis fe esse gestum. quemadmodum narratum est, ne subtracto fundamento rei gestæ,quasi in aëre quæratis ædificare.Sedenim nobilitate,atque vtilitate,sensus mysticus vsque eò præstat historico,vt præ huius dignitate, perexiguum ille momentum habeat ; quinetiam quasi pro nihilo æstimari videatur.Equidem cunctanter hoc , & timidè dicerem , nisi auctorem haberem huius sententiæ , doctorémque B.Paulum:qui capite nono prioris Epistolæ ad Corinthios, docens, ministros Euangelij,secũdùm legem Dei ab ijs ali,& sustentari debere, quibus,prædicando Euangelium,desudant,ac deseruiunt;id probat testimonio legis Mosaicæ ex vigesimo quinto capite Deuteronomij producto, & secundùm mysticum sensum interpretato.Hæc sunt Pauli verba: *Scriptum est in lege Mosis:Non alligabis os boui trituranti.Nunquid de bobus cura est Deo? an propter nos vtique hoc dicit?nam propter nos scripta sunt,&c.* Plus hisce verbis significare videtur Paulus , quàm vult intelligi. Neque enim credi vult,boues non esse Deo curæ,reclamante apertissimis verbis Dauide Psalmo 103. & 144.*Omnia à te expectant,vt des illos escam in tempore opportuno:aperis tu manum tuam,& imples omne animal benedictione.* Quomodo enim non sit Deo cura boum , cum tantam is curam gerat coruorum , vt scriptum reliquerit Iob capite trigesimo octauo , *Qui præparat coruo escam suam , quando pulli eius clamant ad Deum vagantes, eo quòd non habeant cibos?* Vnde sumptum videtur illud Dauidis Psalmo 146. *Qui dat iumentis escam ipsorum , & pullis coruorum inuocantibus eum.* Et in libro Sapientiæ dictum de Deo est : *Tibi cura est de omnibus.*

52

S. Hieronymus.

Aug. serm.72 de Tempore.

1.Cor.9.

Sap.6.

Voluit

Voluit igitur Paulus illis verbis significare, curam ministrorum Euangelij, per allegoriam illo Dei præcepto significatam, tanto priorem, & potiorem esse apud Deũ, vt præ illa, boum cura, quasi nulla æstimari queat. Non igitur abs re Sancti Patres in exponendo sacras Scripturas, atque in erudiendis fidelibus, tam diligentes, tam accurati, tam copiosi, in perueestigandis, eruendis, explicandisque sensibus mysticis fuere: vt quos scirent à Spiritu Sancto principaliter intentos, & ad illustrandam noui Testamenti doctrinam, spiritualésque fidelium vtilitates promouendas maximè accommodatos. Sed iam tempus est, vt quasi vela reflectentes eò vnde soluimus, ad historiam nos Mosis referamus. Tracti enim dignitate, atque vtilitate earum rerum, quæ in illius loci, ac sententiæ Pauli tractatum inciderunt, quasi quodam æstu abrepti, longiùs prouecti sumus.

Qui primus egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus: vocatúmque est nomen eius Esau. VERS. 25.

53 RVfus est color, non plenè ruber; sed ad flauum nonnihil declinans. Verùm de propria significatione, ac multiformi varietate coloris rufi, & rubri, videat Lector apud Aulum Gellium, libro 2. cap. 26. subtilem, atque elegantem M. Frontonis disputationem. Hispidus autem, siue hispidosus, siue hirsutus, is dicitur, qui crassis, & asperis pilis obsitus, & horridus est. Quàm porrò fuerit pilosus Esau, præsertim autem manibus, & collo, coniectare licet ex ijs, quæ infra cap. xxvij. scripta sunt de Iacob, qui vt simularet Esau, pelliculas hœdorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit; vt ita pilosum Esau repræsentaret patri. Qua propter cùm Isaac tactu exploraret, vtrũ esset Esau dixit: *Vox quidẽ, vox Iacob est, sed manus, manus sunt Esau; & non cognouit eum, quia pilosæ manus, similitudinẽ maioris expresserant.* Sic autem esse natum Esau, fuit prodigiosum, & quasi monstruosum quippiam: contra naturam enim est, nasci hominem toto corpore pilosum: Secundùm enim naturam nascitur homo capite solùm, & supercilijs, ac palpebris pilosus; cæteris partibus per ætates pili adnascuntur. Hoc etiam libro 3. de Historia animalium testatur Aristoteles, cùm ait: Pili in homine, animalium omnium vno, partim simul, partim postea per ætates gignuntur. Congeniti sunt pili capitis, & superciliorum, & palpebrarum: post geniti; pubis primùm, mox alarum, postremò menti: Loca enim quibus pili proueniunt, totidem sunt congenitis deputata, quot postgenitis. Cuius verò rei faciat indicium in homine, copia pilorum, declarat idẽ Aristoteles in eiusdem operis libro quarto scribens, pilorum abundantiã, & hirsutiem, copiam indicare excrementi: atque ob eam rem pilosos homines, esse libidinosiores, & seminis copiosiores, quàm sint læues. Est præterea signum præferuidi temperamenti, robusti corporis, callidi &

A. Gellius.

Quàm fuerit pilosus Esau.

Pilorũ in homine copia cuius rei sit indicium. Aristotel.

astuti ingenij, & ferocis, ac sæui animi: ad quæ vitia propensum fuisse Esau, scriptura varijs locis non obscurè indicat.

Sedenim illud: *Et vocatum est nomen eius Esau*, fert hanc quæstionem: 54

Cur vocatus sit Esau.

Cur tale nomen ei fuerit inditum. Origenes homilia 12. scribit sic vocatum esse (vt censent qui vocabula Hebræa interpretantur) vel à rubore, quasi rubrum; vel à terra, quasi terrenum; vel, vt alijs visum est, à factura.

Hieronymus.

B. Hieronymus in libro de Interpretatione nominum Hebræorum interpretatur nomen Esau vel rubrum, vel aceruũ lapidum, vel vanũ siue frustra, vel facturam. Adiiciã Caietani expositionẽ: Aiunt, inquit, dictũ esse Esau, eo quòd natus sit quasi perfectus homo: pilositas enim, perfectæ ætatis signũ erat, quatenus erat effectus adulti hominis. Non est absimile quod hoc loco annotauit Oleaster: Sonat, ait, vox Esau factũ siue facturã eius; sed qualiter alludat ad rem, ignoratur: nisi dicamus, eum sic vocari, quòd quasi factus & adultus homo, sit ex vtero matris egressus; ferẽs secũ pilos, qui in aliis pueris successu tẽporis nascuntur & crescunt. Sic isti: Et hãc ego probabiliorẽ iudico eius nominis significationẽ atq; interpretationem. Sed miror cur Scriptura nõ dixerit: *Et ideo vocatum est nomen eius Esau.* cũ tale nomẽ aptè respõderet modo generationis eius: quemadmodũ paulò infra, in hoc ipso capite dixit tam de Iacob, quàm de ipso Esau.

Caietanus.

Oleaster.

Ceterùm sciat Lector, tribus nominibus hunc filium Isaac & Rebeccæ 55

Tria nomina, Esau, Edom, Seir.

appellari solitum in Scriptura. Vocatur enim Esau, de quo nomine iam dictum est. Nominatur prẽterea Edom, ab edulio rufo lentis, pro quo vẽdidit primogenita sua, vt paulò infra in hoc ipso capite traditur; & inde tractum est nomen gentis Idumæorum, & regionis Idumææ: ac demum appellatus est Seir; id autem significat pilosum, quòd natus sit, in pellis modum pilosus; ex quo datum est nomen regioni, quam ipse insedit ac tenuit, vt diceretur mons Seir. Ergo quod infra cap. 36. scriptum est; Esau digressũ à fratre suo Iacob, habitasse in monte Seir; & multo magis quod proditum est supra cap. 14. in tempore Abrahæ, Horrhæos, qui habitabãt montem Seir, bello victos & expulsos esse à quatuor regibus Asiæ; haud dubiè dictum id fuit per Anticipationem. Ponam hîc verba Hieronymi ex Commentariis eius in primum caput Abdiæ, quibus cõfirmatur quod diximus. In libro Geneseos (ait Hieronymus) manifestè legitur, Esau appellatum fuisse Edom; quia propter rufum lenticulæ cibum, primogenita vendiderit: Edom enim interpretatur rufus. In eodẽ volumine scribitur, hunc eundem vocatum esse Seir, id est, pilosum, quia hispidus erat, & non habebat læuitatem Iacob. Vnus ergo atque idẽ tribus nominibus appellatur, Esau, Edom, Seir. Possedítque eam regionem, quæ nunc Gebalena dicitur, & in finibus est Eleutheropolis, vbi antea habitauerant Horrhæi, qui interpretantur Liberi: vnde & ipsa vrbs postea sortita vocabulum est. Nunc Idumæa viculus est, à conditore sic imposito nomine: cuius Latina quoque & Græca meminit historia. Hactenus ex Hieronymo. Rupertus libro 7. Commentariorum in Genesim cap. 5. ait Esau vocatum sic esse à rubedine: verùm dubio procul, lapsus est, confundẽs nomen Edom, quod rubrum significat, cum nomine Esau.

Proti

Protinus alter egrediens plantam fratris tenebat manu: & idcirco appellauit eum Iacob. Sexagenarius erat Isaac cum nati sunt ei paruuli. 25. 26.

56 INDICATVR his verbis, naturalis modus in nascendo, & ex matris vtero egrediendi: primùm enim caput exit, postremi pedes. Ritu naturæ (ait Plinius libro 7.) capite hominem nasci, mos est, pedibus efferri. Et hoc ille mutuatus ex Aristotele est, cuius illa sunt in libro 7. de Historia animalium verba: Secundũ naturam, hominis partus fit in caput. Procedere autem in pedes, (quemadmodum ferunt Neronem esse natum) contra naturam est: ex quo difficillimus & ægerrimus fit partus, ob id sic natis, Agrippárum nomine vocatis. Scitum profectò est, quod M. Varro tradidit; confixos esse infantes in vtero matris, capite infimo nixos, sursum pedibus elatis: non vt hominis natura est, sed vt arboris. Nam pedes hominis cruráque, referunt arboris ramos; caput, stirpem atque caudicem. Quando igitur contra naturam fortè conuertuntur in pedes, brachijs plerúnq; diductis retineri solent; ægriúsque tunc mulieres enituntur. Huius periculi deprecandi gratia, aræ statutæ erant Romæ duabus Carmẽtibus, quarum altera Postuerta nominata est, Prosa altera, à recti & peruersi partus & potestate & nomine. Sic ex Varrone.

Plinius. Aristot.

Apud Gellũ lib. 16. c. 16.

57 Sed expendamus etymologiam nominis Iacob. *Et idcirco*, inquit Scriptura, *appellauit eum Iacob*. Significat vox Hebræa, Iacob, Supplantatorem: Supplantare verò duobus modis accipitur in Scriptura, propriè, & & metaphoricè. Propriè, supplantare significat, plantam tenere alicuius impediendo ne quid agat, aut ne aliò procedat; & sic appellatus est Iacob; quia tenebat plantam Esau, quasi obstans ne prior egrederetur ex vtero. Altero modo sumitur metaphoricè: significat enim supplantare, idem quod decipere, sumpta metaphora ab his qui simul in stadio currunt; cum vnus alteri pedem vel inijcit, vel supponit, ad casum impellens eum, ne præcurrat, & vincat. Hac significatione positum est in illa Chrysippi, quã memorat & laudat Cicero, sententia: Qui stadium, aiebat Chrysippus, currit, eniti debet & contendere quàm maximè possit, vt vincat: supplãtare autem eum quicum certat, aut manu depellere, nullo modo debet. Esau in hanc significationem detorsit nomen Iacob, videlicet in eius calumniam & odium, cum dixit Gen. 27. *Iustè vocatum est nomen eius Iacob: Supplantauit enim me, en altera vice: Primogenita mea tulit: & nunc secundò surripuit benedictionem meam.* Sed profectò nomen Iacob, non secundùm posteriorem hanc significationem, quæ est metaphorica, & in malam partem deflexa, sed ex priori illa, quæ est propria, originẽ habuit. Oleaster de nomine Iacob ad hũc modum scribit: Nomen Iacob ductũ est à verbo (Iachab) quod Hebræi significare dicunt supplantare: sed meliùs dicerent, se propriam ignorare significationẽ: dicunt enim significare, seducere, supplantare, fraudare, astutè agere, & retardare: cum reuera

Quid significet nomen Iacob.

Chrysippus apud Ciceronem lib. 3. Officior.

Oleaster.

signifi

significet propriè, aut tortuosum esse, aut à tergo insequi, siue vt subsequatur, siue vt seducat, siue vt retineat aut retardet. Sic ille. Verùm quod paulò superiùs dictum est, verius dictu est.

Quid illa retentio plantæ Esau significabat.

Sed quid obsecro portendebat illa retentio plantæ Esau egrediẽtis ex 58
vtero? nimirum significabat collisionem infantium in vtero, factam esse ob principatum natiuitatis occupandum, illis quidem ignorantibus, sed ita volente & agente Deo. Iacob igitur tenebat plantam Esau, quasi occupare volens egressum ex vtero, & ius primogenituræ: tanquam audisset illud Dei oraculum matri suæ redditum: *Maior seruiet minori:* & sciret Dei decreto & voluntate deberi sibi ius primogenituræ.

Caietanus.

Sequitur illud: *Sexagenarius erat Isaac cum nati sunt ei paruuli.* quæ verba exponens Caietanus, hunc in modum scribit: Hinc planè apparet, Abraham tunc vixisse, vtpote centum sexaginta tantùm annorum: & post natiuitatem Iacob & Esau, annis vixisse quindecim. Ex quo manifestum fit, argumenta ex ordine narrandi ducta ad probandum ordinem rerum gestarum, carere solido fundamento. Nam priùs narrata est mors Abrahæ, & benedictio diuina super Isaac post mortem patris sui Abrahæ, & posteriùs narrata est natiuitas Esau & Iacob, quæ tamen quindecim annis mortem Abrahæ antecessit. Et hanc regulam habeto prudens Lector semper ante oculos, ne super infirmo fundamento ædifices. Hæc Caietanus. Sedenim regula, & documentum Caietani, eget ea moderatione, quam supra nos tradidimus numero primo, cum hac ipsa de re dissereremus.

VERS. 27. Quibus adultis factus est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola.

EQuidem non memini me legere in sacris litteris, quemquam de sanctis & in scriptura laudatis viris fuisse venatorem; vt, 59
nonnullos fuisse agricolas, multósque pastoralem vitam egisse, plurifariam in sacris historiis proditum est. Quinetiam vocabulum venatoris & venandi ferè malam in partem in scripturis vsurpari solet. Nam Genes. 10. Nemrod, homo superbus, crudelis, atque impius dicitur fuisse robustus venator: & scriptum est in Psalmo 90. *Ipse liberauit me de laqueo venantium.* Et Psalm. 123. *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus* Et apud Micheam cap. 7. *Omnes in sanguine insidiantur: vir fratrem suum ad mortem venatur.* Item Gregorius, Esau, qui venationi & agriculturæ deditus fuit, præfiguraſse ait vitam hominum improborum, & amatorum huius mundi. Sic enim scribit in libro 5. Moralium: Scriptura ait, factum esse Esau virum gnarum venandi, & agricolam: Quid autem per venationẽ Esau, nisi eorum vita figuratur, qui in exterioribus voluptatibus fusi, carnem sequuntur? Qui etiam agricola esse scribitur, quia amatores

Venator, & venari, sæpius in malam partẽ vsurpat Scriptura.

Micheæ 7.

S. Gregor.

huius

huius seculi, tantò magis exteriora colunt, quanto magis interiora sua inculta derelinquunt.

60 Atenim studium, & exercitium venandi non esse malum, nec ob id culpabilem fuisse Esau, ex ipsa Scriptura colligi potest, quæ hoc loco ait, Isaac valde fuisse delectatum venationibus Esau, atque ob eam causam præcipuè dilexisse eum: *Isaac*, inquit, *amabat Esau, eo quòd de venationibus illius vesceretur.* Et infra cap. 27. *Isaac dixit filio suo Esau: Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras, cúmque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum.* Vir nempe sanctus Isaac non esset delectatus venationibus Esau, nec ad eas suo imperio impulisset eum, si exercitium venandi malum esset. Legimus præterea Leuit. 17. *Si quis venatione, atque aucupio ceperit feram, vel auem, quibus vesci licitum est, fundat sanguinem eius, & operiat illum terra.* Sed ad hoc ostendendum illud sanè accommodatum magis est testimonium ex psalmo 131. *Viduam eius benedicens benedicam.* Vbi pro illo vocabulo (viduam) Hebraicè, & Græcè est, venationem: & vt à quibusdam peritè obseruatum est, interdum Scriptura vocabulum venationis pro victu, & cibatu hominis vniuersè ponit. Quanta verò in laude, atque honore apud veteres fuerit studium, & exercitatio venandi, argumentum esse potest, inuentionem artis venatoriæ fuisse ab Æthnicis attributam Apollini, & Dianæ. Quapropter mos erat venatoribus, vt si quando feram insignem cepissent, partem eius, siue caput, siue pedem clauo affigerent alicui arbori eius Syluæ. vbi capta erat, ob honorem Dianæ. Xenophon etiam magnas aliquot venatoriæ exercitationis vtilitates disertissimè commemorat: Verùm duas præcipuè ad tuendam, firmandámque valetudinem, corpúsque aduersus graues labores roborandum, durandúmque: & ad bellicam artem. Est enim venatoria exercitatio, quasi bellorum, prælioru̇mque progymnasma.

Nec studium nec exercitiũ venandi, per se malum esse, nec obid fuisse culpabilem Esau.

Locus Leuitici c. 17. Locus psalmi. 131.

Quanta in laude, atque honore apud Ethnicos fuerit olim venatoria ars.

Xenophon.

61 Quod si de venatione ita sentiendum est, quanto magis de agricultura in sacris iuxta profanisque litteris mirificè laudata? *Non oderis*, ait sapiens Ecclesiastici 7. *laboriosa opera, & rusticationem creatam ab altissimo.* Quã obrem non indignum esse duxit Saluator noster, Agricolæ Deum assimulare: *Pater meus*, inquit, *agricola est.* Et Aristoteles libro primo Oeconomicorum agriculturam dixit, omnium artium esse iustissimam; vt quæ citra cuiusquam iniuriam, & ingenti cum vtilitate omnium exerceatur. Non enim, inquit, ab hominibus, aut volentibus, vt cauponaria, & aliæ mercenariæ artes, aut ab inuitis, vt ars bellica commodum suum, & lucrum quærit: & est earum rerum, quę sunt secundùm naturam: secundùm enim naturam est, educatio omnium à matre, quare etiam hominibus est à terra. Non igitur quia Esau fuit homo improbus, ideo studium venandi, & agri colendi in quo ille versatus est, crimini, aut vitio verti debet; non enim ob hæc ille fuit improbus, quanquã quia ille improbus fuit, & figura hominũ improborũ; hinc fit, vt per allegoriã, studiũ & exercitium vitæ eius, accipiatur tanquam typus quidam & imago eius vitæ, quam agunt ij, qui cupiditatibus rerum terrenarum, vitiísque sunt dediti.

Quàm honestum, & laudabile sit studiũ Agriculturæ. Eccles. 7. Locus Ioa. cap. 15. Aristoteles.

Iacob vir simplex, habitabat in tabernaculis. Isaac amabat Esau, eo quòd de venationibus eius vesceretur: Et Rebecca diligebat Iacob.

Versu. 28.

Quid in scriptura significet simplex. Caietanus.

PRo voce illa (*simplex*) Hebræa vox *tham* Latinè significat perfectum, ducta scilicet à verbo *thamam*, quod sonat perficere, finire, complere. Hoc sequutus Caietanus, Dictionem, inquit, Hebræã hîc interpretatam *simplex* multi interpretantur, *Perfectus*; pro certo affirmãtes, Hebraicam dictionem à plenitudine deduci, & ad perfectionem, seu plenitudinem animi referri. Alij significari etiã putant ea voce innocentem: Et id oportere intelligi, vbicumque Latinus interpres ponit vocem *simplex*. Ad hanc quippe significationem dictum est supra Genes. 20. Abimelech cum ob Saram ablatam Abrahæ arguereretur, excusantem factum suum dixisse, id se fecisse in simplicitate cordis, id est, non animo nocendi cuiquam, sed ducendi eam vxorem. Iob item laudatur, vt simplex, & rectus, & Saluator noster apud Matthæum capite x. præcepit discipulis suis, vt essent simplices tanquam columbæ, & prudentes sicut serpentes: id autem est, vt nemini nocerent, neminémque etiam à quo læsi essent, malo ipsi aliquo afficerent; Sic enim ea verba interpretati sunt Græci expositores, eámque interpretationem confirmat auctoritas Sancti Pauli scribentis ad Romanos decimo sexto, *Volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo*: nimirum, vt nescirent mali quidquam, cuiquam hominum facere: quod autem ipsis, aliísve bonum foret, prudenter, & prouiderent, & facerent. Ad hanc intelligentiam spectat quod scribit sanctus Hieronymus in caput x. Matthæi: Vt per prudẽtiam (ait Hieronymus) deuitent insidias: per simplicitatem, non faciant malum. Serpentis astutia ponitur in exemplum, quia toto corpore occultat caput, & illud in quo vita est protegit. Ita, & nos toto periculo corporis nostri, caput nostrum, qui Christus est, custodiamus. Simplicitas columbarum ex Spiritus Sancti specie demonstratur, vnde dicit Apostolus, *Malitiâ paruuli estote*. Idem explanans illa verba Oseæ capite septimo, *Factus est Ephraim, quasi columba seducta non habens cor*, ita scribit: Præcepit Dominus in Euangelio, vt essemus simplices, quasi columbæ, & astuti quasi serpentes: nimirum, vt nec alijs nocere velimus, nec ab alijs patiamur insidias: sed simplicitate, & prudentia exhibeamus hominem temperatum, quia prudentia, absque bonitate, malitia est: & simplicitas absque ratione, stultitia nominatur.

62

Genes. 20.

Iob. 1.

Locus Matthæi 10.

Locus Pauli ad Rom.

S. Hieronymus.

1. ad Cor. 14.

Osea. 7.

Sed quid est quod subditur, *Iacob habitasse in tabernaculis?* Secundùm Caietanum hanc habet sententiam; Esau studuisse agriculturæ, & venationi: Iacob autem domesticis officijs, & culturæ animi sui vacasse. At secundùm Hebræos, vti referunt Lyranus, & Thostatus, nomine tabernaculorum significantur Scholarum loca, quæ frequentabat Iacob addiscens

Caietanus.

Hebræi.

cens sapientiam,& Dei timorem. Et vnum quidem tabernaculum erat ipsius Melchisedec,qui erat sapiẽs,& sacerdos Dei excelsi:alterum tabernaculum,erat ipsius Heber,qui erat propheta,& de rebus diuinis auditores suos docebat.Et verò,cum ista Hebræorum expositione satis concordat Paraphrasis Chaldaica,quæ ita vertit hunc locum: *Iacob erat vir integer,minister domus doctrinæ*,quod sic exponunt:Iacob frequentasse scholas doctorum eius temporis,& diuinæ legi percipiendæ, pietatíque studuisse.Scholam enim,Hebræi vocare solent Domum doctrinæ. *Genes.14.*

64 Sanctus Gregorius hanc historiam de diuersitate ingeniorum,morum, & studiorum Esau,& Iacob conuertens in tropologiam, pulchrè docet, Esau figuram fuisse improborum hominum,& amatorum mundi,qui neglecta sui animi cura,cultúque,toti cupiditatibus, & curis rerum terrenarum addicti,mancipitati,affixíque sunt: Iacob verò typum gessisse Sanctorum hominum,qui extra se posita,nihil ad se pertinere putantes, procurando animorum suorum cultui,Deíque obsequio,& seruitio,ac cœlestium bonorum contemplationi penitus dediti, ac deuoti sunt. Verba Gregorij in libroquinto Moralium huiusmodi sunt: Qui rebus temporalibus occupantur,tunc bene exteriora disponunt, cum sollicitè ad interiora refugiunt;cum nequaquam foris perturbationum strepitus diligunt,sed apud semetipsos intus,in tranquillitatis sinu requiescunt. Prauæ namque mentes temporalium rerum tumultus in semetipsis versare non cessant,etiam cum vacant. In cogitatione enim seruant quasi depicta, quæ amant,& quamuis nihil exteriùs faciant, apud semetipsos tamen sub pondere inquietæ quietis laborant. Quibus si earum rerum administratio præbeatur, semetipsos funditus deserunt, & fugitiua bona temporalia per intentionis cursum,continuis cogitationum passibus sequuntur. Piæ autem mentes,hæc nec cum desunt,quærunt,& grauiter,etiam cum absunt,ferunt;quia per exteriorum curam, à seipsis exire pertimescunt. Quod bene illa duorum fratrum vita præfiguratum est, de quibus scriptum est;*Factus est Esau vir gnarus venandi,& homo agricola: Iacob autem vir simplex,habitabat in tabernaculis.* Vel sicut in alia translatione legitur *habitabat domi.* Quid enim aliud per venationem Esau,nisi eorum vita figuratur,qui in exterioribus voluptatibus fusi, carnem sequuntur? qui etiam agricola fuisse scribitur, quia amatores huius sæculi, tanto magis exteriora colunt, quanto interiora sua inculta derelinquunt. Iacob autem vir simplex, in tabernaculis, vel in domo habitare perhibetur; quia omnes qui in curas exteriores spargi refugiunt, simplices in cogitatione sua, atque in conscientiæ suæ habitatione consistunt. In tabernaculis enim, siue domi habitare, est se intra mentis secreta restringere, nec exteriùs per desideria dissipare: ne, dum ad multa foris inhiant, à semetipsis, alienati cogitationibus, recedant. Hæc S. Gregorius. *S.Gregorij allegorica,& perutilis super hoc loco disputatio.*

65 Sed cur Rebecca diligebat Iacob? Dictum est Isaac dilexisse filium suum Esau,verùm non simpliciter, sed quia de venationibus eius vescebatur:Nõ enim persona Esau erat amabilis, nec aliud in eo dignũ amore *De amore Isaac erga Esau,& Rebeccæ erga Iacob.*

patris erat,præter cibum venatione eius comparatum ; quæ profectò amandi causa,admodum exilis,& leuis erat. At Rebecca præcipuè, & absolutè dicitur amasse Iacob,quia simpliciter ille,& absolutè amabilis erat. Nimirum,multa,& præclara erant in Iacob,quæ Rebeccam ad eius amorem allicerent,atque incenderent:primò,quietum, & lene, mitéque ingenium;tum animus simplex,& sincerus, modestúsque, & ad omnium virtutum studia propensissimus;deinde morum singularis integritas, & suauitas;ad hæc summa erga parẽtes reuerentia,& pietas aduersus Deum eximia.Et quia Iacob domi morabatur,continua matris cum eo consuetudo.quæ perefficax amoris esse solet conciliatrix,conciliatíque autrix,& conseruatrix.His adde,Rebeccam,Dei oraculo edoctam nouisse, Iacob præpositum iri Esau,& huius progeniem illius posteritati seruituram.Ad hanc ipsam sententiam Rupertus libro vij.Comment.in Genesim capite *Rupertus.* *Genes.4.* texto ita scribit:Ecce iam in studijs horum fratrum tanta memoratur diuersitas,quantum Cain, & Abel studia fuere dissimilia, Nam & Iacob similiter vt Abel,simplex,& (vt sequentia declarabunt)pastor fuit ouiũ: Esau autem,sicut Cain,homo agricola,& quòd sequentia docebunt,inuidendo fratri licet non actu, voluntate tamen fuerit fratricida. Dixit enim(vt infra legitur Genes. vigesimo septimo, *venient dies luctus patris mei,& occidam Iacob fratrem meum*.Ergòne talem filium pater sanctus amare debuerat,aut obliuisci,vel parui pendere poterat,quòd illi fratrem minorem cœleste iudicium prætulerat? Sed notandum, quia differt vtriusque dilectionis enunciatio. Absolutè namque Scriptura dicit *Rebecca diligebat Iacob,* cum adiunctione verò tantum dicit, *Isaac amabat Esau,* protinus adiungens: *Eo quòd de venatione eius vesceretur*.Ergo idem est,ac si hoc solùm diceretur. Isaac libenter de venationibus Esau vescebatur: nec hinc sequitur,vt eius moribus quoque delectaretur : Sicut de Iacob necessariò dicendum est,quem absolutè Rebecca diligebat:nemo enim, nisi propter virtutem,absolutè,& simpliciter amabilis, & diligendus est. Hactenus ex Ruperto.

Hoc exemplo Iacob,& Esau,qui parentibus eisdem, vnóque satu,atq; 66
vno partu procreati,diuersissimis tamen fuere ingenijs, studijs, moribus,
Breuis disputatio in Genethliacos. casibus,euentísque vtuntur Patres, quicumque scriptis disputationibus pugnarunt in Genethliacos, vanissimas eorum prædictiones ex natalitijs hominum astris deductas redarguendo. Et vt de multis, vnius duntaxat Augustini breuem hîc memorem sententiam in libro v.de Ciuitate Dei,
B.Augustinus cap.4.sic ille scribit,Nati sunt duo Gemini antiqua patrum memoria, Iacob,& Esau,vt de insignibus tantùm loquar,sic alter post alterum,vt posterior plantam prioris teneret. Tanta in eorum vita fuit,moribúsque diuersitas,tanta in actibus disparilitas,tanta in parentum amore dissimilitudo, vt etiam inimicos eos inter se faceret ipsa distantia. Vnus duxit mercenariam seruitutem,alius non seruiuit. Vnus à matre diligebatur, alter non diligebatur ; vnus honorem, qui magnus apud eos habebatur, amisit,alter adeptus est. Quid de vxoribus, quid de filijs, quid de rebus alijs complurimis, quanta diuersitas ? Sic Augustinus. Verum

ad hoc,

ad hoc, ex geminorum ortu petitum argumentum, ita respondere solent Genethliaci: Interstitium illud temporis, quo medio, Geminorum ortus interuallantur, etsi mortalibus angustissimum videtur, in cœlo tamen, ob ingentem eius vastitatem, & rapidissimam vertiginem, magnam habere distantiam & notabilem facere varietatem: atque hinc varietatem illam existere, quæ in geminorum vita, & moribus plerumque cernitur. Iuxta hoc est, quod Quintilianus dixit in Geminis languentibus: Quantum putas interfuisse temporis, dum primùm vteri pondus egeritur: dum parum per exonerata vitalia, altero rursus homine laxantur? breue fortasse, exiguúmque videatur mortalium oculis: sed si mente perspicere velis orbis huius vastitatem, scies multum esse, quod inter duas transcurrit animas. Hoc ipsum Nigidius Figulus tali exemplo demonstrabat, rotam, quã incitatissimè contortam, cum bis eodem loco signaret atramento, vel percutere, summa celeritate conatus esset, cessante postmodum rotæ circumactione, haud parua reperta est inter duas illas partes rotæ ab eo signatas, vel percussas distantia.

Genethliacorũ responsum.

Quintilian.

Nigidius Figulus.

67 Sed hoc, inquit Augustinus, figmentum Figuli, fragilius est quàm ipsa sunt vasa, quæ rota finguntur. Si enim tam breui temporis momento mutantur omnia, & tam breui variatur ratio constellationis sub quaquisque nascitur, quis de nato infante possit certi quidquam prædicere, cum illud temporis punctum in quo est natus, ita vti est, nemini possit esse cognitum? Itaque, licet magna in homines esset astrorum vis, & potestas, quid ea tamen in singulorum hominum ortu, efficerent, incompertum nobis esset: Siquidem aspectus Cœli, & positus astrorum, qui est in tempore, quo quisque nascitur, certò nequit deprehendi, quòd incitatissimus astrorum motus tarditatem nostræ considerationis, & obseruationis transuolet. Festiuè item, simul & acutè istud responsum Genethliacorum confutauit B. Gregorius homilia x. super Euangelia. si propterea, inquit, Iacob, & Esau non censentur nati sub eadem constellatione, quòd non simul nati sunt, sed vnus post alterum, ob eandem profectò causam iudicandum esset, nullum hominem sub eadem constellatione totum nasci, quia non totus simul ex vtero procedit: erunt igitur tot hominis fata, quot membra corporis. Iacob enim proximè natus est post Esau, manu plantam eius tenens; perinde quasi (quemadmodum dixit August. libro 2. de Genesi ad litteram cap. 27.) vnus infans instar duorum, vel duplo longior nasceretur.

Refellitur Genethliacorum responsum.

S. Gregorius.

Coxit autem Iacob pulmentum: ad quem cum venisset Esau de agro lassus, ait: Da mihi de coctione hac rufa, quia oppidò lassus sum: quã ob causam vocatũ est nomen eius Edõ.

VERS. 29. 30.

68 VIDE quæso frugalitatem victus priscorum illorum hominũ. In domo Isaac, licet opulentissima, atque omnium rerum copiosissima, filius eius Iacob pro lauto, & delicato cibo pulmentũ lẽtis parauerat. Hanc victus parcimoniam valde etiam

Simplicitas victus priscis tẽporibus valde culta, & laudata.

Aelian. de varia historia lib. 3.

placuisse Ethnicis, magnáque in laude, & honore fuisse testatur Ælianus, simplicitatem victus priscarum, & nobilium quarundam gentium commemorans. Arcades, inquit, glandibus vesci consueuerant: Argiui pomis, quæ Appia dicuntur: Athenienses ficubus: Tirynthij Syluestribus pyris: Indi arundinibus: Carmani palmis: milio Mœotæ, & Sauromatæ: terebintho, & nasturtio Persæ. Celebrata olim fuit sententia illa Euripidis, parcimoniam cibi commendantis, & detestantis luxuriosam,

Euripides apud Athenæũ lib. 4. & Gelliũ li. 6. ca. 16.

& prodigam hominum intemperantiam: Fruges, & aquæ potum, naturalem esse homini, maximéque salubrem cibum, & victum: cuius nusquam desit copia, nec vnquam satietas capiat: Luxum verò, aliorum ciborum venari artificia. Quam sententiam Chrysippus Stoicus, non vt Poëtæ, sed vt scenici philosophi frequenter, & magna cum laude vsurpabat, affirmans, tanquam edendi quasdam illecebras, & irritationes repertas esse, non ob vsum vitæ necessarium, sed per luxum animi, parata, atque facilia fastidientis, propter improbam satietatis lasciuiam.

Lentis Aegyptiacæ, apud veteres commendatio.

Pulmentum, quod Iacob coxerat, fuisse lentis paulò infra dicitur: & fuisse creditur lentis Ægyptiacæ; cuius maximus in Ægypto, atque optimus erat prouentus, quæ tum propter copiam, tum quòd ab externis gentibus, ob præcipuam eius commendationem expetebatur, exportabatur abundanter cum in alias terras, tum maximè in vicinam Chananitidem. 69

S. Augustinus

Hoc significans Augustinus super Psalmum 46. ad hunc modum scribit: Prior natus est Esau, & posterior natus est Iacob. Sed qui posteriùs natus est, prælatus est priùs nato, qui per gulam perdidit primogenita sua. Desiderauit enim lenticulam, & dixit ei frater eius: Si vis vt dem tibi, da mihi primogenita tua. Ille plus amauit, quod corporaliter concupierat, quàm quod spiritaliter, prius nascendo, meruerat, & deposuit primogenita sua, vt manducaret lenticulam: Lenticulam autem inuenimus cibum esse Ægyptiorum: nam ibi abundat in Ægypto, vnde magnificatur lenticula Alexandrina, & venit vsque ad terras nostras, quasi hîc non nascatur Lenticula. Ergo desiderando Esau cibum Ægyptium, perdidit primatũ. Sic & populus Iudæorum, de quo dictum est: *Versi sunt corde in Aegyptum*; Lenticulam desiderauerat, & primatum perdiderat. Sic Augustinus.

Athenæus.

Sed quod ait de Lenticula Alexandrina, id explicatiùs dicitur apud Athenæũ lib. 4. Scribit enim in vrbe Alexandria cibo è Lẽticula parato statim à teneris vnguiculis pueros nutriri; totámque eam ciuitatem eo legumine refertam, videlicet plurifariàm apertis tabernis, in quibus ea Lenticula venalis erat. Gellius libro decimo septimo, capite octauo. Loquens

A. Gellius.

de Tauro Philosopho, qui Athenis cœna plerumque auditores suos excipiebat, Eius cœnæ, inquit Gellius, fundus, & fundamentum omne erat in olla vna lentis Ægyptiacæ, & cucurbitæ inibi minutim cæsæ. Talis erat nobilissimi tunc Philosophi cœna. Narrat Athenæus sapradicto loco, decretum fuisse Stoicorum, Sapientem omnia rectè facere, atque adeo prudenter condire Lenticulam: quinetiam Zenoninum esse dicebant, bene lenticulam coquere: tanquam aliter coqui non nosset lenticula, quàm ex Zenonis præcepto, qui 12. coriandri partem inijci mãdauit.

Zenonis lenticula.

Se

Sequitur: *Da mihi de coctione hac rufa.* Hebraicè est ad verbum: *Ciba me*, vel, *Fac me comedere de rufo, rufo isto.* Verbum (Laat) significare dicitur, largè cibare, vel more ferino, magnis & crassis bolis comedere. Tam ergo illa geminatione, quàm proprietate huius verbi expressa est summa gulæ intemperantia, & flagrantissima cupiditas edendi. Quoniam autem Esau speciem illius pulmenti ignorabat, ex conspicuo eius colore rufo, quem faciebat vel natura ipsius lentis, vel condimentum aliquod, vel aliarum rerum admistio, vocauit Rufam. Hinc postea ille appellatus est Edom, id est, Rufus, nimirum ob intemperantissimam eius cibi cupiditatem; pro quo etiam primogenita sua vendidit: sed à quo, & quando id nominis acceperit dubium est. Non erat sanè pulmentum illud commune domus & familiæ Isaac: sed in proprium vsum Iacob paratum: alioqui aliunde potuisset eum cibum habere. Fortasse iucundi odoris fragrantia, index optimi saporis, tantum eius cibi desiderium in Esau excitauit atque inflammauit. Sed profectò potuisset alio cibo, cuius ei copia in domo patris deesse non poterat, famem pellere. Dicens porrò: *En morior*, ostendit ingenium gulosi hominis, & luxurioso cibatu vtentis: quicquid enim cõcupiscit, ita flagranter expetit, vt nisi protinus habeat, moriturũ sese dicat.

OCTAVA DISPVTATIO.

An Iacob peccauerit inducendo Esau ad vendendum sibi ius Primogenituræ, cui adiunctum erat sacerdotium; præsertim tam vili pretio.

Super illis verbis,

Cui dixit Iacob: Vende mihi primogenita tua. VERS. 32.

71 VIDETVR Iacob, inducendo Esau ad vendendum sibi Primogenituram pro edulio lentis, peccasse tripliciter. Etenim videtur peccasse inhumanitate, atque crudelitate, nolens, nisi tanta promissa mercede, cibum dare fratri suo petenti, ac ingenti lassitutine, cruciabilique fame affecto, cui sanè gratis dare, atque adeo offerre vltro debuerat. Deinde iniquum videtur fuisse, tam vili pretio, quale est lentis edulium, fecisse sibi vendi tantum bonum, quantum Primogenituræ ius, id temporis, continebat; abutendo scilicet fratris sui indigentia ac necessitate. Nec verò mundus videtur fuisse Iacob à peccato Simoniæ: siquidẽ ius Primogenituræ, in eo tẽpore, adiunctum habebat sacerdotium; quamobrem, nisi cum crimine Simoniæ, venale non erat. Neque Esau sponte volũtatis suæ ad id vendendum paratus

Tres rationes ob quas videtur Iacob peccasse.

paratus erat, quemadmodum de vsurarijs dici solet, sed lassitudinis & famis quasi necessitate quadam ad id compulsus est à Iacob, non aliter indigentiæ ac necessitati ipsius satisfacere volente.

Caietani explicatio propositæ quæstionis.

Pleni, & propemodum absoluti, super hunc locum Genesis, commentarij vicem implere potest, quod super 2. 2. B. Thomæ scriptum reliquit Caietanus. Namque inibi & subtiliter propositæ disputationis difficultatem ostendit, atquè eam satis enucleatè declarat & dissoluit. Verba S. Thomæ quæ tractat Caietanus, ex artic. 4. quæst. 100. huiusmodi sunt: Ius Primogenituræ debebatur Iacob ex diuina electione, secundùm illud Malachiæ 1. *Iacob dilexi: Esau autem odio habui:* Et ideo Esau peccauit primogenita vendendo: Iacob verò non peccauit emendo, quia intelligitur suam vexationem redemisse. Hæc S. Thomas. Super hisce verbis acutè doctéque disputans Caietanus, ita scribit: Inexcusabilis videtur Iacob: tum quia inhumanitatis est, negare fratri lasso, pulmentum paratum: tum quia induxit Esau ad peccandum, vt venderet sibi Primogenituram; ad quod ex se paratus non erat Esau: tum quia Esau non vexauit Iacob in iure Primogenituræ, sed naturali iure illud possidebat pacificè, tanquam prior natu; quare non habet hîc locum redéptio vexationis, quippe quæ præsupponit vexatorem. Nec sufficit dicere, ius Primogenituræ debitum fuisse Iacob ex diuina electione: non enim ob hoc licitum erat, inducere fratrem ad peccandum, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona, ad Rom. 3. nec Esau tenebatur renuntiare iuri quod in Primogenitura habebat, cum nihil ei de voluntate ac decreto Dei compertum esset. Sed ad hoc dicẽdum est, quia Deus reuelauerat Rebeccæ, quòd maior filius eius seruiturus esset minori; nec dubitandũ est quin ipsa declarauerit hoc Iacob, vt quem vnicè diligebat; ex eo sequitur, vt Iacob, certus ius Primogenituræ ex diuina electione sibi deberi, id ab Esau, tanquam ab occupatore iuris sui, quoquomodo posset, redimere voluerit, præsertim autem in eo tempore, quo poterat commodè vti iniquitate illius, ad sui iuris cõsecutionem. Vnde licet Esau peccauerit, sicut manifestè docet Paulus ad Hebræos 12. Iacob tamen excusatur: primò quidem ab inhumanitate, tũ quia Esau non necessitatis, sed delectationis causa mouebatur: Tum quia prudentis est, negare aliquid occupatori iuris sui, quando sperat per huiusmodi negationem, se quod suum est recuperare posse. Secundò excusatur ab inductione ad peccatum, non minus quàm offerens pecuniam occupatori sui beneficij ecclesiastici. Non enim est hoc inducere ad peccatum, sed alij non solùm parato ad peccandum, verùm etiam actu peccanti, detinendo scilicet quod suum non est, offerre redemptionem secundũ veritatem, quamuis secundùm modum loquendi, & secundùm intentionem alterius videatur esse aliud. Vnde dicens Iacob: *Vende mihi primogenita tua*, reuera hunc sensum facit: Da mihi primogenita quæ verè sunt mea: & quia non vis gratis dare, offero prandium abs te tantopere expetitum. Et secundùm hunc sensum intelliguntur omnes redemptiones vexationum. Non ergo Iacob induxit Esau, ad peccandum, qui reuera occupator erat Primogenituræ, & ob id erat vexator, & tenebatur renunciare

ciare, quia tenebatur obedire diuinæ ordinationi: sed ipse Esau occasionem peccandi accepit ex verbis Iacob. Nec obstat si dicatur, Esau inscium diuinæ ordinationis, bona fide tenuisse Primogenituram, quoniam etiam si sciuisset Esau diuinam ordinationem, non propterea cessisset, sed nihilominus retinere eam voluisset. Siquidem cognita post ordinatione patris, & Dei, cum Iacob præripuit ei benedictionem patris, dixit: *Venient dies luctus patris mei, & interficiam Iacob, Genes. 27.* Licuit ergo redimere vexationem suam ab ignorante; & quidem tantò magis, quantò minus peccandi occasionem accipit ignorans se possidere alienum, quàm sciens. Hactenus ex Caietano.

Diluuntur tres, supra positæ obiectiones.

73 Ex hac disputatione Caietani satis apparet, nec peccasse Iacob, simúlque quemadmodum primæ obiectioni earum trium quas in principio huius disputationis posuimus respondendum sit. Obijciebatur enim inhumaniter crudelitérque Iacob egisse cum fratre suo Esau, quòd ei multùm lasso esurientíque, nisi antè promissa venditione Primogenituræ, cibum dare noluerit. Respondetur enim, sciuisse Iacob, illam cibi petitionem Esau, non ex necessitate, aut magna indigentia proueniss̃e, sed ex immodica cupiditate, nimiæque gulæ intemperantia. Potuisset enim lassitudinem & famem aliter tollere, quàm per esum illius pulmenti, quare prudenter eam occasionem atque opportunitatem Iacob arripuit, vt quod suum erat, sibíque Dei voluntate delatum fuerat, obtineret. Si enim Esau tunc in extrema fuisset necessitate, nec eam aliter propulsare, nisi per illud pulmentum lentis potuisset, haud dubiè non peccasset in eo quod egit, aut certè non tam grauiter; sed grauissimè peccasset Iacob. Atqui grauissimum fuisse peccatum Esau, testificatur B. Paulus, appellans eum profanũ, quòd ob escam vendiderit primogenita.

Ad Heb. 12.

Traditio Hebræorum quòd Iacob præter edulium lentis aliud magnũ pretium dederit Esau pro venditione Primogenituræ, sed id refellitur.

74 Altera obiectio illic posita, hæc erat; videri peccasse Iacob, quòd fecerit sibi tam vili pretio vendi ius Primogenituræ. Tradunt Hebræi (vt memorant hoc loco Lyranus & Thostatus) non fuisse pulmentum illud lentis, datum Esau tãquam iustum pretium venditionis primogenituræ; illud enim principale pretium, fuisse magnum aliud quoddam pretium, quantum scilicet competens erat tanti boni venditioni: sed pulmentum illud lenticulæ, fuisse datum per modum cuiusdam humanæ consuetudinis. In translatione enim rei cuiuspiam magni pretij, is qui eam emit, vltra pretium, præbet vrbanitatis cuiusdam gratia, vinum vel prandium vendenti. Sed cõtra hanc Hebræorũ traditionẽ facit sententia B. Pauli ad Hebr. cap. 12 affirmantis, Esau propter vnam escã vendidisse sua primogenita. Quãuis verba hæc Pauli sic interpretari quispiã posset, illud (propter) nõ significare causã principalẽ vẽditionis, totúmque pretiũ, sed tantummodo motiuum quoddã, vt loqui in scholis solemus, quo Esau adductus est vt pro tali pretio venderet primogenita: vel significare rationem, sine qua non vendidisset; fames enim, vel vt veriùs dicam, gulæ intemperantia fecit, vt qui nullo pretio Primogenituram vendidisset, tunc venderet constituto aliquo pretio. Verùm istam Hebræorum opinionis defensionẽ excludit historia huius loci, quæ nullum aliud pretium nominat, præter edulium len-

Lyranus.

Thostatus.

tis,quo venditio Primogenituræ inter illos pacta sit. Id ipsum conuincũt supradicta Pauli verba:Si enim magno alio pretio vendidisset primogenita Esau,non dixisset Paulus præcisè & absolutè,vendidisse eum Primogenituram propter vnam escam. Quocirca vera eius obiectionis solutio, hæc est.Sciebat Iacob ius Primogenituræ suum esse,nec legitimum illius esse possessorẽ Esau;& idcirco poterat sine pretio vllo eam accipere. Illud ergo non obtulit vt verum pretium,cum vera nec emptio nec venditio esset:sed quò traheret Esau ad id dandum sibi,nõ aliter daturum. Nec sanè Iacob voluit emere;quippe cum emptio sit alienæ rei,& ab alio iusto eius rei possessore ac domino.Abusus itaque est Iacob verbo vendendi, propter ignorantiam & malitiam Esau:ignorantiam dico, quia nesciebat Primogenituram,Dei decreto translatam esse ad Iacob: malitiam verò, quia licet sciuisset,non tamen ei cessisset.

Restat tertia obiectio,quomodo Iacob emerit,& vendi fecerit sibi ius 75
Primogenituræ,cui eo tempore annexum erat Sacerdotium;qua ex parte quiddam erat spirituale, atque ob eam cãusam nequaquam venale. Sed huius obiectionis communis fermè omnium est illa solutio:Esau peccasse vendendo,quia quod suum esse putabat,nec esse quadamtenus spirituale ignorare poterat, victus cupiditate gulæ,vendidit:At Iacob non voluit emere,quia suum id esse sciebat:sed voluit redimere suam vexationẽ,quoquomodo poterat acquirens, & recipiens ab Esau,qui tunc id occupabat, & tenebat.Hanc peruulgatam,& communem solutionem bene Lippomanus explicuit in catena super hunc ipsum locum Geneſis. Primogenituræ,inquit, de qua hîc agitur,fuit successio patris in principatu, atque honore eius,ita vt ceteri fratres assurgerent ei,& ministrarẽt sicut filij patri. Accipiebat item Primogenitus, ex omnibus bonis paternis, duas portiones.Præterea in solennitatibus,& cõuiuijs publicis,solitus erat benedicere iunioribus,& Deo victimas,ac sacrificia offerre. Quocirca Primogenitura aliquid spirituale includebat,maximè verò Sacerdotium,& auctoritatem benedicendi Quomodo ergo Iacob petijt sibi talem primogenituram vendi,cùm hoc esse Simoniacum videatur? Respondetur, Iacob, docente matre,cognouisse ius Primogenituræ,Dei volũtate, & decreto, sibi esse delatum,vnde suam intelligitur vexationem redemisse,reuocando prudenter ad se,quod sibi ex gratia Dei competebat,licet tum ab Esau occuparetur.Dicunt etiam nonnulli sicut ius Patronatus, partim est spirituale,& partim temporale; propter quod per se quidem vendi non potest,sed potest tamen cum fundo vendito transferri in alium: ita ius primogenituræ cum redditibus,aliisque bonis temporalibus ad se pertinentibus,transferri poterat per venditionem.Sic Lippomanus.

Lippomanus.

Breuis disputatio,an primogeniti omnes essent Sacerdotes.

Verumenimuerò, istud ipsum,quod ab omnibus fermè receptum, & 76
vsurpatum est, ius Primogenituræ, in illo tempore, coniunctum fuisse cum sacerdotio,ita vt primogeniti solùm sacerdotali dignitate,ac munere fungerentur,posset in dubium vocari.Si quidem legimus, Abel,qui erat secundus natu filius Adam,non solùm sacrificasse,verùm etiam sacrificasse coram fratre suo primogenito Cain,idque sacrificium,à Deo fuisse cœ

Genes.4.

lesti

lesti signo approbatum. Caietanus certè obscurum sibi, dubiúmque esse id non dissimulauit, ita scribens hoc loco, An primogenitura esset non venalis, eo quòd sacerdotium haberet annexum, sacra scriptura non tradit: immo Rubenitæ aduersus Mosen non pro sacerdotio, sed pro principatu, tanquam debito primogenito, contendebant, vt patet ex capite xvj. Numerorum. Et nisi Iacob, ob reuelationem factam matri diuinitus excusetur à prouocatione fratris ad huiusmodi peccatum vendendi, excuset ipsũ, qui nouit: ego enim aliter excusare nescio. Sic Caietanus. At Oleaster non dubitanter id negauit super hunc ipsum locum ita scribens: Sacerdotium putarem non fuisse ante legem Mosis debitum primogenito. Post legem tamen primogeniti illud requirebant, quasi sibi iure debitum. Patet etiam de Eleazar, qui patri suo Aaron successit in sacerdotium, cum esset primogenitus eius filius. Et quanquam ante legem multi asserunt hoc fuisse obseruatum in populo Dei, mihi tamen non liquet, quicquid fuerit apud Gentiles. Cum videam Abel, non secus, quàm Cain, sacrificasse Deo. Neque filij Ruben vnquam (quod ego sciam) de sacerdotio contenderũt. Sed enim post sacerdotij Mosaici institutionem, cum filius esset hæres in patris dignitate, credibile est, Primogenitum, etiam Sacerdotium hæreditasse. Sic Oleaster.

Caietanus.

Num. 16.

Oleaster.

77 Ex aduerso tamen est communis doctorum sententia, aientium, ante legem Mosis, & post diluium, omnes primogenitos fuisse simul sacerdotes. Huius sententiæ prima origo, ac præcipuum fundamentum, est antiqua, ac percelebris Hebræorum traditio, quam Hieronymus hisce verbis commemorat in Epistola cxxvj. quam scripsit ad Euagrium: Tradunt Hebræi, quod vsque ad sacerdotium Aaron, omnes primogeniti, ex stirpe Noë, cuius series, & ordo describitur in scriptura, fuerint sacerdotes, & Deo victimas immolarint: & hæc esse primogenita, quæ Esau vendiderit fratri suo Iacob. Ex hisce verbis Hieronymi elicitur solutio illius obiectionis supra positæ de Abel, qui sacrificauit coram fratre suo primogenito: si quidem, quòd sacerdotium fuerit proprium primogeniti, id fuisse institutum post diluuium in posteris Noë docet sanctus Hieronymus. Idem in traditionibus Hebraicis in Genesim super caput xxvij. In eandem sententiam scribens: Traditum est, inquit, ab Hebræis, primogenitos esse functos officio Sacerdotum, & habuisse vestimentum Sacerdotale, quo induti, Deo victimas offerebant, antequam Aaron in sacerdotem eligeretur. Hæc Hieronymus, quem penè omnes post secuti sunt Doctores. Neque B. Augustinus non id significauit super psalmum quadragesimum sextum, scribens, Esau cupiditate gulæ spiritualem, quam nascendo acceperat dignitatem vendidisse: sed quæ, obsecro, erat spiritualis dignitas Esau nascendo accepta, nisi primogenitura coniuncta cum sacerdotio, sine quo dici spiritualis nullo modo posset?

Hebræorũ traditio ex S. Hieronymo.

78 Hæc porrò sententia communis potest cõfirmari dupliciter. Ac primo quidem Exodi 19. sic est scriptũ, *Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur.* Sed qui erant tunc illi Sacerdotes, cum nondum esset institutum Sacerdotium legale? non alij sanè, nisi primogeniti, &

Locus Exodi. 19.

principes singularum tribuum ; quos paulò infra in XXIIII. capite eiusdem libri proditum est, obtulisse victimas & sacrificasse Deo. Atque hunc locum explanans Caietanus, abiecta dubitatione, quam præ se tulerat in libro Geneſis, vt diximus, sine cunctatione discessit in hanc communem sententiam. Similis, inquit, protestatio fit ad Sacerdotes, qui illo in tempore erant primogeniti: ne Sacerdotes putarent se exemptos conteſtationi quæ fiebat populo. Et facta est specialiter mentio sacerdotũ, eo, quòd ipsi, *vtpote sacrificantes Deo*, essent propinqui Deo, & hinc occasionem fiduciæ ascendendi in montem, assumere poterãt. Hæc Caietanus. Oleaster quoque eundem locum Exodi tractans, transit ad hanc sententiam communem; sic enim scribit: sed cum nondum essent sacerdotes instituti à Deo; dubium est, qui fuerint illi sacerdotes. Hebræi dicunt esse primogenitos filiorum Israël, qui tunc sacerdotio fungebantur. Dictio Hebræa (Cohen) non modo sacerdotem significat, sed etiam principem; quare posset ibi loco sacerdotum, verti principes. Sed quia proximè additur, *qui appropinquant Domino* videtur sermo esse de sacerdotibus. Legimus infra cap. 24. pueros principum populi Israël, obtulisse Domino holocausta & sacrificia pacifica. Vnde videtur acceptanda illa Hebræorum traditio. Hactenus bene Oleaster. Verùm extemplò resiliens ex hac opinione, subdit: Mihi tamen ista traditio non plenè satisfacit: & ideò crediderim, iam tum fuisse sacerdotes institutos, licet Scriptura id postea commemoret. Manifestè enim conuincitur, Scripturam sæpius non seruare ordinem rerum gestarum, vt infra cap. 24. ostendemus. Sic Oleaster. At enim, ante datam legem Mosis, fuisse tunc Aaronicum sacerdotium constitutum, nec verum est, nec verisimile, sed contra omnium Hebræorum iura, Christianorúmque Doctorum sententiam, contra sacram Scripturam, & contra ipsam rationem; quod quidem, si id nunc ageretur, multis & firmis rationibus probare possem.

Caietanus.

Oleaster.

Altera ratio probandi hanc communem sententiam, ducta est ex verbis 79
B Pauli. Sic enim ille scribit in cap. 12. epistolæ ad Hebræos: *Ne quis sit fornicator, aut profanus, vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primogenita sua.* Illud (fornicator) non pertinet ad Esau; non enim talis flagitij arguit eum scriptura: sed refertur ad id quod paulò antè dixerat Paulus, sanctimoniam esse colendã, *Sine qua nemo videbit Deum.* Illud verò (profanus) propriè spectat ad Esau. Sed cur is appellatur profanus? nempe, quia vendidit primogenituram, quadam ex parte sacram & spiritualem, cui videlicet adiunctum erat sacerdotium. Si enim Primogenitura, res fuisset omnino corporalis, & secularis, propter eius venditionem, non debuisset appellari profanus, sed vel prodigus, vel intemperans, vel insipiens. Sanè vox ipsa, profanus, cum in persona quapiam dicitur, significat hominem non initiatum sacris, remotum à sacris, expertem sacrorum, & irreligiosum. Cuius vocis antitheta, sunt, sanctum, sacrum, & Religiosum. Et hoc animaduertere est in sacra Scriptura. Etenim Leuit. 10. sic legitur: *Vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum.* Et cap. 19. *Si quis post biduum comederit ex ea, profanus erit, & impietatis reus: portabitque iniquitatem*

Locus Pauli ad Hebr. cap. 12.

Quid in Scriptura significet, Profanus, & profanare.

Locus Leuit. 10. & 29.

tem suam, quia sanctum Domini polluit. Et apud Ezechielem capite vigesimo secundo, *Sacerdotes eius contempserunt legem meam, & polluerunt sanctuaria mea; inter sanctum & profanum non habuerunt distantiã.* Ac demum in primo lib. Regum cap. 21. *Achimelech pontifex petenti Dauidi panes in cibum suum, & sociorum, respondit: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantùm panem sanctum.* Pro illa voce (laicos) Hebræa vox (Chol) ibi posita significat profanum, & sic alibi vertitur à Latino interprete, vt ex supradictis scripturæ locis manifestũ est. Quocirca sicut apud Latinos profanũ & sacrum, siue sanctum, sunt antitheta, & oppositа: ita Chol & Chados apud Hebræos. Verbum item Profanandi significat in scriptura rem sacram polluere, vel humanos aut mundanos in vsus conuertere: vnde legitur Nehemiæ 13. profanare diem sabbati: & Psalmo 88. profanare testamentum Dei, & sanctuarium, & iustitias Dei. Apparet igitur, propterea dictum esse à B. Paulo Esau profanum, quòd is rem sacram & spiritualem, id est, Sacerdotium Primogenituræ adiunctum, quasi rem quampiam omnino corporalem & secularem, irreligiosè atque impiè vendiderit.

80 Miror igitur cur Græci expositores in illo Pauli loco, vocem Græcam βέβηλος, pro qua ibi est Latinè, profanus, verterint Gastrimargum, id est, ventri gulæque deditum; nam Gastrimargiam definit Cassianus initio libri quinti, Gulæ concupiscentiam: Nusquam enim ea vox tali significatu vsurpata reperitur, sed apud Græcos idem significat, atque vox, *profanus*, apud Latinos. Suidas quippe βέβηλον interpretatur τὸν ἀμύητον, καὶ μιαρὸν, id est, sacris non initiatum, & impurum. A quo prope abest Chrysostomus, interpretans intemperantem, mundanum, & spiritualia repellẽtem. Et quamuis eo loco B. Thomas, profanum, exponat gulosum, haud dubiè respiciens non ad venditionem Primogenituræ, sed ad causam propter quam Esau vendidit Primogenituram: attamen in Commentario eius loci Pauli, sententiam hanc communem de sacerdotio cum Primogenitura coniuncto, apertis verbis confirmat, ita scribens: Ius primogeniti habebat duplicem portionem, & ante sacerdotium Aaron habebat honorem sacerdotalem: Vnde in hoc commisit Esau Simoniam: Iacob tamen non peccauit Simoniacè, illud emendo; quia per Spiritum sanctũ intellexit illud sibi deberi: & ideo non emit, sed quod sibi debebatur, ab iniusto possessore redemit. Similiter Caietanus eundem Pauli locum exponens: Fuit, inquit, illa venditio Primogenituræ Esau profana; eo quòd Primogenituræ ius sacrum erat: Siquidem primogeniti erant sacerdotes ante legem Moysi.

Animaduersio in expositores Græcos super voce Græca βέβηλος.
Cassianus.
Suidas.
Chrysosto. in ho. 12. Epistolæ ad Hebr.
Caietanus.

NONA DISPVTATIO.

De peccato Esau; quale, quantum, & quotuplex fuerit admissum in illa venditione Primogenituræ.

Super illis verbis,

VERS. 34. Et sic accepto panis & lentis edulio, comedit, & bibit, & abijt, paruipendens quòd primogenita vendidisset.

ANTE omnia constituendum est, non peccasse Esau tenendo ius primogenituræ, & non vltro illud tradendo Iacob, 81
cui nempe Dei voluntate ac decreto delatum fuerat. Etenim bona fide illud possedisse Esau, tribus constat argumentis. Primùm enim, sciebat, sibi, vt prius genito, naturali iure, dignitatem & honorem primogenituræ deberi. Deinde, videbat se, vt primogenitum, cum ab alijs omnibus, tum præcipuè à patre suo Isaac, cuius erat id declarare, haberi & honorari. Quid quod, ei non liquebat de reuelatione Dei facta Rebeccæ, & de iure primogenituræ per Dei sententiam & decretum à se in Iacob translato?

Quinque vel sex peccata Esau in venditione primogenitorũ admissa, & primùm Gulæ peccatum.

S. Gregorius de sex modis peccandi per intemperãtiã Gulæ.

Quodnam igitur fuit peccatum Esau? Non vnum sanè, nec vnius modi, nec leue; sed multiplex, pluriforme, multóque grauissimum. Ac proprium quidem & principale peccatum eius, fuit intemperantia gulæ: hac enim tentatus & victus, vendidit primogenituram, quam alioqui nullo modo vendidisset. Atque hoc manifestum & certum facit illa Pauli sententia; *Sicut profanus Esau, qui propter vnam escam, vendidit primogenita sua.* S. Gregorius in lib. 30. Moral. recenset quinque modos peccandi secundùm gulam: primò anticipando tempus comedendi, vt de Ionatha legitur 1. Reg. 14. Secundò, delicatiorem quàm necesse est, cibum concupiscendo: vt de Hebræis carnem in deserto concupiscentibus proditum est Num. 11. Tertiò, delicatiorem ciborum coctura, & conditurã expetendo, vt traditur de filijs Heli, 1. Reg. 2. Quartò, ob nimiam copiam ciborum, & saturitatem ventris, vt de Sodomitis scribit Ezech. cap. 16. Quintò, ob ardentissimam edendi cupiditatem, vt hoc loco Moses narrat de Esau. His addi fortasse posset sextus modus peccãdi secundùm gulã, comedendi scilicet, quæ graui præcepto, & sub graui pœna interdicta sunt, vt Adã, & Eua de ligno scientiæ, boni, & mali, sicut narratur Gen. 3. 82

Verba S. Gregorij hæc sunt: Sciendũ est, quia quinque modis nos gulæ vitium tentat. Aliquando enim indigentiæ tempora præuenit: aliquando cibos lautiores quærit: aliquando, quæ sumẽda sunt, præparari accuratiùs expetit: interdum in ipsa quantitate cibi sumendi, mensuram moderatæ 83

refe

refectionis excedit. Nonnumquam verò & abiectius est quod desiderat: & tamen ipso actu immensi desiderij deteriùs peccat. Mortis quippe sententiã, patris ore, Ionathas meruit; quia in gustu mellis, præscriptũ edendi tẽpus anteuertit. Et ex Ægypto populus eductus, in eremo occubuit, quia despecto manna, cibos carnium petijt, quos lautiores putauit. Et culpa filiorum Heli fuit, quòd noluerunt, antiquo more, coctas carnes de sacrificio accipere, sed crudas, vt accuratiùs coctas ederent. Et cum ad Hierusalem dicitur: Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia: apertè ostenditur, quod iccirco salutem perdidit, quia superbiæ vitio mensuram moderatæ refectionis excessit. Et primogenitorum gloriam Esau amisit quia magno actu desiderij, vilem cibum lenticulæ concupiuit, quam dum primogenitis prætulit, quo in illum appetitu anhelaret, indicauit. Neque enim cibus, sed appetitus in vitio est. Vnde, & lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, & abiectiores non sine reatu Cõscientiæ degustamus. Esau primatũ ob lenticulam perdidit; & Helias in eremo, virtutem spiritus, carnes edẽdo seruauit. Quare Diabolus sciẽs non cibũ sed cibi concupiscentiã esse causã dãnationis, & primũ sibi hominẽ, non carne, sed pomo, subdidit, & secundùm nõ carne, sed pane tentauit. Hinc fit, vt plerũque Adã culpa cõmittatur, etiã cùm abiecta, & vilia sumuntur. Neque enim Adã solus, vt à vetito se pomo contineret, præceptũ prohibitionis accepit; siquidẽ cum aliměta quædam saluti nostræ Deus contraria indicat, ab ijs nos quasi per sententiam prohibitionis vetat. Et dum concupiscentes, noxia attingimus, quid aliud quàm vetita degustamus? Sunt itaque sumenda, quæ naturæ necessitas quærit, & non quæ edendi libido suggerit. Hæc B. Gregorius.

3. Reg. 19.

Genes. 3.
Matth. 3.

Genes. 2.

84 Alterum peccatum Esau fuit vecordia, & vilitas animi, tantum bonum primogenituræ, tam paruo, vilique pretio vendentis. Tertium peccatum, fuit Simoniæ: vendidit enim rem sacram, id est, sacerdotium eo tempore annexum Primogenituræ. Quartum peccatum, fuit ingratitudinis; hanc enim in isto facto Esau, agnoscit, & exaggerat Chrysostomus homilia 50. in Genesim. Vendidit Esau propter cibum, ait Chrysostomus, dignitatem naturâ sibi datam, & ideo ingratus fuit, atque indignus ea. Hoc autem totum factum est, vt illius demonstraretur ingratitudo, & Dei oraculum adimpleretur. Hæc igitur nos audientes, discamus, numquam negligere dona à Deo nobis data, neque perdere magna, propter parua, & vilia. Hæc Chrysostomus. Quintum fuit, peccatum obstinationis in malo, atque impœnitentiæ: non enim tantùm peccauit ex perturbatione animi dum flagrans libidine gulæ propter vnam escam, vendidit primogenita: sed postea, iam expleta fame, exsaturatáque cupiditate, nihilominus permansit in peccato, nec resipuit. Idque, secundùm Caietanum, satis indicauit Moses dicens, illum cibo, & potu satiatum abijsse, paruipendentem venditionem primogenitorum. Nec erraret fortasse quispiã si diceret, eum perfidiæ quoque, ac periurij crimine peccasse. Iccirco enim paruipendit, quod pollicitus, & interposito iureiurando pactus cum Iacob fuerat, quia non habebat in

Secũdum peccatum stultitia, & vilitas animi.

Tertium peccatum Simonia.

Chrysostom.

Quartũ peccatum, ingratitudo.

Caietanus.

Sextum peccatum, perfidia, & periurium.

in animo id seruare: & quia putabat patrem suum, tale eius promissum irritum cassúmque facturum: & sperabat numquam se fratri suo cessurum iure primogenituræ. Et idcirco dicitur, eum abijsse, paruipẽdentem quòd primogenita vendidisset.

85 Cæterum quia Patres tradunt, Esau gessisse typum impiorum hominum, ac reproborum, cursim captímque declarandum est, quibus in rebus Esau reprobos homines præfigurauerit. Licet autem huiuscemodi res ad duodecim fermè capita redigere. Ac primò quidem Esau secundùm legem naturæ, prior fuit, & apud homines præstabilior, atque honorabilior: contrà verò Iacob, talis fuit non apud homines, sed apud Deum. Sic plerumque, Malos videas excellere naturalibus donis ingenij, memoriæ, prudentiæ, nobilitatis, sanitatis, roboris, pulchritudinis, & ab hominibus præcipuè coli, & honorari: coram Deo autem inglorios, & ignobiles, & abiectos esse: *Homo enim videt ea quæ apparent, Deus autem intuetur cor.* Secundò de Esau, & posteritate eius dictum est: *Maior seruiet minori.* Ita reprobi videntur dominari bonis, sed profectò seruiunt illis: tum in hac vita, quia illorum dominatio deseruit promouendæ Sanctorum in terris virtuti, & amplificandæ in cœlis felicitati: tum maximè post hanc vitam; tunc enim, vt scriptum est Sapientiæ 3. *Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis.* Tunc etiam complebitur quod promisit Deus Sanctis (referente B. Ioanne Apocalypsis 2.) *Qui vicerit, & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes, & reget eas in virga ferrea, &c.* Tertiò, collisio, & concertatio Esau cum Iacob intra vterum matris, significabat malos Christianos, siue in hoc mundo, siue in Ecclesia, siue in religiosis congregationibus, commoturos pugnas, & bella, & persecutiones contra bonos, & perfectos Dei seruos. Quartò; Prior egressus est ex vtero Esau; sed eius egredientis calcaneum, proximè subsequens Iacob, apprehensum tenebat. Ad eundem modum, Reproborum priora sunt læta, & prospera, & in speciem expetenda: at extrema, & nouissima, sunt luctuosa, & funesta, & plena sempiternæ infelicitatis, & miseriæ. Victoria igitur, & præstantia Electorum super Reprobos apparet in calcaneo, id est, in nouissimis eorum. Quocirca Dauid psalmo 72. cum super impiorum prosperitate multa disputasset, illud denique adiunxit, *Existimabam vt cognoscerem, hoc labor est ante me. Donec intrem in Sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum.* Et sæpe diuina scriptura suadet, ne commoueamur prosperitate impiorum cernentes præsentem eorum felicitatem: sed spectemus, æstimemúsque eorum vltima, & nouissima. De quo nos etiam suo exemplo monet Dauid, dicens Psalmo 36. *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat; quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.* Quintò, Esau totus erat pilosus, & hispidus: quod quidem denotabat asperos eius mores, ferocem animum, versutum, & astutum ingenium & libidinosum affectum: tales sunt fermè impij, & reprobi. Sextò, Erat Esau venator, & agricola: & hac re præsignabantur studia, & curæ eorum, qui amatores sunt temporalium bonorum, & toto pectore incumbunt ad consectandam,

Esau duodecim in rebus præfiguraſſe impiorum, ac reproborũ hominum ingenia, mores, ſtudia facta, exitus denique, & fines.

1. Reg. 6.

Locus ex ca. 3. Sap.

& com

& comparandam mundanam felicitatem. Hoc autem pulcherrima disputatione S. Gregorius declarauit; quam nos paulò supra numero 60. commemorauimus. Septimò pro vna esca lenticulæ vendidit magnum Primogenituræ bonum: ad eundem modum Reprobi, ius adoptionis filiorum Dei, & spem vitæ æternæ, commutant cum amore & voluptate breuissimorum, & vilissimorum bonorum: quorum sanè commutatio, stultior, & stolidior est multò, quàm illa Diomedis & Glauci armorum commutatio, apud veteres celebratissima. Octauò. Esau tãtum damnum, quòd vendita primogenitura fecerat, paruipependit: Sic Reprobi amissionem diuinæ gratiæ, & cœlestis gloriæ pro nihilo ducunt. Nonò. Esau vxores ducens mulieres Chananæas, vehementer parentes suos offendit, vt scriptum est in fine capitis xxvj. Ita prorsus mali Christiani, ardentissimo amore copulati bonis terrenis, & Deum grauiter offendunt, sanctam Ecclesiam valdè contristant. Decimò. Sensit denique Esau mala, & damna sua, & ingemuit, & fleuit, & pœnituit: Sed irrita, & cassa pœnitentia. In libro etiam Sapientiæ describitur sera, & infructuosa pœnitentia, quam in nouissimo agunt Impij non ex dolore culpæ, & amore Dei, sed ex damno perditionis æternæ susceptam. Vndecimò; Esau perpetuò oderat Iacob, & vitæ eius insidiabatur. Similiter Dominus dixit discipulis suis: *Mundus vos odit: Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret: quia verò de mũdo non estis, propterea odit vos mundus*: Duodecimò. Isaac diligebat Esau, non simpliciter, sed secundùm quid, quia de eius venatione vescebatur, quæ satis leuis erat diligendi causa: at Rebecca præcisè, & simpliciter, & absolutè diligebat Iacob: cùm enim esset vir innocens, & sanctus, vsquequaque amabilis, & diligendus erat. Mali quoque homines, non sunt diligendi, nisi secundùm quid; quòd propter eorum nonnulla opera, & artificia, & inuenta corporalia, sæpe prosunt, & vtiliter deseruiunt Societati humanæ; at electi, & Sancti, vt magni sunt, & honorati coram Deo, ita simpliciter amandi sunt, & honorandi. Considera quid per Malachiam dixerit Deus: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*

Gregor. lib. 5. Moral.

Sapien. 5.

Ioan. 3.

Malach. 1.

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA IN GENESIS

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

ARGVMENTVM.

De profectione Isaac ob famem, ex terra Chanaan in Vrbem Geraram, ad Regem Abimelech: de prosperitate item eius dum ibi peregrinaretur: simúlque vexatione quam passus est à Philistinis: denique de fœdere inter ipsum & Abimelech: & de coniugio Esau.

1 ORTA autem fame super terram, post eam 1
sterilitatẽ quæ acciderat in diebus Abra-
2 ham, abijt Isaac ad Abimelech regem Pa-
læstinorum in Gerara. Apparuitque ei
Dominus, & ait: Ne descendas in Ægy-
3 ptum, sed quiesce in terra quam dixero
tibi. Et peregrinare in ea, eróque tecum,
& benedicam tibi: tibi enim & semini tuo dabo vniuersas regiones has, complens iuramentum quod spopondi Abraham
4 patri tuo. Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli: dabóque posteris tuis vniuersas regiones has: & benedicentur in se-
5 mine tuo omnes gentes terræ, eo quòd obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta & mandata mea, & ceremonias legésque seruauerit. Mansit itaque Isaac in Geraris. Qui cùm interrogaretur à viris loci illius super vxore sua, respõdit:

soror

soror mea est:timuerat enim confiteri quòd sibi esset sociata 6 7
coniugio, reputans ne fortè interficerent eum propter illius
pulcritudinem.Cúmque pertrãsissent dies plurimi, & ibidem 8
moraretur,prospiciens Abimelech Rex Palęstinorum per fe-
nestram,vidit eum iocantem cum Rebecca vxore sua. Et ac- 9
cersito eo,ait:Perspicuum est quòdvxor tua sit:cur mentitus es
eam sororem tuam esse?Respondit:Timui ne morerer propter
eã.Dixítque Abimelech: Quare imposuisti nobis?potuit coi- 10
re quispiam de populo cum vxore tua, & induxeras super nos
grande peccatum.Præcepítque omni populo,dicens: Qui te- 11
tigerit hominis huius vxorẽ, morte morietur.Seuit autẽ Isaac 12
in terra illa,& inuenit in ipso anno centuplum: benedixítque
ei Dominus.Et locupletatus est homo,& ibat proficiens atque 13
succrescens, donec magnus vehementer effectus est; habuit 14
quoque possessiones ouium & armentorum,& familiæ plurimum. Ob hoc inuidentes ei Palæstini, omnes puteos quos 15
foderant serui patris illius Abraham, illo tempore obstruxe-
runt,implentes humo:in tantum, vt ipse Abimelech diceret 16
ad Isaac:Recede à nobis; quoniam potentior nobis factus es 17
valdè.Et ille discedens,vt veniret ad torrentem Geraræ,habi- 18
tarétque ibi, rursum fodit alios Puteos, quos foderant serui
patris sui Abraham, & quos, ille mortuo, olim obstruxe-
rant Philistijm: appellauítque eos eisdem nominibus qui-
bus ante pater vocauerat. Foderúntque in Torrente, & re- 19
pererunt aquam viuam.Sed & ibi iurgium fuit pastorum Ge- 20
raræ aduersus pastores Isaac, dicentium: Nostra est aqua.
quamobrem nomen putei ex eo, quod acciderat, vocauit
Calumniam:Foderunt autem & aliũ:& pro illo quoque rixati 21
sunt,appellauítque eũ,Inimicitias. Profectus inde,fodit alium 22
puteũ,pro quo non contenderunt:itaque vocauit nomen eius
Latitudo,dicẽs:Nunc dilatauit nos Dominus,& fecit crescere
super terram.Ascendit autem ex illo loco in Bersabee, vbi ap- 23 24
paruit ei Dominus in ipsa nocte,dicens,Ego sum Deus Abra-
ham patris tui, noli timere, quia ego tecum sum: benedicam
tibi, & multiplicabo semen tuum propter seruum meũ Abra-
ham.Itaque ędificauit ibi altare:& inuocato nomine Domini, 25
extendit tabernaculum:præcepítque seruis suis vt foderẽt pu-
teũ. Ad quem locum cùm venissent de Geraris Abimelech & 26

Ochozath amicus illius,& Phicol dux militum,locutus est eis
27 Isaac: Quid venistis ad me hominem quem odistis & expuli-
28 stis à vobis? Qui responderunt,Vidimus tecum esse Dominũ,
29 & idcirco nos diximus:Sit iuramentum inter nos, & ineamus
fœdus,vt non facias nobis quicquam mali, sicut & nos nihil
tuorum attigimus,nec fecimus quod te læderet:sed cum pace
dimisimus auctum benedictione Domini.Fecit ergo eis con-
30. 31 uiuium,& post cibum & potum,surgentes manè, iurauerunt
32 sibi mutuò:dimisitque eos Isaac pacificè in locum suum. Ecce
autem venerant in ipso die serui Isaac annuntiantes ei de pu-
33 teo,quem foderant,atque dicentes, Inuenimus aquam: vnde
appellauit eum Abundantiam: & nomen Vrbi impositum est
Bersabee, vsque in præsentem diem. Esau verò quadragena-
34. 35 rius duxit vxores, Iudith filiam Beeri Hethæi, & Basemath
filiam Elon eiusdem loci:quæ ambæ offenderunt animum
Isaac & Rebeccæ.

PRÆFATIO.

S. August. *AN quod narratur hoc vigesimo sexto capite, factum sit post* 1
ea quæ memorata sunt capite præcedenti vigesimo quinto;
an verò factum sit antea, & hîc narretur per recapitulatio-
nem, disputat B. Augustinus in quæstione 75. in Genesim.
Et primò docet, non repugnare, quo minus historia huius capitis, secun-
dùm ordinem tẽporis, subsecuta sit antecedentis capitis historiam. Verùm
denique concludit, quæ traduntur in hoc capite, non in suo loco narrari;
quippe cum multo ante gesta sint: sed ea propter commoditatem narra-
tionis Mosaicæ, esse postposita, & in hoc loco per recapitulationẽ, vt dixi,
commemorari. Verba ipsa quæ ad rem faciunt B. Augustini, hæc
sunt: Quæritur, hoc quod narratur de profectione Isaac ad regem
Abimelech, quando sit factum: vtrum postquam Esau vendidit
primogenita sua, quem ordinem habet narratio Mosis: an, vt fieri so-
let, per recapitulationem narrator ad ea reuersus sit, cum processus
de filijs Isaac ad eum locum peruenisset, qui de lenticula & venditio-
ne primogenituræ commemoratur. Mouet autem difficultatem,
quia hoc loco nominatur Abimelech ille ipse qui Saram concupierat.

Genes.

Genes.20. nec solùm ille, sed etiam paranymphus eius & princeps militiæ, ijdem illic atq; hîc commemorantur. Ex quo dubitari posset, vtrum illi tanto tempore viuere potuerint: Etenim, cùm ille Saram accepit, nõdum erat natus Isaac, sed promissus. Ponamus igitur antequam nasceretur Isaac, id esse factum: Isaac porrò genera uit Iacob & Esau, natus annos sexaginta: cum autem Esau vendidit primogenita, iam erat iuuenis, nec minor anno vigesimo; sicut Abimelech cum accepit Saram, vigesimum annum excedebat: quare ab eo tempore vsque ad hanc profectionem Isaac ad ipsum, exactis octoginta annis, centum annorum, vt minimum, erat nunc Abimelech; quorum, atque etiam multo amplius, illius temporis hominũ ætas capax erat. Quod igitur attinet ad rationem temporis, nulla necessitate cogimur dicere, profectionem Isaac ad Abimelech, non esse hîc suo loco, sed per recapitulationem, expositam. Verumtamen, quia Isaac diuturno tempore fuisse illic dicitur apud Abimelech, & puteos fodisse, & de his contendisse cum Philistæis, & valdè ditatum esse pecunia; mirum, nisi recapitulando ista commemorantur: quæ ideo fuerant prætermissa, vt primùm de filijs eius, vsque ad illum locum de venditione primogenituræ, narratio perueniret. Hactenus ex Augustino.

2 At enimverò, fundamentum opinionis Augustini videtur infirmum, & probabilior contraria sententia. Sumit ille pro certo, regem Abimelech hîc nominatum, fuisse illum ipsum qui nominatur Gen. 20. Quod non solùm Remigius & Thostatus, & alij negarunt, sed ratio ipsa dissuadere videtur. Cum enim accidit quod narratur hoc capite, Isaac propè centenarius erat: sub finem enim capitis huius adiungitur, Esau, cum iam esset quadragenarius, duxisse vxores Chananæas: quod si fuisset idem Abimelech, ille Abrahæ, & hic Isaac, cum ille tunc iam grandæuus esset rex, habens nempè vxores, sequeretur regnasse eum plus centum annos; quod non esset admodum credibile, testante Scriptura Ecclesiastici 10. Omnis potentatus vita breuis. Adÿce quod si fuisset idem Abimelech, acrius expostulasset cum Isaac, qui dixerat ei Rebeccam esse sororem suam; commemorans nempe iam se antea simili dissimulationis artificio delusum & deceptum fuisse à patre eius Abraham. Nec moueat quemquam similitudo nominis Abimelech: vt enim testatur S. Hieronymus, tale nomen erat in eo tempore, commune regum Palæstinæ: quemadmodum nomen Pharaonis regum Aegypti; & post Alexandrum Magnum, nomen Ptolemæi, & nomen Cæsaris & Augusti commune erat Romanorum Imperatorum.

An fuerit idẽ Rex Abimelech, qui nominatur hoc loco, & qui supra Gen.20. memoratus est. Remigius. Thostatus.

S.Hier.N. 9. Commentariorum in Ezechielẽ.

Nulla igitur ratio vetat credere, historiam huius capitis in loco esse narratam, & non per recapitulationem. Non sum nescius Iosephum lib. 1. Antiquitatum significare, fuisse eundem regem Abimelech, nihilominus tamen contraria sententia videtur probabilior.

Iosephus.

VERS. 1. Orta fame super terram, post eam sterilitatem quæ acciderat in diebus Abrahæ; abiit Isaac ad Abimelech regem Palæstinorum in Gerara.

CVM dicitur fuisse fames super terram, intelligendum est de terra Chanaan, quam vniuersam fames ob frumenti penuriam inuaserat. Itaque, Geraris quoque, & in regione Palæstinorum fames erat; non enim illuc Isaac iuit, quòd ibi copia esset frumenti, vt inibi maneret; sed vt illac transiret in Ægyptum; vel iussus est à Deo ibi commorari, quo illustrior fieret benignitas Dei erga ipsum: quem in tanta sterilitate, non modò sustentauerit, sed etiam frumenti abundantissimum, multóque ditissimum fecerit. Rupertus & Caietanus putant, Isaac primò non cogitasse ire Gerara, sed solùm in Ægyptum: visione tamen Dei præceptóque monitum, illuc iuisse. Itaque quod priùs narratur de profectione eius in vrbem Gerara, id factum est post visionem Dei posterius memoratam: & Moses priùs scripsit quod factũ est; posteriùs autem, rationẽ cur id factum esset, exposuit. 3

Rupertus. Caietanus.

Fames porrò quæ fuisse dicitur in diebus Abrahæ, videtur ea fuisse, quæ contigit, cum primùm venit Abraham Chananitidem, annos natus septuaginta quinque, vt traditur Gen. 12. ex quo tempore vsque ad hanc secundam famem, anni amplius centum transierunt. In hoc enim tempore, Isaac fuisse videtur annorum, non minus nonaginta; siquidem iam sexagenarius genuerat Iacob & Esau; & istis iam adultis, & Esau in venatione & agricultura exercitato, & post venditionem primogenituræ, quo tempore Esau proculdubio minor trigesimo anno non erat; post hæc, inquam, accidit quod in principio huius capitis narratur de fame: à septuagesimo autem quinto anno Abrahæ, vsque ad nonagesimum Isaac, qui centenario iam patre natus est, numerantur anni centum quindecim. Quanquam potest dici, famem hîc memoratam fuisse recentiorem ea fame, quæ memoratur Genes. 12. eam dico famem, ob quam Abraham, licet id Moses expresè non scribat, profectus est Gerara in terram Palæstinorum, vt supra dictum est Genes. 20. & nos ibi in tertio Tomo indicauimus, numero primo. Neque enim Abraham, nisi magna vrgente necessitate, famis nempe, demigrasset ad Philistæos: à quibus videlicet timens vitæ suæ, coactus est dissimulato coniugio, Saram appellare sororem. Sed vbi erat Isaac tunc, & ex quo loco profectus est Gerara? Aut erat in vrbe Bersabea; aut in locis vicinis, iuxta puteum Videntis & Viuentis: Sic enim paulò supra capite 25. scriptum est: *Defunctum obitum Abrahæ, benedixit Deus Isaac filio eius, qui habitabat iuxta puteum Videntis & Viuentis.* 4

Genes. 21.

uentis. Erat autem Isaac, cum mortuus est Abraham, septuagintaquinque annorum; cum autem nunc profectus est Gerara, erat sicut diximus, annorum circiter nonaginta: habitauerat igitur illic per quindecim annos: immo plures; nam cum accepit Rebeccam coniugem, (erat autem tunc quadragenarius) dicitur Genes. 24. ambulasse tunc per viam quæ ducit ad puteum nomine Videntis & Viuentis, habitabat enim in terra australi.

De fertilitatis, & nonnũquam sterilitatis Aegypti causis.

5 Verùm quærat aliquis, cur ob famem, Ægyptum potius quàm alias regiones petere voluerit Isaac. Id sanè fecit ille, tum ob vicinitatem, tum ob maximam eius terræ fertilitatem: sic fecerat pater eius Abraham, sic fecit post ipsum filius eius Iacob. Causam tantæ fertilitatis Ægypti fert Nilus, annua exundatione terram Ægypti latissimè irrigans; quæ alioqui, ob solis ardorem, nimium arescens solueretur in puluerem: nec solùm irrigans, sed oblimans etiam atque fœcundans; eo quippe limo pinguescit & fœcundatur terra. Quocirca fertilitas ibi perfrequens est; & rara sterilitas; cuius tamen sterilitatis causæ sunt tam nimius, quàm exiguus Nili effluxus. Auctus verò eius fluminis, per puteos, mensuræ notis deprehenduntur. Iustum incrementum, est cubitorum sexdecim. Minores aquæ non omnia rigant: ampliores detinent; tardiùs recedendo. Hæ serendi tempora absumunt solo madente: illæ non dant, sitiente: vtrumque reputat Prouincia. In duodecim cubitis famem sentit; in tredecim, etiamnum esurit: quatuordecim cubita hilaritatem afferunt: quindecim saturitatem: sexdecim delicias. Sed cur Isaac iturus in Ægyptum, transire voluit vrbem Gerara? Quia ex terra Chanaan in Ægyptum, vel contrà, ex Ægypto in terra Chanaan breuius & commodius est iter per terram Philisthinorum, cuius metropolis erat vrbs Gerara; vt colligitur ex illis verbis Moysis, quæ sunt in capite 13. Exodi: *Cum emisisset Pharao populum, non eos duxit Dominus per viam terræ Philistiim, quæ vicina est: reputans ne fortè pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Aegyptum.*

Plin. lib. 5. ca. 9.

Apparuit ei Dominus, & ait: Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra quam dixero tibi: & peregrinare in ea, eróque tecum, & benedicam tibi. VERS. 2.

6 HÆc est prima Dei apparitio & visio facta Isaac. Sed qualis ea fuerit, & quemadmodum facta, in somnóne an in vigilia, per Angelúmne sub forma humana, an in spiritu per ecstasim, quia Moses non indicat, incertum est. Caietanus existimat, quod expressè dictum non sit, factam in somno, intellegi debere factam esse in vigilia. Sed cur Deus noluit Isaac ire in Ægyptum, quò tamen ire voluit antea patrem eius Abraham, & postea filium eius Iacob? Audi Theodoretum in quæstione 76. in Genesim: Per omnia Deus demonstrat sapientiam ac prouidentiam suam. Etenim permisit Abraham

Cur noluerit Deus Isaac ire in Aegyptum, quò tamen iuerat Abraham. Theodoret.

ex Chananæa propter famem ire in Ægyptum ; non quòd eum illic non posset alere, sed vt Ægyptijs ostenderet viri pietatem & religionẽ, eósque prouocaret ad imitandam eius virtutem. Filium autem eius illuc ire prohibuit, eíque rerum necessariarum copiam in terra sterili suppeditauit ; demonstrans vtique, quòd hæc patri largiri potuisset, quæ filio abúdè præbuit. Cum enim omnes eius regionis incolæ in summa inopia, & rerum necessariarum penuria versarentur, & terra nihil produceret; multiplicem ille fructum accepit. Hæc Theodoretus. Hebræi, referente Thostato, aiunt, idcirco non debuisse Isaac egredi Terram promissionis, quòd esset ipse consecratus Deo, cùm eum pater, iussu Dei, immolare voluit. Quasi verò Terra promissionis, tunc sanctior esset quàm Ægyptus, aut aliæ regiones; cùm eius incolæ, propter immanitatem scelerum, inde sint à Deo exterminati, vt scriptum est Leuit. 18. Nazaræi quoque consecrati erant Deo, non idcirco tamen prohibebantur exire Terram promissionis ; vt manifestum est legenti, quæ de eorum consecratione & officio traduntur Numerorum 6. Quinetiam Iacob seipsum dicauit & consecrauit Deo, vt patet infrà Genes. 28. nec ea re tamen prohibitus est egressu ex Terra Chanaan.

Hebræorũ ridicula opinio. Genes. 22.

Nota varios modos prouidentiæ Dei, circa eius seruos.

Poterat igitur Deus facere cum Isaac, quod fecerat ante centum annos cum Abraham, permittendo ire eum in Ægyptum, & inibi seruando eum ; quemadmodum potuisset tunc facere cum Abraham, quod nunc fecit cum Isaac, retinendo eum in Terra Chanaan, & vbi fame cęteri premebantur, ibi copiam frumenti & bonorum omnium abundantiam ei suppeditare. Voluit igitur Deus in istis duobus Patriarchis ostendere varios modos & rationes prouidentiæ suæ, quibus mirabiliter vtitur in seruis suis variè liberandis, tuendis, magnificandis, & ad prædestinatam ipsis æternam felicitatem perducendis. Sequitur : *Quiesce in terra quam monstrauero tibi.* Hæc fuit terra Philistinorum, cuius metropolis erat vrbs Gerara : quam terram Deus non statim à primo nominatim ostendit Isaac ; sed postquam ille accinxerat se ad iter, aut etiam tacito Dei ductu iam iter ceperat ; quo nimirum magis fidem eius & obedientiam probaret: itidem namque fecerat cum Abraham, quando eum de Chaldæa euocauit, dicens: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrauero tibi.* 7

Genes 12.

VERS. 4. & 5. Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli : dabóque posteris tuis vniuersas regiones has : & benedicentur in semine tuo omnes gentes : eo quòd obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta & mandata mea, & cæremonias legésque seruauerit.

HINC apparet, tres illas nobiles promissiones, quas Deus Abrahæ dederat, vnam de multiplicando & magnificando eius semine instar stellarum ; alteram de tradenda ei possessione Terræ Chanaan; 8

Chanaan;tertiam de Messia ex eius stirpe generando, in quo benedicendæ erant omnes gentes; fuisse ei datas ob singularia & eximia eius vnius merita. Sed quæ fuere ista merita? Quatuor præcipua. Primum fuit excellentis obedientiæ, qua iubenti Deo relinquere ipsum patriam, & cognatos, & ire in terram longinquam atque ignotam, promptissimo & alacri animo paruit, vt patet in exordio capitis xij. Geneseos. Alterum meritum fuit excellentis fidei qua Deo promittenti (quod humana ratione videri poterat impossibile) innumerabilem posteritatis multiplicationem, nulla cunctatione, nullaque dubitatione credidit: quam fidem magnificans Moses Genes. 15. ait: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Tertium meritum fuit egregiæ pietatis & religionis erga Deum: non enim ipse solùm piè, ac religiosè Deum coluit, sed itidem docuit, & instituit suos ad cultum & amorem Dei: eámque institutionem & formam pietatis, etiam ad posteros transmisit: de eo quippe dixit Deus Genes. decimo octauo. *Scio quòd præcepturus sit filiis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium, & iustitiam: vt adducat Dominus propter Abraham omnia, quæ locutus est ad eum.* Quartum meritum fuit illius obedientiæ, omnibus seculis admirandæ, atque prædicandæ: cùm, iussu Dei paratus fuit etiam proprium filium vnigenitum immolare. Quod eius factum adeo Deus approbauit, & vsque eo gratum, & acceptum habuit, vt diceret illi, *Per memetipsum iuraui, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti primogenito tuo propter me: multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli: & possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.*

Quatuor Abrahæ merita, ob quæ Deus tam ampla & magnifica promissa dedit ei atque semini eius.

Genes. 18.

Genes. 22.

9 Cæterum expendamus illa verba: *Eo quòd obedierit Abraham voci meæ.* Ex his verbis argumentatur S. Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei, capite trigesimo sexto, fuisse proculdubio maiora, & potiora fidei, & obedientiæ Abrahæ merita, quàm Isaac; quod Deus apertis verbis dicat se benedicturum Isaac, & præstiturum quæcumque promiserat propter obedientiam Abrahæ; idémque dictum fuit supra Genes. 18. Attamen Thomas Anglicus putat ex hoc loco non concludi euidenter, quod ait S. Augustinus: Sed illud tantùm, promissa illa Dei data Abrahæ, fuisse præstãda eius posteris, propter illius solius merita. Quantum igitur ad alia, fieri potuit, vt alicuius posterorum eius, aut maiora, aut certè paria essent merita. Quinimo visum esse ait quibusdam, tres illos Patriarchas, Abraham, & Isaac, & Iacob, omnibus benè pensitatis, fuisse virtutum præstantiâ, meritóque pares; tanquam assumptos, & propositos à Deo in speculum, & exemplar perfectæ probitatis, & Sanctimoniæ secundùm diuersas virtutes; Abraham secundùm fidem, & obedientiam; Isaac secundùm puritatem animi atque innocentiam; Iacob secũdùm patientiã, & constãtiã. Nec tamen est negandum, fuisse in Abraham singularem quandam eminentiã meritorum secũdùm originalem, vt ita dicam, primitatem, quòd Abraham, tanquam primus, & parens, tum sequentium Patriarcharum, tum populi Hebræi, quædam meruit sequentibus, non autem contrà.

S. Augustinus.

An maiora fuerint merita Abrahæ, quàm Isaac. Thomas Anglicus.

Obserua excellentiam melitorum in Fũdatoribus, & Patriarchis religiosorum Ordinum, & Cõgregationum.

Quin etiam fermè Sancti, qui primi fuêre in aliquo gradu, & ordine, & quasi parentes aliorum, habent causalem quandam rationem; secundùm quam merita eorum, etiam in sequentes redundarunt. Et idcirco Iacob infra Genes. 49. dixit filio suo Ioseph: *Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum eius.* Et Genes. 31. dixit ad Laban: *Nisi Deus patris mei Abraham, & timor Isaac affuisset mihi, forsitan modò nudum me dimisisses.* Est præterea huius rei ratio hæc: quia Sancti, dum in terris viuunt, nondum viam suæ peregrinationis, & profectum in virtutibus compleuerunt, & necdum mutabilitatem arbitrij exuerunt, nec peruenerunt ad statum immobilis securitatis, propterea expedit eis vt semper in timore versentur, & de se demissè sentiant, minora de se, de alijs autem maiora existimantes: & idcirco solet Deus præcedentium Patrum merita commendare, & præferre.

Gen. 49. & 31.

10

Caietanus.

Circa illud: *Et custodierit præcepta mea & mandata mea, & cæremonias legesque seruauerit.* Adnotauit Caietanus secundùm lectionem hebraicam sic esse: *Et custodierit custodiam meam, præcepta mea, statuta mea, & doctrinas meas.* Ab obseruatione, inquit Caietanus, quatuor diuinarum, rerum commendatur Abraham. Prima res, est custodia diuina, hoc est, circumspectio, atque vigilantia diuinæ curæ circa ea, quæ ipsi sunt placita. Huic vsque adeo studuit Abraham morem gerere, vt non pepercerit carissimo filio suo Isaac. Secunda res comprehendit omnia præcepta moralia. Tertia verò continet omnia statuta cæremoniarum, quarum Circumcisio erat præcipua. Quarta demum complectitur documenta omnia Fidei, Spei, & Charitatis reuelata. Sic Caietanus. Ex hoc loco Hebræi probare voluerunt, Abraham seruasse præcepta omnia, quæ postea per legem Mosis præscripta Populo Hebræo fuerunt. Sed falsum est: nam neq; Sabbatum obseruauit; nec ritum edendi Agni Paschalis, nec sexcenta alia quæ erant in lege Mosis; vt fusè docet super hunc locum Thostatus.

Genes. 22.

Hebræorũ falsa opinio.

Vers. 7. Qui cum interrogaretur à viris loci illius super vxore sua; respondit: Soror mea est: timuerat enim confiteri quòd sibi esset sociata coniugio, reputans ne forè interficerent eum propter illius pulchritudinem.

IDENTER Isaac vsus est huiusce modi dissimulationis artificio ob imminens vitæ periculum: nimirum patris sui Abraham incitatus, & confirmatus exemplo est: qui simili periculo similem obtenderat dissimulationem, prospero admodum successu. Nec dicens Isaac Rebeccam esse sororem suam, mendacium dixit: non enim negauit esse vxorem, sed tacuit: & quæ cognata sibi erat, sororem, more suæ gentis, verè appellauit. Etenim Bathuel pater Rebeccæ, consobrinus erat Isaac: siquidem Abraham pater Isaac, & Nachor pater Bathuelis, erant germani fratres, & filij Thare. Vide caput xj. & xxij. Geneseos. Huc spectat quod B. Augustinus in Faustum scripsit libro xxij.

11

cap.

cap.xlvj.his verbis:Mirabili sanè impudentia Faustus Isaac quoque filium Abrahæ criminatus est;quòd Rebeccam,quæ vxor erat, sororem finxerit.Genus enim Rebeccæ nō est tacitum, & eam per notissimam propinquitatem,sororem eius fuisse manifestum est. Vt autem taceret esse vxorem,quid mirum,aut quid prauum, si imitatus est Patrem ; cum eius eadem iustitia defendatur,qua pater eius de simili obiectu inculpatus inuētus est? Quæ igitur pro Abraham,quod ad hanc rem attinet, aduersus criminantem Faustum supra diximus, eadem etiam pro Isaac filio eius valent.Hæc Augustinus. An verò peccauerit Isaac tali dissimulatione obijciens Rebeccam in discrimen perdendæ pudicitiæ,& occasionē in adulterium delabendi Philistæis præbens, quo periculum ipse mortis declinaret;nihil attinet in hoc loco disputare;cum in simili facto Abrahæ, disputatum id à nobis copiosè fuerit in tertio Tomo super caput xij.Geneſis,in Quinta disputatione,Numero 102.

Quæ cognatio fuerit inter Rebeccā & Isaac. S. Augustinus.

Prospiciens Abimelech rex Palęstinorum,per fenestram vidit eum iocantem cum Rebecca vxore sua. Et accersito eo, ait: Perspicuum est, quòd vxor tua sit : cur mentitus es, eam sororem tuam esse? VERS. 8.9.

12 EANDEM vocem Hebræam quam Latinus interpres vertit hîc(iocantem)idem supra Genes.21.interpretatus est ludentem,cum Sarā dixit vidisse Ismahelem ludentem cum Isaac. De cuius vocis multiiugi significatione, disceptationem Burgensis,& Thostati cum Lyrano,nos pertractauimus in tertio Tomo, super caput xxj.Geneſis Numer.9.Putant quidam, honestè significari eo vocabulo copulam carnalem. Sed nō fit verisimile,Isaac prudentissimum, & sanctissimum virum,tam in propatulo, & tam incautè rem habuisse cum vxore,vt id per fenestram prospicere,vt Scriptura inquit,posset Rex Abimelech. Credibilius igitur est, eo vocabulo significatos esse tales iocos,& blanditias,in amplexando, & osculando, quales inter coniuges agitari turpe non est:extra coniugium verò,nefas est. Atque hoc sanè luculentum est testimonium castitatis & sanctimoniæ Isaac:de quo ita benè existimabat Abimelech,vt talia eum nisi cum legitima vxore,minimè facturum pro certo haberet.

Qualis fuerit ille iocus Isaac cum Rebecca.

13 B. Augustinus eo,quem proximè memoraui,loco,omnem ab eo ioco Isaac cum Rebecca,lasciuiæ suspicionem, non solùm veram, iustámque criminationem & reprehensionem defendens, hunc in modum scribit: Non sine figuræ Sacramento accipiendum est, quòd rex alienigena Rebeccam viri sui coniugem tunc esse cognouit, quando eum cum illa ludentem vidit:quod nō cognouisset,nisi cum coniuge ille sic luderet,quo modo cum ea quæ coniux non esset,ludere non deceret. Quod cum sancti coniuges faciunt,non inaniter faciunt,sed prudenter:descendūt enim quodammodo ad fœminei sexus infirmitatem,vt aliquid blanda hilarita-

B. Augustinus iocos Isaac cū vxore,ab omni vindicat suspicione lasciuiæ.

te vel dicant,vel faciant; non eneruantes, sed temperantes virilem rigorem:quod tamen ei,quæ vxor non est,qui dixerit, aut fecerit, turpe est. Nec quisquam durus homo,& sine affectu,id ipsum pro crimine obijciat sancto viro,quòd cum coniuge sua luserit. Tales enim homines inhumani,si aliquem grauem virum,ludicrum aliquid garrientem cum pueris etiam paruulis viderint, quo eorum lacteum sensum affabili & nutritoria facilitate permulceat;tanquam delirantem reprehendunt:obliti vnde creuerint ipsi,aut ingrati,quòd creuerint,Hæc Augustinus.

Sed extremam hanc sententiam Augustini, quòd graues in primis viri nonnunquam relaxandi, recreandique animi gratia, ad ludicros etiam 14
cum puerulis lusus & iocos descendant,maximè ornant & illustrãt exempla clarissimorum Principum, quæ super ista re commemorat Ælianus libro 12.de Varia Historia,ad hunc modum scribens: Herculem ferunt, post illa nobilissima certamina,celeberrimósque labores, puerilibus ludis se recreasse:Ludebat enim cum puerulis. Quod & apud Euripidem Hercules ipse significat,cum ait: *Ludo,vicissitudines laborum amans.* hoc autem dixit,puerum complectens. Socrates quoque aliquando deprehensus est ab Alcibiade,ludere cum Lamprocle adhuc infante. Agesilaus etiam,tantus imperator in arundine equitabat cum filio puero:& ad ridentem conuersus;nunc,inquit,tace,cum verò & ipse fueris pater, tunc huiuscemodi verbis apud patres vteris. Architas etiam Tarentinus,magnus nempe philosophus,& administrator Reipublicæ,cum multos haberet seruos, ludebat cum eorum liberis,quibus inter conuiuia præcipuè oblectabatur. Sic Ælianus. Nec prætereundum est quod in isto genere fecisse duo clarissima Romani Senatus lumina,Lælium & Scipionem,memorat apud Ciceronem lib. 2.de Oratore,Crassus his verbis:Sæpe ex socero meo audiui, cum is diceret socerum suum Lælium semper ferè cum Scipione solitum rusticari,eósque incredibiliter repuerascere solitos, cum rus ex vrbe, tanquam ex vinculis euolauissent. Non audeo dicere de talibus viris: sed tamen solet narrare Scæuola,Conchas eos & vmbilicos ad Caietam & ad Lucrinum legere consuesse,& ad omnem animi remissionem ludúmque descendere.

Aelianus. Exempla clarissimorũ virorum ob recreandum animũ etiam ad pueriles ludos & iocos descendentium.

Hercules.

Socrates.

Agesilaus.

Architas.

Sed quodnam in illa collusione Isaac cum Rebecca latet mysterium? 15
Audi B.Augustinum:Quid sibi velit in Sacramento Christi & Ecclesiæ, quòd sanctus Patriarcha cum coniuge sua luserit;cõiugiúmque illud inde sit cognitum:videt profectò quisquis,ne aliquid errando in Ecclesiã peccet,secretũ viri eius in scripturis sanctis diligenter intuetur. Inuenit enim maiestatem suam,qua in forma Dei æqualis est Patri, paulisper abscondisse in forma serui, vt eius capax esse humana infirmitas posset, eóque modo se coniugi suæ congruenter aptaret. Quid enim absurdum, immò quid non conuenienter futurorum prænuntiationi accommodatum est,si propheta Dei carnale aliquid lusit, vt eum caperet affectus vxoris; cum ipsum Verbum Dei caró factum sit,vt habitaret in nobis? Hæc Augustinus. Addam ad hæc,quæ in eandem ferè sententiam scripsit. Thomas Anglicus,significatur,inquit,per iocum Isaac cum Rebecca, quasi ludus quidam

Allegoria super lusũ Isaac cum Rebecca. S. August.

Ad Philipp. 2.

Ioan. 1.

Thomas Anglicus.

quidam ſtudioſi animi cum Sapientia tanquam cum ſponſa ſua: de quo ludo ſcriptum eſt Eccleſiaſtici trigeſimo ſecundo. *Præcurre prior in domum tuam, & illic auocare, & lude, & age conceptiones tuas.* Vel ſignificatur ludus Filij Dei, qui eſt Sapientia Patris, de quo dicitur Prouerbiorum 8. quòd erant ludens in orbe terrarum, & quòd erant deliciæ eius eſſe cum filijs hominum.

VERS. 12.

Seuit Iſaac in terra illa, & inuenit in ipſo anno centuplum, benedixítque ei Dominus.

16 ISAAC Dei præceptis obtemperans, promiſſiſque confidens, nec ſolicitus famis qua vehementer vrgebatur; nec periculorum metuens, quæ in terra Philiſtinorum timeri poterant; manet in ea regione, id temporis, ſteriliſſima; ceteríſque deſperantibus certa ipſe plenus ſpe, ſementem facit: & Deo, cuius eſt terra & plenitudo eius, mirabiliter prouentum multiplicante, vberrimam, & quaſi pleno copiæ cornu effuſam, & vt Scriptura narrat, centuplam meſſem inuenit: condignam nimirum ſuæ fidei & obedientiæ mercedem, atque ingens miraculum indigenis, ſimúlque mox inſecutæ inuidiæ atque inſectationis eorum ſeminarium. Veriſſimum igitur eſt illud Dauidis pſalmo 33. *Timete Dominum omnes ſancti eius, quoniam nihil deeſt timentibus eum. Diuites eguerunt & eſurierunt: requirentes autem Dominum, non minuentur omni bono.* Conſidera, inquit, Chryſoſtomus homil. 52. in Geneſim, Dei ſapientiam, quemadmodum oſtendat ſe conditorem eſſe naturæ, & quæ difficillima ſunt hominibus, facilia poſſe facere: & qui ab initio, terræ virtutem dedit procreandi fruges: idem poſſit quouis tempore efficere, vt illa centuplices reddat pro ijs quæ ſata ſunt, manipulos, tantáque in affluentia conſtituit iuſtum Iſaac, vt nullius indigeret, quinetiam abundaret bonis, quorum alij penuria & egeſtate premebantur, vt inde omnes intelligerent, quanta Dei gratia Iuſtus ille foueretur. Omnipotens enim & Sapiens Deus ita benefacit ſuis, vt etiam adhuc ij qui in Gentilium errore verſantur, potentiam ipſius & prouidentiam agnoſcere ac demirari cogantur. Hoc poſtea & in Ægypto fecit: illis enim graues pœnas irrogabat, Iſraëlitas vero illæſos conſeruabat. Diſcebant itaque Ægyptij nõ ſolùm per indignationem Dei, qua ipſi puniebantur, præpotentis Dei virtutem: ſed etiam per miſericordiam, quam Hebræis mirabiliter indulgebat. Hæc Chryſoſtomus.

Pſalm. 33.

B. Chryſoſt.

Gen. 1.

17 Ac ne quis tantam Iſaac opulentiam & proſperitatem, vel fato, vel humanæ arti & induſtriæ ferret acceptam; poſtquam dictum eſt, ſeuiſſe Iſaac, & inueniſſe centuplum, continuò adiungitur: *Et benedixit ei Dominus.* Quo ſignificatur, tantam eius viri bonorum abũdantiam, ex benignitate Dei eſſe profectam. Illa namq; particula (&) vt alibi ſæpè in Scriptura, ſic etiã hîc, vim habet cauſalis cõiunctionis, *quoniã vel quia*; vt oſtẽdimus in tertio Tomo, ſuper cap. 14. numero 49. Vt ſic hic ſenſus: Iſaac,

eius quod seuerat, inuenit centuplum, quia Deus ei benedixit. Etenim vt
Prouerb. 10. Sapiens ait: *Benedictio Domini diuites facit*, & Dauid de homine iusto canit psalmo 111. *Gloria & diuitiæ in domo eius.* & de ipso Deo scriptum est Prouerbiorum 3. *Longitudo dierum in dextera eius; & in sinistra illius diuitiæ & gloria.* Rectè igitur B. Augustinus tractans hunc locum in quæstio-
B. Augustin. ne 76. in Genesim, ita scribit: Quanquam centupla messis Isaac in tempore famis, spiritale aliquid significat: attamen etiam secundùm id quod ita contigit, vtile habet documentum. Idcirco enim præmissum est: *Benedixit ei Dominus*, vt sana fide intelligamus, etiam ista temporalia bona, nec dari posse, nec sperari debere, etiam cum ab infirmioribus appetuntur, nisi ab vno Deo: vt qui in minimis fidelis est, etiam in magnis fidelis sit; & qui in Mammona iniquo fidelis est, etiam verum accipere mereatur, sicut Dominus in Euangelio loquitur. Talia etiam de Abraham dicta sunt, quòd ei bona multa, munere Dei, prouenerint. Vnde non parum ædificat sanam fidem, piè intelligentibus, ista narratio, etiam si de istis rebus allegorica significatio nulla posset exculpi. Sic Augustinus.

Verùm quid sit illud: *Inuenit centuplum in ipso anno*, excutiamus. In- 18
ueniisse eum centuplum, variè potest exponi: primò, inuenit centuplo plus, quàm seminauerat; id est, pro vno modio sementis, centum modios messis: vel centuplo plus inuenit, quàm alij eius terræ indigenæ: vel centuplo plus quàm solebat ea terra reddere: vel centuplo vberiorem messem, quàm ipse expectabat. Sed prima expositio, vt simplicior, ita probabilior est. Illud *In ipso anno*, significat in vno & eodem illo anno quo seuerat, & in quo anno magna erat vbique sterilitas, centuplum collegisse. Ne quis putet, centuplam illam messem, non vnius sed multorum fuisse annorum: & illustrius sit diuinæ benignitatis miraculum, in tanta eius regionis sterilitate, tantam sancto viro Isaac fertilitatem & abundantiam contigisse. Septuaginta Interpretes habent hoc loco, inuenisse Isaac centuplum hordei; cum tamen non solùm lectio Latina, sed Hebraica scriptura, & Paraphrasis Chaldaica præcisè habeat *centuplum*: & intelligi debeat vel de tritico, quod frugum tenet principatum; vel vniuersè de prouentu omnium frugum. B. Hieronymus lectionem hanc Septuaginta minimè approbans in traditionibus Hebraicis super hunc locum Geneseos, cum memorasset hunc locum secundùm Septuaginta, subdit hæc: Licet in aliena terra seminauerit Isaac; tamen non puto quòd tanta ei fertilitas hordei fuerit. Vnde melius puto esse quod habetur in Hebræo, & Aquila quoque transtulit: *Et inuenit in illo anno centuplum æstimatum.* Licet enim eisdem litteris Hebraicè scribatur æstimatio, & hordeum: tamen æstimationes, Searim leguntur, hordea verò, Seorim. Tacens autem Scriptura genus frugum quod centuplicauerit, videtur mihi cunctarum in illo virtutum ostendisse multiplicationem. Deinde sequitur: *Et benedixit ei Dominus, & magnus factus est vir, &c.* Felicitas autem multiplicati hordei, ignoro, si quem possit facere gloriosum. Hæc Hieronymus.

Lectio Græca huius loci expenditur.
Hieronym.

Huius porrò centuplæ messis, quæ cõtigit sancto Isaac, similem postea 19
in

in alijs quibuſdam terris vbertatem proueniſſe, tum Herodotus, tum etiam Plinius, memoriæ commendarunt. Nec id ſanè mirabilitatem eleuat eius, quod accidit Iſaac. Aliud eſt enim, campos in toto terrarum orbe celebratiſſimæ fertilitatis, tuliſſe fructum centeſimum, aut etiam ampliorem, in tempore maximæ vbertatis: & aliud eſt, ſanctum virum Iſaac, peregrinantem in terra, id temporis ſteriliſſima, omnibúſque indigenis ſterilitate ac fame laborantibus; vnum ipſum ex omnibus, centuplam meſſem habuiſſe. Lubet hîc ponere quod Herodotus & Plinius prodiderunt. Ille libro quarto ita ſcribit: Bonum ſolum & illud eſt, quod Euheſperitæ colunt. Nam quoties id eximiam fert vbertatem, centuplum reddit: at illud Cynipum circiter trecenta. Plinius ad hunc modum ſcribit libro 18. cap. 10. Tritico nihil eſt fertilius; hoc ei natura tribuit, quoniam eo maximè alat hominem: vtpote cum è modio; ſi ſit aptum ſolum, quale in Byzacio Africæ campo, centeni quinquegeni modij reddantur. Miſit ex eo loco diuo Auguſto procurator eius, ex vno grano (vix credibile dictu) quadringenta, paucis minus, germina; extántque de ea re epiſtolæ. Miſit & Neroni ſimiliter trecentas quadraginta ſtipulas ex vno grano. Cum centeſimo quidem, & Leontini Siciliæ campi fundunt, aliíque, & tota Bœtica, & in primis Ægyptus. Hæc Plinus. Quod autem Hebraica lectio habet in hoc loco, Iſaac centuplum æſtimatum inueniſſe; poteſt exponi dupliciter: vel quòd non eſſet exploratè certum, an meſſis illa præcisè eſſet centupla; ſed quòd iudicio omnium tanta æſtimaretur; vel quòd Iſaac centuplo plus meſſis collegerit, quàm æſtimabat ſe collecturum.

Comparatio vbertatis huius, cum vbertate aliarum terrarum.

Herodot.

Plinius.

Et locupletatus eſt homo, & ibat proficiens atque ſuccreſcens: donec magnus vehementer effectus eſt; habuítque poſſeſſiones ouium, & armentorum, & familiæ plurimum. VERS. 13. & 14.

20 ADMIRANDVM fortaſſe cuipiam accidet, quomodo Iſaac in tanta diuitiarum affluentia, quanta deſcribitur in hoc loco, ſanctiſſimus vir fuerit, Deóque cariſſimus, & nunc beatiſſimus in regno cœlorum prædicetur; cum diuina Scriptura apertè dicat Eccleſiaſtici 10. *Si fueris diues, non eris immunis à peccato.* Et in capite 31. eiuſdem libri: *Beatus vir, qui poſt aurum non abiit, nec ſperauit in pecuniæ theſauris: quis eſt hic, & laudabimus eum?* & Dominus noſter Matth. 19. dixit, facilius eſſe camelum introire foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum, & alio in loco diuitias appellat fallaces, quæ ſuffocant verbum Dei. Sed iſti admirationi, vel dubitationi ſatisfacit S. Hieronymus in libro primo aduerſus Pelagianos, ſcribens his verbis: Nec mihi Abraham, & ceteros quos in veteri Teſtamento diuites legimus, in exemplum proponas, qui diuites ingreſſi ſunt regnum cœlorum, cum ipſis diuitiis ad bona vtentes opera, diuites eſſe deſierint; immò cum non ſibi, ſed aliis diuites fuerint, & diſpenſatores magis Dei, quàm diui

S. Hieron.

diuites appellandi sint. Sic Hieronymus. Ergo quia perdifficile est facere id, quod præcepit Dauid Psalmo 62. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Id autem est, diuitiis affluentem, non his delectari & capi, nec immodestè, & iniquè abuti, sed ad pietatis virtutúmque officia perficienda conferre: idcirco Scriptura, iuxta vulgarem consuetudinem, quod difficillimum & rarissimum est, appellandi impossibile, perinde loquitur de homine diuite, quasi nullus diues bonus, aut saluus esse posset. Verùm huiusce rei copiosum fecimus tractatum in tertio Tomo, super caput Genesis 13. in prima Disputatione.

Sed perpendendum est, Mosen narrare, non repentè ac subitò, Isaac es- 21
se ditatum, sed paulatim, & quasi per gradus quosdam, & processu temporis. Nec enim aliud certius est diuitiarum iniustè partarum signum, quàm si præpropera sit, ac nimis festinata earum copia: præsertim autem si inquilinum & peregrinum in alieno solo, præter ceteros, breui contingat locupletari. Syllæ suam iactanti felicitatem, scitè quidam dixisse fertur: Quomodo tu vir bonus esse potes, qui tantas possideas opes; cùm à patre tuo nihil tibi sit relictum? Et ille Menandri versus meritò laudatur:

Festinata opulentia, nec inculpata, nec diuturna, necnon inuidiosa & odiosa esse solet.

Plutarchus in Sylla.

Menander.

Nunquam vir iustus, diues euasit citò.

Cui consonum est illud Prouerbiorum 28. *Qui festinat ditescere, non erit innocens.* Nimirum repentina opulentia, nec à crimine vacat, nec diuturnitatem habet, & inuidiosa atque odiosa est apud homines. Itaque longo vsu, exemplisque multorum exploratum est, id quod Salomon dixit Prouerbiorum 13. *Substantia festinata minuetur: quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.* Cuius persimile est illud Menandri,

Idem.

Ne festina ditescere, ne citò pauper fias.

Neminem subitò fieri optimum.

Nec verò id tantùm euenit in diuitiis, sed etiam in moribus atque in 22
studio virtutum. Nemo enim repente fit optimus: sed per gradus ascenditur ad culmen virtutis. Sunt initia, sunt processus & auctus, est denique perfectionis meta. De homine iusto scribens Salomon: *Iustorum*, inquit, *semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Et de Samuele propheta 1. Regum 2. scriptum est: *Puer Samuel proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Deo quàm hominibus.* Et B. Paulus ad Philippen. 2. scribit, se priora obliuiscentem, extendere se ad anteriora. Quinetiam Saluator noster, cum ab initio perfectissimus esset tam gratia, quàm sapientia, attamen sese ad captum nostræ intelligentiæ, & modum humanæ conditionis temperans, & aptans, Lucæ 2. dicitur pariter cum ætate profecisse gratia & sapientia: videlicet, quòd maioris in dies, pro ætatis incremento, virtutis & sapientiæ specimen & signa ederet. Atque huius rei perillustrem figuram habes, non solùm in eo, quod scriptum est de profectu Isaac in diuitiis; verùm etiam in eo quod proditum est de Dauid 1. Regum 3. *Facta*, inquit Scriptura, *longa concertatio inter domum Dauid & inter domum Saulis: Dauid ibat proficiens, & semper seipso robustior: domus autem Saul decrescens quotidie.*

Locus ex cap. Prou. 3.

Ori

23 Origenes in homilia 12. in Geneſim, quòd in hoc loco ſcriptum eſt, inueniſſe Iſaac centuplã meſſem hordei (ſic enim, vt diximus, habet tranſlatio LXX. Interpretum, quam ille ſequitur) allegoricè tractans, egregiã ſuper ea re habet diſputationem, quam ego non eſſe hîc, ſilentio prætereundam iudicaui. Scribit autem ille ad hunc modum: Quid eſt quod Iſaac hordeum ſeminauit, & non frumentum? & benedictus eſt in meſſe hordei: & valdè magnificatus eſt? Apparet igitur nondum eum fuiſſe magnum, ſed poſtquam ſeminauit hordeum, & collegit centuplum, eſſe factum valdè magnum. Hordeum iumentorum maximè cibus eſt, aut ſeruorum ruſticorum: eſt enim ſpecies aſperior, & quæ velut acuminibus quibuſdam ſe contingentes ſtimulat. Iſaac ſermonem ſiue verbum Dei ſignificat: quod verbum in lege vetere hordeum ſeminauit, & in Euangelio triticum. Hunc quippe cibum perfectioribus & ſpiritualibus, illum imperfectoribus quaſi animalibus parauit: quia ſcriptum eſt Pſalmo 35. *Homines & iumenta ſaluabis Domine.* Iſaac, id eſt, ſermo legis, hordeum ſeminat, & tamen in ipſo hordeo inuenit centeſimum fructum: inuenimus namque etiam in lege vetere Martyres, quorum eſt centeſimus fructus. Quin etiam in Euangelio reperimus, & hordeum dari, & triticum; nam perfectiora quæque Apoſtolis loquebatur Dominus, turbis autem plebeia, & communia. Vis ſcire, etiam ipſius hordei cibos in Euangelio exhiberi incipientibus? Scriptum eſt in Euangelio, Dominum noſtrum ſecundò pauiſſe turbas: ſed illos quos primò pauit, id eſt incipientes, hordeaceis panibus pauit: poſtea verò, cum iam profeciſſent in verbo & doctrina, triticeos eis panes exhibuit. Addit Moſes, Deum benedixiſſe Iſaac, & magnum valdè eſſe factum. Paruus erat Iſaac, id eſt ſermo Dei ante legem, & in ipſa lege, ſed proceſſu temporis, magnus factus deinde eſt in Prophetis. Creuit etiam per Prophetas Dei notitia, & rerum diuinarum doctrina. Cùm verò peruenerit ad hoc vſque, vt velamen legis abijciatur; tunc erit ſermo Dei magnus valdè. Cùm enim cœperit littera legis velut palea hordei eius ſecerni, & apparuerit quòd Lex ſpiritalis eſt (quod per doctrinam Euangelicam eſt patefactum) tunc Iſaac magnificabitur, id eſt, ſermo Dei maiorem in modum excreſcet, & exuberabit: Conſidera quia Dominus in Euangelio paucos panes fregit, & multa hominum millia refecit, & multi reliquiarum cophini ſuperfuerunt. Donec integri erãt panes, nemo ſaturatus eſt, nemo refectus; nec ipſi panes multiplicati ſunt. Conſidera tu, quemadmodum & nos in Eccleſia, paucos panes frangimus: de ſcripturis diuinis paucos ſermones tractamus, & multa hominum millia ſaturantur: ſed niſi fracti fuerint iſti panes, & in partes comminuti, hoc eſt, niſi minutatim littera ſit diſcuſſa & fracta; intimus eius ſenſus qui ſalutaris & viuificus eſt, ad omnes peruenire non poteſt. Cum autem ſingula quæque diſcutimus, tunc quidem turbæ quantum poſſunt, accipiunt, & implentur: quod autem non poſſunt, & captum earum tranſcendens, ſupereſt; id colligi, & recondi, & ad perfectiorum mentium paſtum conſeruari debet. Hacte nus ex Origene.

Pulchra diſputatio allegorica Origenis.

Matt. 14.

Matt. 15.

1. Cor. 2.

VERS. 15. Ob hoc inuidentes ei Palæstini, omnes puteos quos foderant serui patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt, implentes humo.

Magnum Inuidiæ malum.

SEMPER prosperitatis pedissequa est inuidia, magis aliorum bonis dolens; quàm proprijs suis malis. Rectè igitur Poëta ille dixit: 24

Horatius lib. 1. ep. 2.

Inuidus alterius macrescit rebus opimis.

Sunt quidem malefici, qui acriter & malignè quempiam intuendo, fascinant eum ac lædunt: at inuidi prosperitatem alienam liuido animo intuentes, fascinantur ipsi, & vtûtur animo, & cruciantur, atque tabescût. Ouidius libro 2. Metamorphoseos eleganti fictione Poëtica, quale sit inuidiæ domicilium, quo vulnus malignitatis eius aperiret, scitissimè declarauit his versibus:

Ouidij pulcherrima Inuidiæ descriptio.

Protinus Inuidia nigro squallentia tabo
Tecta petit. Domus est imis in vallibus huius
Abdita, sole carens, non vlli peruia vento:
Tristis, & ignaui plenissima frigoris, & quæ
Igne vacet semper, caligine semper abundet.

Et post hæc, paucis interpositis, qualis Inuidiæ sit forma & habitus, quale item eius ingenium, moresque, aptissimis quasi lineamentis & coloribus graphicè depingens, subdit:

Pallor in ore sedet, maciesque in corpore toto:
Nusquam recta acies: liuent rubigine dentes.
Pectora felle virent: lingua est suffusa veneno.
Risus abest, nisi quem visu fecêre dolores:
Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis.
Sed videt ingratos; intabescítque videndo
Successus hominum; carpitque, & carpitur vnà,
Suppliciúmque suum est.

Cùm inuidia porrò sociatum semper copulatúmque odium est & malignitas, & malitia, & obcæcatio, & insectatio, & voluntas quoquomodò nocendi, etiam plusquam possit: hoc autem in eo quod moliti sunt Philisthæi aduersus Isaac, perspicuè licet cernere: puteos enim, quos in eorum terra Abraham foderat, post eius mortem, inuidentes prosperitati Isaac, vt ei nocerent, penitus obstruxerunt. Atqui vsus & commoditates illorum puteorum, non ad solius familiam Isaac, verùm etiam ad ipsorum quoque Philistinorum emolumenta pertinebant. Sed nimirum inuidia cæca est; & aliorum inuidens bonis, sua non videt mala: & dummodo, quibus inuidet, quoquomodo incommodare atque obesse queat, sua ipsius incommoda nihil pensi habet; magísque aliorum incommodis delectatur, quàm propriis dolet malis & calamitatibus. Quemadmodum verò Palæstini obstruendis illis puteis, nocere Isaac voluerint, satis liquet. Etenim aquarum copia, vt agriculturam & rem pecuariam, atque omnes propemodum humanæ vitæ partes tuetur & continet: sic earum penuria vehementer 25

Quàm sitæca Inuidia.

affligit

affligit & perdit. Præsertim autem in Palæstina, ob terræ ariditatem, aquarúmque penuriam, vsus puteorum carissimus & pretiosissimus habebatur. Itaque quod in vniuersum dixit Plinius libro 31. cap. 1. Omnes terræ vires, omniáque bona, aquarum esse beneficij; id potissimùm in terram Palæstinæ dici potest. *Plinius.*

26 Subdit Moses, ipsum regem Abimelech dixisse ad Isaac: *Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valde.* Non est profectò credibile, quòd iste Rex dixit, Isaac fuisse potentiorem, tam ipso Rege, quàm omni gente Philistinorum: sed Rex ille dissimulando, supra verum exaggerauit potentiam Isaac, timorem eius obtendens suæ, suorúmque, qua in eum ardebãt inuidiæ & odio, & iustam esse causam demonstrare volens, cur eum iuberent inde abscedere. Tres autem Abimelecho & Philistinis fuisse causas abigendi Isaac, cogitare possumus. Vna fuit causa, Inuidia: nam præ Inuidia, præsentis Isaac prosperitatem, æquis neque oculis, neque animis aspicere poterant: quare, vt animi morsu & cruciatu, ob eius prosperitatem, leuarentur, iusserunt eum ab ipsis recedere. Altera causa fuit huic proxima, natura scilicet & vis inuidiæ; quæ semper maiora æstimat bona eorum, quibus inuidet, quàm sua. Quamobrem Ouidius quodam loco, talia Inuidorum hæc verba memorat: *Tres causæ cur Palestini abigerent Isaac.*

Fertilior seges est alienis semper in aruis:
Vicinique pecus, grandius vber habet. *Ouid. lib. 1. de Arte.*

Tertia causa esse potuit, verus timor potentiæ Isaac: non quòd solus ille Palæstinis formidandus esset; sed quòd timere poterant, ne si bellum aduersus ipsos aliunde ingrueret, Isaac vir prædiues ac præpotens, coniunctus hostibus, magnum eis malum daret. Simile quippiam de Hebræis timuisse Ægyptios, legimus in capite primo Exodi: *Surrexit interea rex nouus super Aegyptum* (ait Scriptura) *qui ignorabat Ioseph: & ait ad populum suum: Ecce populus filiorum Israël multus & fortior nobis est. Venite, sapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur; & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis, egredia tur de terra.*

27 Ponam hîc luculentum huius loci commentarium B. Chrysostomi ex homilia 52. in Genesim. Considera, inquit, quanta illorum hominum fuerit malitia, qui aquas iusto viro inuiderunt: neque Rex in tanta potestate constitutus, inuidiam eorum coërcere potuit: immò & ipse dixit: *Recede à nobis, quia potentior nobis factus es.* Magna profectò maleuolentia. Cuius gratia Iustum abigis? num aliqua in re tibi nocuit, aut iniuriam vllam fecit? Verùm ita se habet inuidia, nihil cum ratione operatur. Sed oportebat eos diligere potiùs & laudare eum, quem tanta Dei gratia prosperatum & munitum videbant; vt honore in illum collato, etiam ipsi diuinum sibi fauorem conciliarent. Sedenim inuidia non potest benignè aliorum videre felicitatem: quin proximi felicitatem, suam ducit infelicitatem: boníque proximi magis, quàm proprijs malis intabescit. Ecce tibi Rex, sub cuius potestate erat tota illa ciuitas & regio, homini peregrino ac vago, & huc illuc subinde migranti inuidens, dicit: *Recede à nobis, quia potentior factus es nobis.* Et verò *Chrysost.*

potentior erat,ſupernum præſidium habens in omnibus, dexteráque Dei munitus. Sed quò iuſtum abigis? ignoras,quòd quocumque illum ire coëgeris,ſemper erit in ijs quæ Domini ſui ſunt? non te docuit experientia, quòd Dei manus eſt,quæ diuitem & potentem faciat iuſtum? Quare igitur abigendo eum,erga Dominum ingratus atque impius es? neque tuam inuidiam tanta viri manſuetudo reprimere ac domare poteſt? Neſcis quòd licet in abditiſſimam ſolitudinem eum fugaueris, habebit tamen ibi potentem dominum, qui non ſolùm eum iuuare, ſed multo clariorem facere poſſit? nihil enim fortius, quàm frui ſuperno præſidio: ſicut contrà, nihil eſt infirmius quàm Dei auxilio deſtitui. Hæc Chryſoſtomus.

Verſu.18. Et ille diſcedens, vt veniret ad torrentem Geraræ, habitaretque ibi, rurſum fodit alios puteos, quos foderant ſerui patris ſui Abraham, & quos, illo mortuo, olim obſtruxerant Philiſtini: appellauítque eos ijſdem nominibus, quibus antè pater vocauerat.

NARRAT Moſes, quater fodiſſe puteos Iſaac in terra Philiſtinorum, iuxta vrbem Geraram. 28 Primò puteos olim factos à ſeruis patris ſui Abrahæ, ſed poſtea obſtructos à Philiſtinis, refodit, ac repurgauit, atque refecit; ijſdémque nominibus, quæ olim habuerant, appellauit. Tum fodit puteum in torrente Geraræ, & reperit aquam viuam. Sed quia pro eo puteo iurgati ſunt Philiſtini cum ſeruis ſuis, vocauit eum, Calumniam, vel, vt alij interpretantur, litigium, ſiue Iurgium. Septuaginta verterunt (Iniuſtitiam) & inde, dimiſſo puteo, diſceſſit. Deinde fodit alium puteum: & pro eo ſimiliter iurgium & rixa fuit: & ideirco vocauit eum (Inimicitias.) Cedens itaque Iſaac Palæſtinorum inuidiæ atque inſectationi, abijt aliò, & nouum fodit puteum: ſuper quo cùm nulla eſſet facta altercatio & rixa, nominauit eum (Latitudinem) dicens: *Nunc dilatauit nos Dominus, & fecit creſcere ſuper terram.*

Sed cur Iſaac, primo, veteres patris ſui puteos refodere, ac reficere 29 maluit, quàm nouos efficere? Quatuor ſcilicet ob cauſas. Iam enim experimento Abrahę compertum erat, eſſe in locis eorum puteorum venam aquæ erumpentis: quod alibi exploratum non erat: certam itaque ſpem inueniendæ ibi aquæ, præpoſuit incertæ reperiendi aliubi. Deinde, facilius erat iam factos puteos repurgare ac renouare, quàm moliri nouos. In illis enim terra ſemel iam foſſa, & fracta, & mollita, facilis effoſſu atque egeſtu erat: operoſius autem & laborioſius futurum erat, terram integrã & ſolidam, & duram, altè, ad figuram & vſum putei perfodere. Adhæc, cum illi putei fuiſſent patris ſui Abrahæ, hereditario vtique iure ad ſe pertinebant: nec vllam poterant Palæſtini, eos ſibi vendicandi probabilem cauſam prætexere: & ideo, quo magis id conſtaret, ijſdem

nomi

nominibus vocare eos voluit, quibus à patre suo fuerant appellati. Ac demum id fecit Isaac, vt memoriam patris sui, paternorúmq; operum inibi renouaret, & perennem, quoad eius fieri posset, conseruaret, suíque iuris testatam, manifestámque rationem repræsentaret.

Origenis disputatio allegorica super puteis factis ab Isaac.

30 Huius historiæ de puteis Isaac allegoricum tractatum fecit Origenes in Homilia 13. in Genesim, perquàm eruditum & disertum, ac pium. Lubet igitur ex eo loco præcipuam disputationis eius partem huc transpositam, lectori cum voluptate legendam, fruendámque præbere. Puteos quos foderant pueri Abraham (ait Origenes) Philistini repleuerunt terrâ: sed eos primùm purgare aggressus est Isaac. Intuere nostrum Isaac, qui pro nobis oblatus est hostia, & venit in vallem Geraræ, quam interpretari licet sepem siue maceriam: vt medium scilicet parietem destrueret, & maceriam auferret, id est, peccatum, quod inter nos separat & Deum, & cœlestes Virtutes; vt faceret vtraque vnum, & ouem quæ errauerat, humeris suis reportaret ad montes, & reduceret ad alias nonaginta nouem, quæ non errauerant. Hic ergo noster Isaac cum in hunc mundum venisset, primò illos puteos refodere & purgare voluit, quos foderant pueri patris sui, puteos dico Legis, & Prophetarum. Puer patris sui fuerat Moses, qui foderat puteum Legis. Pueri patris sui fuerant Dauid, & Salomon, & Prophetæ, qui libros scripserunt veteris Testamenti, quos terrena & sordida repleuerat intelligentia Iudæorum. Hi nempe terrenam & carnalem intelligentiam tantum in lege ponebãt, & spiritalem ac mysticam claudebant, vt neque ipsi biberent, neque alios bibere permitterent. Audi Dominum nostrum dicentem in Euangelio Lucæ ca. 11. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quoniam tulistis clauem scientiæ, & neque ipsi introistis, neque intrare volentes permisistis.* Nimirum isti sunt qui legem tantùm secundùm litteram & carnaliter docent, & aquam sancti Spiritus maculant & conspurcant: qui puteos ad hoc habẽt, non vt aquã proferant, sed vt eos terrâ impleant. Hos igitur puteos cum vellet purgare noster Isaac, & ostendere quia lex spiritalis est, & quòd quæcumque lex & Prophetæ dixerant, de ipso fuerant dicta; rixati sunt cum eo. Quare discessit ab eis: & dixit eis: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, &, Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum.* Foderunt porrò nouos puteos pueri Isaac: pueros appello quatuor Euangelistas, & Sanctos Apostolos, qui omnes Noui Testamenti puteos foderunt. Sed & pro his altercantur illi, qui terrena sapiunt, quíque nec noua condi patiuntur, nec purgari vetera. Euangelicis scriptis contradicunt, Apostolicis quoque doctrinis aduersantur: & quoniam in omnibus contradicunt, & litigant & repugnant, dicitur ad eos Actorum cap. 13. *Quoniam indignos vos fecistis gratiæ Dei, ex hoc iam ad Gentes ibimus.* Posthæc ergo fodit Isaac tertium puteum, & appellauit nomen illius (Latitudo) dicens: *Quia nunc dilatauit nos Dominus, & auxit nos super terram.* Verè enim dilatatus est noster Isaac, & auctum est per omnem terram nomen eius: postquam reuelauit nobis Trinitatis mysterium, & publicitus toto mundo prædicari voluit. Nimirum antea notus in Iudæa tantùm

Ephe. 2.
Esai. 59
Luc. 15.
Rom. 7.
Mat. 23

erat Deus ; &tantùm in Israël magnum erat nomen eius : at pòst id
Psal.75. temporis, in omnem terram exiuit sonus eius, & vsque in fines omnis
Psal.18. terræ peruenit doctrina eius. Euntes enim pueri huius Isaac per vniuersum terrarum orbem, vbique foderunt puteos, & aquam viuam ostenderunt omnibus, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, &
Matth.vlt. Spiritus sancti ; declarantes quia *Domini est terra, & plenitudo eius, orbis*
Psal. 23. *terrarum, & vniuersi qui habitant in eo.* Hactenus ex Origine.

VERS. 19. Foderúntque in torrente, & repererunt aquam viuam.

PAVLO suprà dictum est, Isaac venisse ad torrentem Geraræ, 31
& ibi habitasse. In illo igitur ipso torrente, serui Isaac foderunt hunc puteum. Verùm vtroque in loco pro voce, Torrente, Septuaginta habẽt, Vallem: quam lectionem non satis approbat Sanctus Hieronymus in Traditionibus Hebraicis, super hunc locum
S. Hieron. Geneseos. Nam cum memorasset lectionem huius loci, secundum Septuaginta, quæ hæc est: *Et abiit inde Isaac, & venit in vallẽ Gerararum, & habitauit ibi*, Subdit: Pro Valle, Torrentem habet Hebraica lectio. Neque
Psal. 109. enim Isaac, postquam magnificatus est, in valle habitare poterat, habitauit autem in torrente, de quo scriptum est: *De torrente in via bibit.* De quo etiam Elias tempore famis bibit, 3. Regum cap. 17. Sed quia Elias
Ioan.18. non erat perfectus vt Christus ; ideo ei torrens ille aruit. Dominus verò noster etiam in torrente traditus est, dedicans regenerationem nostram, & Baptismi Sacramentum. *Et foderunt pueri Isaac in valle Gerararum, & inuenerunt ibi puteum aquæ viuæ.* Etiam hîc pro Valle, in Hebræo Torrens, scriptum est, numquam enim in Valle inuenitur puteus aquæ
Lippomanus in Catena in Genesim, super hunc locũ. viuæ. Hæc Sanctus Hieronymus. Sed enim Lippomanus patrocinium lectionis Septuaginta Interpretum suscipiens, vox, inquit, Hebræa, Nahal, hîc posita, tam Torrentem significat, quàm Vallem: vnde vtroque modo Interpretes verterunt: Chaldæus enim habet, in Torrente, vt Latina translatio : Septuaginta verò habent, in Valle. Vocatur autem Torrens, aqua ex inundatione imbrium, vel resolutione niuium decurrens, nec iugiter fluens. Ideóque in Torrente puteos effodere potuerunt. Et repererunt aquam viuam, hoc est, subter è terra scaturientem, & salientem, quæ instar rerum viuentium se mouere videtur. Dominus itaque, ne frustrà esset conatus seruorum Isaac, prouidit illis aquas viuas, iuges & salubres in Torrente, iuxta quem illi, vnà cum pecoribus suis viuebant.

Atenim quærat fortasse quispiam, quorsum illi puteum foderint in 32
Thostatus super hunc locũ Genesis. Torrente, qui aquas habebat: aut quemadmodum in alueo Torrentis, aquas vehentis, puteum fodere potuerint. Respondet Thostatus: Torrens, inquit, est aqua collecta ex pluuiis, vel ex niuibus resolutis, & fluit ferè tantùm ad certum quoddam tempus, hoc est, in hyeme, non autem

in

in æstate, quo tempore, siccato torrente, commodè potuerunt fodere puteum. Vel fortasse, torrens ille ex paruis fontibus originem habens, non poterat omni tempore aquas suas extrà deriuare. Quapropter istum puteum fecerunt serui Isaac, vt quotiescumque plueret, cadens aqua, & per torrentem fluens, in ipsum puteum reciperetur atque colligeretur. Vel fortassis, puteus iste non est factus in ipso alueo torrentis, sed iuxta eum: ita vt torrentis aqua facilè, decliui lapsu, in puteum deduci & defluere posset. Nam quia exigua erat aqua torrentis, nec in suo alueo potandis pecoribus sufficiens: propterea in vicinum puteum deriuabatur, vt ibi collecta, atque impleto puteo, sufficeret potui hominum & pecorũ. Non igitur videntur serui Isaac fodisse puteum, vt in eo reperirẽt aquam viuam, sed vt in eum aquam torrentis deriuarent atque colligerent. Quare inuentio aquæ viuæ, fuit præter expectationem eorum, atque hoc etiam iucundior & carior fuit, & pro magno Dei beneficio accepta. Aquã porrò viuam appellat in hoc loco Moses, vel magnum quoddam caput fontis, exuberantiámque maiorem aquæ, quàm solet esse putealis aqua. Vel dicitur aqua viua, quælibet vena aquæ, siue putealis siue fontanæ, ea ratione vt distinguitur ab aqua mortua, id est, ab ea, quæ non habet in eo loco principium suæ originis, sed vel ex imbribus ibi collecta est, vel aliũde illuc confluit, nec motum & cursum habet, vt sunt palustres & stagnantes aquæ.

33 Tentemus nos etiam, atque enitamur (ait Origenes homilia 12. in Genesim) fodere nobis ipsi puteum, & aquam viuam reperire in torrente sacrarum Scripturarum, vt cùm sacros libros sumpserimus ad legendum & meditandum, conemur etiam nos proprio studio & diligentia, bonum aliquem intellectum proferre, & vtilia documenta quasi exsculpere, secundùm ea quæ in Ecclesia didicimus: vt nos etiam de fonte ingenij & studij, & laboris nostri possimus aquam bibere sapientiæ. Est intra nos aqua viua, sunt venæ perennes, sunt rigua fluenta, rationabiles sensus: si modò non sint terra & ruderibus, & cœno oppleta. Satagamus igitur fodere terram nostram, & purgare sordes, id est, ingenij nostri amouere desidiam, & torporem cordis excutere. Audi quid dicit Scriptura: *Punge oculum, & profer lacrymam: punge cor, & profer sensum.* Purgemus & nos ingenium, & mentem, & cor nostrum vitiorum errorúmque sordibus, vt puram veræ ac salutaris doctrinæ aquam viuam de nostris puteis haurire & bibere possimus. Si enim verbum Dei dignè, atque vt oportet, in nobis acceperimus, & studiosè ac diligenter excoluerimus, fiet illud in nobis fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam.

Origenis Allegorica expositio.

Ecc. 22.

Sic Origenes.

***

Sed

VERS. 20. Sed & ibi iurgium fuit pastorum Geraræ aduersus pastores Isaac, dicentium, Nostra est aqua. Quamobrem nomen putei ex eo quod acciderat, vocauit Calumniam.

Origenis Allegoria.

HÆc verba enarrans allegoricè Origenes homilia 13. in Genesim: Non solùm, inquit, Iudæi atque Hæretici litigant, & 34
rixantur nobiscum in sacrarum litterarum tractatu & intelligentia: verùm Gentiles etiam seculares litteraturæ ac sapientiæ professores, Ecclesiasticis Doctoribus, super doctrina diuinarum & humanarum rerum eruditè, disertéque disputantibus obstrepunt & obtrectant, & acriter aduersantur. Nostra sunt, inquiunt, ista quæ dicitis: nostræ artis ista est eruditio: nostra est dialectica, qua subtiliter & acutè disseritis, nostra est philosophia, qua sapienter & vtiliter disputatis; nostra est eloquentia, qua copiosè & ornatè dicitis; nostri sunt fontes istarum disciplinarum; nostra est aqua ista. Et mouent nobis lites, velut Philistini aduersus Isaac, dicentes, In nostro solo fodistis puteos, & indidem aquam hausistis: & videbuntur sibi meritò ista vendicare, quasi propriæ eorũ terræ sint. Verùm ad ista nos respondemus: habet omnis terra aquas; sed qui Philistinus est, & terrena sapit, nescit vbique terrarum inuenire æquã: nescit in omni anima inuenire rationabilẽ sensum ad imaginẽ Dei: nescit fidẽ, pietatẽ, & religionem posse in omnibus inueniri. Quid prodest tibi eruditionem habere, & nescire, vtiliter ea vti, & habere sermonẽ, & nescire, vt expedit, loqui? Opus istud proprium est puerorum Isaac, qui in omni terra fodiunt puteos, & reperiunt aquam viuam, id est, omni animæ verbum Dei loquuntur, & fructum inueniunt. Denique, vis hoc perspicuè videre? Vnus puer Isaac quantos puteos in terra alienigenarum
Roma. 15. fodit? Vide Paulum Apostolum, qui ab Hierusalem, in circuitu vsque ad Illyricum, repleuit omnem terram Euangelio Christi. Sed vix credibile dictu, quantas iste puer Isaac, per singulos puteos, persecutiones Philistinorum passus sit, quas ipsemet copiosè quodam in loco memorat. Ad
2. Cor. 11. hanc fermè sententiam Origenes & hæc & quædam alia; sed minùs memorabilia, breuitatis studio, hîc omissa.

Ceterùm expendamus nomen, quod imposuit illi puteo Isaac, vocans 35
eum Calumniam, ex eo quod super eo acciderat. Verbum (Hessach) ait
Lippoman. Lippomanus, cum puncto sibôlet scriptum, significat calumniari, vim inferre, per violentiam vel fraudem aliquid obtinere, aut extorquere. At verò scriptum cum puncto Sibôlet, significat iurgari: quo modo Hebraicè scribitur in hoc loco; idque poscere videtur ipsa verborum Mosis sis sententia; ait enim, ex iurgio quod inter pastores Geraræ, & seruos Isaac acciderat, nomen illi puteo fuisse inditum. Latinus interpres altero modo scriptum legisse videtur, & ideo vertit Calumniam, alij interpretantur litigium. Septuaginta verterunt, Iniustitiam, quia iniquè atque
Oleast. iniustè egerunt illi cùm Isaac. Oleaster sic vertit hunc locum: Vocauit nomen putei, Occupationem, vel Detentionem, quam lectionem explanans: Sic, inquit, appellatus est puteus, quia eum Philistini occupauerunt, &

runt,& detinueruut,ſibi aſſerentes. Eſt porrò admodum incerta ſignificatio verbi(Haſſach)quod occupare vel detinere vertimus.Rabbi Dauid in libro Radicum,ponit diſcrimẽ inter verbum(Haſſach)&(Gazàl)quoniam(Haſſach)eſt nolle reddere,aut reſtituere rem proximi ſui,quæ peruenit ad manus cuiuſpiam,vel per depoſitum, vel per mutuum, vel per obligationẽ,vt eſt merces mercenariorum,quam quis retinet,cum reddere illis deberet. Sed (Gazàl) eſt rapere,& per vim auferre. Rabbi verò Abraham in Commentarijs ſuis ſuper caput vj.Leuitici dicit (Gazàl) eſſe palam per vim auferre ac rapere. S. Hieronymus ferè ſolet vertere Calumniari.Mihi probatur magis ſententia Rabbi Dauidis,& id verbi ſignificare mihi propriè videtur,aut detinere,aut opprimere.Atque huius meæ coniecturæ adiumentum eſt locus ille apud Iſayam cap.lij. Et Aſſur pro nihilo(Haſſachò)ideſt,detinuit eum,vel occupauit,vel oppreſſit.Pro quo Latina lectio habet:*Et abſque cauſa calumniatus eſt eum.*Sed ego rem hanc non planè definio:quia nondum habeo eam penitus exploratam & compertam.Sic Oleaſter.

Rabbi Dauid:

Rab. Abrahã:

36 B.Gregorius in libro 31.Moralium tractans verba illa,quæ ſunt in 39. capite Iob:*Terram (equus) vngula fodit*, Hiſtoriam hanc Moſis de foſſione puteorum Iſaac,ad pulcherrimam,& perfectioris viuẽdi diſciplinæ amatoribus atque ſectatoribus apprimè vtilem, tropologicam intelligentiam & diſputationem traducens,hunc in modum ſcribit:Sancti viri quamuis intento mentis oculo ſupernis inuigilent,quamuis cũcta quæ in imo præterfluunt pede rigidi contemptus calcent:ex corruptione tamen terrenæ carnis,cui adhuc alligati ſunt,plerũque cogitationum puluerem in corde patiuntur. Cúmque foris perſuadent alijs appetere cœleſtia, ſemetipſos ſemper intrinſecus ſubtili inquiſitione diſcutiunt;ne qua immorante in ſe diu infima cogitatione polluantur. Equus ergo iſte vngula terram fodit, cùm prædicator quiſque forti inquiſitione terrenas in ſe cogitationes diſcutit.Vnde benè & Iſaac apud alienam gẽtem puteos fodiſſe deſcribitur. Quo videlicet exemplo diſcimus, vt in hac peregrinationis ærumna poſiti cogitationum noſtrarum profunda penetremus : & quouſque nobis veræ intelligentiæ aqua reſpondeat,nequaquam noſtræ inquiſitionis manus ab effodiẽda cordis terra torpeſcat. Quos tamen puteos Philiſtini inſidiantes terra replent;quia immundi ſpiritus,cum nos ſtudiosè cor noſtrum fodere conſpiciunt,congeſtas in illud tentationum cogitationes ingerunt.Vnde ſemper mens euacuanda eſt, inceſſantérque fodienda:ne ſi indiſcuſſa relinquitur,vſque ad tumorem peruerſorum operũ, cogitationum ſuper nos terra cumuletur. Hinc ad Ezechielem dicitur:*Fili hominis fode parietem.*Id eſt,cordis duritiam crebris perſcrutationum ictibus rumpe.Hinc ad Iſaiam Dominus dicit:*Ingredere in petram, abſcondere,foſſa humo,à facie timoris Domini,& à gloria maieſtatis eius.* Petram quippè ingredimur,cum cordis noſtri duritiem penetramus.Et à facie timoris Domini foſſa humo abſcondimur,ſi terrenas cogitationes egerentes, ab ira diſtricti Iudicis, in humilitate noſtræ mentis celamur : quo enim plus terra fodiendo egeritur , eo pauimentum ſemper inferiùs demonſtratur.

B.Gregorij pulcherrima diſputatio Tropologica, ſuper foſſione puteorũ Iſaac.

Ezechiel.2.

Iſaiæ.2.

Vnde & nos quanto ſtudioſiùs terrenas cogitationes à nobis eijcimus, tantò humilius perfugium, vbi abſcondamur, inuenimus. Hinc etiam populo Iſraëlitico per Moyſen iubetur à Domino, vt cum egreditur ad requiſita naturæ, mittat paxillum in baltheo, & foſſa humo, abſcondat quæ egeſta fuerint. Naturæ enim corruptibilis pondere grauati, à mentis vtero quædam cogitationum ſuperflua, quaſi mentis grauamina erumpunt. Sed portare paxillum ſub baltheo debemus, vt videlicet ad reprehendendos noſmetipſos ſemper accincti acutum circa nos ſtimulum compunctionis habeamus: qui inceſſanter terram mentis noſtræ pœnitentiæ dolore confodiat, & hoc, quod à nobis fœtidum erumpit abſcondat. Ventris quippè egeſtio, foſſa humo per paxillum tegitur; cum mentis noſtræ ſuperfluitas, ſubtili redargutione diſcuſſa ante Dei oculos per compunctionis ſuæ ſtimulum celatur. Hactenus ex B. Gregorio.

Deuter. 23.

VERS. 24. Aſcendit Iſaac ex illo loco in Berſabee, vbi apparuit ei Dominus in ipſa nocte dicens: Ego ſum Deus Abraham patris tui, noli timere, quia ego tecum ſum: benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum propter ſeruum meum Abraham.

DISCEDENS Iſaac, ex vrbe Gerara, & terra Philiſtinorum, abijt ad Vrbem Berſabee: quæ, quia ſitu loco erat altiori quàm vrbs Gerara, idcirco aſcendiſſe illuc dicitur Iſaac. De iſta vrbe; quæ lectorem ſcire conuenit, diximus in Tertio Tomo ſuper cap. xx. Geneſis Numero 23. *Vbi apparuit ei Dominus in ipſa nocte.* Vt expulſum Iſaac à Rege, & à Philiſtinis iniuriosè vexatum, & puteis ſuis ſpoliatum, Deus ſolaretur, ac recrearet; apparuit ei, & ampliſſima promiſſa patri eius Abrahæ data, renouando, & confirmando, nimium quàm lætum, fidentem, & alacrem facit; ſimúlque eum paternæ virtutis commemoratione, atque exemplo ad eandem virtutem imitandam inflammat. Eſt autem hæc viſio, & Apparitio Dei, ſecunda, quæ facta eſt Iſaac: nec præter hanc, aliam vllam expreſſam legimus, ei contigiſſe. Illud: *in ipſa nocte*, ſignificat ea ipſa nocte, qua venit ille ad vrbem Berſabee, hãc ei viſionem accidiſſe. Sed vigilantíne illi an dormienti? Thoſtatus, & Caietanus, dormienti putant contigiſſe: Lippomanus autem, vigilanti, & per Angelum: ſed vtrumque incertum eſt. Nam cum vtroque modo fieri potuerit, & vtro modo ſit factum, Moſes tacuerit, diuinare prorſus eſt, alterutrum horum definire: neque enim, quia noctu facta eſt non potuit fieri vigilante Iſaac. 37

Thoſtatus. Caietanus. Lippoman.

Ego ſum Deus Abraham patris tui, noli timere. Ego ſum (inquit Chryſoſtomus homilia 52. in Geneſim) qui patrem tuum glorificaui: &, cum peregrinus eſſet, illuſtriorem omnibus indigenis feci: ego illi ſemper adfui, 38

Chryſoſtomus

fui,& in omnibus curam eius gessi. Ne te perturbet, quòd à Rege Abimelech sis expulsus,& à Philistinis iniuria sis affectus. Multa talia, & Pater tuus pertulit,& inde glorioſior,me iuuante,factus est. Noli terreri,ego tecum sum: ideirco fieri hæc permitto,vt & tuam virtutem declarem, & manifestam mentis illorum prauitatem. Ego tecum sum, & ideò inuictus eris,& infestantibus eris tu potentior,& inuadentibus fortior: & tantam curam tui habebo,vt inuidioſus illis futurus sis. Considera misericordiam Dei: etenim se Deum dicens esse Abrahæ, ostendit quantum sibi vendicauerit illum,& proprium fecerit sibi. Nam cum Dominus sit omnium, conditor, vnius tamen hominis se Deum appellat, non concludendo, & abbreuiando cum Patriarchæ appellatione suum dominium, sed peculiarem,& maximam in illum beneuolentiam suam demonstrando,quasi dicat, Ita eum mihi feci proprium, vt apud me tantum vnus ipse valeat,quantum alij omnes. sic Chrysostomus.

Cur Deus omnium, dictus sit propriæ Deus Abrahã

Sed hoc ipsum paulò enucleatiùs dicamus,& declaremus. Qui est communiter omnium Deus, ob generalem omnium creationem,conseruationem,ac gubernationem,is propriè,ac singulariter dictus est Deus Abrahæ,tùm ob peculiarem,& admirabilem Dei curam,& beneuolentiam in eo tuendo,regendóque,atque amplissimis bonis cumulando: tùm etiã ob singularem,& eximiam Abrahæ fidem,& obedientiam,pietatémque, qua vnum ille Deum vnicè coluit. Ob hanc quoque causam,Deus appellatus est peculiariter Deus Hebræorum,sicut ipse dixit Exodi decimo nono. *Si audieritis vocem meam,& custodieritis pactum meum: eritis mihi in peculium,de cunctis populis: mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta*: & in capite quarto Deuteronomij dixit Moses Hebræis. *Hæc est vestra sapientia,& intellectus coram populis, vt audientes vniuersi præcepta hæc,dicant: En populus sapiens, & intelligens, gens magna. Nec est alia Natio tam grandis,quæ habeat Deos appropinquantes sibi,sicut Dominus Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Quæ est enim alia gens sic inclyta,vt habeat cæremonias,iustáque iudicia,& vniuersam legem,quam ego proponam hodie ante oculos vestros?* Et hinc sumptum est illud Dauidis psalmo 147. *Qui annuntiat verbum suum Iacob,iustitias,& iudicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi,& iudicia sua non manifestauit eis.*

Deuter. 4.

Psal. 147.

39 Apud Ethnicos,variæ gentes, varios ex hominibus sibi Deos fecerunt,varióque ritu, & cæremonijs eiusmodi factitios coluerunt deos. Ad eos verò fictitiæ diuinitati consecrandos adducti sunt, partim admiratione virtutum, quas in illis cernebant: partim meritorum, & beneficiorum magnitudine, partim repertarum ab illis artium commoditatibus. Virtutes autem eorum perinsignes dico, aut corporis, vt inusitatam proceritatem, pulchritudinem, robur: aut animi, vt exuberantem sapientiam, fortitudinem, iustitiam, & beneficentiam. Quanquam, nec vera in illis virtus fuit, & ea, qualis erat, nec paucis, aut paruis mixta, & inquinata vitijs fuit. Super hac re copiosè disputat

De variarũ gentium, varijs, & propriis Diis.

in 1.lib.Lactantius,affirmans deos esse factos ex hominibus, aut virtutis gratia,vt Herculem:aut munerum, vt Cererem, ac Liberum; aut artium repertarum,vt Æsculapium,& Mineruam. Quod autem ob prædictas causas variarum gentium varij fuerint quasi proprij Dij, multis cõstat exemplis. Etenim Belus Assyriorum,& Chaldęorum proprius habebatur Deus: Isis Ægyptiorum: Baal Sidoniorum, & Tyriorum, Minerua Athenienſiũ: Iuno Samiorum: Vulcanus Lemniorum: Latinorum Faunus: Sabinorum Sancus: Quirinus Romanorum.

Ceterum diligenter,& attentè consideranda sunt illa verba: *Noli timere, quia ego tecum sum.* Pro quibus paraphrasis Chaldaica huiusmodi reddit sententiam: *Noli timere, quia adiumento tibi erit verbum meum.* Magna profectò hæc diuinæ protectionis assistentiæ gratia est. Quam breuibus describens Dauid in psalmo 31. ex persona Dei sic ait: *Intellectum tibi dabo,& instruam te in via hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos.* Hanc sibi gratiam contigisse, idem propheta lætabundus prædicat psalmo 15. *Prouidebam,* inquit, *Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear. Propterea lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, insuper,& caro mea requieſcet in spe.* & psalmo 22. *Etiamsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Hac nempe fretus diuinæ protectionis gratia, fidenter dixit Iob: *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.* Et Paulus ad Romanos 8. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Huius porrò diuinæ assistentiæ,& protectionis quadruplex virtus,& modus est: Etenim fit,aut illuminando nos,vt pericula & mala ingruentia prospicientes,ea præcaueamus. Aut malorum occasiones amoliendo,& à nobis amouendo,ne in ea labamur; Aut coërcendo, & compescendo Diabolum, ne vel per occultas insidias nos circumueniat, vel per graues,ac vehementes tentationes nos prosternat: aut demum in ipsis tentationibus, siue diabolicis, siue humanis, quas accidere nobis permittit, tantum impertiendo animi robur, & constantiam, vt non solùm non succumbamus tentationibus; sed illis superatis, ingentem capiamus ex ipsis tentationibus virtutis auctum,& vberrimum cœlestis gloriæ meritum comparemus. Quam autem Deo pro huius protectionis suæ gratia, obligati sint, quibus ea est data, exultans Dauid, declarauit illis verbis, psalmo 17. *Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum,& liberator meus, Deus meus, adiutor meus,& sperabo in eum. Protector meus, & cornu salutis meæ,& susceptor meus.* Animaduertere est, hanc protectionis, & assistentiæ suæ gratiam promisisse Deum tribus istis Patriarchis, Abrahæ, Isaac,& Iacob: Vt propter hanc quoque causam propriè,ac singulariter illorum Deus appellatus sit. De Abraham habes Genes. 15. *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum,& merces tua magna nimis.* De Isaac hoc loco: *Noli timere quia ego tecum sum.* De Iacob Genes. 28. *Ero custos tuus, quocumque perrexeris.*

Quãta sit gratia diuinæ protectionis, & assistentiæ.

Iob. 17.

Quatuor modi protectionis diuinæ.

Ad

Ad quem locum cum veniſſent de Geraris Abimelech, & Ochozath amicus illius, & Phicol, dux militum, locutus eſt eis Iſaac, Quid veniſtis ad me hominem, quem odiſtis, & expuliſtis à vobis? Qui reſponderunt, vidimus tecum eſſe Dominum, & idcirco nos dicimus: Sit iuramentum inter nos, vt non facias nobis quicquam mali, &c. VERS. 26. vſq; ad 30.

41 POENITVERAT iam Regem Abimelech, & Satrapas eius iniuriæ, qua affecerant immerentem Iſaac: ſimúlque metuebant iuſtam contra ſe iram Dei, quem adeſſe illi viro, & vehementer fauere, clariſſimè cernebant. Quamobrem ſupplices ad illum adierunt, amicitiam eius expetentes, fœdúſque cum eo inire percupientes. Nempe magna eſt vis conſcientiæ, etiam nullo accuſatore, ac iudice, ſuorum quemque ſcelerum acriter accuſantis, rigidéq; condemnãtis. Magna item, & inſuperabilis eſt potentia virtutis: quæ oppugnari quidem, & infeſtari poteſt, ſed expugnari, atque opprimi nõ poteſt. Eſt quoque improbis hominibus valdè formidabilis diuina protectio iuſtorum hominum. Rectè igitur Chryſoſtomus homil. 52. in Geneſim. Vide, inquit, quemadmodum iſti ſemetipſos, impellente conſcientia, reprehendere feſtinant, cùm nullus ad id cogeret, aut crimina illis obijceret. Sed ita ſe habet iniuſtitia: quotidie conſcientiam mordet; & ſilente eo qui offenſus eſt, pœnam & rationem exigi à ſe putant, qui iniuſtitiam operati ſunt: quotidie arguuntur, & ſibimetipſis quaſi præſcribunt, & prænuntiant ſuorum flagitiorum ſupplicia: ſemper ſibi adeſſe iudicem, & præſto eſſe vindicem, & vltorem cogitant.

Quãta vis cõſcientiæ, ac virtutis.

Chryſoſtomus

42 *Et Ochozat amicus eius.* Sic etiam vertit Pagninus: ſic legunt etiam Hebræorum nonnulli, ſed B. Hieronymus in traditionibus Hebraicis in Geneſim ſuper hunc ipſum locum, vocem (Ochozat) ſumit non vt nomen proprium hominis, ſed vt nomen ſignificans collegium, vel comitatum amicorũ. In Hebræo, inquit, legitur veniſſe Ochozat, & collegium amicorum eius: vt non tam hominem ſignificet, quàm amicorum turbam, quæ Regem illuc comitata ſit. Atque hanc interpretationem Hieronymi ſecuti ſunt Rupertus, Lyranus, Thoſtatus & Vatablus, eandem habet paraphraſis Chaldaica. Lippomanus ait dictionem Hebraicã, quæ in hoc loco eſt (Mereehu) ſignificare *amicus eius*, vt habet Latina tranſlatio; addita nimirum littera (Men) dictioni (Rea) quæ amicum, vel ſocium ſignificat. Septuaginta verterunt *Abuzat pronubus eius*, quæ lectio nullam cum Hebraica ſententia affinitatem habet. Iſidorus, & Latinus interpres Originis legunt *Gener eius*. Interpres Chryſoſtomi vertit, *Præfectus Gynecæi.*

S. Hieronym.

43 *Quid veniſtis ad me, hominem quem odiſtis, & expuliſtis à vobis?* O miram lenitatem, & manſuetudinem Iſaac! à quibus tam inhumaniter tractatus, tam iniuſtè læſus, & vexatus fuerat, nihil de illis quæritur, nihil

expoſtulat cum illis, nec illorum humilitate, ac metu factus eſt inſolentior,& arrogantior,nec fiducia diuinarum promiſſionum, nec Dei præſidio, virtutéque confiſus, aduerſus illos inſurrexit: ſed perpetuam præ ſe ferens manſuetudinem,magna cum lenitate verborum dixit eis, *quare venistis ad me?* Itaque mitior etiam patre ſuo Abraham viſus eſt; hîc enim(vt ſcriptum eſt Geneſ.21.)eiuſdem gentis, atque eiuſdem nominis 34
Regem increpauit, propter puteum aquæ quem vi abſtulerant ſerui eius. At Iſaac de tot puteis ſuis partim obſtructis, partim ablatis verbum fecit nullum.Iam ergo tanto ante ſeruaſſe videtur ſanctiſſima illa Pauli documenta,& præcepta. *Nulli malum pro malo reddentes, non vosmetipſos defendẽtes. Noli vinci à malo, ſed vince in bono malũ. Si fieri poteſt,quod ex vobis eſt,cum omnibus hominibus pacem habentes.* Videlicet ex Sanctorum virorum moribus,& factis, duplex hæc præcipuè virtus exſplendeſcit: mala ſibi data patienter ferre,nec pro malis malum, ſed bonum potius reddere.Faciles illi ſunt ad ignoſcendum, prompti ad eorum, qui læſerunt excuſationem, & ſatisfactionem accipiendam; propenſi ad amoris reconciliationem;illud Saluatoris noſtri documentum cordi,& memoriæ perpetuò habentes, *Dimittite,& dimittemini: date,& dabitur vobis:* Namque illud:

Ad Rom. 12.

Luc. 6.

Vir.1.Aeneid. *--- manet alta mente repoſtum,*
Iudicium Paridis,

Et mortalium offenſas immortali odio,atque inexorabili venia conditas animo tenere, non ſeruorum Dei,non Chriſtiani hominis, non hominis,ſed Diaboli eſt. Meritò itaque illud Menandri celebratur dictum: *Mortalis cùm ſis,immortales inimicitias ne geras.*

Menander.

Origenes. Origenes in homilia 14. in Geneſim hiſtoriã hanc Regis Abimelech partim diſſidentis cum Iſaac, & partim concordantis, & trium iſtorum hominum Abimelech,Ochozath,& Phicol acceſſum ad Iſaac,pacem ab eo, & amicitiam poſtulantium, per allegoricam expoſitionem pulchrè applicat ad ſapientiam Gentilium, & tripartitam philoſophiam, Naturalem,Moralem,rationalem ſiue diuinam. Hæc enim à verbo Dei,& ſacra doctrina, per Iſaac figurata,in quibuſdam dogmatibus diſcrepat, ſed in nonnullis etiam cum ea conſentit. Hæc à primo vehementer obſtitit,atque obnixè aduerſata eſt prædicationi verbi Dei, & doctrinæ euangelicæ, vbique terrarum eam inſectans & conans vndique extrudere. Sed vbi vidit, ſuis ipſam inſectationibus inclareſcere magis,ac vigere; ſuorúmque cladibus,viuidiorem,& alacriorem, ac numeroſiorem euadere; tum etiam permota tot tantorúmque miraculorum effectione, obſtupeſcens item heroicas Chriſtianorum hominum virtutes, & facta: perſuaſa denique eſt,& veram,& ſalutarem,& diuinam, & de cœlo miſſam eſſe Chriſtianorum diſciplinam, & idcirco ſibi eam eſſe amplectendam, & vt certiſſimam verè ſentiendi,ac bene viuendi magiſtram, & ad beatã vitam ducem,perpetuò ſequendam. Itaque completum in iſtis ſapientibus fuit illud Zachariæ vaticinium cap.8. *In diebus illis apprehendent decem homines ex omnibus linguis Gentium fimbriam viri Iudæi,dicentes,Ibimus vobiſcum:* 35

Locus Zachariæ capite 8.

vobiſcum : audiuimus enim quoniam Deus vobiſcum eſt. Decem homines vocauit, id eſt, multos, ex more Scripturæ, quæ numero denario, interdũ perfectionem, ſæpe multitudinem denotat. Viros Iudæos appellat primos illos prædicatores Euangelij, & doctores Gentium, & fundatores Eccleſiarum tales enim fuêre Apoſtoli, & pleríque ex diſcipulis eorum. Apprehendere fimbriam, ideſt, extremam veſtis partem, puerorũ eſt (inquit Cyrillus ſuper eum locum) qui patres ſuos ſequuntur, & eorum fimbrias apprehẽdũt ne cadãt: ita Gentiles adhærebãt Apoſtolis, & prædicatoribus Euangelij, & ab eis duci ſe, ac regi ſinebant, ne caderent, putabãt enim caſuros ſe, ſi vel minimũ ab eorũ præceptis, & monitis receſſiſſẽt. *Cyrillus, Alexandri.*

45 Sed ponamus hîc verba ipſa Origenis, varia, & iucunda eruditione aſperſa. Rex Abimelech (ait Origenes) perſonã tenet Philoſophorum, & ſapientium huius ſeculi, qui per eruditionẽ philoſophię, multa etiã ſecundùm veritatem comprehendebant. Iſaac autẽ verbi Dei quod ex lege eſt, tenet figuram. Hic igitur Abimelech, neque in diſſenſione ſemper eſt cũ Iſaac, neq; in pace; Philoſophia enim, neq; in omnibus diuinæ legi, & doctrinæ contraria eſt, neque in omnibus conſona. Etenim multi Philoſophorum, vnũ eſſe Deũ, qui cuncta creauit, docuerũt; & in hoc conſentiũt legi Dei. Aliquot præterea tradiderunt, per Verbũ Dei omnia eſſe facta, & omnia regi, ac moderari: in quo nõ ſolùm legi Dei, ſed etiã Euangelio conſentanea dixerunt. Moralis verò philoſophia, & phyſica, penè omnia, quæ noſtra ſunt, ſentiunt, & tradunt. Diſſident tamen à nobis, cùm dicũt materiam eſſe coæternã Deo: cũ negant curare Deũ mortalia, ſed prouidentiam eius ſupra lunaris globi ſpatia cohiberi. Cùm ſempiternum faciunt hunc mundũ, & nullo fine claudendũ: Ac demũ, cùm vitas omniũ naſcentium, ex ſtellarũ curſibus, viribúſque pendere affirmant. Et idcirco Abimelech, ſecundũ hanc figurã, aliquando in pace eſſe cũ Iſaac, aliquãdo diſſidere deſcribitur. Nec illud otioſum eſt, aut myſterio vacat, quòd vnà cum Abimelech dicitur, veniſſe alios duos Ochozach generũ eius, & Phicol ducẽ exercitus eius: interpretatur autẽ Ochozat (*tenẽs*) Phicol autẽ *Os omnium*: ipſe verò Abimelech *Pater meus Rex.* Qui tres gerunt imaginẽ totius Philoſophiæ, quæ tripartita apud Gentiles celebratur, Rationalis, Naturalis, & Moralis. Rationalis eſt, quę Deũ omniũ patrẽ, ac regẽ cõfitetur, vt Abimelech. Naturalis eſt, quæ fixa eſt, & tenet omnia, velut naturæ ipſius viribus nitens, quam profitetur Ochozat, qui dicitur *tenens*. Moralis eſt, quæ omniũ ſermone celebratur, & ad omnes pertinet, & pro communi ſimilitudine præceptorum in ore omnium verſatur: hãc deſignat Phicol, qui *Os omnium* interpretatur. Hi ergo tres huiuſcemodi doctrinis inſtituti, veniunt ad legem Dei, & dicunt: *Vidimus quia eſt Deus tecum. Fiat conuentio inter nos, & inter te, & conſtituamus tecum pactum, ne facias nobis mala.* Aſcendens enim ad legẽ Dei neceſſariò dicit, *Iuraui, & ſtatui cuſtodire mandata tua.* Sed quid petunt iſti? *Ne facias*, inquiunt, *nobis mala.* Remiſſionẽ vtique peccatorum per hæc verba poſcere videntur; quaſi ſignificãtes illud, *Non ſecũdũ peccata noſtra facias nobis, neq; ſecundũ iniquitates noſtras retribuas nobis, ſed ſecundũ miſericordiã tuã ſaluos nos fac.* *Origenis per pulchra diſputatio allegorica.* *Ioan. 1.* *Pſa. 118.* *Pſa. 102.*

Poſſunt

Possunt etiam isti tres figuram prætulisse illorum trium Magorum, qui Dominum Iesum natum in Bethlehem venere adoratum, ex Orientis partibus profecti, & paternis libris, atque institutis Maiorum suorum eruditi, dicentes: Vidimus natum Regem, & vidimus quia Deus est cum ipso, & venimus adorare eum, pacémque cum eo perpetuam habere cupimus. Hactenus ex Origene. Pro illo: *Sit iuramentū inter nos*, septuaginta verterunt: *Sit execratio inter nos*, & sic ex Hebræo vertendum esse arbitrabatur Oleaster. Quam lectionem exponens S. Augustinus quæst. 77. in Genesim. Execratio, inquit, hoc loco est iuratio, quæ maledictis obstringit, quæ accidant ei, qui pei erauerit.

Matth. 2.

Oleaster.

S. Augustinus

Vocabulū pacis in Scriptura quàm varias habeat significationes.

Circa illud, quod subditur, *Cum pace dimisimus te auctum benedictione Domini*, Obseruādum est, vocē Hebræam [Scialom] quæ Latinè redditur [Pax] multo amplioris, & multiformis apud Hebræos esse significatus, quàm apud Latinos nomen pacis. Significat enim Hebræis [Scialom] sanitatem, & animi corporisque salutem, integritatem, securitatem, gaudiū, & lætitiam, tranquillitatem animi, prosperos rerum successus, votorum complementum, rerúmque desiderātarum adeptionem. Verum eius vocis notio, & vis, appositis hoc loco exemplis è Scriptura depromptis, erit apertior, atque illustrior. Hinc sunt illa: *Pax multa diligentibus legem tuā.* *Non est pax impijs. Fructus iustitiæ pax: pax hominibus bonæ voluntatis: pacem relinquo vobis, pacē meā do vobis.* Sanè significatur in istis sentētiis nomine pacis, tranquillitas, salus, gaudium, securitas, & prosperitas tam corporalis, quàm spiritualis. Illa quoque frequentantur in sacris litteris: Dimitti in pace: Ire, vel colligi in pace, ad patres suos recipi in pace spiritum suum: In pace dormire, ac requiescere, quorum hæc est sententia: Læto & tranquillo animo, & votorum suorum compotem factum emori. Legimus item in scriptura: *Vade in pace.* id autem est: Esto animo tranquillo, & lęto, ecce quod optabas, iam adeptus es; haud indubiè adipiscēris. Et illa: *Estne pax puero Absalom?* Id est: Estne Absalom saluus? Et Pax tibi, vel vobis, idem apud Hebræos significat, quod Latinis, Aue, vel Salue, & sanus sis, & saluus; & felix: idémque valet, Pax huic domui. Loqui porrò alicui pacem, est, beneuolè, & amicè ad eum loqui, & verbis suis illum facere securum, & tranquillum. Ambulare in pace cum Deo, est placere illi, atque ei recto, & sincero animo seruire. Iam verò illud tam crebrum in Epistolis Apostolicis: *Gratia, & pax* significat gratiam sanctificantem, & quæ ex ea accidunt homini bona, quietem dico conscientiæ, fiduciam, securitatem quandam, & gaudium, & iucunditatem spiritualem. Hoc igitur in loco, *Dimisimus te in pace*, Significat, saluum te, atque illæsum, & planè indemnem, & quietum dimisimus. Oleaster putat, Hebræam vocem [Scalom] significare integritatem potiùs, quàm pacem: & idcirco sic interpretatur hunc locum: Dimisimus te integrum, ac sine vlla rerum tuarum diminutione, & iactura.

46

Pſal. 118.
Esa. 48.
Ad Gal. 5.
Luc. 2.
Ioan. 14.
Luc. 2.
2. Reg. 17
Matth. 10. & Luc. 10.
Oleaster.

Fecit

Fecit ergo eis conuiuium: & post cibum & potum surgentes manè, iurauerunt sibi mutuò, dimisitque eos Isaac pacificè in locum suum. VERS. 30.

47 CONVIVALIS Societas, & iunditas, maximè idonea, & accommodata semper visa est ignoscentiæ, ac munificentiæ, & institutioni amicitiarum, aut, si quæ fortè essent diremptæ redintegrationi, veritatis etiam declarationi, & simplicitatis animorum, sinceritatisque demonstrationi. Meritò igitur laudata est Iulij Cæsaris clementia, qui Catullo poetæ, cuius maledicentissimis versibus perpetua sibi esse imposita stigmata non dissimulauerat, satisfacienti, statim ignouit: & quo fidem depositæ simultatis, recõciliatique animi maiorem faceret, eodem die ipsum cœnæ adhibuit. Contrà verò crimini datum est Alexandro, quòd Philotam coniurationis suspicionem à se amolientem, deprecantémque, benignè audierit, sibíque satisfactum ab eo esse simulauerit, dexterámque, reconciliatæ pignus gratiæ obtulerit, quin etiam ad epulas ipsum inuitauerit, & familiariter tractauerit, ingenti scilicet perfidiosæ dissimulationis crimine. Nempe quem iam neci destinauerat, & mox daturus erat, inopinantẽ atque incautum opprimere voluit; hostili dissimulatione, conuiuij gratiam & religionem polluens atque corrumpens. Nequissimi etiam, sæuissimíque mortalium Caligulæ Imperatoris execranda fuit in conuiuijs voluptas; non minùs hominum sanguine, cædibúsque, quàm cibo potúque gaudentis, & satiari cupientis. Non sic noster Isaac: sed ex animo, regis Abimelech satisfactionem accepit; & citra vllam disceptationem, aut expostulationem, iniurias omnes, quibus affectus fuerat, magna facilitate & clementia remisit: & quò clariùs & certiùs ostenderet nihil apud se residere veteris offensæ, Regem ipsum & Satrapas eius familiari excepit conuiuio; quasi veteris simultatis in perpetuum obliteratæ testimonium; ipsósque pacificè ac benignè dimisit.

Inclemens & atrox factum Alexãdri Magni.

Caligulæ Imperatoris plena crudelitatis voluptas.

48 Sed perpendamus in illis verbis: *Fecit illis conuiuium*, significationem & vim huius nominis *conuiuium*, tam in lingua Latina, quàm in Græca & Hebraica. Apud Ciceronem in libro De Senectute Cato ille Censorius epularem amicorum cõuentum & coitionem, aptiori & honestiori vocabulo probat esse à Romanis, quàm à Græcis appellatam: Bene, inquit, maiores nostri accubationẽ epularẽ amicorũ, quia vitæ cõiũctionẽ haberet conuiuiũ nominarunt, meliùs quàm Græci, qui hoc idẽ tũ cõpotationẽ tũ, concœnationẽ vocant; vt, quod in eo genere minimum est, id maximè probare videantur. Et ipse Cicero in quadam Epistola ad Papirium Pætum libro nono Epistolarum: Extra iocum, inquit, moneo te, vt cum viris bonis, iucundis, amantibus tui viuas. Nihil est aptius vitæ, nihil ad beatè viuendum accommodatius. Nec id ad voluptatem refero, sed ad communitatem vitæ, atque victus, remissionémque animorum; quæ maximè

Meliùs latinos conuiuium nominasse, quàm Compotationẽ Græcos.

Cicero.

sermone afficitur familiari, qui est in conuiuijs dulcissimus : vt sapientiùs Nostri quàm Græci:illi aut compotationes aut concœnationes:Nos conuiuia,quòd tum maximè simul viuitur.Hæc Cicero.

Cur tam Græci quam Hebræi epulare in conuictum, à potando appellauerint.

Atenim, sicut Græca lingua,ita quoque sacra lingua Hebræa, epulare congressum à bibendo vocat;dicitur enimHebraicè [Miscte]id est,potatio, vel quemadmodum ficta voce interpretatur Oleaster [Bibale] Nempe datum ei tale nomen est,tum ex eo quíd præcipuè fit in conuiuijs,maioríque iucunditate atque hilaritate,tum quod finis conuiuij is esse videtur,vt per iucundam remissionem hilaretur,ac recreetur animus:id autem maximè præstat largior vini potatio. Etenim de mira vini virtute lætificandi animum,multa & illustria sunt Scripturæ testimonia : vt Psalmo 103. *Vinum lætificat cor hominis.* Et Ecclesiastici 31. *Vinum ad iucunditatem creatum est.*Et ibidem : *Exultatio animæ & corporis, vinum.* Et Prouerbiorum 30. *Date siceram mœrentibus, & vinum iis qui amaro sunt animo:bibant & obliuiscantur egestatis suæ,& doloris sui non recordantur amplius.*Et Hippocrates in Libello de Flatibus,si tamen ille, auctor eius libri est,Ebrij,inquit,fiunt præsentium malorum obliuiosi, ac futurorum bonorum fœcunda spe beantur. Nec prætermittendum est, quòd ad hanc sententiam scripsit Seneca libro primo de Tranquillitate vitæ. Interdum, inquit,magnum dant vigorem conuictus, & liberalior potio; nonnunquam & vsque ad ebrietatem veniendum,non vt mergat nos, sed vt deprimat curas.Eluit enim curas, & ab imo animum mouet, & vt morbis quibusdam, ita tristitiæ medetur. Libérque non ob licentiam linguæ dictus est inuentor vini,sed quia liberat seruitio curarum animum, & asserit, vegetátque, & audaciorem in omnes conatus facit. Sed vt libertatis, ita vini salubris moderatio est, & Solonem, & Arcesilaum indulsisse vino credunt. Cato etiam vino laxabat animum, curis publicis fatigatum. Sed nec sæpe faciendum est, ne animus malam consuetudinem ducat; & aliquando tamen in exultationem, libertatémque extrahendus,tristísque sobrietas remouenda paulisper. Sic Seneca.Quænam porrò ex largiori lautioríque vini nonnunquam in conuiuijs potu, animis hominum corporibúsque vtilitates accidant,luculentam ex sententia Platonis, disputationem habet Gellius libro decimo quinto, capite secundo.Apparet igitur non sine causa, & idonea ratione Hebræos & Græcos epularem conuictum ex potando potissimum appellasse.

Oleaster.

Hippocrates.

Seneca.

Cur inuentor vini dictus ab Ethnicis Liber.

Plato.
A. Gellius.

VERS. 31.

Et post cibum & potum surgentes manè,iurauerunt sibi mutuò.

De multiplici opportunitate accõmoditate temporis matutini.

HOC conuiuium illud vespere,aut nocte factum fuerat, & insequenti mane pactum iureiurando initum & firmatum est:vtrumque profectò tempestiuè,& aptissimo tempore. Etenim agitandis conuiuijs vespertinum,aut nocturnum tempus;

pus;capiendis verò consiliis,& grauibus negotijs tractandis & exequén-
dis matutinum est conuenientissimum. Itaque quod vulgo dictitant: *De sero conuiuium, de mane consilium* minimè vulgarem habet sententiam; quippe cum veritate,simúlque cum ratione ipsa congruentem. Tempus namque matutinum grauissimis rebus humanis iuxta diuinísque ritè meditandis & administrandis accommodatissimum est. Quis enim nescit hoc temporis peropportunum esse Orationi,& Meditationi rerum cœlestium?Idcirco Dauid Psalmo quinto: *Ad te orabo Domine, & manè exaudies vocem meam.*& Psalmo sexagesimo secundo: *Memor fui tui super stratum meum:in matutinis meditabor in te.* Et Psalmo octuagesimo septimo, *Manè oratio mea præueniet te.* Est item hoc tempus exercendæ iustitiæ, ac vindictæ malorum conueniens;idque se Dauid obseruasse testatur Psalmo centesimo illis verbis: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* In hoc ipso tempore plerumque fit diuina visitatio & consolatio hominum,sicut dixit Iob: *Visitas eum diluculo,* iuxta quod est illud Dauidis: *Auditam fac mihi manè misericordiam tuam,&c. Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* In hoc autem tempore præcipuè verbum Dei à Prophetis prædicari solitum legimus in libris Prophetarum : in quibus scriptum est,Deum per suos Prophetas diluculo surrexisse ad docendum, præmonendum,corripiendum,& grauissimis comminationibus, deterrendum à sceleribus suis populum Hebræum. At verò inter epulas & pocula,cum nec animus sui potens est, nec prudentis vllius cogitationis capax,de grauissimis rebus consulta & decreta facere,barbarum prorsus & belluinum est,quódque tristes plerumque ac funestos habeat exitus. Talem fuisse Persarum morem, in veteribus historijs traditum est: quibus impendio magis placuisse,& certiora esse visa consilia, quæ ipsi agitauerant temulenti, quàm quæ cœperant sobrij, vix crederet quisquam,nisi cùm alij, tum grauis auctor in primis Strabo in libro xv. prodidisset.

Iob.7. *Psal.142.* *Psal.29.*

Barbarismos Persarum. *Strabo.*

50 Origenes persequens superiorem illam suam Allegoriam (quam nos supra enarrauimus) de Philosophis ad Verbi Dei ac diuinæ legis capessendam disciplinam venientibus; super isto conuiuio cum citasset hunc locum: *Et fecit illis conuiuium magnum Isaac, & manducauerunt, & biberunt*, ad hunc modum philosophatur : Certum est, quia qui ministrat verbum, sapientibus & insipientibus debitor est : quoniam igitur nunc conuiuium exhibetur sapientibus, idcirco dicitur, non paruum, sed magnum conuiuium esse factum. Et tu, si non sis adhuc paruulus,& lacte indigens,sed exercitatos deferas sensus,& eruditione plurima præmissa, ad intelligentiam verbi Dei capacior venias; fiet etiam tibi conuiuium magnum. Non tibi olera, languidorum parabitur cibus, nec lacte nutrieris, quo paruuli nutriuntur: sed faciet tibi minister verbi conuiuium magnum:loquetur tibi sapientiam, quæ inter perfectos profertur: sapientiam Dei in mysterio absconditam aperiet tibi, quam nemo principum huius sæculi cognouit.

Allegoria Origenis,super cõuiuio.Isaac.

Hebr.5.

1.Cor.2.

Reuelabit se tibi Christus, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ
Coloss. 2. sunt absconditi. Faciet igitur tibi conuiuiũ magnum, & ipse tecum epulabitur: si tamen non te inuenerit talem, vt dicat tibi quod Paulus dixit Corinthiis, primæ Corinthiorum 3. *Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus; tanquã parvulis in Christo, lac vobis potũ dedi.* Ergo qui eruditos, & doctrinis exercitos sensus ad verbũ Dei audiendũ deferũt, bonáque mente, sanáque fide accedũt; istis fit magnũ conuiuiũ; cum istis epulatur Isaac: & non solùm epulatur, sed & surgens cum iuramento, eis pacem de futuris promittit. Vtinam & nos dignetur Deus magno
Locus Prouerbiorum cap. 8. illo conuiuio, quod apparasse dicitur Sapientia, Prouerbiorum cap. 8. Sapientia, inquit, iugulauit hostias suas, miscuit in cratere vinum suum, & misit seruos suos, qui omnes quotquot inuenerint, perducant ad conuiuium suum. Tantum est vt nos ingressi conuiuium sapientiæ, non rursus deposita semel insipientiæ atque impietatis indumenta resumamus: nec peccatis, quibus abluti & mundati sumus, iterum nos inquinemus ac fœdemus; sed in simplicitate & puritate cordis, recipiamus verbum Dei, quasi fœcundissimum bonorum omnium semen, & diuinæ sapientiæ documentis & præceptis fidem & obsequium adhibeamus. Hactenus ex Origene.

VERS. 32. 33. Ecce autem venerunt in ipso die serui Isaac, annunciantes ei de puteo quem foderant, atque dicentes: Inuenimus aquã. Vnde appellauit eum Abundantiam: & nomen vrbi impositum est, Bersabee, vsque in præsentem diem.

PAVLO suprà in hoc ipso capite scriptum est, Isaac, vbi ascendit Bersabee, mandasse seruis suis, vt foderent puteum. Huius igitur fossionis putei, lætum successum venere serui illi nunciatum Isaac, dicentes: *Inuenimus aquam.* Aquam intellige, abundantem, & quæ largissimum, ad satietatem vsque, hominibus pecoribúsque potum præbere posset: idcirco enim appellauit Isaac eum puteum, Abundantiam, vel, vt Sanctus legit Hieronymus, saturitatem. Hoc autem tam lætum nuncium inuentæ aquæ incidit in eum ipsum diem, quo Abimelech & Isaac de mutua beneuolentia, fide, atque innocentia, iureiurando inuicem pacti sunt: & hoc significatur illis verbis: *Ecce venerunt in ipso die serui Isaac, &c.* Veruntamen hæc Mosis verba tres excitãt quæstinculas. Prima quæstio est, An hic puteus sit idem, atque is quem Abraham in eisdem illis locis foderat; & de quo sibi per vim à Philistæis erepto expostulauit cum rege Abimelec. Sic enim supra legimus Genes. 21. *Et increpuit Abraham Abimelech propter puteum Aquæ: quem vi abstulerant serui eius.* Caietanus & Thostatus censent, fuisse eundẽ ipsũ puteũ, quia omnia quæ tam hîc, quàm illic dicuntur, in vnum & eundẽ illũ puteũ probè competunt. Quorum tamen opinationi videtur illud contrarium,

S. Hieron.

Tres quæstiũculæ.

Caietanus. Thostatus.

quòd

quòd illic appellatur Puteus iuramenti; hîc autem nominatur Puteus abundantiæ, vel saturitatis. Sed hoc non magni negotij est expedire: nihil enim prohibet eãdem rem diuersis appellare nominibus, ob diuersa quæ circa eam acciderunt. Illic propter iusiurãdum inter Abimelech & Abraham ibi factum, dictus est Puteus iuramenti: hîc autem, propter copiam inuentæ aquæ, appellatus est Puteus abundantiæ, vel saturitatis. Neque illud obstat, quòd iam ille Puteus erat factus, serui autem Isaac videntur fodisse nouum puteum: repetendum enim memoria est, quod paulò superiùs in hoc capite dixit Moses; Philistæos post mortem Abrahæ, obstruxisse puteos olim factos à seruis Abrahæ. Vnum ergo quempiam de istis puteis refoderunt serui Isaac, & ingentem aquæ scaturiginem inuenerunt.

52 Altera quæstio est, An quæ in hoc loco nominatur Bersabee, & quæ Genesis cap. 21. nomine eodem appellatur, sit idem locus. Non enim videtur esse idem, quia hîc nominatur vrbs, illic verò tantùm vocatur locus, & non vrbs. Sed hoc, leue ac nihili est; nomen enim loci, adeò latè patet, vt etiam vrbes significatione sua comprehendat. Illud fortius est: cùm iam id nominis ante centum annos, imposuisset ei loco Abraham: quorsum Isaac, si fuisset eadem vrbs, iterum nomen idem ei diceretur hoc loco imposuisse? Soluit hoc Thostatus, dicens, non esse inusitatum, sepius eidem rei nomen idem imponere diuersis temporibus, & ob diuersa eius rei accidentia: quemadmodum Patriarchæ Iacob diuinitus impositum est idem nomen Israel bis; semel, cùm luctatus est cum Angelo, Genes. cap. 32. iterum autem, cùm rediens ex Mesopotamia, venit in locum Bethel, Genes. 35. Quanquam nec hic dicitur Isaac imposuisse istud nomen, nec illic Abraham. Sed vtrobique dicitur, fuisse tale nomen impositum ob ea quæ ibi acciderant vtrique Patriarchæ. De huius vrbis appellatione, situ, & sorte, siue tribu diximus in tertio Tomo super caput 21. Numero 23. In exordio capitis 29. libri Iosue hæc vrbs dupliciter vocatur, & Bersabee, & Sabee, & vtrumque nomen iũctim ponitur. Esse autem duo illa nomina eiusdem vrbis, peruincit summa tredecim vrbium ibi facta: si enim duæ fuissent vrbes, non tredecim, sed quatuordecim numerari necesse esset; & in primo Paralipomenon capite 4. alterum istorum nominum, vt superuacaneum, omittitur. Propterea verò illic duo esse scripta nomina eiusdem vrbis existimat Rabbi Isaias, vt in memoriam celebris illius putei rediremus, apud quem fœdus percussit Abraham cum Abimelech: quæ res & vrbi, & Puteo nomen dedit: vocatus enim est Bersabee, id est, Puteus iuramenti, vel Puteus septem, agnorum videlicet, quos Abimelecho selectos dedit Abraham, vt dictum est Genes. 21.

Secũda quæst.

Thostatus.

Rabbi Isaiæ.

53 Tertiam quæstionem mouet Latina lectio huius loci, quæ sic habet: *Vnde appellauit eum, Abundantiam.* Siquidem quæ in hoc loco est Hebræa vox [Seiungha] non significat Abundantiam, vel vt legit Sanctus Hieronymus, Saturitatem, sed iusiurãdum. Et qui se fideliter ex Hebræo interpretari putant, ita vertunt & exponunt: aut certè verbum ipsum He-

Tert. quæstio.

Caietanus. bræum retinent, vt Pagninus & Chaldaica interpretatio. Caietanus tribus argumentis probans ita legi debere, sic ait: Quod legitur: *Vocauit eum Abandantiam*, iuxta Hebræum habetur: *Vocauit ipsum Iuramentum.* Hoc enim nomen quadrat, tũ Hebraicę dictioni; tumeuentui, qui illo die fuit, id est, Iuramento facto inter Abimelech & Isaac; tum etiam suprà dictis; quia Isaac nominauit puteos restauratos, ijsdem nominibus, quibus nominati fuerant à patre suo Abraham. Constat enim ex capite 21. Geneseos, Abraham puteum quem ibi habebat, nominasse puteum iuramẽti. Sic Caietanus. Sed Beatus Hieronymus in Traditionibus Hebraicis

S. Hieronym. in Genesim super hunc locum, primò, quasi obiter & obliquè carpit lectionem huius loci, quæ est apud Septuaginta Interpretes, qui locũ hunc ita reddiderunt: *Venerunt pueri Isaac dicentes, Non inuenimus aquam: & vocauit nomen eius Iuramentum.* Deinde translationem suam defendens, rationem exponit, cur verterit Saturitatem. Sunt autem hæc Hieronymi verba: Nescio quomodo in Septuaginta Interpretibus habeatur, pueros Isaac nunciasse ei se non inuenisse aquam, & ideo vocatum esse puteum illum, Iuramentum. Quæ enim etymologia est, propterea vocari Iuramentum, quòd aquam non inuenissent? E contrario in Hebræo, cui interpretationi Aquila consentit & Symmachus, hoc significatur, quòd inuenerint aquam, & proptetea appellatus sit puteus ipse Saturitas, & vocata Ciuitas, Bersabea, hoc est, Puteus Saturitatis. Licet enim suprà Gen. 21. ex vocabulo Iuramenti, siue ex septenario ouium numero, quod [Sabe] dicitur, asseruimus [Ber-Sabe] appellatum: tamen nunc ex eo quòd aqua inuenta est, Isaac, ad nomen Ciuitatis, quæ ita priùs vocabatur, alludens, declinauit paululum litteram, & pro stridulo Hebræorum [Sin] à quo [Scabe] incipitur, Græcum sigma, id est, Hebræum [Samech] posuit. Alioquin & iuxta allegoriæ legem post tantos puteos in fine virtutum, nequaquam congruit, vt Isaac aquam non repererit. Hæc Hieronymus. Lectionem huius loci, secundùm Septuaginta Interpretes, quã Hieronymus proximè dictis verbis reprehendit, vide quemadmodum defendat August. quæst. 79. in Genesim.

Lippomanus in Catena in Genesim. Lippomanus paulò subtiliùs enucleatiúsque super hac ipsa re differẽs, 54
Notandum, inquit, [Scebaa] siue [Sciungha] cum puncto [Sibôlet] significare septem, & quando est generis masculini, tunc scribitur cum [He] in fine; cùm autem est generis fœminini, sine [He] scribitur. Dictio etiam [Sceuungha] siue [Sciuangh] à verbo [Sauang] quod est, Iurare, descendens, significat Iuramentum, sed quia eisdem litteris radicalibus scribũtur, accipitur [Sciũgha] pro [Sceuungha] hoc est, septẽ, pro, Iuramento. Dictio verò [Sauangh] siue [Souoangh] cum pũcto Scibôlet, à verbo [Subaa] quod est saturare & replere, descẽdit, & significat saturitatem, vel abũdantiã. Verùm quia in præsenti loco [Sceuangh] scriptum est, idcirco pleriq; reddiderunt: *Et vocauit eum Iuramentum*, & sic verterunt Septuaginta. Videtur autem Beatus Hieronymus legisse Sabaa cum pũcto [Scibôlet] & ideò Abundantiam vel Saturitatem reddidisse. Quoniam igitur vno & eodem die, & iuramentum factum est inter Palæstinos, &

Isaac;

Isaac; & nunciatum est de puteo aquam habente, ideo vrbi nomen impositum est, Bersabee, vtrumque scilicet, vno eo nomine complectens, & puteum, & iusiurandum. sic Lippomanus. Lippomani sententia non displicet: præsertim cùm Hebræi quoque magistri hoc loco scribant, hanc vocem, quibus punctis nunc legitur, significare septē, sed esse [Sceuāgh] septem pro [Sceuungha] iusiurandum: cum alioquin litteræ consonantes & radicales quæ appellantur, vtrobique sint eædem. Quinetiam addi potest, quod plerique Rabbini docent, verbum [nisiuangh] iurare, & nomen [Sceuunga] iusiurandum, à voce [Sciuangh] id est, septem, esse deductam, quod Iusiurandum non nisi septem, hoc est, multis, grauibúsque causis & testibus adhibendum sit. Atque hinc etiam vocem [Sauangh] id est, saturitatem seu abundantiam, nonnulli deriuatam volunt; quòd, septem, sit numerus multitudinis, & pro multis indefinitè vsurpetur. At S. Hieronymus secutus videtur id, quo hac in re magis præcipuum, ac probabile videbatur, hoc est puteum, proprer aquæ copiam inuentam, ita potissimùm nuncupatum; quanquam nihil impedit, quo minus Isaac ad iusiurandum quoque, aliqua ratione respexerit.

Esau verò quadragenarius duxit vxores duas, Iudith filiam Beeri Hethæi, & Basemath filiam Elon eiusdem loci: quæ ambæ offenderunt animum Isaac, & Rebeccæ. VERS. 34. 35.

55 SVPERIORIBVS sermo hîc continuandus est (ait Rupertus libro 7. Commentariorum in Genesim cap. 12.) vbi dictum est: *Et abiit paruipendens quòd primogenita vendidisset.* Et ecce etiam hîc degeneratio Esau iam supplantati, & adhuc supplantandi denotatur, qui magis ac magis declinando, minori fratri locum fecit, vt magis ac magis imminens teneret plantam eius. Nam quemadmodum antea, propter escam, primogenita sua vendiderat, ita & nunc per concupiscentias suas, ducens vxores alienigenas, animam Isaac, & Rebeccæ offendit, quia benedictionem seminis Abrahæ contempsit. Si enim secundùm illam benedictionem filios generare optasset, nequanquam duxisset vxores de filiabus eorum, quos & pater suus improbasset, & auus Abraham vitandos iudicasset, & propter quos matrem suā Rebeccam vitæ suæ tæderet. At ille & horum iudicium contempsit, nec Dei promissiones curauit; videlicet affinitate hominum habitatorum eius terræ honoratum, & inclytum se posse fieri credens, magis quàm ope, vel gratia Dei. Vnde, & nomina cognationis eximia præsens scriptura non omisit: nam Iudith interpretatur *Laudans:* Beeri *Putei mei:* Basemath *in nominibus:* Elon, *Roboreus siue quercus.* Ipsis igitur nominibus manifestè coargui videtur, quod laudari, & sine Deo ditari, & nominatus esse, & in terra roborari appetens, peccatorum se affinitatibus immer

Rupertus.

Genes. 25.

immerserit,super quos meritò irruat formido,& pauor,secundùm nomẽ Hethei,quod significat *fortitudinem,& pauorem.* Qui ergo intus à gratia Dei excidit,meritò foris quoque reprobatus est, & benedictione priuatus,quod protinus sequens proximè narratio declarabit. Hæc Rupertus.

Caietanus. Caietanus tamen putat, Esau duxisse illas vxores,non planè renitente ac repugnante Isaac,sed(quamuis id ei displiceret)conniuente,atque indulgente filij cupiditati. Huius rei signum esse nõ obscurum existimat,quòd post tale coniugium eum dilexerit,& venationibus eius delectatus sit, ac denique benedicere ei voluerit quasi primogenito filio.

S.Chrysostom. Sanctus Chrysostomus homilia 53. in Genesim ait signanter declaratam hîc ætatem Esau,cùm dicitur fuisse eum quadraginta annorũ, quo intelligeretur fuisse tunc Isaac in profundissima senectute,nempe centesimum iam annum agentem, siquidem sexagenarius erat cùm genuit Esau,& Iacob,vt suprà dictum est Genes. cap. 25. deinde ne mirum videretur quod mox narrat Moses initio sequentis capitis, caligasse Isaac præ senio. Sed enim neutrum hoc Chrysostomi dictum probabile videtur. Etenim cùm Isaac vixerit centum octoginta annos,vt dicitur Genes. 35.e rat tunc centenarius, paulò plus dimidium ætatis suæ transgressus: non igitur erat in profundissima senectute; sicut nunc,quia vita hominis ferè determinatur septuaginta annis, qui agit quinquagesimum annum, is verè dici non potest deuenisse in profundissimam senectutem: Putat præterea Chrysostomus, post illud coniugium Esau, statim contigisse, quod narratur subsequẽti capite vigesimo septimo, quod longè secus est: nam post coniugium Esau annis triginta septem, accidit, quod sequenti capite memoratur; erátque tum Esau septuaginta septem annorũ, Isaac verò centum triginta septem;quod nos certissimis rationibus addicemus, vbi ventum erit ad eum locum. 56

Lapsus Thostati circa tempus mortis Sẽ filij Noe. Thostatus arbitratur,hoc ipso anno quadragesimo Esau, & centesimo Isaac mortuum esse Sem filium Noe, quem Hebræi censent fuisse alio nomine appellatum Melchisedech,sacerdotem Dei altissimi,de quo scriptum suprà est,Genes.14. At enim manifestè Thostatus in ratione temporum falsus est,non opinor,per inscitiam Chronologiæ, sed per quandam incuriam,atque incogitantiam, quæ, vel doctissimis viris interdum obrepit. Mors enim Patriarchæ Sem, non in quadragesimum annum Esau,vel centesimum Isaac incurrit,sed in illius quinquagesimũ,huius verò centesimum decimum. Si quidem Sem biennio post Diluuium genuit Arphaxad,& post eius ortum,vixit quingentis annis,id est,quingentis duobus post Diluuium,vt traditur Genes. 11. At verò à Diluuio,vsq; ad centesimum annum Isaac,siue quadragesimum Esau,numerantur anni duntaxat quadringenti nonaginta duo: quorum annorum ratio ita subducitur: à Diluuio vsque ad ortum Abrahæ anni ducenti nonaginta duo,Genes.11.hinc vsque ad ortum Isaac,centum anni: Abraham enim centenarius erat,cùm genuit Isaac,Ge.21.hinc vsque ad quadragesimum annum Esau,qui est idem,atque centesimus annus ætatis Isaac, anni fluxerunt centum: ex his omnibus conficitur,quam dixi, summa annorum 57

qua

quadringentorum nonaginta duorum post Diluuium. Atqui Sem mortuus est quingentesimo secundo anno post Diluuium. Genes. 11.

58 *Quæ ambæ offenderunt animum Isaac, & Rebeccæ.* Hebræa sonant ad verbum eas fuisse amaras, vel exacerbantes spiritum Isaac, & Rebeccæ, vel, vt habent Septuaginta, cum illis contendentes, & altercantes. His porrò verbis notatur earum mulierum aduersus Isaac, & Rebeccã irreuerentia, petulantia, procacitas, & contumacia. Videtur itaque offensio Isaac, & Rebeccæ accidisse, ob impietatem, quòd more illius gentis, deditæ essent Idololatriæ. Certè hoc expressit Thargus Hierosolymitanus his verbis: Et fuerunt rebelles, & inflato animo, colentes Idola, nec recipientes doctrinam, neque ab Isaac, neque à Rebecca. Enimuerò lex ipsa naturalis iubet, & recta ratio docet, probúsque gẽtium mos, & vsus monet, virum & vxorem ita socrus, & soceri reuerentes, obseruantésque, atque obsequentes esse oportere, vt parentum suorum. Hoc secutus Aristoteles sub finem libri secundi Oeconomicorum, de ea re sic præcipit: studeant primò vir & vxor curam omnem parentibus exhibere: vir quidem vxoris parentibus non minus quàm proprijs, vxor autem, viri. Idque comprobat auctorita te Homeri, inducentis Helenam ingenti reuerentia & verecundia alloquentem socerum suum Priamum huiusce modi verbis:

Thargus Hierosolymitanus

Reuerentiam vxoris, & viri erga socerum, & socrũ quãtam esse oportet.

Aristoteles.

Homerus.

O metuende mihi semper, sempérque tremende
Care socer.

Egregia Ruperti disputatio, omnem huius Capitis historiam pulcherrimo tractatu allegorico explicantis.

59 TRIPARTITA est huius capitis historia, quàm Rupertus Abbas lib. 7. Commen. in Genes. c. 8. commodissimè aptauit ad tria tempora, siue tres legis Euangelicæ, atque Ecclesiæ Christianæ status. Prima pars huius historiæ narrat, Isaac ex terra Chanaan, ob famem, transmigrasse ad Regem Abimelech in terram Philistinorum: & metu mortis, ob pulchritudinem vxoris dissimulasse cõiugium Rebeccæ, appellando eam sororem suam; cúmque in ea terra seminasset, centuplum messuisse, maiorémque in modum esse locupletatum. Hoc Rupertus applicat ad translationem Euangelicæ prædicationis à Iudæis eam auersantibus, atque repellentibus ad Gentes, incredibili multitudine, ingentíque gaudio eam accipientibus: apud quas mirabiliter vbique terrarum, ac gentium, Ecclesia Christi propagata est. In altera historiæ huius parte memoratur inuidia, & insectatio Philistinorum aduersus Isaac, ob eius opulentiam, & prosperitatem, tùm expellendo eum ex terra sua, tum puteos eius partim obstruendo, partímque per iurgia, & vim auferendo. Quare præclarè Rupertus docet, præfigurata esse ingenia, mores, studia, & conatus Hæreticorum, quoquo modo insectantium, & vexantium, & profligare conantium Catholicos. Tertia pars huius historiæ commemorat, Regem & Principes Philistinorum, partim ductos

pœnitentia inhumanitatis, & crudelitatis, qua vsi fuerant aduersus Isaac virum innocentem: partim metu perculsos opulentiæ, ac potentiæ Isaac, sed maximè diuini præsidij, & gratiæ, qua protegi eum, & muniri cernebant, vltro adijsse ad ipsum, eiúsque amititiam expetijsse, & fœdus cum eo sancire voluisse. Hoc porrò pulcherrimè accommodat Rupertus ad extremum sanctæ Ecclesiæ, atque adeo ipsius Mundi statum. Tunc enim, etiã Iudæi ad Christum conuertentur, & vnà cum gentibus, vni Christo seruient, fiétque vnum omnium Ouile, vnúsque Pastor. Atque hæc est fermè totius disputationis Ruperti sententia.

In primam partem historiæ allegoria super transmigratione Isaac ex Chananæis ad Philistinos.

Ceterùm, quoniam ipsa Ruperti verba, mirificæ cuiusdam pietatis, & 90
spiritalis dulcedinis, & varietatis doctrinæ, tam sacræ, quàm Ecclesiasticæ referta sunt, visum nobis est, ea distinctè in hoc loco iuxta tres illas, quas diximus historiæ partes commemorare: Rupertus igitur ad hunc modum disputat. *Orta fame, post eã sterilitatem, quæ acciderat in diebus Abrahæ, abijt Isaac ad Abimelech regem Palestinorum in Gerara.* Postquam Esau vendidit primogenita, id est, Iudaicus populus abijciens à se Christum, cœlesti se hæreditate priuauit, orta est Christo, & Apostolis fames inter Iudæos; illam dico famem, de qua prophetatum erat psalmo 58. *Conuertentur ad vesperam, & famem patientur, vt canes circuibunt ciuitatem: ipsi verò dispergentur ad manducandum.* Etenim egregij illi canes, Apostolos dico, aliosque Euangelij prædicatores, de quibus prædictum fuerat psalmo 67. *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso*; non inueniebant copiam escarum apud inimicos Christi Iudæos, ex quibus & ipsi secundùm carnem erant: paucos enim ex ipsis manducare, id est conuertere, & sibimet incorporare poterant. Quocirca Petro esurienti, quia de Iudaismo parum comederat, ostensum, atque præceptum est, vt Gentes apprehenderet, & manducaret, vt dicitur Actorum 10. Ex eo igitur tempore, qui famem patiebantur, dispersi sunt ad manducandum, & conquerentes, ac dolentes quòd non essent saturati in Iudæa, dicebant Iudæis Act. 13. *Vobis quidem primùm loqui verbum Dei oportebat: sed quia repulistis illud, & indignos vos iudicastis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes.* Abijt igitur Isaac in Gerara ad Regẽ Abimelech in terram Philistinorum, abijt Christus inquam ad gentes, ascendens super equos suos, prædicatores scilicet suos, de quibus vtique scriptum est Habacuc 3. *Qui ascendit super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio.* Et peregrinari cœpit in Gerata, id est, in Gentibus, quas antea nesciebat. Erat autẽ Gerara metropolis Philistinorũ, quòd interpretatur [ruentiũ] significátque Romã, siue Romanorũ Imperiũ, caput quondã pereuntiũ. Nomen verò Abimelech, exponitur [Pater meus Rex] vel [Patris mei regnum] quo significatur multitudo Gentium in Christum credentiũ: non quòd antea tales essent, sed quia post acceptam Christi fidem & legem, tales fuerint, vt rectè tali nomine appellari possent. *Interrogatus à viris loci illius super vxore sua, dixit, Soror mea est: timuerat enim profiteri quòd sibi esset sociata coniugio, reputans ne interficerent eum propter pulchritudinem illius.* Sic planèvrgente persecutione, fideles timebant palàm euangelicam celebrare gratiam: & in latibulis se continentes, tractabant, vt poterãt religionem

Prædicatores Euangelij tanquam Canes Domini.

Ad Hebr. 11.

Christi

Christianam,egentes,angustiati,afflicti,in solitudinibus errantes,in mõtibus,in speluncis,in cauernis terræ.Sed,& illuc vsque perscrutatus est illos,quia eis dignus non erat mundus. Vnde sequitur : *Cùm pertransissent dies plurimi, prospiciens Abimelech per fenestram, vidit eum iocantem cum Rebecca vxore sua.* Baptizantes namque clam in cryptis, & Cœmeteriis Martyrum,& cetera celebrantes, vt poterant fidei sacramenta, quæ pro ioco erant Sapientibus mundi, quorum sapientiam Deus stultam fecit, 1.ad Cor.1.
persæpe deprehenderunt eos, & ad publicum auditorium pertraxerunt. Tandem & ipsi terreni principes iugum Christi susceperunt; & eius, quam priùs impugnabant, euangelicæ fidei,& Christianæ religionis defensores esse cœperunt : & idcircò protinus subditur : *Præcepitque populo dicens: Qui tetigerit hominis huius vxorem,morte moriatur.* Nempè primus omnium Constantinus lege edixit, quid pateretur quisquis Christianis esset molestus.Atque ex eo tempore,tam gladio Principum,quàm verbo Sacerdotum,Christiana religio defensatur. *Seuit autem Isaac in terra illa, & inuenit in anno illo centuplum,&c.* Serere,pacati & quieti temporis est, vix enim,aut nunquam tempore belli,terra bene culta seritur, præsertim verò ita,vt semen in messe centuplicetur. Ergo per sationem Isaac, cuius centupla messe locupletatus est,proficiens,& succrescẽs,& valde magnificatus, illa rectè intelligitur magnificentia nominis Christi, qua in pace Ecclesiæ,nomẽ eius dilatatũ,& multiplicatum est semine verbi Dei, cum sacerdotali auctoritate,concurrente potestate imperiali : scilicet, vt liceret operariis Euangelicis exire ad seminandum, & non liceret aduersariis Christi,latissimum totius orbis,erroribus suis vindicare,agrum.

61 Sequitur altera pars historiæ de inuidia,& insectatione, ac vexatione, quam Isaac passus est à Philistinis : super quo ita differit Rupertus:*Ob hoc inuidentes ei Philistini,omnes puteos, quos foderant serui patris illius Abraham,illo tempore obstruxerunt,implentes humo : in tantum, vt ipse Abimelech diceret ad Isaac:Recede à nobis,quoniam potentior nobis factus es valde.* Postquam magnificentia Nominis Christi Romanum etiam cœpit Imperium, & Idola contempta sunt; Inuidia suborta est Hæreticorum : per quos Diabolus, quia non poterat vi persecutionis extirpare Euangelium, veritatem corrumpere conatus est scripturarum. Bene igitur,postquam magnus factus est Isaac,Philistini inuidentes, puteos patris illius obstruxerunt,implentes humo. Nam putei,quos foderunt serui Patris Christi, Dei,omnes Scripturæ sanctæ sunt, quas cõdiderunt Moyses,& Prophetæ,& Apostoli,serui Dei.Hos puteos scripturarum Hæretici ita nonnunquam obturarũt,quantũ in ipsis fuit, vt non facile inueniri posset ab omnibus,vbinam esset doctrina veritatis. In tantùm verò aucta est inuida Hæreticorũ vis,vt Regũ quoq;,& Imperatorũ corda obtineret,eorúmq; gladiis vtens, penè atrocius quàm Gentiliũ furor, in Christianos desæuiret. Porrò quod dicit Abimelech : *Quia potentior nobis factus es*,etiã iuxta hunc intellectũ allegoricum veram habet sententiã.Etenim terreno Imperio potentius factum est in Gentibus cœleste Imperium:in tantũ vt feros Principes,& barbaras nationes,quas Imperatorũ gladius nõ attingit,

Allegoria super altera parte historiæ de Philistinis vexãtibus Isaac, id est Hæreticis Catholicos

Sacerdotum lingua liget: & latiùs Romanæ Ecclesiæ Pontifices, quàm Romani Imperij dominentur Cæsares. Quamuis enim (vt dixit Beatus Leo) multis aucta victorijs Roma, ius Imperij sui terra marique protulerit; minus tamen est, quòd illi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit. *Et ille discedens, vt veniret ad torrentem Geraræ, &c.* Ab Hæreticis discedit Christus: nihil enim illi cum Deo, nihil cum Christo, nihil cum Spiritu Sancto operantur: sed totum, quicquid illorum est, Diaboli est, & Diabolo relinquitur. Venit autem Christus ad torrentem, id est ad veros tractatores Scripturarum proficiscitur, ad eos, qui de cælo imbrem expectant, quem & accipientes, in magnum excrescunt sapientiæ torrentem. *Rursus fodit alios puteos, quos foderant serui patris Isaac, & quos illo mortuo, olim obstruxerant Philistini.* Semper enim cùm noua quæcumque hæresis exurgit, præstò etiam Christus adest, & de suis aliquos præparat, scientia, & sermone ornatos, qui stare valeant aduersus loquaces Hæreticos, & pura veritate Scripturarum, sitientes potare paruulos. *Appellauítque eos eisdem nominibus, quibus pater eius ante appellauerat.* Id est, eadem veritate, eodemque Spiritu veritatis fecit eos intelligere Scripturas, quo Spiritu auctores illarum, quos Deus Pater ante aduentum Christi filij sui præmiserat, & quos ipsi Filio dederat, scripserunt eas. *Foderintque in torrente, & repererunt aquam viuam. Sed & ibi iurgium fuit pastorum Geraræ aduersus pastores Isaac, dicentium: Nostra est aqua.* Quos foderant puteos serui Abrahæ, illos Philistini replentes obturauerunt: quos autem foderunt serui Isaac, non quidem illi obturauerunt eos, sed pro illis iurgati sunt, & contenderunt. Sic profectò Hæretici sacras Scripturas, quæ magna ex parte ante aduentum Christi conscriptæ sunt, terrenis sensibus suis obturauerunt: quæ autem post passionem & resurrectionem Christi Sacramenta viuæ aquæ, id est, charismata Spiritus Sancti data sunt, non quidem obstruxerunt, sed pro illis contẽderunt dicentes: *Nostra est aqua*: Quod est dicere, nostra Sacramenta, vera sunt Sacramenta: nos quod damus, Sanctum est, vitale, & viuificum est: Apud nos solos Ecclesia est. Hoc dicentes, mentiuntur Hęretici: non enim in angulo vno terræ, vel in parte cuiusquam Hæresiarchæ concluſa, vel coangustata, sed in omnes gentes diffusa credi debet Ecclesia, iuxta id quod Filio suo promisit Deus Pater, loquens per Prophetam Psalmo secundo, *Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Sunt autem putei tres, quos serui huius Isaac foderunt. Namque inter alia, tria sunt Spiritus Sancti charismata, Baptismus scilicet, & impositio manuum, & Renouatio cunctorum in generali resurrectione mortuorum: sicut & Dauid in typum Christi & Ecclesiæ ter vnctus est Rex. Et pro duobus quidem puteis altercatio fuit inter pastores Isaac, & Philistinos; pro tertio verò puteo non est facta contentio: quia licet de Baptismo, & de Impositione manuum rixentur nunc Hæretici cum Catholicis: vbi tamen vniuersali regeneratione, immutatio hominum facta erit, rixari non poterunt, contendere non audebunt. *Itaque vocauit nomen eius Latitudo, dicens: Nunc dilatauit me Dominus, & fecit crescere super terram.* Denique inter calumnias,

& ini

B. Leo ser. 1. in Nati. Apost. Petri, & Pauli.

In omni tempore cõtra nouas emergẽtes Hæreses, Christus excitauit nouos Doctores, & propugnatores catholicæ doctrinæ.

& inimicitias dilatatur nomen Christi,& ipsis aduersantibus clarescit magis,& propagatur Ecclesia eius,& Dei gloria super omnem terram magnificatur.

62 Restat tertia, & postrema historiæ huius pars de ascensu Isaac in vrbẽ Bersabee,& Dei apparitione in eo loco facta; & item de fœdere,& iureiurando inter Isaac, & Regem Abimelech facto, & de conuiuio quod Regi præbuit Isaac. Quam historiam Rupertus,allegoricam disputationem suam pertexens,& ad extremum perducens,ita pertractat: *Ascendit Isaac ex illo loco in Bersabee: vbi apparuit ei Dominus in ipsa nocte, ego sum Deus Abraham patris tui,&c.* Futurum hoc est in fine seculi,vt sopitis cũctis iurgijs,tam Iudæorum,quàm Hæreticorum,ascendat,& altare suum ædificet Christus,vbi nunc non est,& fodiat puteum abundantiæ, seu saturitatis reliquiis Israël,vt bibant aquam viuam Scripturarum: simúlque Iudæi, & Gentiles cum Christo fœdus inibunt. *Fecit ergo eis conuiuium. Et post cibum,& potum surgentes manè, iurauerunt sibi mutuò: dimisitque eos Isaac in domum suam pacificè.* Cùm fœdus inierint nouissimum, faciet illis conuiuium Christus in regno Patris sui, & vnumquemq; dimittet in locum suum, id est, retribuet vnicuique secundùm opus & meritum proprium,locúmque; & mansionem in cœlis, cuiusque meritis condignam assignabit; *in domo enim Patris eius,mansiones multæ sunt. Ecce autem venerunt in ipso die serui Isaac dicentes: Inuenimus aquam: vnde appellauit eum Abundantiam: & nomen vrbi impositum est Bersabee vsque in præsentem diẽ.* Finis omnium quæ de Isaac sunt, gratulatio est dicentium: *Inuenimus aquam,* & rectè. Nam in ipso die quo complebuntur omnia, quæ de Christo sunt,laus,& gratiarum actio personabit,dicentium: Per te Christe,inuenimus fontem aquæ viuæ salientis in vitam æternam. Ciuitas ergo aquarum viuentium,id est,electorum omnium beata societas,puteus saturitatis, siue abundantiæ vocatur, completo videlicet quod ei Dauid imprecatus est dicens: *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis:* & alio loco: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Apud te est fons vitæ.* Et allegorica quidem super historiam huius Capitis Ruperti disputatio hactenus procedit.

Allegoria super tertia, & vltima parte huius historiæ de futura in fine mundi Iudæorũ,de Gẽtium conuersione ad fidẽ, & cultum, & obsequium Christi.

Ioan.14.

Ioan. 4.

Psal.121.

Psal.15.

Hunc ego tractatum allegoricum Ruperti,propterea maximè probo, & commemorare hîc volui, quòd in eo leges ritè allegorizandi sacram Scripturam exactè seruentur omnes. Non enim allegorizantur verba, vt non pauci faciunt,sed res gestæ,vnde solùm ducitur & conficitur allegoria. Nec ex vniuersitate alicuius historiæ, vna tantùm pars eius in allegoriam trahitur,sed omnes historiæ partes,continenter, seruata consequentia,& conuenientia,ad figurandas res in nouo Testamento gerendas,commodissimè aptantur. Et fundamentum allegoriæ est,non vulgaris, aut leuis,sed egregia,& nobilis in veteri testamento historia: Id verò ad quod figurandum applicatur,res est in nouo testamento, apprimè memorabilis,& plenam dignitatis,atque vtilitatis doctrinam continens.

Qualis debet esse ratio bene & cõdignè allegorizãdi.

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA SVPER CAPVT VIGESIMVM SEPTIMVM GENESIS.

ARGVMENTVM.

Iacob per habitus, verborúmque ſimulationem, paternam benedictionem occupauit, atque obtinuit.

1 SENVIT autem Iſaac, & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat: vocauítque Eſau filium ſuum maiorem, &
2 dixit ei: Fili mi? Qui reſpondit: Adſum.
Cui Pater: vides, inquit, quòd ſenuerim,
3 & ignorem diem mortis meæ. Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere
4 forâs: cúmque venatu aliquid apprehenderis, Fac mihi inde pulmentum ſicut velle me noſti, & affer, vt comedam, & be-
5 nedicat tibi anima mea antequam moriar: Quod cùm audiſſet Rebecca, & ille abiiſſet in agrum, vt iuſſionem Patris im-
6 pleret, dixit filio ſuo Iacob: Audiui patrem tuum loquentem
7 cum Eſau fratre tuo, & dicentem ei: Affer mihi de venatione tua, & fac cibos, vt comedam, & benedicam tibi coram Do-
8 mino antequam moriar. Nunc ergo fili mi, acquieſce conſiliis meis:

meis: & pergens ad gregem affer mihi duos hœdos optimos, 9
vt faciam ex eis escas patri tuo; quibus libenter vescitur: quas 10
cùm intuleris, & comederit, benedicat tibi priusquam moria- 11
tur. Cui ille respondit: Nosti quòd Esau frater meus homo pi- 12
losus sit, & ego læuis; Si attrectauerit me pater meus, & sen-
serit, timeo ne putet me sibi voluisse illudere, & inducam su- 13
per me maledictionem pro benedictione. Ad quem mater: In 14
me sit, ait, ista maledictio, fili mi: tantùm audi vocem meam,
& pergens, affer quæ dixi. Abiit, & attulit, dedítque matri. Pa-
rauit illa cibos, sicut velle nouerat patrem illius. Et vestibus 15
Esau valdè bonis, quas apud se habebat domi, induit eum: pel- 16
liculásq; hœdorum circumdedit manibus, & colli nuda pro-
texit. Dedítque pulmentum, & panes, quos coxerat, tradidit. 17
Quibus illatis dixit: Pater mi? At ille respondit: Audio: Quis 18 19
es tu fili mi? Dixítq; Iacob, ego sum primogenitus tuus Esau:
feci sicut præcepisti mihi: Surge, sede, & comede de venatio-
ne mea, vt benedicat mihi anima tua. Rursúmque Isaac ad fi- 20
lium suum: quomodo, inquit, tam citò inuenire potuisti, fili 21
mi? Qui respondit: Voluntas Dei fuit, vt citò occurreret quod 22
volebã, Dixítq; Isaac; Accede huc, vt tanquã te fili mi, & pro-
bẽ vtrum tu sis filius meus Esau, an non. Accessit ille ad Patrẽ, 23
& palpato eo, dixit Isaac: Vox quidẽ vox Iacob est: Sed ma-
nus, manus sunt Esau. Et non cognouit eum, quia pilosæ ma-
nus similitudinem maioris expressérant. Benedicens ergo illi, 24 25
ait: Tu es filius meus Esau? Respondit, ego sum. At ille: Affer
mihi, inquit, cibos de venatione tua, fili mi, vt benenedicat ti-
bi anima mea. Quos cum oblatos comedisset, obtulit ei etiam
vinum, quo hausto, dixit ad eum: Accede ad me, & da mihi 26
osculum, fili mi. Accessit, & osculatus est eum. Statímque vt 27
sensit vestimentorũ illius fragrantiam, benedicens illi, ait, Ec-
ce odor filij mei, sicut odor agri pleni: cui benedixit Domi- 28
nus. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abun- 29
dãtiã frumẽti, & vini. Et seruiãt tibi populi, & adorẽt te tribus:
esto dominus fratrum tuorum; & incuruẽtur ante te filij ma-
tris tuæ, qui maledixerit tibi, sit ille maledictus: & qui bene- 30
dixerit tibi, benedictionibus repleatur. Vix Isaac sermonem 31
impleuerat: & egresso Iacob foras, venit Esau, coctósque de
venatione cibos, intulit patri, dicens: Surge pater mi, & co-
mede

mede de venatione filij tui:vt benedicat mihi anima tua.
32 Dixítque illi Isaac:Quis es tu?Qui respondit: ego sum filius
33 tuus primogenitus Esau.Expauit Isaac stupore vehementi: &
vltra quàm credi potest,admirans ait: Quis igitur ille est, qui
dudum captam venationem attulit mihi,& comedi ex omni-
bus priùs quã tu venires?benedixítq; ei,& erit benedictus.Au-
34 ditis Esau sermonibus patris,irrugiit clamore magno,&cõster
35 natus,ait:Benedic etiã &mihi,pater mi.Qui ait:Venit germa-
36 nus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuã.At ille
subiunxit: Iustè vocatum est nomem eius Iacob: supplan-
tauit enim me en altera vice: primogenita mea ante tulit,&
nunc secũdò surripuit benedictionem meam. Rursúmque ad
patrem: Numquid non reseruasti, ait, & mihi benedictio-
37 nem? Respondit Isaac; Dominum tuum illum constitui,&
omnes fratres eius seruituti illius subiugaui, frumento, & vi-
38 no stabiliui eum,& tibi post hæc fili mi,vltra quid faciam?Cui
Esau, Non vnam,inquit,tantùm benedictionem habes,pater?
39 mihi quoque obsecro vt benedicas. Cúmque eiulatu magno
fleret,motus Isaac,dixit ad eum:In pinguedine terræ,& in ro-
40 re cœli desuper erit benedictio tua. Viues in gladio, & fratri
tuo seruies: tempúsque veniet,cùm excutias, & soluas iugum
41 eius de ceruicibus tuis. Oderat ergo semper Esau Iacob,pro
benedictione qua benedixerat ei Pater;dixítque in corde suo:
Veniẽt dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meũ.
42 Nunciata sunt hæc Rebeccæ: quæ mittens & vocans Iacob
filium suum, dixit ad eum: Ecce Esau frater tuus minatur vt
43 occidat te.Nunc ergo fili mi,audi vocem meam,& consurgẽs
44 fuge ad Laban fratrem meum in Haran: habitabísque cum
45 eo dies paucos,donec requiescat furor fratris tui. & cesset in-
dignatio eius,obliuiscatúrque eorum quæ feceris in eum: po-
stea mittam,& adducam te inde huc. cur vtroque orbabor fi-
lio in vno die? Dixítque Rebecca ad Isaac: Tædet me vitæ
46 meæ propter filias Heth: Si acceperit Iacob vxorem de stirpe
huius terræ,nolo viuere.

PRÆ

PRÆFATIO.

1 QVO tempore contigerunt, quæ in hoc vigesimo septimo capite narrantur, in eo tempore agebat Isaac ætatis annum centesimum trigesimum septimum, Iacob verò & Esau septuagesimum septimum. Ex quo apparet, inter coniugium Esau iam quadragenarij, memoratum in extremo capite præcedenti, & inter ea quæ traduntur hoc capite, intercessisse non minus quàm triginta septem annorum spatium temporis: tunc enim fuisse diximus Isaac centum annorum; nunc autem erat centum triginta septem. Mirum igitur videri potest, tanti temporis interstitium, planè tacitum à Mose præteritum fuisse. Quod autem Iacob fuerit id temporis annorum septuaginta septem, & quod est necessariò consequens, Isaac centum triginta septem, ex ipsa Scripturæ historia ratiocinari ad hunc modum licet. Iacob paulo post acceptam benedictionem missus est in Mesopotamiam: statim namque Esau acerbissimè dolens, atque iniquissimo animo ferens præreptam sibi benedictionem patris, cœpit cogitare de necando Iacob: cuius mali euitandi causa, Rebecca persuasit Isaac, vt mitteret Iacob in Mesopotamiam. Iam verò cum Iacob eò profectus est, annorum erat septuaginta septem. Nam post quatuordecim annos seruitutis, quam ibi pro vxoribus seruiuit socero suo Laban, genuit filium Ioseph, vt scriptum est Genes. 30. cum autem genuit Ioseph, erat ipse vnius & nonaginta annorum. Hoc nempe manifestum fit ex eo, quod Iacob ingressus est Aegyptum post septem annos vbertatis, & duos famis, vt scribit Moses Genes. cap. 45. Erat porrò in eo tempore Ioseph, annorum triginta nouem, vt colligitur, comparando historiã capitis 41. cum historia capitis 45. Fuisse autẽ id tẽporis Iacob centum triginta annorum, ipsemet dixit regi Pharaoni, cum primùm ad eius conspectum & colloquium admissus est Gen. 47. Si igitur de centum triginta annis Iacob, detrahas triginta nouem annos ætatis Ioseph, reliqui erunt, vnus & nonaginta ipsius Iacob, in qua ætate procreauit ille filium suum Ioseph. Atqui genuit eum post quatuordecim annos, quàm venerat in Mesopotamiam, & quibus seruierat Laban pro vxoribus: Ergo cum Iacob post acceptam benedictionem Isaac, missus ab eo est in Mesopotamiam, agebat septuagesimum septimum annum, & Isaac centesimũ trigesimũ septimũ; nam hic sexagenarius illũ genuerat.

Atque hoc nos probandum ad præsens suscepimus. Apud Eusebium libro nono de Præparatione Euangelica, capite vltimo, Alexander perantiquus historicus tradit, fuisse tunc Iacob septuaginta quinque annorum, Isaac verò centum & triginta septem. In qua sanè pugnantia loquitur, nã si erat Isaac centũ triginta septem annorũ, necesse est fuisse tũc Iacob septuaginta septẽ, cũ is genitus sit à patre sexagenario, vt dicitur Gen. 25.

Eusebius.

VERS. 1.

Senuit autem Isaac, & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat.

SIMILE est illud de Heli Pontifice in primo libro Regũ cap. 3. *Heli iacebat in loco suo, & oculi eius caligauerant, nec poterat videre.* Non solùm autem in senectute, oculorum aciem, sed alios quoque præcipuos hominis sensus deficere, testatur de se in lib. 2. Regum cap. 19. Berzellai, hæc verba loquens ad regem Dauidẽ: *Octogenarius sum hodie, numquid vigent sensus mei ad discernendum suaue & amarum? aut delectare potest seruum tuum cibus aut potus? vel audire possum vltra vocem cantorum, atque cantatricum? quare seruus tuus sit oneri domino meo regi?* Rectè igitur Poëta quidam dixit: 1

Horatius in arte Poëtica.

Multa senem circumueniunt incommoda.

Sed quæ sunt ista senectutis incommoda? Plinium audi: Non reputantur infantiæ anni, qui sensu carent: nõ senectæ, in pœnam viuaces. Hebescunt enim sensus, membra torpent, præmoritur visus, auditus, incessus; dentes etiam ac ciborum instrumenta deficiunt. Salomon quoque in libro, qui inscribitur Ecclesiastes capite 12. Sexdecim incommoda, & mala senectutis (vt ex verbis eius elicit Caietanus) pulcherrimis significationibus allegoricis tectè significat. De quibus, vnum illud est ad caliginem oculorum Isaac pertinens: *Memento Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas; Non mihi placent.* Id est, ante senectutem. *Antequam tenebrescat sol, & lumen, & luna, & stellæ.* Senes enim caligantibus iam oculis, astra & lumina clarè non queunt cernere. *Et tenebrescant videntes per foramina,* sic appellat oculos, seu vim videndi, quæ per organum oculi, quasi per fenestram prospectat extrinsecus obiectas res aspectabiles, qui præ senio tenebrescunt, id est, cæcitate, vel ex toto, vel maxima ex parte obducuntur.

Plin lib. 7. cap. 50.

Sexdecim incõmoda senectutis.

Locus Ecclesiast. 12.

Caietanus.

Ergo pauciſſimis senum contingit, quod in extremo libro Deuteronomij proditum est de Mose, illis verbis: *Moses centum & viginti annorum erat quando mortuus est: Non caligauit oculus eius, nec dentes eius moti sunt.* Perpaucorum item senum est, quòd B. Hieronym. de Paulo Concordiensi scriprum reliquit epist. 21. Qui, cùm iam centenarius esset, sola canitie ac prudentia senex erat, cetera iuuenis. Lubet elegantissima verba Hieronymi hîc apponere. Ecce iam, inquit, centenus ætatis suæ circulus voluitur. & oculi puro lumine vigent: pedes imprimũt certa vestigia: auditus penetrabilis: dentes candidi: vox sonora: corpus solidum & succi plenum: canicum 2

Exẽplum viuacissimæ ac vegetissimæ senectutis.

B. Hieron. de Paulo Concordiensi.

cum rubore discrepant,& vires cum ætate dissentiunt.Non memoriæ tenacitatem,vt in plerisque cernimus,antiquior senecta dissoluit:non calidi acumen ingenij,frigidus sanguis obtundit:non contractam rugis faciem, arata frons exasperat:non denique tremula manus, per curuos ceræ tramites errantem stylum ducit.Futuræ nobis resurrectionis virorem, in te Deus ostendit,vt peccati sciamus esse, quòd ceteri adhuc viuentes præmoriuntur in carne:iustitiæ,quòd tu adolescentiam in aliena ætate mentiris. Sic Hieronymus.Scitè itaque Plinius:Ergo,inquit, pro miraculo, & id solitarium reperitur exemplum, Xenophilum Musicum, centum & quinque annis vixisse sine vllo corporis incommodo.

Plinius in loco supr.citato. Xenophilus Musicus.

Vocauítque Isaac Esau filium suum maiorem: & dixit ei: Vides quòd senuerim & ignorem diem mortis meæ. VERS. 2.

4 HLVD: *Et ignorem diem mortis meæ*, hoc significat: Cùm tam graui & affecta sim ætate (annos scilicet centum triginta septem natus) non potest mihi mors esse longinqua; & ideo quotidie,atque in singulas horas eam expecto. Hæc est profectò vera,& salutaris philosophia;perpetua nempe mortis meditatio; vt rectè Plato,Philosophiam definiens,dixerit esse meditationem mortis. Sed enim si mortem in omni ætate meditari,& ad eam se comparare cõuenit,quanto magis in senectute? Præclara sanè, meritóque celebrata est illa Catonis sentẽtia:Sed hoc meditatum ab adolescentia debet esse,mortem vt negligamus:sine qua meditatione, trãquillo esse animo nemo potest.Moriendũ enim certè est,& id,incertũ,an eo ipso die.Mortem igitur omnibus horis impendentem,timens;quî poterit animo consistere? Sic ille. At enim Isaac,falsus opinione sua est:nã qui mortẽ sibi vicinã& instãtem putabat,vltra id temporis,tres & quadraginta annos vitam produxit.

Perfecta philosophiæ cõmẽtatio,est assidua mortismeditatio. Apud Ciceronem in libro de senectute.

Sume arma tua, pharetram & arcum,& egredere foras: cumque venatu aliquid apprehenderis,&c. VERS. 3.

5 VARIA esse venationum genera, modósque, vno venationis nomine comprehensos,disputat Plato in libro 7. de Legibus. Est enim venatio animalium, vel aquatilium, vel volucrum, vel terrestrium: & fit,vel hamis, vel retibus, vel laqueis, vel visco,vel canibus,vel propriis etiam viribus,& armis.Reiectis autem aliis omnibus venandi modis,optimam esse venandi rationem, Plato arbitratur,quæ fit equis,canibus,corporibus suis, viribúsque,per quam feræ capiuntur, cursibus, vulneribus, retibus, suis etiam propriis manibus. Talis enim exercitatio firmandæ valetudini, viribúsque plurimum conducit; nec parum confert ad res militares, tum roborando & durando corpus ad labores bellicos, tum erudiendo, instruendóque animum ad solertiam & prudentiam militarem. Talem porrò fuisse

Ex variis modis & generibus venationũ & quid eorũ sit optimum, auctore Platone.

venationem Esau, dubitare non sinunt verba illa Isaac: *Sume arma tua, pharetram & arcum, & egredere foras.*

VERS. 4. Cúmque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti, & affer mihi vt edam: & benedicat tibi anima mea, antequam moriar.

VEGETAE ac viuidæ senectutis argumentum est, tantopere venatitias & ferinas carnes in cibum appetere, eóque cibatu non solùm iucundè, sed etiam salubriter vesci. Tales enim carnes; vt multi succi, & copiosi ac solidi sunt alimẽti; ita, vt probè concoquantur, & ad bene nutricandum proficiant, valido indigent stomacho. Ergo Isaac, etsi infirma erat acie oculorum, robustissimo tamen, atque optimo fuisse stomacho (qui est officina vitæ) necesse est: vt non adeo mirandum sit, eum post hæc in tres & quadraginta annos ætatem protulisse. Nec intemperantiæ fuit tales cibos appetijsse, sed prudens consilium, delicatioribus & iucundioribus cibis, labantem iam, deficientémque senio vitam, fulcire ac sustentare. 6

Et affer mihi vt comedam, & benedicat tibi anima mea antequam moriar. Illud, *benedicat tibi anima mea*, Hebraismus est, hoc significans: Vt tibi ex animo fausta & prospera imprecer. Vel ponitur anima pro ipsomet homine, vt sæpe; quasi dicat: Vt ego tibi benedicam. Monui aliâs, vocabulum animæ, variè vsurpari in sacris litteris, & pro vita, & pro desiderio, & pro persona, & propriè pro anima rationali, vt eo in loco: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Pro isto, *Vt benedicat tibi anima mea*, paulo infra Rebecca loquens filio suo Iacob, refert Isaac dixisse Esau: *Vt benedicam tibi coram Domino, antequam moriar*, quod habet hãc sententiam: Vt benedicam tibi, annuente & fauente Domino; & ab illo deprecer omnia tibi fausta & prospera dari. Locutio Hebraica est: *coram Domino*, tam in bonis rebus, quàm in malis vsurpata. In malis, vt Genes. 7. *Corrupta est terra coram* Deo. Et cap. 13. *Homines Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis.* In bonis & quæ Deo placent, vt hoc loco; & cum dicuntur Sancti ambulare coram Deo vel esse perfecti corã Deo. 7

Auctor in 2. Tomo suo in Genesim lib. 24. Numero marginali. 29 Matt. 10.

Sed cur Isaac, antequam benediceret filio suo Esau, requisiuit ab eo tale obsequium & officium venatitias carnes præbendi sibi? Lyranus indicat fuisse eo tempore positũ in more, vt primogenitus, recepturus benedictionem à patre, priùs obsequium aliquod, & officium ei præstaret; atque ei ministraret in mensa. Vnde hoc acceperit Lyranus, haud equidem scio. Sanctus Augustinus in quæstione septuagesima nona in Genesim, nullam reperit causam & rationem eius rei litteralem: sed nihilominus tamen putat, ea re mysterium quodpiam adumbratum & significatum esse: quale autem istud mysterium sit, ipse, vel studio breuitatis, vel quia tunc ei non occurrebat, nequaquam indicauit. Hæc sunt ex eo loco Augustini verba: Quoniam tantus Patriarcha Isaac, antequã moriatur, quærit à filio suo venationem & escam, qualem amat, pro magno beneficio, & pro 8

Cur Isaac benedicturus filio suo Esau, requisiuit ab eo prius cibatum ex venatione.

Lyranus

S. August.

& promittit benedictionem;nullo modo vacare arbitramur significatione prophetica: maximè quoniam festinat vxor eius, vt illam benedictionem minor filius accipiat,quem ipsa diligebat. Nec solùm hoc,sed etiam cetera in eadem narratione, multum mouent,ad maiora intelligenda,vel requirenda. Sic Augustinus. Ceterùm B.Gregorius mysterium,de quo dixit Augustinus,breuiter in homil.6.in Ezechielem aperuit hisce verbis: Quid est quod Isaac de maioris filij sui venatione vesci concupiscit? Nisi quod omnipotens Deus Iudaici populi bona operatione pasci desiderabat? Sed illo tardante,minorem Rebecca suppossuit: quia dum Iudaicus populus bona opera foris quærit, Gentilem populum mater Gratia instruxit,vt omnipotenti Patri cibum boni operis offerret,benedictionémque maioris fratris acciperet. Hæc Gregorius. *S.Gregor.*

9 Thomas Anglicus duas eius rei minimè aspernandas rationes affert: quas ego propriis eius verbis commemorabo. Prima,inquit,ratio est,vt Esau meritoriè ad susciendam paternam benedictionem disponeretur per opus prouidæ obedientiæ, obsequiosæ ac filialis dilectionis,& reuerentiæ in sanctum patrem suum. Secunda ratio est,quia sicut Isaac non humanitus,sed diuinitus mouebatur ad benedictionem de futuris secundùm illud Apostoli dictum ad Hebræos 11. *Fide, & de futuris benedixit Isaac:* ita credendum est,quòd etiam ad prædicta diuinitus moueretur,& in figuram rerum spiritualium & futurarum id filio suo præceperit. Vnde illa omnia erant figuralia & sacramentalia. Sic ille. Sunt qui putent ea re præsignificatum fuisse, licitum fore, ac iustum, & laudabile in Ecclesia Christi,vt qui spiritualia mysteria & munera traderent discipulis,vicissim ab illis acciperent carnalia obsequia & officia: quò spectat illud Pauli ad Galat. 6. *Communicet is, qui catechizatur verbo,ei qui se catechizat,in omnibus bonis.* Et 1.ad Corinthios 9.*Si nos,* inquit, *spiritualia vobis seminamus, magnum est,si nos carnalia vestra metamus.* Super qua re breuiter & præclarè disserit Augustinus, explanans Psalmum octuagesimum,super illis verbis: *Accipite psalmum,& date tympanum.* Vtrumque,inquit,dicitur, & accipite & date. Sed quid est Accipite psalmum,& date tympanum. Dicit quodam loco Paulus,reprehendens & dolens, quòd nemo illi cõmunicasset in ratione dati & accepti: quid est in ratione dati & accepti? illud nempe quod alio loco ipsemet exposuit apertè: *Si nos vobis spiritualia seminamus,magnum est si nos carnalia vestra metamus?* Et tympanum quidem fit ex corio, & ad carnem pertinet; psalmus verò ad spiritum pertinet. Psalmus,inquam,spiritalis est,tympanum verò carnale. Ergo vos,ô plebs Dei, accipite psalmum,& date tympanum: accipite spiritualia, & date carnalia. Si auidi estis in spiritualibus accipiẽdis,deuoti estote in carnalibus erogandis. Accipite psalmum,& date tympanum: accipite voces nostras,& reddite manus vestras. Sic Augustinus. *Thomas Anglicus.* *S.Augustinus* *Ad Philip. 4.* *Pro spiritualibus bonis accepta reddi debere temporalia.*

Rupertus hunc locum allegoricè tractans, ait,isto facto Isaac, præfiguratos esse Prælatos & Pontifices Ecclesiæ,nequaquam synceros & integros: qui carnali sensu & iudicio ducti, & humanis obsequiis ac muneribus deliniti, benedictiones & dignitates Ecclesiasticas nonnunquam *Ruperti disputatio allegorica in Prælatos Ecclesiasticos parum syncere beneficia & dignitates Ecclesiasticas dispensantes.*

personis minùs idoneis & dignis tribuunt, posthabitis melioribus. Verba Ruperti hæc sunt: Isaac requirens cibatum ex venatione, vt benediceret Esau filio suo, secũdùm carnem quidem maiori, at secundùm virtutem, & coram Deo, longè inferiori quàm Iacob: Personam gessisse videtur eorum, qui proprer commoda vel obsequia fauorabiliter aliquos ordinare & promouere contendunt. Cùm enim dicit: *Sume arma tua, pharetram & arcum, & egredere foras, cúmque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum.* Et deinde subiungit: *Vt benedicat tibi anima mea antequam moriar.* Nónne videtur manifestè commodum pro benedictione flagitare? Nec tamen in hoc, derogatur sancto illi viro: sed magis placet id, quod in illo prouisor futurorum Spiritus sanctus ad ædificationem nostram operatus est. Igitur præsente loco, Isaac personam gerit Prælati & Pontificis: Rebecca Ecclesiæ, quæ Pontifici subiecta est: duo filij, Iacob & Esau, illos repræsentant, qui in domo Ecclesiæ contrariis moribus & diuerso fine ad sanctum propositum erudiendi proponuntur. Et quidem Pontifex, commissæ sibi Ecclesiæ tanquam vir coniugi, vel tanquam caput corpori præest. Verumtamen ordinandorum electio, non penes ipsum solum est, sed, quantum ad repræsentationem, etiam penes Ecclesiam est. Illo nempe in curis plurimis senescẽte, & interdum curarum exteriorum puluere oculis eius caligantibus; ipsa Ecclesia filios suos clariùs & expeditiùs videt, nouit actus, intuetur propositum, considerat profectum vel defectum singulorum. Cùm ergo audierit, quòd Pontifex suus, cuiuspiam maligni delinitus obsequiis, eum promouere, & meliori præferre voluerit; exemplo Rebeccæ debet vti, quæ & viri sui placitum non reprehendit; & tamen egit prouidè, ne pater maiorem, venationibus eius delectatus, præferret minori: memor vtique dictum fuisse sibi à Deo, maiorem seruiturum minori. Itaque nequaquam Iacob damnabili furto surripuit benedictionem, sed potius ordine seruato iustitiæ, dignus accessit, & voluntate Dei, & eius electione, quæ fuerit conscia meriti. Hactenus ex Ruperto.

Genes. 25.

VERS. 5. 6. & 7. Quod cùm audisset Rebecca, & ille abiisset in agrum, vt iussionem patris impleret, dixit filio suo Iacob: Audiui patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, & dicentem ei: Affer mihi de venatione tua; & fac cibos vt comedam, & benedicam tibi coram Domino antequam moriar.

PROFECTIO Esau ad venandum, vt patris iussa perficeret, & aliquanti temporis absentia eius, magnam dedit Rebeccæ & Iacob opportunitatem & commoditatem struendi, ornandique piam fraudem, dolúmque minimè malum peragendi, ad occupandam & præripiendam benedictionem paternam. Est porrò 11

rò animaduertendum, vtiliter esse factum, vt amor Isaac & Rebeccæ duos in filios esset partitus, nec totus vtriusque parentis affectus in vnum modò congestus. Isaac diligebat Esau tanquam maiorem: Rebecca diligebat Iacob vt meliorem: nec vterque vnum tantummodò diligebat, altero contempto. Sic enim domestica pax, & quies, & concordia probè seruatur: sin aliter fiat, exardescit continuò filij non dilecti aduersus dilectum inuidia, odium, dissidia familiæ, confusio domus & ruina; quinetiam vitæ insidiæ, & necis machinatio. Fidem huic rei certam facit, quod infrà legimus, Genes. 37. accidisse Ioseph, ob inuidiam fratrum suorum, propterea quòd is à patre plus omnibus diligeretur. Et Esau, vbi vidit fratrem dignitate atque imperio prælatum sibi, & benedictionem paternam ab eo præreptam; æstuare odio, ac furere cœpit aduersus Iacob, atque ei mortem machinari.

12 Perpulchra igitur & perquàm salutaris est Ambrosij, in filijs ex æquo diligendis & tractandis, illa parentum admonitio & exhortatio. Cauendum, inquit, ne parentes iniquum inter filios habeant iudicium, vt alterum diligendum putent, alterum posthabendum. Hinc enim excitantur odia fraterna, & de pecuniæ vilis incremento, facinus parricidale componitur. Eadem foueat prolem mensura pietatis. Esto, vt aliquid sibi amplius circa blandiorem, aut similiorem filium rapiat affectus: par tamen circa omnes esse debet forma iustitiæ. Plus confertur dilecto, cui fratrum amor quæritur; plus autem adimitur ei, qui prælationis iniustæ oneratur inuidia. Accipe bonum certamen inter parentes, exemplo Isaac & Rebeccæ. Mater deferat affectum, pater iudicium. Mater circa iuniorem tenera pietate propendeat; pater circa seniorem, naturæ honorificentiam seruet. Hic magis honoret, hæc plus diligat: dum singuli singulos foueant, non in vnum vterque conspirent, & defraudent alterum. Fiat æquitas inter diuersa certamina; & disparibus studiis, par vtrique filio, parentum amor & gratia conferatur: compenset alter, quod alter imminuit. Sic pro affectu Isaac Patriarcha, & sancta Rebecca certabant; vt neutrum inferiorem facerent, sed vtrumque æqualem. Vicit tamen ille, qui præferebatur oraculo: vicit impigritia tarditatem, mansuetudo duritiam. Dum alter venatu aspero prædam quærit agrestem, hic mitium cibos morum, hic domesticam gratiam, hic teneræ mansuetudinis, atque pietatis dulces patri epulas ministrans, benedictionem eius occupauit. Hactenus ex Ambrosio.

Ambr. li. 2. de Iacob & vita beata, cap. 2. Egregia Ambrosij monita & documenta in diligendis, tractandisque filiis, valdè ob seruanda parentibus.

***

Nunc

VERS. 8. Nunc ergo,fili mi,acquiesce consiliis meis, & pergens ad gregem,affer mihi duos hœdos optimos,vt faciam ex eis escas patri tuo,quibus libenter vescitur; quas cùm intuleris, & comederit,benedicat tibi priusquàm moriatur.

PRo illo,*Acquiesce consiliis meis*,Hebraica, Græca, & Chaldaica verba maiorem habent emphasim: hoc enim sonant, obedi voci meæ in eo quod præcipio tibi. Etenim præceptũ talis matris, & quam valdè Iacob reuerebatur grauius proculd ubio, & efficacius erat ad permouendum Iacob, quàm simplex, & nudum cõsilium. Ergo quod habet Latina lectio: *Acquiesce consiliis meis*, denotat consilium simul cum mandato, & præcepto materno coniunctũ. Sed cur iussit duos afferri hœdos? vnus enim satis, supérque fuisset cibatui senui. Verùm, quia nolebat ei apponere totum & integrũ hœdũ, sed aliquid ex eo tãtùm, quod tenerius, & delicatius erat, & palato Isaac iucũdius; idcirco ex duobus hœdis erat id deligẽdũ & decerpendũ: vel fortasse voluit variis modis coctos, variéq; conditos viro apparare. Rupertus hist. riam hanc in libro VII. Commentariorum suorum in Genesim cap. 15. ad huiusmodi allegoriam non insciter accommodat ita scribens: Senuit verus Isaac, videlicet Dei Filius, & caligauerunt oculi eius, quando vetustate, & senio nostræ naturæ indutus, morte quoque corporea fuit obscuratus. In ipsa caligine senectutis dixit primogenito suo Esau: *Sume arma tua, cúmque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum:* etenim & in vita sua, & in morte priorem populum ad pœnitentiam per semetipsum inuitabat, & per Apostolos suos post gloriam suæ resurrectionis: vt in ipsum credendo, eum sibi cibum offerret, de quo ipse dixerat (Ioan. 4.) *Meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris mei.* At maior ille populus tardauit, & vsque nunc vagatur foris. Interim Rebecca, id est, mater Gratia, cuius affectus, ab humano affectu patris huius, in alium filium declinauerat, iuniorem filium, id est, populum Gentium subintrare suasit, ad præoccupandum hæreditatem benedictionis, non tamen vacuum, sed cum duobus hœdis: vetabat enim lex diuina Exod. 23. hominem apparere vacuum in conspectu Dei sui. Et quidem vnus sufficere poterat hœdus ad esum Isaac, cùm vix quisquam, vel vnum integrum hœdum comedere valeat: sed & hoc in figura contingit; quia oportet eum, qui accedit ad gratiam benedictionis Christi, professionem habere noui pariter, ac veteris Testamenti, & talis confessio cibus est Christi filij Dei. Sic Rupertus. Appositè porrò & circumspectè diuina Scriptura in hac narratione illud posuit: *Vt faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur:* & paulò infrà; *Parauit illa cibos sicut velle nouerat patrem illius:* Non enim satis est delicatum, & optimum esse cibum, nisi accommodatè ad gustatum eius, cui apponendus est, & coctus & conditus sit. Festiuè enim quidam poëta dixit, solam artem non esse satis coquo; sed potissimùm seruire eum debere palato domini, atque eius quasi gustum, & palatum habere ipsum

Rupertus.

Martialis.

opor

oportere. In hoc etiam Rebeccæ facto cernitur eius mulieris industria, & sagax cura viri, & officiosa erga eum pietas. De duobus illis hoedis, aliam Hyppoliti martyris allegoriam Lector apud sanctum Hieronymum reperiet in Epistola cxxv. ad Damasum, in responsione ad Tertiam quæstionem.

Cui ille respondit, Nosti quòd Esau frater meus homo pilosus sit, & ego lœuis. Si ergo attrectauerit me pater meus, & senserit, timeo ne putet me sibi voluisse illudere, & inducat super me maledictionem pro benedictione. Ad quem mater: In me sit, ait, ista maledictio, fili mi. VERS. 11. 12. 13.

14 CAVTE admodum, & prudenter Iacob: temerè noluit se ipsum in discrimen committere: nec minùs erga patrem pium se ac reuerentem declarauit, tantopere veritus patrem. Nouerat enim offensam, & indignationem, atque maledictionem patris, valdè formidandam & horrendam esse debere filijs; exemplo Cham, qui patrem suum Noë, præ temulentia, nudato corpore iacentem, fratribus suis deridendum ostendit: quamobrem acri paternæ maledictionis, quasi telo, non modò caput eius, sed tota eius posteritas percussa est. Enimuerò in sacris litteris, non solùm maleficia, iniuriæ, contumeliæ, sed etiam contumacia, & inobedientia, & irreuerentia aduersus parentes, tanquam res quædam Deo vehementer execrata, & graui animaduersione vindicanda proponitur. Lege caput 21. Exodi, & Leuitici 20. & Deuteronomij. 27. Prouerbiorum 20. 28. & 30. Ecclesiastici 3. Nec solùm in diuinis litteris, & in populo Dei, sed etiam apud Ethnicos grauissimum ducebatur crimen, filiorum aduersus parentes impietas & irreuerentia: & parentum contra tales filios imprecationes & maledictiones, terribiles habebantur, nec inefficaces, aut inanes fore existimabantur. Lubet hîc adscribere præclaram ea de re sententiam & orationem Platonis, quam multis ille verbis pertractat libro xj. de legibus. Parentes negligere (ait Plato) nec Deus, nec homo mentis compos vnquam probauerit. Oedipus à filijs suis contemptus, ea filijs imprecatus est, quæ exaudita, affectaque à Dijs, apud omnes feruntur. Amyntora quoque Phoenici filio iratum, illi maledixisse ferunt. Hyppolito Theseum, plurimósque alios alijs. Quibus exemplis pernotuit, precationes parentum aduersus filios, à Dijs exaudiri. Nihil enim imprecatione parentum pernicioſius filijs accidere potest. Nemo verò cum pater aut mater ab eo contemnitur, tũc solum putet eorum precationes à Deo exaudiri: Sed non minus etiam cùm honorantur; atque idcirco cum lætiores bona liberis à Deo petunt, exaudiri eos similiter existimare debemus. Omnes igitur, nisi fuerint insani, vereri & colere debent parentum orationes; non ignorãtes, multis sæpe eas profuisse aut nocuisse. Hæc Plato. Memorabile præterea est huius rei exemplum, cuius B. Augustinus non solùm narrator & scriptor, sed etiam spectator

Quàm graue, ac detestabile crimen sit filiorum in parentes, iniuriæ contumeliæ, etiam contumacia, atque irreuerentia. Genes. 9.

Præclara Platonis doctrina.

fuit. Sic autem in libro xxvij. de Ciuitate Dei cap. viij. scribit Augustinus: Vnum est, quod apud nos factum, tam clarum fuit atque illustre miraculum, vt nullum putem esse Hipponensium, qui hoc vel non viderit, vel didicerit: nullum qui obliuiisci vlla ratione potuerit Decem quidam fratres fuerunt, quorum septem sunt mares, tres fœminæ, de Cæsaræa Cappadociæ, suorum ciuium non ignobiles: qui maledicto matris, recenti patris eorum obitu, destitutæ, quæ iniuriam sibi ab eis factam acerbissimè tulit: tali pœna sunt diuinitus coërciti, vt horribiliter omnes quaterentur tremore membrorum. In qua fœdissima specie, oculos suorum ciuium non ferentes, quaqua versum cuique ire visum est, toto pene vagabantur orbe Romano. Ex his etiam ad nos venerunt duo, frater & soror, Paulus & Palladia, multis alijs locis, miseria diffamante, iam cogniti. Venerunt autem ante Pascha fermè dies quindecim Ecclesiam quotidie, & in ea memoriã glorioſissimi Stephani frequentabant, orãtes, vt iam sibi placaretur Deus, & salutem pristinam redderet. Post hæc narrat Augustinus quemadmodum per misericordiam Dei, & inuocatam ab ipsis B. Stephani intercessionem, prorsus liberati, & sanati fuerint. Sic Augustinus.

August. memorabilis historia.

Sed redeo ad Iacob: quem narrans Moses, magnopere esse veritum ne 15
fortè simulando fratrem suum Esau, patrem videretur illudere voluisse; fatis indicauit verum esse, quod supra scriptum de eo fuerat Genesis 25. Iacob fuisse virum simplicem, id est, sine fuco, & fallaciis; & nescium lædendi, aut fallendi, quemquam. Quod expendens Sanctus Augustinus libro decimo sexto de Ciuitate Dei, capite trigesimo septimo ita scribit: Dolus Iacob, ne putaretur fraudulentus dolus, sed in eo potiùs magnæ cuiuspiam rei mysterium quæreretur, superiùs prædixit Scriptura: *Erat Esau homo sciens venari, & agrestis; Iacob autem homo simplex, habitans domum.* Hoc nostri quidam interpreti sunt, sine dolo. Siue autem sine dolo, siue simplex, siue potius, sine fictione dicatur, quod est græcè ἄπλαστος; quis est in præripienda benedictione patris dolus, hominis sine dolo? quis est dolus simplicis? quæ fictio non mentientis, nisi profundum mysterium veritatis? Sic Augustinus. Rectè item Caietanus: Hinc, inquit, clarè apparet bona intentio Iacob, exequendi præceptum maternum, fultum diuina reuelatione facta olim matri de ipso præponendo fratri suo Esau. Itaque non animo fallendi patrem, sed animo assequendi diuinum promissum, manifestat se attentaturum, quod mater iubebat. Sed vereri se tamen ait, ne patri appareat tanquam illusor: quamquam enim animus aberat illudendi, factum tamen ipsum, suaptè natura videbatur fallax.

Quanta sinceritas, & innocentia Iacob. S. August.

Caietanus.

Sanctus Basilius de istiusmodi simplicitate, & innocentia Iacob obiter 16
loquens, in expositione illorũ verborũ Salomonis: *Vt dẽ innocentibus prudẽtiã:* Sic enim ipse legit, quod nos legimus: *Vt detur paruulis astutia,* dupli cẽ facit innocentiæ speciẽ: Altera est, inquit, à peccatis alienatio, mẽre ac proposito per longam bonorum exercitationem acquisita, ac malitiæ radice penitus extirpata, quæ est præstantissima virtus, maximúmque hominis bonum. Altero modo innocentia dicitur, ignoratio mali, &

Prouerbiorũ 1

S. Basilius duplicem facit speciẽ, & rationem Innocentiæ.

inexpe

inexperientia, siue ob ætatem, vt in infantia, & prima pueritia; siue quòd alicuius artis, & vitæ rationem minimè callentes, fraudes in ea prouidere, & cauere non sunt edocti. Sic pueruli dolos, & astutias, & superbiam minimè norunt. Sic etiam qui in agris versantur, à rebus agendis remoti, mercatorum fallacias, opificum fraudes, & iudiciorum, ac fori varias cautiones, captionésque ignorant. Huiuscemodi autem appellare solemus innocentes: non quia ex proposito, & electione à malo abstineant: sed quòd mali experientiam, & habitum nondum contraxerint. Innocens autem propriè talis est, qualis erat Dauid dicens Psalmo 28. *Ego in innocentia ingressus sum*, omnem scilicet iam ille ex animo suo iniquitatem, per assiduam virtutum exercitationem fugauerat. Talem porrò innocentiam, ostendit morum simplicitas, & candor: qualis profecto erat Iacob, minimè fictus, & habitans domum, vt ait Scriptura Genes. 25. hoc est, naturæ vtens simplicitate, nihil ex arte simulatum, fucatúmve retinēs, nullámque in verbis, & factis, simulationis, & deceptionis vmbram præse ferens. Hæc Basilius. Iam verò illud, quòd dixit Rebecca, *Super me sit ista maledictio*, modus quidam loquendi est, etiam in alijs linguis vsurpatus, satísque vulgaris. Reddit autem talem hanc sententiam: Noli timere, fili, patris maledictionem, sed expecta potiùs faustam, & quantam maximam optare posses, benedictionem, ac talem, qualem ego percuperem mihi contingere. Id autem idcircò tam fidenter, & indubitanter dixit Rebecca, quòd ob Dei oraculum sibi olim datum, persuasa, & certa erat, omnino ita futurum, vt ipsa promittebat. Vide Theodoretum in quæstione 78. in Genesim.

Et vestibus Esau valdè bonis, quas apud se habebat domi, induit eum, pelliculásque hœdorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit. VERS. 15.

17 ALIA littera, inquit Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim super hunc locum, sic habet: *Et sumpsit Rebecca vestimenta Esau filij sui maioris, quæ erant desiderabilia, apud se domi.* Et in hoc loco tradunt Hebræi, primogenitos, sacerdotum officio esse functos; & habuisse vestimentum Sacerdotale, quo induti, Deo victimas offerebant, antequam Aaron in Sacerdotium eligeretur. Sic Hieronymus. Vox Hebræa [Hamudoth] significat concupiscibiles, siue desiderabiles, vel pretiosas: Chaldæus interpretatus est [mundas] lxx. Interpretes [pulchras] Latinus interpres omnia ista complectens, dixit: [valdè bonas] siue igitur vestes illæ pretiosæ, sacerdotales fuerint, siue ornamenta propria primogenitorum, & insignia principatus inter fratres, ipsa certè materfamilias, pro more eius temporis, & gentis apud se custodiebat. *S. Hieronymus*

Non abs re fuerit, illius simulati habitus Iacob, quatuor celebres adscribere in hoc loco expositiones allegoricas à quatuor sanctissimis, & doctissi- *Quadruplex allegorica expositio.*

mis Patribus traditas. Prima expositio est Hyppoliti martyris, quam re-
Hyppolitus martyr. fert Sanctus Hieronymus in epistola cxxv. ad Damasum. Rebecca, inquit, plena Spiritu sancto, quæ futura nouerat in Christo, ea meditabatur antea in filio suo Iacob. Vnde dixit ei: *Vade ad gregem, & affer mihi duos hœdos optimos,* præfigurans carneum Saluatoris aduentum, in quo eos maximè liberaret, qui peccatis tenerentur obnoxij: siquidem in omnibus Scripturis hœdi pro peccatoribus accipiuntur. Quòd autem duos iubetur afferre, duorum populorum significatur assumptio: quòd verò teneros, & bonos; dociles, & innocentes animæ significantur. Vestes Esau, fides, & scripturæ sunt Hebræorum, quibus Gentilium indutus est populus. Pelles, quæ brachijs eius circundatæ sunt, peccata sunt vtriusque plebis,
S. Ambros. quæ Christus in extensione manuum cruci secum pariter affixit. Altera expositio est Ambrosij lib. 2. de Iacob, & Vita beata cap. 2. Iacob, inquit, stolam accepit Esau, quia senili præstabat sapientia. Ideo iunior frater seniorem fratrem exuit, quia fidei emicuit dignitate. Hanc stolam, Ecclesiæ typo, Rebecca protulit, & dedit filio iuniori, stolam scilicet veteris Testamenti, stolam propheticam, & sacerdotalem. Hæc stola data est populo Christiano, qui vti amictu sciret accepto, quoniam populus Iudæorum, eam sine vsu habebat, & proprios nesciebat ornatus. Iacebat hæc stola in vmbra, abiecta atque neglecta. Obscurabatur enim tenebrosa impietatis caligine, nec in augusto corde populi Iudaici, latiùs poterat explicari. Induit eam Christianus populus, & refulsit, illuminauitque eam suæ fidei claritate, & piorum luce factorum.

S. Augus. Tertia expositio est S. Augustini in libro cõtra Mendacium cap. x. qui 19
ait, Iacob amictum vestibus Esau, & pellibus hœdinis, præfigurasse Saluatorem nostrum, quasi indutum peccatis, & maledictis hominum, quæ assumpsit, vt ea destrueret, ac prorsus deleret per mortem suam: ac seipse tanquam hostiam viuam in ara crucis immolans, Deum Patrem nostris offensum sceleribus placauit, ac propitiauit nobis, & ab eo benedictionem, id est, scelerum veniam, & cœlestium bonorum promissionem deprecatus est. Hanc igitur ob causam dictus est Christus Dominus factus in similitudinem carnis peccati, & quasi peccatum, & maledictum pro nobis. Audi Paulum ad Romanos 8. *Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus mittens Filium suum in similitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm Spiritum.*
Galat. 3. Audi eundem Paulum in Epistola ad Galatas capite tertio, ad eandem
Deut. 21. sententiam, ita scribentem: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum (quia scriptum est, Maledictus omnis qui pendet in ligno) vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu, vt pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem.* Atque hoc ipsum multis ante Paulum sæculis, fore prænunciauerat Isaias capite lij. illis verbis: *Verè languores nostros ipse*
Isai. 52. *tulit, & dolores nostros ipse portauit. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eũ, & liuore eius sanati sumus: omnes nos, quasi oues errauimus, vnusquisque in viã suam decli*

declinauit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Atque hæc est allegorica interpretatio B. Augustini, sed adiunctis Scripturæ testimoniis, latiùs à nobis explicata. Augustini namque verba, hæc sunt: Iacob hœdinis pellibus membra contexit. Si causam proximam requiramus, mentitum putabimus; hoc enim fecit, vt putaretur esse, qui non erat. Si autem hoc factum, ad illud, propter quod significandum reuera factum est, referatur; per hœdinas pelles, peccata; per eum verò, qui eis se operuit, ille significatus est, qui non sua, sed aliena peccata portauit. Quarta expositio est B. Gregorij in sexta Homilia super Ezechielem: Quid est, ait Gregorius, quòd Iacob manus, & brachia, & collum hœdinis pellibus texit nisi quòd hœdus pro peccato sumi consueuit? Et Gentilis populus, carnis quidem in se peccata mactauit, & coopertum se peccatis carnalibus confiteri non erubuit. Quid autem est, quòd Iacob vestimentis induitur fratris maioris, nisi quòd sacræ Scripturæ præceptis, quæ maiori populo per legem data fuerant, iunior populus in bona operatione vestitus est? Et eis minor in domo vtitur, quæ maior foràs exiens, intus reliquit: quia Gentilis populus præcepta illa tenet in mente, quæ Iudaicus populus habere non potuit, dum solam in eis litteram attendit.

S. Gregor.

PRIMA DISPVTATIO.

An peccauerit Iacob, cùm indutus vestibus Esau, & collo, ac manibus, tectus hœdinis pelliculis, vt pilositatem Esau repræsentaret, simulauit apud patrem se esse Esau.

20 VIDETVR peccasse Iacob. Primò, quia sicut simulatio in verbis, cùm is, qui loquitur, aliud verbis significat, quàm ipse sentit, est peccatum mendacij: ita in factis, cùm per exteriorem habitum, vel actionem, vel signum aliquod exterius, denotatur aliud quàm interius est in animo facientis, appellatur peccatum simulationis, vt docet S. Thomas 2. 2. Quæstione 111. art. 1. quæ est de simulatione. Huius autem generis fuisse illam simulationem Iacob, res ipsa ipsa loquitur. Deinde, propterea magnum est hypocritarum crimen, & meritò eos vituperamus, & execramur, quòd dissimulant id quod sunt; & quod non sunt, simulant: sicut Iacob dissimulabat se esse Iacob, & simulabat se esse Esau, vt sic ei benedictionem paternam præriperet. Ad hæc, inducere alios in fraudem & errorem, peccatū est: hoc autem fecit Iacob, per quem deceptus Isaac, fraudauit maiorem filium benedictione sua. Postremò omnis fraus alijs præsertim noxia, peccatum est: tali autem fraude esse vsum Iacob, testis est ipsemet Isaac, dicens filio suo Esau, *Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam.*

Quatuor argumenta quibus probari videtur peccasse Iacob.

S. Thomas.

Apud Ethnicos quoque, hoc genus simulationis, fuisse admodum vi- 21
tuperabile, ac probrosum, & in turpis mendacij loco habitum, existimare licet ex ijs, quæ memorat Ælianus in extremo libro de varia historia, hisce verbis: Senex quidam Cæus, Lacedæmonem profectus est, & cùm vanus admodum, & superbus esset, propter senectutem erubescebat, & idcirco conabatur canos tinctura occultare. Progressus itaque ad Lacedæmonios, tali ostenso capite, exposuit ea quorum causa venerat. Tunc Archidamus Lacedæmoniorum rex, Quidnam veri, inquit, dicturus est hic, qui non solùm in animo, sed in capite etiam mendacium circũfert? Illius itaque hominis dicta reiecit, ingenium eius, moréque ex ijs quæ cernebantur redarguens.

Aeliani lepida historia.

Archidamus Lacedæmoniorum rex.

At enim contraria est patrum & Theologorum sententia, qui factum 22
illud Iacob à peccato vindicant. Ac de Augustino quidem nihil attinet dicere; Is enim quæstione 74. in Genesim, & libro 16. de Ciuitate Dei cap. 37. sed præcipuè in libro contra mendacium cap. 10. pugnaciter, à sancto Iacob omnem mendacij, & fraudis, ac malæ simulationis culpam, & reprehensionem defendit, & docet isto facto Iacob, non modò nihil esse peccati admissum, sed magnum etiam significatum mysterium, ad quod significandum, principaliter illud factum Iacob relatum est, Augustini verba, quia paulò superiùs commemorauimus, idcirco referre nunc prætermittimus. Idem sensit Sanctus Gregorius homilia 6. in Ezechielẽ, cuius hæc sunt verba: Et ipsa, quæ paruuli iuxta litteram intelligunt, docti viri per spiritalem intelligentiam, in altum ducunt. Quis namque paruulorum, & simplicium, in facto Esau & Iacob, quòd alter ad venationem mittitur, vt benedicatur; alter verò per suppositionem matris à patre benedicitur, nisi iuxta sacræ lectionis historiam pascitur? In qua videlicet historia, si ad intellectum paulò subtiliùs adstringatur, videtur quòd Iacob primogeniti benedictionem non per fraudem surripuit, sed vt sibi debitam accepit, quam, concedente fratre, data lentis mercede emerat.

Iacob in simulatione habitus Esau nihil peccasse, communis Patrũ, & Theologorum sententia.

S. Augustinus S. Gregorius.

Genes. 25. At verò siquis altiùs sentiens, vtrorumque facta velit per allegoriæ arcana discutere, protinus ab historia ad mysterium surgit. Beatum quoque *B. Hieronym.* Hieronymum idem super hac re sensisse, ac dicturum fuisse nemo quispiam, opinor, dubitabit, qui legerit disputationem eius super reprehensione B. Petri Apostoli facta à Paulo, quam tractat ipse in Commentariis suis super caput secundum Epistolæ ad Galatas. Arbitratur enim, simulatam fuisse illam reprehensionem, id est, in speciem tantùm factam, & ad eruditionem aliorum, non autem ex animo, & veritate profectam. Huiusmodi autem simulationes, non esse vituperabiles, sed bonas & laudabiles confirmat aliquot Scripturæ exemplis, ita scribens: Vtilem esse simulationem, & assumendam in tempore, Iehu regis Israel nos docet exemplum: qui cùm non potuisset interficere sacerdotes Baal, nisi finxisset velle se Idolum illud colere, dixit: *Congrega mihi omnes sacerdotes Baal; si enim Achab seruiuit Baal in paucis, ego seruiam in multis.* Dauid quoque mutauit faciem suam coram rege Achis, simulans amentiam & insaniam, vt vitæ discrimen effugeret. Nec mirum, quamuis iustos homines,

4. Reg. 10.

1. Reg. 21.

mines, tamen aliqua simulare pro tempore, ob suam & aliorum salutem; cùm & ipse Dominus noster, non habens peccatum, nec carnem peccati, simulationem peccatricis carnis assumpserit; vt condemnans in carne peccatum, nos in se faceret iustitiam Dei. Sic Hieronymus.

23 Eiusdem sententiæ adstipulatorem probatorémque habemus sanctum Chrysostomum: qui Homilia 53. in Genesim, & verba, & facta Iacob, quæ hîc narrantur, extra culpam omnem ponit; affirmans, ea optimo animo, mentéque, & incitante ac dirigente Deo, contigisse. Idem Homilia 6. in Epistolam Pauli ad Colossenses, explanans illa verba Pauli: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem deceptionem.* Est, inquit, & bona quædam deceptio, qua decepti sunt multi: quæ non est deceptio vocanda. De hac dixit Hieremias capite vigesimo: *Decepisti me Domine, & deceptus sum.* Nam istud non debet vocari deceptio: alioqui & Iacob patrem suum decepisset: Verùm non erat deceptio, sed dispensatio. Sub finem verò primi libri de Sacerdotio, copiosam super ea re texit disputationem; & inter alia scribit hæc, nonnullos esse simulatores & deceptores, quos prudentes rerum æstimatores, non modò non culpent & accusent, sed approbent etiam ac laudent. Tam lucrosa enim interdum & fructuosa esse solet opportuna, & recto animi iudicio facta simulatio & fraus, vt permulti pœnas etiam sæpenumerò luerint, hoc ipso, quòd rem fraude non egissent. Cúmque hoc exemplis Imperatorum & medicorum fusè demonstrasset, subdit hæc: Fraudis igitur (dummodò non fraudulento animo fiat) magna vis est: quam ipsam ego ne fraudem quidem nominandam putauerim, verùm œconomiam quandam potius ac sapientiam; artémque, qua possis è mediis, atque imperuiis desperatarum rerum angustiis, correctis, emendatísque animi vitiis euadere. Nam si res ipsas per se nudas, & ab auctorum consilio & proposito separatas expendere libuerit, nemini sanè non licebit, vel Abraham ipsum parricidij accusare, vel nepotem eius Iacob doli & fraudis, qui ius sibi primogenitorum vsurpauit: vel abnepotem eius Mosem maleficij & furti; qui opes Ægyptiorum Hebræis attribuit. Cùm tamen eos viros non solùm culpa liberemus, sed etiam vel eo maximè nomine admiremur. Ergo verè illusoris, deceptorísque nomine dignus fuerit, quisquis iniquo animo, & studio nocendi simulationem & fraudem contexit: alioqui sæpenumerò profuit decepisse; & per hanc artem sæpenumerò in maximis periculis saluti multorum subuentum est. Qui autem recto semper calle ingreditur, de eo nunquam deflectens; sæpe fit, vt ei cui non aliquam fraudem struxerit, plurimorum malorum atque incommodorum auctor sit. Hæc Chrysostomus. In cuius ego verbis, non perpendo ad præsens sententiam eius, nec an ea sit vsquequaque vera, necne, ad iudicium reuoco, sed illud attendo & approbo, quod apertè suffragatur huic opinioni, quæ simulationem Iacob, culpæ facit expertem.

S. Chrysostom.

Ad Col. 2.

Bonam esse, & vtilem nõnullam deceptionem.

Genes. 22.

Exod. 12.

Ad

Thostati laus.

Ad eandem comprobandam sententiam, multa doctè Thostatus dis- 24
putat, vir sanè, non solùm ob scriptorum multitudinem, verùm etiam ob subtilitatem fœcunditatémque ingenij, & iudicij grauitatem, & multiugis doctrinæ præstantiam, antiquis illis, magnísque patribus, & doctoribus meritò annumerandus. Is autem in quæstione octaua super hoc caput 27. Geneſis, simulationem istam Iacob, de qua nunc disserimus, culpa omni fuisse vacuam, ad hunc modum ostendit: Fraus potest considerari dupliciter; vel respectu eius cui fit fraus, si damnum ei aliquod infertur, & iuri eius subtrahitur aliquid: aut respectu eius qui fraude vtitur, quia aliter facit, & ostendit, quàm in re ipsa est, & quàm ipse sentit. Priori modo, non est vocanda fraus, sed prudens solertia, & industria qua vsus est Iacob, occupans benedictionem paternam, sibi, vt vero primogenito conuenientem, & debitam; & extorquens, quomodo potuit, ius suũ de manu iniusti possessoris. Nec posteriori modo fraus illa culpabilis fuit, nam etsi significare verbis aliud quàm est in re, & quàm loquens sentit, semper est peccatum mendacij, non itidem tamen res se habet in simulatione, quæ adhibetur non in verbis, sed in factis. Est enim quædam fraus & simulatio, ex diuina inspiratione & reuelatione profecta: quemadmodum Hebræi inspirante, & mandante Deo, quasi commodato acceperũt ab Ægyptiis multas pecunias, & vasa argentea, & aurea, & vestes pretiosas, cùm eas ipsi auferre secum vellent, & abstulerint. Talis fuit fraus, & simulatio Iacob, nempe diuinæ inspirationis: quia Rebecca, à Spiritu sancto mota, id suasit Iacob, & ad id faciendum eum impulit. Ergo licèt Iacob dicendo se esse Esau, peccauit venialiter, induendo tamen sibi vestes Esau, & pelliculas hœdinas, repræsentando eius pilositatem, nullum admisit peccatum, neque enim ea re cuiquam verè nocuit, atque ea ratione, quod suum erat, consequi voluit. Non enim putandum est, nocuisse eum fratri suo Esau: quia nihil ei, quod proprium eius esset, abstulit, sed cuius ille non erat verus, & iustus possessor, id sibi vindicauit. Sic Thostatus.

Scotus facit quinque species simulationum.

Cæterum, quia variè admodum adhiberi potest simulatio, quæ fit per 25
exteriora facta, & signa, nonnunquam fit sine culpa, sæpe autem cum vitio, & culpa; prius indicare conuenit istiusmodi simulationum varietatẽ. Scotus in Tertio Sententiarum, Distinctione 38. Vbi de mendacio, & simulatione disputat, quinque facit species simulationum; & alias esse ait in rebus per se bonis & malis, alias verò in rebus indifferentibus. Prima species est, simulare bonum quod quis non habet, & per externa quædam signa ostendere, & persuadere velle, se bonum illud habere: sicut hypocritæ per crebras & longas genuflexiones & precationes simulant magnam deuotionem animi, & sanctimoniam; cùm tamen earum virtutum sint prorsus expertes. Et hæc simulatio peccatum est, quod vocatur hypochrisis, siue id fiat animo fallendi alios, siue magnum aliquod commodũ vel honorem sibi comparandi. Secunda species est, dissimulare mala siue vitia, quæ quis habet, per externa signa demonstrando, se illa vitia omnino auersari & abominari: vt si quis maximè voluptuarius & libidinosus,

cùm

cùm audit aliquid impudicè dici aut fieri, verbis & gestibus ostendat, se huiusmodi vitia perhorrescere, & ab illis esse alienissimum. Hoc etiam peccatum est, & pertinet ad hypocrisin. Tertia species est, dissimulare vitia sua, non quidem per externa signa demonstrando se ab illis esse alienum & auersum: sed celando tantùm ea vitia, & externa signa, quibus ea produntur, nulla dando; sicut vulgo dici solet, Si non castè, saltem cautè. Et hoc non est culpabile; quin etiam, si qua est in malo laus, est laudabile: est enim vituperabile, publicare atque euulgare flagitia sua, de quo reprehenduntur quodã loco Hebræi in scriptura Isaiæ cap. 3. *Peccatũ suum,* inquit, *sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt.* Etsi enim malum est, mente & animo malum esse; exhibere tamen signa externa suorum vitiorum, est addere malum malo. Sunt præterea duæ aliæ species simulationis, quæ versantur in rebus indifferentibus. Quarta itaque species simulationis est, cum quis facit aliquid, quod natura sua videtur esse signum alterius; sicut sudare, est signum lassitudinis & fatigationis, vel alicuius resolutionis corporalis, & id simulat qui facit, cum non sit tamen ita in re. Et hoc per se, aut non est malum, aut non est graue malum; nisi accedat circumstantia quæpiam id aggrauans. Immo talia signa non sunt necessaria, cum possint ex alijs causis prouenire: quemadmodum quidam ioculatores exercent in suis corporibus motus aliquos, significantes affectiones quasdam naturales humani corporis, quæ tamen in eis non sunt, nec præcesserunt. Quinta species simulationis est, si fiant aliqua exteriùs, quæ per se quidem non sunt certa signa alicuius rei; qui tamen ea facit, scit à spectantibus, vel circunstantibus, accipi ea signa eius rei: sicut ore spumare, & sinere saliuã defluere per barbam, non est proprium, & certum signum insanæ mentis; potest tamen id à circunstantibus, pro tali signo accipi. Tali autem simulatione vti, præsertim autem magni cuiuspiam mali euitandi gratia, aut boni comparandi, nullum est peccatum: hac enim ratione Dauid inculpatè coram rege Achis, & Satrapis eius, vt scriptum est 1. Regum 21. insaniam simulauit, vt discrimen vitæ, in quo se versari cernebat, effugeret. Hactenus ex disputatione Scoti. Qui licèt de hac simulatione Iacob, nihil signanter, & nominatim dixerit, tamen videtur, si de ea dixisset, ad quartam, vel quintam speciem simulationis fuisse eam relaturus.

26 Nobis, & ad intelligendum apertiùs, & ad enodandum quæstionem propositam expeditiùs videtur, si quadripartitam faciamus simulationis rationem modúmque. Est quædam simulatio noxiæ deceptionis ad fallendum alios perniciosè, vel ad quidpiam improbè, ac iniquè consequendum: hoc genus simulatores sunt hypocritæ, atque improbi opifices, & mercatores. Est item nonnulla simulatio, in loco, & tempore vtiliter vsurpata, quæ iuuandi, aut se, aut alios, vel admonendi, vel instruendi, vel etiam corripiendi causa adhibetur. Hac ratione Dauid simulauit insaniam apud Regem Achis, in summo vitæ discrimine constitutus. Sic etiam non rarò prudentes medici, grauiter ægrotantibus, salubréque curationes recusantibus, vtili simulatione deceptis, & quæ volunt, præbent medicamenta, & restituunt sanitatem. Ad eundem modum magistri, quo meliùs perten-

Auctoris sententia, & de quadruplici specie simulationis, & fraudis.

Locus ex 1. Reg. 21.

tent solertiam,& intelligentiam discipulorum. Sophisticas & captiosas rationes proponunt,tum vt eas,vbi retectæ illis ac euolutæ fuerint, explorate noscant;tum vt earum laqueis se irretiri in futurum caueant. Hoc etiam modo Ioseph Patriarcha iussit pecunias poni in saccis fratrum suorum,& scyphum suum in sacco Beniamin Genes.42.& 44. Simulatè postea furti eos arguens:vt tali metu, & afflictione animi, leuiter eos corriperet,adducens in recordationem, & pœnitentiam nefarij sceleris in se admissi:quod adeo ita euenit.Nam cùm in illa vexatione essent, dicebant inter se verba illa,quæ refert Moses Genes.42. *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum,videntes angustias animæ illius,dum deprecaretur nos,& non audiuimus:idcirco venit super nos tribulatio.* Et Ruben ait, *Nunquid non dixi vobis, Nolite peccare in puerũ,& non audistis me? En sanguis eius exquiritur.* Est tertium genus simulationis ex diuino instinctu & monitu profectum,quo vsi sunt Hebræi spoliantes Ægyptios, & Iosue contra hostes,simulando metum,& fugam, vt eos in præparatas insidias deduceret,vt legitur Iosue 8.Ad quartam speciem simulationis pertinent artificiosæ,& callidæ simulationes,ac dissimulationes,per quas dans operam rei licitæ,opportunè ingens quodpiam malum auertere, ac superare curat,aut magnum quodpiam bonum ad se pertinens, nec aliter adipisci, facilè consequi,& obtinere.Huius generis sunt bellicæ simulationes contra hostes in bello iusto,quæ vocantur stratagemata militaria, quale fuit illud Iosue paulò ante memoratum.Horum quatuor generum simulationis,& fraudis,primum est improbum,& damnandum,tertium etiam laudandum,cetera sine peccato,in tempore,& loco vsurpari possunt;de quorum vtili & laudabili vsu disputat copiosè S. Chrysostomus sub finem primi libri de sacerdotio,& ad quodlibet istorum trium posteriorum generum simulatio illa Iacob referri potest.

Sedenim posset quispiam obijcere, simile esse mentiri factis,vt verbis, 27
sed mentiri verbis,quocumque modo,semper est peccatum; ergo mentiri factis,id est,per facta significare aliud,quàm reuera est, & quàm sentit is qui facit, semper erit cum peccato coniunctum. Respondeo disparem esse rationem verborum,atque factorum:licèt enim facta adhibeantur etiam vt signa interioris sensus,& voluntatis,ad id tamen verba per se ex natura sua,atque eo ipso,quo verba sunt, instituta fuerunt : facta verò nonnisi secundariò tantùm,& per accidens.Deinde verba sunt conceptuũ animi signa distinctè,determinatè,ac propriè;facta verò confusè,& indefinitè.Quamobrem mendacium in verbis nunquam potest esse licitum, simulatio autem per acta, & signa quædam externa, quæ alij accepturi sunt in alium,& diuersum finem,quàm intendatur à nobis,& ad quem significandum, nec per se, nec secundùm intentionem nostram illa ordinantur, talis inquam simulatio potest fieri licita, si nec malo fiat animo,nec alijs damnum adferat,nec scandalum pariat. Est enim simulatio per facta,sicut vsus vocis,vel orationis ambiguæ,quæ non eodem sensu accipitur ab audiente,atque à loquente:talis autem locutio, per se non est mala,imo & à Domino nostro, & à Sanctis viris non rarò vsurpata.

Si quis

Si quis porrò simulans facto aliquid,quod non ita est , intenderet illud significare,& ab alijs intelligi,haud dubiè peccaret. Iacob porrò per simulationem assumpti habitus Esau , noluit significare se esse Esau secundùm carnem,sed quantum ad ius primogenituræ;naturaliter quidem debitum Esau,sed secundùm Electionem diuinam sibi:simúlque significare voluit diuinum mysterium ea re figuratum,& superiùs expositum. Ergo simulationem illam Iacob fuisse inculpabilem , cum & bonis rationibus, & grauissimis Patrum, ac Theologorum auctoritatibus , exemplisque in diuina Scriptura traditis , satis comprobatum sit , equidem ad eandem quoque sententiam libenter accesserim.

Quibus illatis,dixit:Pater mi;at ille respondit, Audio , quis es tu fili mi ? Dixítque Iacob , ego sum primogenitus tuus Esæu:feci sicut præcepisti mihi. Surge , sede , & comede de venatione mea,vt benedicat mihi anima tua. VERS.8.19

28 PERDIFFICILEM, ac perarduam , & multorum Patrum, ac Theologorum dissidentium inter se disputationibus nobilitatam,hæc verba quæstionem habent : An Iacob ista verba dicens,verè mentitus sit,& peccauerit, saltem venialiter. Videntur enim tria in istis verbis manifesta contineri mendacia. Primum mendacium est,cum ait : *Ego sum Esau.* Non enim erat Esau,sed Iacob. Alterum mendacium fuit,cum dixit:*Feci sicut præcepisti mihi*;nihil enim ei tunc Isaac de afferendo sibi cibo præceperat , sed id præceperat Esau , vt dicitur in exordio huius capitis. Tertium mendacium fuit , cùm dixit: *Comede de venatione mea* , neque enim eos cibos parauerat ex animalibus venatione captis,sed ex duobus hœdis de grege domestico sumptis. Ex aduerso autem pugnat magnorum Patrum , & nobilium Doctorum auctoritatis , sic interpretantium ista verba Iacob , vt nullum in ijs mendacium esse probent. Ego super hac quæstione quatuor disputationes tractabo,quò liquidius,discussis omnibus vndequaque exorientibus difficultatibus , veritas pernoteſcat.

***

SECVNDA DISPVTATIO.

An excusabilis, aut tolerabilis sit eorum sententia, qui dixerunt, Iacob verè in istis verbis esse mentitum, non tamen vllo modo peccasse.

QVI sic opinantur, duplex eorum est opinio. Vna est opinio peruetus, & percelebris: cuius, inter Ecclesiasticos viros, auctor habetur Origenes. hic sensit, mentitum esse Iacob, nec mentiendo tamen peccasse: quia est quoddã mendacij genus, minimè improbum, quinetiam bonum, & laudabile, quod magni cuiuspiam boni acquirendi, vel propulsandi mali causa, in loco, & tempore dicitur. Tale autem fuisse ait mendacium Iacob, & item mendacium illius admirabilis fœminæ Iudith. Sed quia Platonem huius dogmatis auctorẽ, doctorémque secutus est Origenes, primò, quid Plato super ea re præceperit, prædocendum est. Cum sub finem libri secundi de Republica Plato egregiè probasset, omne mendacium esse Deo inutile, atque indecens, nec vllo modo ferendos esse, qui dicunt mentiri Deum aliquando, & mali cuiuspiam esse auctorem: postea non longè post initium libri tertij de Republica, de mendacijs hominum verba faciens, ita scribit; Si rectè paulò ante dicebamus, Deo inutile esse mendacium omne, hominibus tamen nonnunquam est vtile, & quasi pro medicamento: quare publicis medicis concedendum est, priuatis autem hominibus minimè attingendum. Itaque Rempublicam administrantibus, præcipuè, si quibus alijs mentiri licet, vel hostium, vel ciuium causa, ad communem Ciuitatis vtilitatem: reliquis autem à mendacio abstinendum est. Sed aduersus Principes, & publicos Rectores priuatim mentiri, maius peccatum est, quàm ęgrotum mentiri suo medico, in his, quę ad morbum suum pertinent, vel discipulum ludi magistro, vel qui sunt in naui, gubernatori nauis. Hæc Plato. 29

Iudith. 10. & 11.

Platonis opinio de mendacio.

Licet omne mendacium sit Deo indecens ac inutile, nõ tamẽ similiter homini secundùm Platonẽ.

Eusebius.

Eusebius in libro xij. de Præparatione euangelica cap. xxj. licèt de hoc Platonis loco nominatim verba non faciat, confessus tamen Platonem legum latoribus, & Principibus concedere, vt interdum falsa dicant vtilitatis causa: eam Platonis sententiam interpretatur ipse de ijs mendacijs, quæ secundùm propriam verborum significationem ab audientibus accepta, falsum sensum generant, sed perutilem tamen auditoribus. Qui tamen ea dicunt, cum Sapientes viri sint, secundùm altiorem, ac penitiorem intellectum ex ijsdem verbis figuratè sumptis expressum, veram sententiam, quàm ipsi spectant, cum loquuntur, animo comprehensam habent. Eusebij verba sunt hæc: Non existimat Plato alienum esse à grauitate legislatoris, si nonnunquam falsum quippiam, quod vtile tamen esse queat, dicat: maximè si quod falsò dicitur, audientes ita trahat, vt non vi, sed sponte iustitiam velint amplecti: solidum quidem bonum est veritas, sed non ita facilè, plerumque persuadet. Innumerabilia 30

verba

verba huiuſmodi ſunt in Scriptura, vt puta, cũ pœnitere Deum aut dormire, aut iraſci, aut furere, aliiſve perturbationibus affici ſcribitur: quæ licèt altiùs interpretata, non procul à veritate ſint, verba tamen ipſa, vel terrendo, vel permulcendo, non parum proſunt ijs, qui altiorem perueſtigare ſenſum nequeunt. Sic Euſebius.

31 Sed venio ad Origenem, qui vt dixi ſupradictam Platonis ſententiam ſecutus eſt. Eius opinionem de mendacio nonnunquam vtili, & laudabili, cognoſcere licet ex ijs, quæ ſcripta reliquit ille in lib. 6. Stromatum. Ponã Origenis verba, vti refert ea S. Hieronymus in libro primo Apologiæ aduerſus Ruffinum. Sic ſcribit Hieronymus: Indignantur, quòd Origeniſtas ſcripſerim inter ſe Orgiis mendaciorum fœderari. Nominaui librum Origenis, in quo hoc ſcriptum legerim, id eſt, ſextum Stromatum, in quo Platonis ſententiæ noſtrum dogma componit. Poſthæc, ſubdit Hieronymus verba Platonis, quæ paulò ſuprà memorauimus. Deinde, ſubiungit hæc Origenis verba: Et nos igitur illius præcepti memores: *Loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo*, non debemus dicere, Quis eſt proximus meus? ſed conſiderare quomodo Philoſophus (Plato) cautè dixerit: Deo indecens, & inutile eſſe mendacium, hominibus interdum vtile: & quòd ne per diſpenſationem quidem putandus ſit Deus aliquãdo mentiri. Si quando enim commodum audientis exegerit, verbis loquitur ambiguis, & per ænigmata, quæ vult, profert; vt & veritatis apud eum dignitas conſeruetur, & quod noxium eſſe poterat, ſi nudum proferatur in vulgus, quodam tectum velamine proferatur. Homo autem, cui neceſſitas incumbit mentiendi, diligenter attendat, vt ſic vtatur interdũ mendacio, quemadmodum vtitur condimento ac medicamento; ſeruando nempe menſuram; ne excedat terminos, quibus vſa eſt Iudith contra Holofernem, & vicit eum prudenti ſimulatione verborum. Imitetur Eſther, quæ Artaxerxis ſententiam, diu tacita veritate correxit: ſed in primis Patriarcham Iacob, quem legimus Benedictionem patris artifici impetraſſe mendacio. Ex quo perſpicuum eſt, quòd niſi ita mentiti fuerimus, vt magnum nobis ex hoc aliquod quæratur bonum, iudicandi ſimus quaſi inimici eius, qui ait: *Ego ſum veritas*. Hactenus ex Origene. Quæ cùm commemoraſſet Hieronymus, ſubiicit deinde: Hæc Origenes ſcripſit: negare non poſſumus: & ſcripſit in ijs libris quos ad perfectos, & ad diſcipulos ſuos loquebatur: docétque magiſtris mentiendum, diſcipulos autem non debere mentiri. Qui ergo bene mentitur, & abſque vlla verecundia, quicquid in buccam venerit, confingit in fratres; magiſtrum ſe optimum probat. Hæc Hieronymus.

Ephes. 4.

Sententia Origenis de Mendacio nonnũquam licito.

Iudith. 11.

Ioan. 14.

32 Huic ſententiæ Origenis adhæſiſſe Caſſianum, diſputatio eius de Mendacio in collatione xvij. ex perſona Ioſeph Abbatis fusè tractata, perſpicuè demonſtrat. Nam in capite xvij. ſic ait: Taliter de mendacio ſentiendum, atque ita eo vtendum eſt, quaſi ei natura inſit hellebori. Quòd ſi imminente exitiali morbo ſumptum fuerit, fit ſalubre: cæterum abſq; ſummi diſcriminis neceſſitate perceptum, præſentis exitij eſt. Et infrà cap. 25. Quis, inquit, enumerare ſufficiat, omnes propemodum Patriarchas,

Caſſiani opinio de Mendacio.

Sanctósque innumerabiles alios pro vitæ tutamine, alios pro desiderio benedictionis, alios pro misericordia, alios pro alicuius occultatione mysterij, alios pro zelo Dei, alios pro veritatis examinatione, patrocinium (vt ita dixerim) assumpsisse mendacij? Idem, cùm dixisset capite xj. in omnibus causis, non processum operis, sed voluntatem operantis esse intuendam, nec quid quis egerit, sed quo voto egerit, inquirendum: nam & nõnullos pro his factis, ex quibus magna bona deinde orta sunt, fuisse damnatos; & contrà, quosdam per reprehensibiles actus, ad summam peruenisse iustitiam: hæc igitur cùm dixisset, mox subdit in sequenti capite: Quid criminosius dolo atque mendacio, etiam in extraneum, ne dicam in germanum fratrem commisso? Et tamen, non modo nullam pro his damnationem, aut reprehensionem Iacob Patriarcha contraxit, verùm etiam perpetua benedictionis hæreditate ditatus est. Nec immeritò: benedictionem enim primogenito destinatam, non ex præsentis lucri auaritia, sed ex fide sanctificationis perpetuæ concupiuit. Ideóque iustissimus iudex, excusabilem, immmò laudabilem talis mendacij censuit præsumptorem; quia sine eo ad benedictionem primitiuorum non poterat peruenire. Nec debuit in crimen vocari, quod desiderio benedictionis exortum est. Alioquin non modò Iacob iniquus in fratrem, sed etiam circumuentor in patrem, & sacrilegus extitisset; si habens aliam viam, quæ ad benedictionis illius gratiam perueniret, hanc, quæ fratri damnosa esset ac noxia, expetere maluisset. Videtis ergo apud Deum non processum operis sed destinationem mentis inquiri? Hæc Cassianus. Qui editis in Cassianum obseruationibus conati sunt (cùm id fieri commodè potuit) nonnullas eius sententias ab errore, vel prorsus vindicare, vel excusare quadamtenus; hanc disputationem eius de Mendacio ad Origenis pertinere opinionem, ingenuè, apertéque confessi sunt.

Chrysostomi sententia de mendacio Iacob.

Nec ab ista opinione remouendus videtur S. Chrysostomus (quem vt magistrum discipulus secutus est Cassianus.) Is enim Homilia quinquagesima tertia in Genesim scribit, verba ista Iacob, si per se, nudáq;, & solitaria considerentur, haud dubiè mendacium continere ac fraudem, nec noxa vacare. At si spectetur animus, consilium, sensus, & propositum Iacob; & quod Deus verbis iuxta, factísque eius mirè cooperabatur, omnia ritè dirigens & prosperans, dilucebit, nulli culpæ ac reprehensioni mendacium eius fuisse obnoxium. Ponam hîc verba Chrysostomi, cùm dixisset, Deum verbis & factis Iacob esse cooperatum: atque idcircò prosperum fuisse eorum, & qualem ipse optabat, exitum; subdit hæc: Quid igitur? cooperatus est Deus mendacio? Dilecte, ne tantùm perpendas id quod fit, sed attende etiam scopum facientis: & quòd id non factum sit temporalis commodi vel auaritiæ causa, sed quia patris benedictionem sibi comparare studuit. Alioqui, si quæ facta sunt, ea simpliciter examinare velis; vide, ne & Abraham parricidam, & Phinees homicidam fuisse iudices. Non igitur considera, quòd mendacia fuerint, quæ dicebantur à Iacob: sed illud cogita, quòd volens Deus prædictionem impleri, omnia, vt sic fierent, dispensauit. Et vt scias, quòd Deus omnia facilia reddebat, etiam

etiam quæ difficilia erant; vide quomodo sanctus Isaac non potuit subolere fraudem, sed persuasus verbis Iacob, cùm edulium comedisset ab eo allatũ, benedictionibus eum renumerauit. Nec priùs à venatione reuersus est Esau, quàm omnia fuerint peracta: vt planè intelligatur, illa esse gesta Dei voluntate. Hactenus ex Chrysostomo.

Chrysostomi sententia excutitur.

34 At enim non satis est, finem agentis quidpiam, esse bonum, vt actio eius bona censeatur, nisi etiam quod agitur, ex genere suo bonum sit; bonum enim, vt apud Theologos & Philosophos peruulgatum est, & à B. Dionysio traditum, ex integra causa constat, omnibúsque requisitis circumstantiis; quarum vna quælibet si desit, verè bonum esse non potest, Exempli causa, furari, quo des eleemosynam indigenti; vel vt à summo corporis aut animæ periculo quẽpiã liberes, nec bonũ nec peccato caret. Illa igitur verba Iacob, si per se mendaciũ continent, bona mens & intẽtio eius, nõ valet excusare à peccato. Ac licèt Deus cooperaretur Iacob & eum moueret ac regeret, quantum ad voluntatẽ adipiscendi benedictionem patris, & quantum ad eius rei effectum, vtrumque enim bonum erat, & placitum Deo, quin etiam ab eo prædestinatum: non tamen cooperatus est ipsi Iacob quantùm ad modum perueniendi eò, quò intendebatur, videlicet per mendacium, fallacibus verbis decipiendo patrem. Quare necessum videtur, Chrysostomum, vel concedere Iacob mentiendo peccasse, vel si hoc non concederet (vt planè ostendit) sequendo supradictam Platonis & Origenis opinionem, fateri, mendacium aliquod dici posse sine peccato. Atque ita de quodam mendacij genere nequaquã improbo, nec reprehendendo, vt ipsi putabant, sed vtili ac laudabili, ab antiquis & magnis auctoribus traditum est.

Omne mendacium esse malum tripliciter probatur. Ioan. 8.

35 Verùm istam opinionem confutare, haud operosum fuerit. Námque mendacium omne, qualecumque id sit, dummodo verè mendacium sit, malum est ac fugiendum, nullámque ob causam, nullóque in loco ac tẽpore esse vtendum, ita secundùm sacram Scripturam, & rectam rationem manifestum est, vt id non animaduertisse doctissimos viros, permirum videri possit. Multifariàm in diuinis litteris legimus, omne mendacium vituperari, atque interdici, sic enim est Ephes. 4. *Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo.* Et primæ Ioannis 2. *Omne mendacium non est ex veritate.* Id est, ex Deo, sed ex Diabolo, qui ab initio mendax est, & pater mendacij, & cùm mendacium loquitur, ex proprijs loquitur. Iob, qui erat vir simplex, & rectus, & timens Deum, ab omni genere mendacij abhorrebat: quapropter de seipso dixit capite 27. *Donec supererit halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.* Et cap. 24. *Quis me potest arguere esse mentitum, & ponere ante Deum verba mea?* Theonem Abbatem, in veteribus Sanctorum Patrum memorijs reperimus, nunquam esse mentitum, cum innumerabiliũ Monachorum curam & regimem haberet. Hoc autem perfectæ virtutis est, testante B. Iacobo cap. 3. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Quocirca Dauid Psal. 118. orat Deũ dicẽs: *Nõ auferas de ore meo verbum veritæ*

Theon Abbas nunquam in vita sua mentitus est.

veritatis vsquequaque. Et Salomon Prouerb. 30. *Verbum mendacij longè fac à me.* Dictum enim ab ipso fuerat Prouer. 12. *Abominatio est Domino, labia mendacia.* Et Psalmo 5. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem: & perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Meritò igitur B. Ioannes in Apocalypsi capite 14. Inter præcipuas laudes illorum centum quadraginta quatuor mille Virginum, cum laude Virginitatis coniungit laudem non mẽtiendi. *Virgines*, inquit, *sunt, & in ore eorum non est inuentum mendacium: sine macula enim sunt ante thronum Dei.* Hisce igitur Scripturæ sententiis & testimoniis persuasus ac permotus Innocentius Tertius, asseueranter dixit, in Scriptura prohiberi mendacium, etiam pro seruanda alterius vita dictum. Siquidem in Titulo de Vsuris cap. 4. super eo, reprehendens nonnullos, eo fine exercentes vsuras, vt inde captiuos redimere possent, sic ait: Cùm vsurarum crimen, vtriusque Testamenti pagina detestetur, super eo dispensationem aliquam posse fieri non videmus. Etenim cùm Scriptura sacra prohibeat, etiam pro alterius vita mentiri: multo magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita captiui, vsurarum crimine inuoluatur. Sic ille.

Locus Apocalypsis cap. 14.

Innocentius Tertius.

Id præterea concluditur euidenti ratione; & probatur, mendacium per 36
se, atque hoc ipso quod mendacium est, & malum, & fugiendum esse, nec peccato carere posse. Quod est secundùm se malum ex genere, id nullo modo potest fieri bonum & licitum: quò enim aliquid bonum sit, requiritur vt ad id omnia rectè concurrant. Bonum enim ex integra causa est, malum verò ex singulis defectibus, vt Dionysius dicit cap. 4. de Diuinis nominibus. Mendacium autem, est malum ex genere, quia est actus per se inordinatus, & peruersus, & ordini naturæ Deique contrarius. Cùm enim voces naturaliter sint signa eorum quæ sunt in intellectu, cõtra naturæ ordinem est, vt aliquis voce significet id, quod non habet in mente, immò cuius contrarium habet in animo. Vnde & Aristoteles in 4. Ethicorum ait, omne mendacium esse per se prauum & fugiendum. Omne igitur mendacium est peccatum, sicut etiam Augustinus asserit in libro contra Mendacium. Mendacium itaque secundùm intrinsecam rationem continet naturalem quandam obliquitatem & deformitatem, & peruertit ordinem naturæ ac Dei. Verba enim data sunt homini, & in eũ finem instituta, vt per ea, quod ipse inclusum & occultum habet in animo, aperiat & declaret aliis: non enim alia est via, qua possit animus & voluntas vnius hominis, nisi per verba notificari aliis hominibus: sine quibus, vnus homo non est aliis hominibus intelligibilis. In mendacio autem, verba significant contrarium eius, quod est in animo. Si magnam habet deformitatem discrepantia, & vt ita loquar incongruentia membrorum humani corporis inter se, vel cum toto corpore: quanto insignior deformitas existimari debet, cum lingua, principale ac maximè necessarium hominis membrum, discrepat ab animo, & oratio contraria est rationi?

Ratio qua probatur omne mendacium per se malum esse. B Dionys.

Aristotel.

B Augustin. Cur facultas loquendi data sit homini, & ad quem finẽ & vsum instituta sint verba.

Obruitur etiam atque opprimitur ista sententia, auctoritate eorum, 37
qui contrà sentiunt. Et Platoni quidem opponimus, haud multo minorẽ,

ne

ne dicam maiorem philosophum, Aristotelem: qui omne genus mendacij, quale fuerit, vituperans in libro 4. Ethicorum, cap. 7. memorabilem illam pronuntiauit sententiam: *Mendacium, per se improbum est: & vituperabile: Verum autem, probum ac laudabile.* Et libro primo Elenchorum: *Est*, inquit, *in vnoquoque opus sapientis, non mentiri de quibus nouit, & mentientes alios manifestare.* Refert Ælianus libro 12. de Varia Historia, Pythagoram dicere solitum, duo hæc præclara data esse hominibus à Deo, vera dicere, & beneficia in alios conferre: hæc enim, & maximè propria esse Dei, & propter hæc simillimum Dei hominem fieri. Inter Theologos autem, princeps, & quasi dux eorum, qui acerrimis disputationibus, in istos mendacij probatores ac defensores pugnarunt, fuit B. Augustinus: cuius totus ille, qui contra Mendacium inscriptus est liber, grauissimis ad id probandum sententiis, argumentísque validissimis confertus est, cuius illa est inter alias, celebrata sententia: Quisquis esse aliquod genus mendacij putauerit, quòd peccatum non sit; decipiet seipsum turpiter, cùm honestum se deceptorem arbitretur aliorum.

Aristotel.

Ælianus.

Pythagoræ egregia sententia.

S. Augusti.

38 Sed non est silentio prætereunda super hac ipsa re B. Gregorij disputatio: est quippe memorabilis, & obseruanda. Is enim libro 18. Moralium explanans illa verba Iob capitis 27. *Donec supersit halitus in me, & Spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium*; graui admodũ, & peracri oratione mendaciũ omne confutat, omnes eius excusationes defensionésque discutiens. Scribit autem ad hunc modum, Quod dixit Iob priùs iniquitatem, id postmodum repetens, mendacium dicit. Nam & omne mendacium iniquitas est, & omnis iniquitas mendaciũ: quia profectò ab æquitate discrepat, quicquid à veritate discordat. Sed inter hoc quod ait, loqui, & postmodum subdit meditari, magna distãtia est. Nonnunqnam enim peius est meditari mendacium, quàm loqui: Loqui enim plerumque præcipitationis est: meditari verò, studiosæ prauitatis: magna siquidem culpæ distantia est, si præcipitatione aliquis, vel studio mentiatur. Sed vir Sanctus, vt perfectæ adhæreat veritati, nec studio perhibet se, nec præcipitatione mentiri. Summoperè enim cauendũ est omne mendaciũ: quãuis nõnunquam sit aliquod mendacij genus, leuioris culpæ, vt si quis vitam aliis præstando mentiatur. Sed quia scriptum est, Sapientiæ 1. *Os quod mentitur occidit animam.* Et Psal. 5. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*: hoc quoq; mendacij genus, perfecti viri magnoperè fugiunt, vt ne vita quidem cuiuslibet, per eorum fallaciam defendatur; ne suæ animæ noceant, dum præstare vitam carni nituntur alienæ. Quanquam hoc ipsum peccati genus, facillimè credimus relaxari. Nam si quælibet culpa, sequenti solet pia operatione purgari: quanto magis hæc facillimè abstergitur, quam mater boni operis pietas ipsa comitatur? Hæc ibi Gregorius.

B. Greg. memorabilis sententia.

Mendacium officiosum leuem habet culpam, & facilem veniam.

39 Posthæc subdit Greg. quod attentè, consideratéq; legẽdum & perpendendum est. Disputans enim in eos, qui exemplo Ægyptiarũ obstetricum abutebantur ad excusandum, defendendúmq; mendacium officiosum, sic ait: Nonnulli de obstetricũ fallacia conantur asserere hoc mendacij genus

Animaduersio in dictum Gregorij de mendacio obstetricum.

non esse peccatum: maximè quod illis mentientibus scriptũ est, quia Dominus ædificauit illis domos. In qua magis recõpensatione cognoscitur, quid mendacij culpa mereatur. Nam benignitatis earum merces quæ in æterna vita potuit eis retribui, pro admissa culpa mẽdacij, in terrenam est recompensationem declinata: vt in vita sua, quam mentiendo tueri voluerunt, ea quę fecerunt bona reciperent: & vlterius quod expectarent, mercedis suæ præmium non haberent. Nam si subtiliter perpendatur, amore vitæ præsentis mentitæ sunt: parcendo quippe conatæ sunt infantium vitam tegere: mentiendo suam. Sic eo loci Gregorius.

Locus Exodi cap. 1. Vide etiam infra, numero 41.

Significat igitur Gregorius illud obstetricũ mendacium obstitisse, ne pro officio illo pietatis earum erga Hebręos, & pro reuerẽtia timoris Dei, mercedẽ æternã acciperẽt, sed solùm temporalem. Hoc autẽ verũ non videtur. Aut enim putauit Greg. officiũ illud pietatis obstetricũ, & reuerentiã timoris Dei non fuisse meritoriã vitæ æternæ ob mendaciũ ab ipsis dictum; sed hoc non est credibile: mendacium quippe illud, non paruo tempore post illud officium pietatis subsecutum est: non igitur prohibere potuit, tantò ante præcedentis boni actus meritum & præmium. Aut putauit Gregorius, per illud officium pietatis & timoris Dei meruisse obstetrices vitam æternam; sed ob subsequens posteà mendacium, perdidisse meritum illud mercedis æternæ, & pro ea solùm temporalem mercedem accepisse. Ad hoc dici nullo modo potest. Meritum nempe æternæ vitæ non perditur, nisi ob peccatum mortale, sicut nec gratia nec charitas: mendacium autem obstetricum, cùm fuerit officiosum, suæ nimirum & aliorum tuendæ vitæ gratia dictum, fuit tantummodò veniale & leue peccatum, vt ipsemet Gregorius, in isto ipso loco, paulò antè dixerat.

Cur Deus olim pro benefactis mercede æterna dignis, tantũ promittebat bona temporalia.

Cur igiur, dicet aliquis, pro illo charitatis & pietatis obstetricum officio, non aliud legimus datum eis præmium, nisi temporale, ædificationem scilicet domorum, id est, amplificationem rei familiaris, & propagationem posteritatis? Videtur enim hoc præcipuè in illam opinionem induxisse B. Gregorium. Verùm isti obiectioni responderi posset dupliciter: aut enim bonus ille actus obstetricum non processit ex tali gratia Dei & charitate, qualis necessaria est ad efficiendum actum meritorium vitæ æternæ, sed tantum boni cuiuspiam temporalis. Aut fuit actus ille, meritorius vitæ æternę, simúlque boni eius temporalis, quod illis retributum est. Præmium verò æternæ vitæ, propterea tacuit Scriptura, quia occultum est mortalibus, ideóq; inefficax ad permouendos homines carnales. Hanc enim ob causam in veteri Testamento, etiam viris sanctissimis, & pro factis ac meritis præstantissimis, promittebat Deus & reddebat bona temporalia, tacitis æternis, quæ sine dubio illi principaliter promeriti fuerant. Videre hoc est in Abraham Genes. 22; cui Deus pro excellentissimo eius facto circa immolationem proprij filij, repromisit bona temporalia, nullum de bonis æternis verbum faciens; idémque animaduerti potest in Dei promissione data Phinees pro singulari eius zelo, vt legitur Numerorum 25. Nimirum expressa regni cœlestis, & æternæ vitæ promissio, propria est Noui testamenti: & Euangelij Christi, vt ait Sanctus Hierony

Hieronymus in epistola quam scripsit ad Dardanum. *S. Hieronym. S. Thomas.*

41 Cæterum, videamus quemadmodum Sanctus Thomas in Secunda Secundæ Quæstione 110. Art. vltimo, ad quartum dictum illud Gregorij, ne falsum videretur, in bonam partem accipere & interpretari conatus sit. Sic autem scribit: Mendacium obstetricum potest dupliciter considerari: vno modo, quantum ad effectum beneuolentiæ in Iudæos, & quantum ad reuerentiam diuini timoris; & sic debebatur ei remuneratio æterna. Altero modo considerari potest, quantum ad exteriorem actum mẽdacij: quo actu ęternam quidem remunerationem mereri non potuerunt, sed fortè aliquã remunerationem temporalem; cuius meritò non repugnabat deformitas illa mẽdacij, sicut repugnabat merito remunerationis æternæ. Et sic intelligenda sunt verba Gregorij; non autem quòd per illud mendacium mererentur amittere remunerationem æternam, quam iam ex præcedenti affectu meruerant. Sic B. Thomas. Verùm quod ait S. Thomas (vt piè S. Gregorium exponat) obstetrices per exteriorẽ illum actum mendacij, fortasse meruisse remunerationem aliquam temporalem, haud scio an sit improbabile: videtur certè dissonum sacrę historiæ, nec rationi consentaneum, & cum Gregorij sententia verbísque dissentiens, quinetiam discrepans ab ipsius S. Thomę doctina, quam paulò ante tradiderat. Si enim per mendacium meruerunt obstetrices remunerationem temporalem, non aliam sanè meruisse putandum est, nisi eam, quam fuisse eis datam memorat Scriptura; quia nimirum Deus ædificauit illis domos: sed hanc non meruisse illas per mendacium, sed per officium pietatis præstitum Hebræis, & ob reuerentiam timoris Dei legimus Exodi 1. Sic enim ibi scriptum est: *Timuerunt obstetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum regis Aegypti, sed conseruabant mares. Bene ergo fecit Deus obstetricibus: & quia timuerunt Deum, ædificauit eis domos.* Ratione quoque manifesta concluditur, non posse mendacium esse meritorium vllius boni apud Deum. Nempe, mendacium est actus intrinsecè malus moraliter, & semper est peccatum, vt suprà ostensum est: & est vetitum à Deo in Scriptura, & displicet Deo, atque ipsum offendit: non igitur potest esse meritorium alicuius boni apud Deum. Cúmque mendacium sit peccatum, & omni peccato debita sit pœna: quomodo, quod per se est meritorium pœnæ apud Deum, poterit simul esse meritorium boni apud eundem? Neque sanctus Gregorius dixit, obstetrices per mendacium meruisse remunerationem illam temporalem, sed per officium pietatis pręstitum Hebręis: per quod tamen potuissent promereri mercedem æternam, nisi adiuncto mendacio officium illud suum contaminassent. Et ipsemet Sanctus Thomas in Articulo præcedenti eiusdem Quæstionis, in responsione ad secundum, docuerat hoc ipsum quod nos probare volumus; hoc enim modo ait: Obstetrices non sunt remuneratæ pro mendacio, sed pro timore Dei, & beneuolentia, ex qua processit mendacium. Vnde signanter dixit Exodi capite primo. *Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit illis domos.* Mendacium verò postea sequens non fuit meritorium. Hæc Beatus Thomas.

Vide S. Tho. 2. 2 q. 110. art. 3 ad 2. vbi ex propria loquitur sententia.

An mendaciũ officiosum possit esse meritorium boni cuiuspiã temporalis apud Deum.

Sed benè habet,quòd Sanctus Doctor non dixit illud affirmatè,sed dubitanter, adiecta illa particula (fortasse)nec tam ex suo sensu id ait, quàm vt ostenderet (tanta erat in Sanctos Patres reuerentia & pietate) quemadmodum illud Gregorij dictum piè posset exponi.

Sed reuertor ad Auctores, qui mendacium omne per se malum,& fu- 42
giendum esse censuerunt. Nominaui Sanctum Augustinum & Gregorium:eadem fuit omnium fermè posteriorum Scriptorum sententia.Vniuersa item cohors Theologorũ Scholasticorum,huic sentẽtiæ subscripsit, vt videre licèt apud Magistrum Sententiarum in Tertio, Distinctione 38.

Magister Sentent.

Ergo istam opinionem tam manifestis Scripturæ testimonijs, tam grauibus Philosophorum & Theologorum auctoritatibus,& tam firmis rationibus confutatam,nullum esse,aut fore vnquam puto,qui animum inducat probare, aut defendendam suscipere. Quare non solùm falsa, verùm etiam pernicioſa, & pestilens fuit oratio illa, & sententia Darij Hystaspis, qui postea rex Persarum fuit, quam memorat Herodotus libro tertio: cuius Darij, in consultatione habita cùm aliis Satrapis de interimendis Magis, qui Persicum inuaserant Imperium, hæc fuêre verba: Vbi expedit mendacium dicere,dicatur. Nam idem optamus,& qui mendacium dicimus, & qui veritatem. Quippe,qui mentiuntur, tunc mentiuntur, cùm tali mendacio lucri quippiam facturi sunt : & qui verùm dicunt, ideò dicunt,vt verum dicendo,aliquod lucrum consequantur. Et alius huc, alius illuc magis propensus est, atque ita non idem facitando,idem tamen obtinemus. Quòd si nihil lucri faciendumesset,æquè verax foret mendax, & mendax esset verax. Sic ille.

Pestilens Darij Hystaspis, regis Persarũ, de Mendacio sententia.

TERTIA DISPVTATIO.

An probanda sit eorum opinio, qui concedunt Iacob esse mentitum, sed negant peccasse: quia fecit id ex reuelatione, & consilio Dei.

EXPLICATA est opinio eorum, qui dixerunt Iacob men- 43
titum esse sine peccato, quia mendacium eius fuit officiosum, quod putant illi esse inculpabile. Sequitur altera opinio eorum, qui confessi sunt, mentitum esse Iacob,propterea tamen aiunt non peccasse, quòd ad illud mendacium dicendum, adductus est Dei reuelatione, sibi per matrem manifestata, & interiori suasu ac familiari consilio Spiritus Sancti : quamobrem mendacium eius à peccato excusandum est. Thostatus super hunc locum Geneſis, refert istam opinionem, non tanquam opinionem vel dictum aliquorum,sed tãquam id quod fortasse à quopiam existimari & dici posset. Verùm istiusmodi sententiam non displicuisse Innocentio Tertio, ex verbis eius non temerè existimari potest. Sic enim scribit in Titulo De Diuortijs, capite Gaudemus. Nulli vnquam licuit simul plures vxores habere;

Thostatus.

Innocentius Tertius.

habere; nisi cui fuit diuina reuelatione concessum: quæ, mos quandoque, & interdum fas censetur. Per quam reuelationem, sicut Iacob à mẽdacio, Israëlitæ à furto, & Samson ab homicidio, sic & Patriarchæ, qui plures leguntur simul habuisse vxores, ab adulterio excusantur. In eadem sententia fuit Gabriel Biel in Tertio Distinct. 38. Nam quæstionem hanc de mendacio Iacob soluit duplici responso. Primò enim fatetur, mentitum esse & peccasse; nec esse necessarium excusare ipsum vel alios Patriarchas à peccato veniali, à quo ne ipsos quidem Apostolos, multò illis perfectiores, excusamus. Subiungit deinde alterum responsum, quod exponit hisce verbis. Secundò dicitur, si falsum illi dixerunt, non oportere concedere, in illo falso dicto peccasse eos. Poterant enim sic dicere ex familiari consilio Spiritus sancti; sicut de Iacob dicit Augustinus: Quod Iacob matre fecit auctore, vt falleret patrem, si diligenter attendatur, non est mendacium, sed mysterium. Intendebat enim Iacob matri obedire, quæ per Spiritum sanctum nouerat mysterium, & ideo propter familiare consilium Spiritus sancti quod mater acceperat, à peccato excusatur. Non quin verba Iacob fuerint verba falsa, & prolata cum intentione fallendi patrem; sed quia non illa dixit inordinatè & iniustè, sed adductus consilio familiari Spiritus sancti, per quod excusabatur à peccato. Hæc Gabriel. Idem tradit Petrus Aliacensis in primo Sententiarum sub finem quæstionis duodecimæ: Multa sunt, inquit, in antiquo Testamento, vt de Iacob & Rebecca, qui familiari consilio Spiritus Sancti excusantur à mendacio; & tamen per illud deceperunt Isaac, vt patet Genes. 27. & multa similia exempla possent induci ad ostendendum quòd Deus per bonos aliquando decipiat alios.

Exod. 12. Iudic. 16.

Gabriel Biel.

B. Aug. lib. 1. cont. Mendacium cap. 10.

Petrus Aliacensis.

Deus nec auctor, nec præceptor, nec suasor mendacij esse potest.

44 Sed istam ego sententiam nec probaui vnquam, & sæpe miratus sum, eam nonnullis nec indoctis, & sanè Catholicis scriptoribus visam esse probabilem. Principio, mendacium, est actus intrinsecè malus moraliter, & per se peccatum est, displicens Deo, & nonnullam eius offensam habens; ergo non potest id à Deo vel præcipi, vel suaderi; nec instinctu & incitatu eius fieri potest. Deinde, quod quis mandat & præcipit fieri, aut etiam vehementer suadet, & auctor est vt fiat; id facere ipse dicitur: Si igitur Deus suaderet, vel præciperet mendacium dicere, auctor ipse mendacij esset, & perinde esset, quasi ipsemet mendacium diceret. Quemadmodum autem quia Deus est prima & infinita bonitas, repugnat vt malum ipse faciat, vel faciendi mali sit auctor; ita, qui est prima & infinita veritas, repugnat vt vel mentiatur ipse, vel aliis causa & auctor sit mentiendi. Prętereà, si ex instinctu, vel mandato, vel suasu Dei posset quis mentiri, dubium profectò & incertum esse posset, an per Prophetas, & Apostolos, & Euangelistas mendacia aliqua essent dicta, vel litteris tradita; quamuis quod illi dixerunt, & scripserunt, id afflatu & inspiratu Dei dixisse & scripsisse eos credamus. Hoc autem si admitteretur, haud dubiè fides & veritas sacrarum scripturarum prorsus concideret ac periret. Ad hæc (vt propriè, quod attingit rem præsentem, vrgeam) Deus non reuelauerat, nec Iacob, nec Rebeccæ, nec suaserat vt mendacium illud diceretur: sed

tantùm reuelauerat Rebeccæ, ius & dignitatem primogenituræ translatum iri ab Esau ad Iacob: ipsúmque primogenituræ honoribus & muneribus potiturum. Nec Rebecca suasit illud Iacob, exponens ei mandatum aliquod Dei, sed suum tantùm consilium & iudicium commendauit: certámque spem ostendit prosperi euentus futuri. verba Rebeccæ ad Iacob fuêre huiusmodi. *Nunc ergo, fili mi, acquiesce consilijs meis* (vel vt Hebræa sonant) *præceptis meis*. Vides Rebeccam, ad impellendum Iacob, non diuinum proponere mandatum, sed proprium consilium suum? Et cùm Iacob vereretur, ne pater, simulatione illa retecta, iraſceretur, ac malediceret sibi; ad eum metum adimendum, non dixit Rebecca, Deũ reuelasse & præcepisse, sed tantùm respondit: *In me sit ista maledictio: tantùm audi vocem meam, & pergens ad gregem, affer quæ dixi.* Postremò, si Iacob certus fuisset de reuelatione & mandato Dei super ea re, non ita cunctabundus, & timidus, atque incertus futuri euentus fuisset, vt ipse ostendit, ad hunc modum respondens matri: *Nosti quòd Esau homo pilosus sit: & ego læuis: si attrectauerit me pater meus: & senserit; timeo ne putet me sibi voluisse illudere, & inducat super me maledictionem pro benedictione.* Sed pergamus ad alia.

QVARTA DISPVTATIO.

An probabilis sit eorum sententia, qui dixerunt, Iacob mentitum esse: & peccasse venialiter.

SVPERIORIBVS duabus disputationibus concluſum est, si Iacob verè mentitus est, excusari & purgari non posse à peccato; siquidem omne mendacium, qualecunque sit, cum peccato esse coniunctum. Deinceps absolutè disputandum est, an verè mentitus sit, & an peccauerit, saltem venialiter. Est igitur opinio nec paucorum, nec ignobilium Doctorum, Iacob dicendo illa verba: *Ego sum Esau primogenitus tuus, &c.* dixisse mẽdacium officiosum, & ideircò accusari non posse à peccato veniali. Ad hanc sententiam valdè propensi sunt & Scotus in Tertio Sententiarum, Distinctione 38. & Lyranus super hunc ipsum locum Geneſis. Nam etsi non negãt, verba illa Iacob posse aliquo modo sic exponi, vt non contineant mendacium; affirmant tamen, non oportere nos in excusando illo mendacio esse anxios & scrupulosos. Nam quamuis Iacob fuerit vir sanctissimus, non fuit tamen sanctior Apostolis, quos à peccato veniali excusare non est necesse. Thostatus autem pro ista opinione multa disputat super hunc locum Genes. quæst. 4. Adrianus idem tradit in Quodlibeto primo, in responsione ad tertium principale argumentum. Ad eandem se opinionem applicat Lippomanus Catena in Geneſim, super hunc locum. Ac ne longus sim, eidem sententiæ adhæsit Caietanus, qui exponens illa verba Iacob: *Ego sum Esau primogenitus tuus*, hæc scribit: si dixisset: *Ego sum primogenitus tuus*, & non addidisset illud *Esau*, excusaretur, qui emerat primogeni

Scotus. Lyranus. Adrianus. Caietan. Lippom.

mogenituram: sed dicendo, *Ego sum Esau*, inexcusabilis videtur à mendacio officioso. Et paulò infrà declarans illa verba Isaac: *Tu es filius meus Esau?* Sic ait. Iuxta Hebræum legitur: *Tu ipse filius meus Esau?* nihil dicens de primogenitura, sciens quòd Iacob emisset illam: ex industria siquidem interrogationem restrinxit ad personam Esau. Quocirca respondens Iacob, *Ego sum*, inexcusabilis fuit à mendacio officioso. Intentio igitur Iacob, bona fuit; sed locutio, mala moraliter fuit. Hactenus ex Caietano.

46 Confirmari autem potest hæc sententia multis & firmis admodum rationibus. Prima ratio: mentiri, est ita loqui, vt aliud verbis significetur, quàm sentit is qui loquitur, volens sic audientem fallere: tale autem fuit illud dictum Iacob: *Ego sum Esau*: nam nec ipse erat Esau, & hoc ipse sciebat; sed id patrem suum credere & sentire volebat. Secunda ratio. Illa verba Iacob nullo modo possunt à mendacio purgari: *Feci sicut præcepisti mihi*, nihil enim tunc Isaac præceperat ipsi Iacob de cibo sibi afferendo: sed id soli Esau præceperat. Et item illud eiusdem dictum mendax fuit: *Surge & comede de venatione mea*: non enim Iacob eas carnes, quas offerebat Isaac, parauerat ex animalibus venatione captis, sed ex grege domestico sumptis. Tertia ratio. Satis apparet ex hac narratione Mosis, id maximè verbis & factis curasse, atque egisse Iacob, vt persuaderet patri suo Isaac, se esse Esau, cui velle eum benedicere audierat ex matre: hoc autem & falsum erat, & contra ipsius Iacob mentem sensúmque. Quarta ratio. Hæc narratio Mosis, eorum quæ dixit & fecit Iacob, non est figurata & parabolica, sed historica, non secus ac superiorum, & sequentium capitum huius libri narrationes: In historica porrò narratione & oratione, verba, quibus ea constat, propriè & prout in vulgari sermone, communíque vsu loquendi vsurpantur, accipienda sunt. Sic autem accepta verba Iacob, falsum significare, ac mendacium continere, in confesso est apud omnes. Nam & ipse Augustinus *B. Aug. c. 10.* in libro contra Mendacium id fatetur, & quicunque excusare Iacob à mendacio conantur: non enim aliter excusant, nisi dicentes, eum non propriè, sed figuratè locutum esse; nec verba eius secundùm propriam eorum & vsitatam significationem esse interpretanda, sed secundùm mysticam; magnum enim in illis latere mysterium, opertè significatum à Iacob. Quinta ratio. Quærentibus sensum litteralem sacræ Scripturæ, non est à propria significatione vocum (præsertim autem in historicis narrationibus) recedendum: nisi fortè necessitas cogat, relicto sensu litterali, perueſtigare mysticum, & locutionem figuratam esse arbitrari: At in hoc loco nulla est talis necessitas: non enim necesse est à mendacio officioso, id est, à peccato veniali excusare Iacob. Quanquam enim fuerit is Patriarcha magnus & Propheta, & de numero eorum, quorum Deus in Testamento veteri, tum dicta, tum facta proposita esse voluit in exemplum posteris: verumtamen Iacob nec sapientia, nec gratia, nec sanctimonia præstantior fuit Apostolis; quos tamen, etiam post acceptum Spiritum sanctum, nunquam peccasse, sentire

nequa

nequaquam necessarium est. Etenim communis Theologorum est opinio, nixa B. Augustini auctoritate, simulationem illam qua vsus est B. Petrus Antiochiæ cum Iudæis & Gentilibus, non omnino caruisse peccato; quippè cum de ea Paulus eum reprehendit, & ipse scriptum reliquerit ad Galatas 2. fuisse eum reprehensibilem.

Denique nullum Sanctorum omnium, qui vel in veteri, vel in Nouo 47
Testamento fuerit, præter sanctam & Deiparam Virginem, ab omni prorsus peccato mundum fuisse: sententia fuit & decretum Patrum in Concilio Tridentino, in Decreto de Iustificatione cap. xj. quorum hæc sunt verba: In hac mortali vita quantumuis sancti & iusti, in leuia saltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadunt; nec propterea tamen desinunt esse iusti. Nam iustorum illa vox est, & humilis, & verax: *Dimitte nobis debita nostra*. Et in Canone 23. eiusdem Sessionis, anathema dicitur in eos, qui dicunt posse iustos in tota vita, peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia. Hoc porrò sumpsisse videntur Patres, ex Beato Augustino, qui capite trigesimosexto eius libri, quem de Natura & Gratia scripsit contra Pelagianos, sic ait: Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem: si omnes Sanctos & Sanctas, cum hîc viuerent, congregare possemus, & interrogare, vtrum essent sine peccato: quantalibet essent sanctitatis excellentia, vna voce clamarent; *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Sic Augustinus. Neque verò quia Scriptura nec hîc, nec alibi arguit mendacij Iacob, propterea concludi potest, ipsum non esse mentitum. Sæpenumero enim Scriptura, simplici narratione commemorat hominum peccata, sine vlla eorum reprehensione, vt mendacia Iudith, & obstetricum, & Dauidis apud Achimelech 1. Regum 21. & regis Iehu 4. Reg. cap. 10.

Concilium Tridentinum.

Præter B. Virginem, nullus Sanctorum per totam vitam ab omni peccato venialis mundus fuit. Matth 6. S. August.

1. Ioan. 1.

Iudith. 19. Exod. 1.

Verumtamen posset illud huic sententiæ opponi: Si Iacob verè menti- 48
tus est, videtur mendacium eius fuisse graue peccatum, nempe perniciosum fratri eius Esau, qui per illiusmodi simulationem eius, paterna benedictione, simúlque primogenituræ bono priuatus est. Fuit item iniuriosum patri eius Isaac; quippe qui fraudulenter ab eo deceptus, non benedixit ei, cui maximè volebat benedicere. Sed non ita res habet. Nam ius primogenituræ iam Dei sententia fuerat adiudicatum & attributum Iacob, quocirca erat ipse verus ac legitimus primogenitus Isaac: Esau verò primogenituræ dignitatem, vt alienum quid, non verus ipse dominus & possessor obtinebat. Quare primogenituræ bonis spoliatus, nihil perdidit Esau quod suum esset, nullóque rerum suarum damno affectus est. Isaac porrò nulla est, facto illo Iacob, iniuria affectus: nam neque Iacob id egit vt patri faceret iniuriam; neque pater ipse, vbi resciuit quod erat factum, vllam se accepisse iniuriam significauit. Immò verò, Dei voluntate & consilio id factum esse agnoscens, datam à se benedictionem Iacob, ratam & validam esse voluit, dicens: *Benedixi ei, & erit benedictus.*

An mendacium Iacob fuerit perniciosum Esau, & iniuriosum Isaac.

Hanc

Hanc ego sententiam, non solùm probabilem esse censeo, verùm etiam cum sacra historia (quod attinet ad litteralẽ sensum narrationis Mosaicæ, quæ traditur hoc loco) maximè congruentem. Atque eam ipse toto penitus assensu complecterer, nisi me, quasi manu, retraheret plurimorum, maximorúmque Doctorum reuerentia; qui pro defensione ac purgatione Iacob à mẽdacio, pugnarunt acerrimè. Hos autem, tam multos, & tam graues Auctores, non vidisse, aut etiam non pensitasse argumenta, quibus in hac Disputatione probatum est, mentitum esse Iacob, vix est dictu credibile. Quare subijt animum meum existimare, non sine Diuino afflatu, tot tantósque viros, ad vindicandum Iacob à mendacio, & tanto studio conspirasse omnes, tantóque opere incubuisse. Hanc igitur communem Theologorum sententiam persequenti mihi, faciundum esse duxi, vt doceam, quemadmodum verba illa Iacob, secundùm litteralem sensum, commodè sic exponi queant, vt nihil mendacij continere videantur: & vt contrarias huic sententiæ rationes supra expositas, dissoluam.

QVINTA DISPVTATIO.

Declaratur & defenditur communis Theologorum sententia, quæ in supradictis verbis, excusat & purgat Iacob ab omni mendacio.

49 PERTRACTANS B. Augustinus verba illa Iacob, ab omni eum mendacij peccato vindicat. Disputans enim super ea re in quæstione 74. in Genesim, & in libro decimo sexto de Ciuitate Dei, cap. 37. subtiliter autem, copioséque in libro contra Mendacium, cap. 10. non negat, si verba Iacob propriè accipiantur, habere mendacium: sed ait, orationem illam Iacob, esse figuratam, & ad signandum aliud, quàm per propriam verborum significationem denotetur, esse vsurpatam. Tales porrò locutiones figuratæ, perquàm crebræ sunt in sacris litteris: nec solùm in oratione prophetica, sed in narrationibus historicis: quinetiam secundùm proprietatem & elegantiam linguæ Hebrææ, frequentes admodum erant, familiaréque Hebræis in vulgari & quotidiano sermone. Et quod magis mirum est, hyperbolicæ locutiones, & antiphrases, cùm contrarium intelligitur eius quod dicitur, vsitatæ sunt in sacris litteris: ponitur enim nonnunquam benedicere pro maledicere, vt videre est Iob cap. 1. & 2. & 3. Regum 21. Quodnam autem mysterium illis verbis Iacob significatum esse putet Augustinus, hisce verbis exponit: Cùm Iacob dixit patri suo: *Ego sum Esau primogenitus tuus*, si referatur id ad duos illos fratres geminos, mendaciũ videbitur. Si autem ad illud referatur, propter quod significãdum ista gesta, dictáque litteris conscripta sunt; ille est hîc intelligendus in corpore suo, quod est eius Ecclesia, qui de hac re loquens, ait: *Cum videritis Abraham, & Isaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei; vos autem expelli foràs. Et venient ab Oriente & Occidente, Aquilone & Austro, & accumbent in regno Dei, & ecce sunt nouissimi qui erant primi, & sunt primi qui nouissimi* Luc. 13.

S. Augustinus.

Sic enim quodammodo minor frater maioris primatum abstulit, atque in se transtulit fratris. Cum igitur tam vera, támque significentur veraciter, quid hîc debet putari factum dictúmve mendaciter? Hæc Augustinus.

Verumenimuerò non est procliue creditu, istum quem dicit Augustinus, fuisse à Iacob, illa verba loquente, primò ac principaliter intentum verborum suorum sensum: cum sit is longè remotus ab eo quod tunc ille tam factis quàm verbis intendebat, persuadere nimirum Patri, se primogenitum esse, cui danda erat eius benedictio. Planior igitur & commodior illorum verborum Iacob interpretatio hæc est: *Ego sum Esau*, non quidem quantum ad substantiam & personam, sed quantum ad ius & dignitatem primogenituræ: quæ secundùm naturæ ius debita erat Esau, verùm secundùm electionem Dei translata fuit in Iacob. Similiter Dominus Matthæi 11. & 17. dixit Ioannem Baptistam esse Eliam, non secũdùm personam, sed quia venit in spiritu & virtute Eliæ, vt prædixerat Gabriel. *Lucæ.1.* Non equidem inficior, motum esse diuinitus Iacob, & quasi spiritu prophetico afflatum, vt tali locutione mystica vteretur: & ita figuraretur, ac significaretur fore, vt iunior populus Gentilium substitueretur in locum prioris populi Iudæorum, & benedictionem diuinam huic promissam, ille occuparet & obtineret. 50

Theodoretus. An Iacob iusto titulo iuréque habere deberet primogenitură Esau quia illă emerat ab illo. Genes. 25. Non est dissimile quod tradit Theodoretus quæstione 80. in Genesim, ita scribens: An non est visus Iacob mentiri, cùm dixit: *Ego sum Esau primogenitus tuus?* Minimè verò. Emerat enim ille priuilegia primogenituræ ab Esau. Verè igitur se ipsum appellabat primogenitum. Sic Theodoretus. Eandem rationem excusandi Iacob à mendacio tangit S. Gregorius Homilia vj. in Ezechielem. Sedenim, si ius primogenituræ, in illo tempore erat quodammodo spirituale, propter annexum ei sacerdotium, necesse profectò est, emptionem eius, prorsus inualidam, & nullam fuisse, non igitur ratione illius emptionis, & venditionis, poterat Iacob verè dicere se esse primogenitum. Sed vera ratio fuit quam supra exposuimus, quod Dei sententia, & decreto primogenitura fuerat ab Esau translata ad Iacob, idque à Rebecca, cui talis Dei sententia reuelata fuerat, patefactum est Iacob. 51

Theodoretus. B. Gregor. Genes. 25. Isidorus. Beda Rupertus. Innocent. 3. Gratianus, & Scholastici. Idem post Augustinum sensit Theodoretus quæstione 80. in Genesim, cuius verba paulò supra commemorata sunt. In eadem sententia fuisse Beatum Gregorium, illa eius verba in libro decimo septimo Moraliũ, vbi loquitur de mendacio officioso, perspicuè declarant. Licèt in Testamento veteri (ait Gregorius) nonnulla possunt talia mendacia reperiri, penè nunquam tamen hoc vel tale genus mendacij à perfectis viris admissum, studiosus ibi lector inueniet. Et in homilia vj. in Ezechielem: Iacob primogeniti benedictionem, inquit, non per fraudem surripuit, sed vt sibi debitam accepit, quàm concedente fratre, data lentis mercede emerat. Idem tradunt super hunc locum Genesis Isidorus, Beda, & Rupertus. Et Innocentius Tertius hoc ipsum confirmat in Titulo de Diuortijs, cap. Gaudeamus, & Gratianus xxij, Quæst. 1 1. cap. Quæritur, & item Alexander Halensis 2. parte, Quæstione 139. Membro 6. & S. Thomas 2. 2. quæst. 52

quæst.110.art.3.ac demum Magister Sententiarum in Tertio,dist. 38.& inibi omnes fermè Scholastici.Sed qui vberiùs,& distinctiùs,atque enucleatiùs quæstionem hanc explicauerit,quàm Thomas Anglicus,legi adhuc neminem.Fuit hic ordinis Prædicatorum,& ante ducentos propè annos inter ætatis suæ Theologos in primis clarus,& nec paucis, nec aspernandis in Scripturam Commentarijs memorabilis scriptor, legique, ac laudari dignus;præstanti,namque est ingenio, & sano, grauique iudicio, multámque Theologiæ doctrinam, breuitate, ac methodo Scholastica tractatam,Commentarijs suis,plurifariam immiscet.Quamquam scripta, propter nominis similitudinem Thomæ Doctoris Anglici, cum Thoma Doctore Angelico,vulgò adscribuntur B. Thomæ.

Magister.Sēt. De Thoma Anglico. Iudicium Auctoris.

53 Hic igitur auctor super hunc locum Geneſis,quæstionem,qua de nunc disserimus,ponit,& soluit hisce verbis. Quod Iacob dixit patri suo:*Ego sum Esau*,non fuit mendacium,sed quasi dolus quidam simplicis,& fictio non mentientis,velatum continens profundum mysterium veritatis. Sicut enim Christus non est mentitus,cum dixit Matth.xi.de Ioanne Baptista:*Ipse est Elias,qui venturus est*, vbi Eliæ nomen non accipitur pro persona,sed pro conformi officio & virtute:ita & Iacob verè dixit, se esse Esau,nō secūdùm,personā sed ob prærogatiuā iuris & dignitatis primogeniturę,sibi diuinitus traditæ, & iam prius sacramentali emptione promeritæ.Verum est tamen, quod si istud non esset factum inspiratione prophetica,& auctoritate diuina, non solum excusari non poterat à duplicitate mendosa; sed nec ab impietate iniuriosa & perfidiosa in proprium fratrem, nec à sacrilegio in Deum;quia in Dei Sacramentis,scienter immiscere aliquid falsi, est sacrilegum & profanum. Donatio autem & acceptio eiusmodi benedictiouis,erat quiddam sacrum:aliàs enim, quilibet pater potuisset suis filijs benedictionem æqualis virtutis & vtilitatis conferre:& superstitiosum fuisset credere, quòd propter benedictionem paternam, solùm humanitus factam, obtineret quis in posterum bona temporalia, vel æterna. Sed quia nonnulli illusores Scripturæ, dicere solent, Doctores nostros excusare à mendacio & peccato quos volunt, & quos item volunt,accusare: attendant isti & intelligant, non ex nostro sensu, sed ex verissimo sensu ipsius Scripturæ prædictam excusationem Iacob expromptam esse. Etenim Iacob nihil hîc dixisse aut fecisse fallaciter & mendaciter,liquidò apparet ex multis. Primò ex eo quòd pater eius,vbi postmodùm veritatem facti deprehendit,non ei,vt timeri poterat,est iratus atque indignatus, nec datam ei benedictionem rescîdit, sed magis etiam confirmauit, vel potius à Deo profectam & firmatam esse ostendit,dicens:*Benedixíque ei,& erit benedictus*. Deinde,quia ab initio vsque conceptionis illorum fratrum, præsagium diuinitus factum est,dato responso Dei Rebeccæ, quòd minor frater, Dei sententia, prælatus esset maiori. Præterea quia prædictum fuit Geneſis 25.Iacob fuisse virum simplicem & quietum,id est,sine fuco,& fallacijs,& prorsus innocentem. Ad hæc, quia statim post hoc factum Iacob, Scriptura narrat, Deum multifariam apparuisse Iacob, & ampliſſimis ei datis promissio-

Cur doctores tanto conati sint opere,purgare ac vindicare Iacob à mendacio.

nibus, singularem, atque eximium suum erga illum amorem, ac curam declarasse. Adijce, quòd hi tres Patriarchæ, Abraham, Isaac, & Iacob, in tantùm per omnem fermè Scripturam prædicantur, & magnificantur, vt Deus Exodi 3. glorietur se in æternum vocari Dominum Abraham, Isaac, & Iacob. Moyses quoque cùm Deum, vehementer eum obtestans, & adiurans, flectere vult ad clementiam & misericordiam, singulariter eum adiurare solet per istos Patriarchas, dicens: *Recordare Abraham, & Isaac, & Iacob seruorum tuorum, quibus iurasti, &c.* Similiter in Isaia, & ceteris Prophetis, crebras, & miras istorum laudes reperies. Et in Psal. 114. de istis dicitur: *Non reliquit (Deus) nocere hominem eis, & corripuit pro eis Reges, & nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari.* Et sicut hîc vocantur Christi Dei, & prophetæ Dei; ita Dominus noster loquens de Electis in cœlestem gloriam recipiendis, istos tres facere videtur, quasi principes in regno Cœlorum, dicens Matth. 8. & Lucæ 13. *Multi venient & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno Cœlorum.* Quid igitur mirum est, si tales, tantósque viros, & tantoperè commẽdatos in Scriptura, studeât Doctores quãdo id cõmodè fieri possit, in factis & dictis eorũ, ab omni mẽdacio, & peccato excusare eos? Hactenus ex Thoma Anglico.

Exodi 32.

Solutio obiectionum Caietani, Thostati, & aliorum contra hanc communẽ Doctorũ sentẽtiã.

Restat vt Caietani, & Thostati, aliorúmque aduersus hanc sententiam obiectiones diluamus. Prima est obiectio Caietani, ad hunc modum argumentantis: Si dixisset Iacob; Ego sum primogenitus tuus, posset id bonam in partem accipi, & excusari à mendacio, quòd primogenituram eius iam emerat, vel quòd ea sibi fuerat à Deo assignata. Sed quia dixit: *Ego sum Esau*, quod nomen est personæ, non autem dignitatis, aut officij; videtur id à mendacio prorsus inexcusabile. Nam quamuis hic, nomini Esau adiunxerit nomen primogeniti: attamen paulò post interrogatus ab Isaac præcisè, an esset Esau, ipse respondit præcisè: *Ego sum Esau*, nihil addens de primogenito: quod sine mendacio, dici nullo modo potuit. Sic Caietanus. 54

Consuetudo scripturæ.

Verùm huic obiectioni, ita respondendum est: Vsitatum esse in Scriptura, vt vnus homo, appelletur alterius hominis nomine significãte personam eius, propter similitudinem alicuius proprietatis, vel dignitatis, vel muneris. Legimus enim Matth. xj. dixisse Dominum de Ioanne Baptista, *Ipse est Elias*, significare volẽtem, ipsum venisse in Spiritu, & virtute Eliæ, vt parentibus eius prædixerat Gabriel Archangelus. Et apud Ezechielem cap. 37. Deus consolans Iudæos in captiuitatem abductos, & amplissima bona per Messiam illis præstanda, commemorans, ait tunc eorum pastorem, ac Regem futurum Dauidem: sine dubio, Dauidis nomine denotans Messiam: nam Dauid ante multa secũla mortuus fuerat, nec postea vnquam reuocatus est ad vitam. Ergo illud dictum Iacob: *Ego sum Esau*, dupliciter exponi potest. Primò sic; *Ego sum Esau*, non quantum ad personam, sed quantum ad ius, & prærogatiuam & dignitatem primogenituræ; quam tu pater existimas pertinere ad Esau: sed ea mihi destinata à Deo, & assignata est. Potest item sic intelligi: nomen *Esau* Latinè significat factura, vt suprà disputauimus super capite vigesimo quinto, numero 55. 55

Luc. 1.

Locus Matthæi xi. & Ezechielis 37.

Iacob sine mẽdacio de se dixisse Ego sum Esau dupliciter ostẽditur.

Iacob

Iacob igitur dicens illa verba: *Ego sum Esau*, hunc animo tenebat eorum verborum sensum atque intellectum; Ego sum factura tua, id est, proles & soboles tua, & primogenitus tuus à Deo institutus.

56 Altera est obiectio Thostati. Cùm vnus homo, per figuratam locutionem appellatur nomine alterius hominis (inquit Thostatus) solet notum esse apud audientes, de consilio & intentione loquentis: quòd non velit significare identitatem personæ, aut substantiæ, sed insignem quampiam similitudinem eorum hominum secundùm aliquam proprietatem, aut virtutem, aut munus. Hoc patet in exemplo paulò superiùs adducto de Ioanne Baptista & Elia: notum enim erat discipulis, cùm Dominus dixit Ioannem Baptistam esse Eliam, non loqui eum de identitate eorum secundùm personã. At Isaac audiens loquentem secum dicere, se esse Esau, planè intellexit de persona Esau: & hoc ab eo intelligi volebat, & tum verbis, tum factis, procurabat Iacob: quòd tamen falsum erat, apertúmque mendacium. Hæc Thostatus. Sed enim rationem eius dissoluere, nõ est operosum. Vsitatum namque est in Scriptura, vnam rem vocari nomine alterius rei, omnino aliud intelligẽtibus qui audiebant, quàm quod sentiebat loquens. Cuius rei, duo mihi nunc suppetit exempla memorare: Alterum est eius quod dixit Dominus Iudæis, vt refert Ioannes in Euangelio cap. 2. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Iudæi de templo, quod erat Hierosolymis dictum esse putarunt, atque ea de re postea Dominum accusarunt apud Principes Sacerdotum. At Dominus id dicebat de corpore suo quod post triduum mortis suscitandum erat ad vitam. Alterum exemplum est apud Tobiam capite 5. Angelus Raphael sub specie mercenarij, interrogatus à Tobia de genere, & parentibus, respondit: *Ego sum Azarias, Ananiæ magni filius.* Et Tobias quidẽ id accepit de insigni quadam persona inter Iudæos sic nominata: Raphael figuratè id dixit, significat enim Azarias, Adiutorem Dei; Ananias verò, gratiam Dei: omnes autem Angeli sunt administri & adiutores Dei, & filij gratiæ, per quam scilicet habent adoptionem filiorum Dei. Audi quid, istum locum breuiter explanans, dicat Lyranus. Ista, inquit, loquens Angelus, verum dixit, quia oratio eius non propria fuit, sed figurata, & mystica: Azarias enim interpretatur, Adiutor Dei: Angeli verò sunt adiutores Dei, quia per eorum ministerium electi diriguntur & deducũtus ad salutem æternam: Nam si Paulus 1. ad Corinthios 3. & se, & alios prædicatores Euangelij non dubitauit appellare adiutores Dei, quanto id veriùs dici poterit in Angelos? Ananias verò exponitur gratia Dei, cuius filij sunt Angeli eo modo quo dicuntur filij gloriæ, quæ non est aliud nisi gratia consummata. Non tamen sic intellexit Tobias: sed quòd ille esset filius cuiusdam personæ de filijs Israel, quæ tali nomine vocaretur. Nec in hoc Angelus decepit Tobiam, quia sic ille meliùs habuit intentum suum, vt scilicet filius suus bonum haberet ductorem, quàm si ille fuisset homo aliquis de genere, quamuis nobilissimo & clarissimo. Tantum Lyranus.

Thostati obiectio, & solutio eius.

Locus Io. c. 2.

Matt. 27.

Locus Tobiæ cap. 5.

Lyranus.

57 Tertia obiectio est: quamuis istud, *Ego sum Esau* possit exponi satis

commodè, ita vt dictum est: non videntur tamen purgari à mẽdacio posse illa eiusdem Iacob verba: *Feci sicut præcepisti mihi, & Comede de venatione mea.* Nihil enim Isaac præceperat filio suo Iacob de ferendis sibi cibis ex venatione, neque cibos illos ex venatione, sed ex domestico grege comparauerat. Neque videtur in istis verbis patere locus aliquis figuratæ expositioni, quemadmodum in superioribus. Sed isti obiectioni, vti occursum sit à quibusdam, dicamus. Caietanus super hunc locum Genesis illa verba Iacob, *Feci sicut præcepisti mihi*, sic exponit: Sicut præcepisti primogenito tuo, is autem sum ego: námque duplex intentio Isaac spectanda est in illo eius præcepto, vna primaria, & altera secundaria. Primaria intentio fuit, præcipere illud primogenito suo: volebat enim supremam, & solemnem benedictionem dare primogenito suo ante mortem suam. Secundaria autem intentio erat præcipere illud Esau, quia eum putabat esse primogenitum suum. Iacob igitur spectans primariam intentionem patris sui Isaac, non autem secundariã, quod ille præceperat primogenito suo, id sibi qui verus eius primogenitus erat, præceptum fuisse dixit. Ad eundem fermè modum istam obiectionem diluit Thomas Anglicus. Ad alterum illud eiusdem Iacob dictũ, *Comede de venatione mea*, reperi apud Lippomanum in catena super Genesim, & super hunc locum, Glossæ cuiusdam Græcæ tale hoc responsum: venationem, Iacob metaphoricè appellasse pulmentum, quod offerebat patri suo, quòd per eum cibum paternam benedictionem primogenito conuenientem ac debitam venari ipse, ac sibi asserere satagebat. Verùm haud scio, an ista responsa nequaquam expletura sint lectoris animum. Ego non dissimulabo sensum animi mei, nam vt nõ inficior dictum illud Iacob, *Ego sum Esau*, in quo vno, ad verum intellectum interpretando, purgandóque à mendacio, Doctores laborarunt, satis commodè in verum sensum redigi posse, ita fateor, duo alia eiusdem Iacob dicta: *Feci sicut præcepisti mihi*, &, *Comede de venatione mea*, perdifficiliter ad veritatis sententiam accommodari posse.

An illa verba Iacob, feci sicut præcepisti mihi. Et illa: comede de venatione mea, purgari à mendacio, queant. Caietanus.

Thomas Anglicus. Lippoman.

Cæterùm (vt hoc quasi pro clausula huius disputationis cursim attingam) monendus mihi lector est, multa olim à defensoribus mendacij, ad eius patrocinium, & defensionem proferri solita de sacris litteris exempla: verùm ad ea omnia promptissimum est, facillimúmque responsum, adhibitis quinque documentis, tanquam certis quibusdam ad iudicandum, regulis. 57

Prima Regula. Aliud est dissimulare veritatem, & aliud est mentiri, hoc nunquam licet, illud sæpe licitum est, ac laudabile: ad hunc modum Abraham dissimulabat Saram esse vxorem suam, appellans eam sororem: Et Dauid dissimulauit integritatem, & sanitatem mentis, motu corporis, gestúque, aliísque rebus simulans insaniam coram Rege Achis. Secunda Regula. Aliud est mentiri, & aliud figuratè loqui. Sunt enim quædam locutiones in sacris litteris, quæ si accipiantur secundùm proprietatem verborum, falsæ sunt, figuratè autem acceptæ, veram sententiam continent, hoc genus sunt locutiones hyperbolicæ, vti est illud, semen Abrahę instar

Quinque Regulæ cognoscẽdi, & iudicandi, quæ sint in scriptura pro mendaciis habenda, quæ minimè.

Ge. 12. & 20.

pulueris

pulueris terræ multiplicatum iri : tales sunt etiam antiphrases, cùm eius quod dicitur, contrarium intelligi debet, vt benedicere Deo, vel Regi, pro maledicere. Tertia Regula. Quædam ita dicuntur, vt non secundùm propriam verborum significationem intelligi debeant, sed secundùm arcanũ quendam, ac mysticum sensum. Sic Angelus Raphael dixit se esse Azariam, filium Ananiæ ; & Iacob dixit se Esse Esau. Quarta regula. Æquiùocè, & ambiguè loqui, non est mentiri, quamuis sciat qui loquitur, aliud ex verbis suis intellecturos audientes quàm ipse velit significare. Sic Dominus dixit Io. 2. *Soluite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud.* Quinta Regula. Non quia Scriptura laudat insignes aliquos viros, aut fœminas, propterea eorum omnia dicta, & facta, quæ commemorantur, similiter approbari, & commendari debere putandum est. Sicut viros etiam sanctissimos, & laudatissimos non putamus excusari oportere ab omni peccato veniali : ita neque omnia eorum dicta ab omni mendacio, etiam leuissimo purgare necesse est. Huius generis mendacia sunt Saræ Genesis 18. Obstetricum Ægyptiarum, Exodi 1. Dauidis coram Pontifice Abimelech 1. Reg. 21. Iudith. in libro eius, capite decimo, & vndecimo: quamuis nonnulli hæc ritè interpretari & excusare, æqui bonique consulant.

1. Reg. 21. Genes. 13 Iob 1. & 2. & 3. Reg. 21.

Dixítque Isaac : Accede ad me, vt tangam te fili mi, & probem vtrum tu sis filius meus Esau, an non. Accessit ille ad Patrem, & palpato eo, dixit Isaac : Vox quidem vox Iacob est : Sed manus, manus sunt Esau.

VERS. 21. & 22.

58 DVPLICEM hæc verba quæstionem ingerunt. Quæritur enim primò cur tam sollicitus, & anxius fuit Isaac in percunctando, & explorando, an is qui secum loquebatur, esset Esau. Quater enim de ea re quæsiuit : primò cùm dixit Versu 18. *Quis es tu fili mi?* Deinde versu 20. *Quomodo tam citò inuenire potuisti fili mi?* Præterea versu 21. dixit Isaac. *Accede ad me, vt tangam te, & probem vtrum tu sis filius meus Esau, an non*, ac demum Versu 24. *Tu es filius meus Esau?* Respondeo, idcircò satagentem, & solicitum fuisse Isaac cognoscendi, vtrum ille esset Esau, quòd omninò vellet supremam benedictionem suam tribuere Esau : sciebat enim ipsum esse priorem natu, ideóque primogenitum ; quapropter ei, cùm alia primogenitorum prærogatiua iure deberi, tùm maximè postremam, ac solennem benedictionem paternam, dari solitam primogenitis ante mortem parentum. Ad eandem sententiam it a scribit Theodoretus Quæstione 77. Volebat Isaac secundùm legem naturæ, benedictionem suam dare Esau, vtpote primogenito suo : primogenitorum autem prærogatiua erat, & primam & duplicem portionem bonorum accipere. Auxit præterea paterni amoris occasionem, quòd Esau perofficiosus esset in patrem, venationibus quippe suis cibum comparabat expetitum valdè, iucundúmque patri suo.

Cur Iacob tã solicitè, & anxiè volebat explorare an ille esset Esau.

Theodoretus.

Obse

Obsequium porrò, etiam crudelissimos quosque mitigare, ac deuincire potest, nedum patrem humanissimum. Et verò legimus etiam diuinum Apostolum copiosis benedictionibus remuneratsse eos, qui sibi obsequiũ præstitissent. Sic Theodoretus. Atque hæc vna fuit causa solicitudinis, & anxietatis Isaac in percunctando, & explorando an ille esset Esau. Altera causa fuit, quòd nonnulla ei suspicio, & dubitatio acciderat, ne fortè ille non esset Esau, tum ob vocem, quæ non Esau, sed Iacob videbatur; tum ob tam celerem, & præproperum ex venatione reditum: & quia iam inaudierat de primogenitis olim ab Esau venditis ipsi Iacob. Quapropter non sine suspicione, ac dubitatione erat alicuius fallaciæ ac fraudis.

Cur Isaac tactus maximè iudicio explorare voluit an ille esset Esau.

Altera quæstio ex supradictis verbis existens, huiusmodi est: Cur Isaac 59 vt exploraret vtrum ille esset Esau, sensus, potissimum tactus adhibere voluit iudicium, ratus ita se certiorem fidem eius quod scire auebat, capere posse. Respondeo, causam eius rei fuisse hanc: deficiebatur Isaac sensu visus; nec multùm pollebat auditu; nam etsi vox loquentis secum, videbatur sibi esse Iacob, quia tamen non id liquidò cognitum habebat, non putauit esse Iacob. Vsus itaque est sensu tactus, qui secundùm visum, primas tenet in certitudine noscendi. Vnde antiquum prouerbium extitit: Oculis manibúsque aliquid tenere, pro eo quod est, Non suspicionibus, aut coniecturis, sed certissimè compertum, ac notum habere. Quocirca B. Ioannes, vt ostenderet se, & alios Apostolos certissimam habere cognitionem eorum, quæ prædicabant de Christo, ita scripsit in exordio primæ suæ Epistolæ: *Quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, hoc annuntiamus vobis.* Et apud eundem Ioãnem cap. 20. Euangelicæ historiæ, Thomas asseueranter negauit, creditum se, Dominum resurrexisse, nisi videret figuram clauorum in manibus eius, & item digitum suum in locum clauorum, & manum in latus eius inferret. Aristoteles tradit sensuum omnium, qui sunt in homine exactissimum & certissimum esse tactum. Eius verba sunt hæc: Sensum tactus habet homo certissimum: in alijs quippe sensibus superatur à multis animalibus: Secundùm autem tactum, multo quàm cetera excellentiùs percipit, vnde prudentissimum animalium est. Cuius rei signum est in genere hominum, secundùm sensorium hoc, non autem secundùm alia sensoria, iudicari homines ingenioso esse aut non ingenioso: dure enim carne, inepti mente; molles autem carne, bene apti censentur. Sic Aristoteles. Cuius sententia vera est, si contentio fiat de præstantia inter sensus hominis respectu aliorum animalium, non autem respectu visus: cui scilicet, ipsemet inter sensus omnes principatum certitudinis in cognoscendo tribuerat: Visus, inquit, omnium sensuum maximè facit nos res cognoscere, multásque differentias manifestat.

Locus 1. Ioannis cap. 1.

Arist. lib 2. de am. Text 94.

Arist. in principio Metaph.

SEXTA

SEXTA DISPVTATIO.

Cur Deus Sanctum Isaac, ita decipi passus sit, vt is non cui volebat, sed cui non volebat, Benedictionem suam tribueret.

Super illis verbis,

Et non cognouit eum, quia pilosæ manus, similitudinem maioris expresserant.

60 HINC apparet, quàm idoneè Rebecca, & quàm accommodatè ad decipiendum senem Isaac, adornauerit filium suum Iacob, vt pilositatem Esau, per hœdorum pelliculas manibus eius appositas, repræsentaret. Simul, & illud intelligitur, fuisse Isaac aliquantisper animo dubio, & ambiguo, num qui secum loquebatur, esset Esau: tum ob vocem eius quæ non Esau: sed Iacob videbatur: tum ob tam festinum ex venatione reditum: videbatur enim incredibile, potuisse tam breui tempore, Esau in agros & syluas ire, & inibi venando animalia capere, & domum redire, & tam bene coctum, conditúmque cibum ipsi afferre. Verumtamen, quatuor res denique omnem ex animo Isaac suspicionem fallaciæ ac fraudis sustulerunt. Primò quidem persuasit ei, illum esse Esau, tam constans asseueratio eius, qui secum loquebatur, sæpius affirmantis se esse Esau: deinde pilositas manuum, quæ propria erat Esau: ad hæc fragrantia odoris vestimentorum, talia enim vestimenta in domo Isaac alius non habebat nisi Esau. His adde, quòd Isaac benè nouerat ingenium, & animum filij sui Iacob: sciebat enim simplicem esse, ac sincerum, & ab omni fallendi artificio alieniſſimum: quare nihil tale sibi ab eo metuebat, quale factum ab eo est. Putauit item Isaac, se præceptum illud de adferendo sibi ex venatione cibo; dedisse soli Esau, alio nemine audiente. Et quanquam vox, quæ videbatur Iacob, nonnihil ei dubitationis ingerebat, existimauit tamen mutatam tunc aliquantulum fuisse vocem Esau, vel ex aliqua corporis affectione: vel quòd Esau consulto vocem suam submitteret, & extenuaret, partim ob reuerentiam paternæ auctoritatis, partim ob deuotionem percipiendæ benedictionis. Et fortasse vox Esau crassior, atque rigidior, & ferocior erat, vox autem Iacob, tenuior, & mollior, atque suauior.

61 Sed existit hoc loco non leuis quæstio: Cur Deus sit passus ita decipi sanctum virum Isaac, & (vt mox ostensum fuit) diuino prophetiæ spiritu præditum, vt is non cui volebat, sed cui non volebat, per errorem, benediceret? Hanc quæstionem Damasus Papa proposuit S. Hieronimo. Is enim in Epistola quam scripsit ad Hieronymum, quæ est numero 124. tres quæstiones posuit Hieronymo, quarum tertia fuit hæc, cur Isaac, vir iustus, & Deo carus, non illi cui voluit, sed cui noluit, deceptus errore, benedixit? Ad quam Hieronymus quæstionem in epistola proximè se-

Cur Deus sit passus decipi Isaac circa benedictionẽ Iacob.
Damasus Papa.
S. Hieronym.

quenti,quæ est 125.ita respondet: Ad istud,inquit,distincta responsio est, nullum hominem,excepto eo,qui ob nostram salutem, carnem est dignatus assumere, plenàm habuisse scientiam,& certissimam veritatem : nam vt Paulus ait : *Nunc ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus* : Plura sunt,quàm vt exemplis debeamus docere, sanctos viros,ea tantùm sciuisse, quæ reuelata eis à Deo sunt, ignorasse verò quæ reuelata eis non fuerunt. Et ad singulas visiones, Zachariam atque Danielem videmus interrogare Angelum,& suppliciter deprecari, vt sibi exponeret illa quæ viderant. Vnde non mirum est,etiam Isaac,in suam maximè vtilitatem,nesciuisse quid faceret; cum magis eo tempore erraret, quo filium sanguinariæ deditum voluptati,& eum qui posteà fratrem,si posset, occideret,prætermisso illo,qui innocéter habitaret domi, vellet efferre,& suam magis voluntatem facere,quàm Dei. Ego puto diuinæ dispensationis fuisse,vt oculis cæcaretur Isaac:& cùm ipsi diceret:*Vox quidem,vox Iacob est;manus autem, manus sunt Esau*, tamen non intelligeret minorem esse filium, qui ad benedictionem fratris præreptor adstiterat. Hæc S. Hieronymus. Cuius responsi, in summa, hæc est sententia : Non soli Isaac contigisse,sed compluribus aliis sanctissimis viris,vt multa ignorarent,& nonnunquam opinionis errore fallerentur : Errorem verò Isaac,fuisse illi vtilem, & domui eius:quod autem ille animo destinauerat,indignum,exitiosúmque fuisset, si ex sententia eius successisset.

Zach.4.
Daniel 9.

B. Gregorius duplicem eius quæstionis solutionem tangit, vnam propriam & litteralem;alteram verò allegoricam. Prior solutio,quæ est litteralis,nec est absimilis eius quam tradidit S. Hieronymus, ducta est ex variis modis, quibus à Deo spiritus Prophetarum tangitur & afficitur; vel circa præterita tantùm, vel circa præsentia, vel circa futura, vel circa ista omnia, vel plura. Verba Gregorij hęc sunt: Aliquando prophetiæ spiritus animum prophetantis ex futuro tangit, ex præsenti autem non tangit:sicut apertè libri Geneseos historia testatur, cum Isaac filium suum Esau ad venandum misit, cui minorem filium Rebecca ad benedicẽdum suppositit; qui hœdinis pellibus indutus, paterno palpatui corpus fraternum finxit. Cui ille minori filio tanquam maiori benedictionem dedit, quæque ei essent longè futura, nunciauit:sed quis esset qui coram se assisteret,scire non potuit. Prophetiæ ergo spiritus, ex futuro animum Isaac prophetantis tetigit,sed ex præsenti non tetigit,quando caligantibus oculis pater, & ventura prædicebat, & præsentem filium nesciebat. Sic Gregorius. Alteram eiusdem rei rationem,sed allegoricam & mysticam reddit idem Auctor Homilia vj. in Ezechielẽ: Quid est, inquit Gregorius, quòd Isaac eundem filium nescit, quem benedicit ? Nisi illud quod Dominus de populo Gẽtili dixit:*Populus quem non cognoui,seruiuit mihi?* Quid item est, quòd præsentem filium non agnoscit, & tamen quę in futuro ei ventura erant, videt ? Nisi quòd Omnipotens Deus, cum per Prophetas suos prædicaret,Gentilitati gratiam prærogandam,eam & in præsenti per gratiam non vidit,quia tunc in errore dereliquit:& tamen quia eam quãdoq; collecturus erat, per benedictionis gratiã præuidit. Hactenus Gregorius.

62

S.Gregor.

Psalm.17.

Cæterum

63 Cęterum exoritur altera quęstio: Cur Deus isto modo, id est, per talem in verbis factisque simulationem, voluit Iacob peruenire ad benedictionem paternam, & Primogenituræ confirmationem: ac non potiùs ante patefecit voluntatem & sententiam suam Isaac, vt is sciens volénsque, sine fuco & fallaciis benedictionem suam impartiret Iacob; ipsúmque Dei iudicio & decreto constitutum esse primogenitum declararet? Tres huiusce rei afferri possunt rationes. Prima ratio ducitur ex multiplici ac multiformi ratione, & via Diuinæ prouidentiæ, in perducendo ad exitum atque effectum, quęcumque fieri omnino statuit. Cum igitur sint variæ admodum vię & modi Diuinæ prouidentię in dirigendis & perficiendis rebus, nunc hac, aliàs illa vel alia pro libertate suę voluntatis, & impenetrabili sapientię suæ ratione, via, & modo vtitur. Altera ratio est, ne si Esau vidisset, se à patre suo sciente & volente fuisse priuatum benedictione, aut intellexisset id voluntate & sententia Dei factum esse, vt erat homo feroci & superbo ingenio, & animo parum pio; vehementiùs acerbaretur & incitaretur aduersus parentem & Deum, vtriusque magnum animo concipiens odium, quòd se tanto bono spoliassent. Tertiam rationem Chrysostomus Homilia 53. in Genesim, & Theodoretus quæst. 79. in Genesim, hanc exponunt: Vt ita notior atque illustrior existeret singularis, eximiáque Dei erga Iacob cura & prouidentia: simúlque fieret manifestum, quòd Deus fieri voluit, quódque factum iri prędixit, id, quo minus ad effectum perueniat, nulla ratione impediri posse: sicut ipsemet Deus per Esaiam declarauit, cap. 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Et per Dauidem Psalm. 113. *Deus noster in cœlo, omnia quæcunque voluit, fecit.* Ponam hîc verba Theodoreti: Quare Deus non reuelauit ipsi Isaac voluntatem suam circa Iacob? Vt nota fieret prouidentia Dei erga Iacob. Nam cum Isaac modis omnibus conaretur benedicere Esau, gratia tamen Dei, contrà quàm putabat Isaac, benedictionem transtulit in Iacob. Quod denique etiam intellexit ipse Isaac. Nam cùm Iacob illi cibum offerret, sæpiùs interrogauit, essétne ipse primogenitus suus Esau: nec id solùm, sed insuper manibus suis palpauit corpus eius. Sed mox, post datam ei benedictionem, ingresso Esau, obstupuit maiorem in modum Isaac, ob id quod factum erat: nihil tamen est indignatus, quasi esset à filio deceptus: sed intentionem Diuinam agnouit, & quam dederat benedictionem, confirmauit. Hæc Theodoretus.

Cur voluit Deus vt Iacob per deceptionẽ patris, Benedictionẽ eius obtineret.

Chrysost. Theodoretus.

Statímque vt sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait, Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni: cui benedixit Dominus. *Versu 27.*

64 ANTE alia obseruet Lector hoc loco, quàm sit antiquus mos, quem hodiéque cernimus permanere, personas dignitate quapiam præcellentes & primarias, precioſas gerere vestes, optimísque odoribus fragrantes. Apud Homerum legitur *Homerus.*

Calypso vestibus induisse Vlyssem fragrantibus; ille appellat ea vestimenta θυόεντα, qualia nimirum gestare solebant sacrificantes Diis, id est, preciosas, & bene olentes, nam θύω, quod est sacrifico, dictum videtur quasi θυμιάω, quod significat euaporare, adolere & suffire. Nec ab hoc videtur remotum, quod legitur Canticorum 4. *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.* Rupertus libro vij. Commentariorum in Genesin, vestimenta ista Iacob tam bono fragrantia odore, secundùm intelligentiam allegoricam sic interpretatur: Has vestes, pater familias in Euangelio nominibus suis expressit, reuerso ad se filio qui perierat, & inuentus fuit: mortuus fuerat, & reuixit: *Citò*, inquit, *proferte stolam primam, & induite eum, & date annulum in manum eius, & calceamentū in pedibus eius.* Prædicta igitur vestimenta, scilicet stola prima, quam habemus in lauacro Baptismi; & calceamenta pedum, quæ sunt antiquorum exempla Sanctorum, annulus quoque, id est, fidei signaculum, ceteræque virtutes, siue orationes pœnitentium, optimi & suauissimi odoris sunt apud Deum: talibus enim plurimùm delectatus Deus, amplissimam benedictionem suam, id est, cœlestium donorum suorum abundantiam largitur.

Locus Canticorum c. 4. Rupert. c 15. & 17.

Luc. 15.

Sequitur illud: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni: cui benedixit Dominus.* Rustica hæc ac pastoralis similitudo fragrantiæ vestimentorum Iacob cum odore agri, bellè congruebat cum instituto ac ratione vitæ quam agebat Isaac; cuius omnis penè res familiaris atque opulentia erat in gregibus & armentis, & in frumento, & vino, atque oleo: videlicet tales similitudines reperire est frequentes in Bucolicis apud Virgiliū & Theocritum, necnon & in Canticis Canticorum. Solent profectò tum sacri, tum externi scriptores, earum rerum similitudinibus, exemplísque crebrò ac libenter vti, in quibus rebus eorum maxima in parte, ars & vita versatur. Audi B. Hieronymum, ad istam sententiam, super illis verbis prophetæ Amos cap. 1. *Dominus de Sion rugiet*, ita scribentem. Naturale est, vt omnes artifices, suæ artis loquantur exemplis; & vnusquisque, in quo studio triuit ætatem, illius similitudines & exempla proferat. Exempli gratia, qui nauta est, & gubernator nauis, tristitiam suam comparat tempestati; damnum suum vocat naufragium; inimicos suos, ventos contrarios appellat. Contra verò prosperitatem & lætitiam, secundos nominat ventos, & auram placidam, tranquillàque maria, & æquora, campis similia. E regione, miles, quicquid dixerit, scutum, gladium, loricam, galeam, lanceam, arcum, sagittam, mortem, vulnera, & victoriam sonat. Sec cur hæc diximus? vt scilicet ostendamus, etiam Amos prophetam, qui pastor de pastoralibus fuit, non in locis cultis, nec inter arbores & vineas, aut inter syluas & prata virentia; sed in lata eremi vastitate, in qua versatur leonum feritas, & intefectio pecorum, artis suæ vsum esse sermonibus: vt vocem Domini terribilem atque metuendam, rugitum leonum & fremitum nominaret. Sic Hieronymus.

Documentum bene obseruandum. S. Hieronym.

65

Verùm paulò attentius supradicta Isaac verba perpendamus. Pro illo: *Ecce odor filij mei*, Hebraicè est, *Vide odorem filij mei, tanquam odorem agri.* Consuetum enim Hebræis est, imperatiuo illo [Vide] vti pro aduerbio demon

66

Oleaster.

demonstrandi [ecce:] quanquam Oleaster dicit positum esse [vide] pro, Olfac; ex more scilicet linguæ Hebrææ, sæpe vni sensui tribuentis, quæ sunt alterius sensus. Chaldaica interpretatio, & Septuaginta Interpretes habent, vt nos: quod autem in quibusdam libris additum legitur [pleni] quod non est in Hebræo, vbi præcisè est, *sicut odor agri*, sciat Lector sumptum esse ex trãslatione Septuaginta Interpretum. Thargum Hierosolymitanum hunc locum paraphrasticẽs ita transtulit: *Sicut odor incensi ex optimis aromatibus, quæ tandem offeruntur in monte, vbi erit domus sanctuarij: siue templum: cui benedixit qui viuit in æternum.* Ergo illorum verborum Isaac, hæc est sententia: Ecce, fragrantiam sentio filij mei, similem ei quam exhalare solet fertilis ager, odoriferus floribus, & suaue olentibus fructibus plenus, cui Dominus benedixit, magnam vtique fœcunditatem vberémque terra nascentium prouentuum præstando. Tribus porrò de rebus Scriptura solet laudare agrum: De suauitate odoris, vt hoc loco: De plenitudine & copia, sicut in præsentia dicitur, agri pleni cui benedixit Dominus: talis autem plenitudo tribus in rebus est, in abundantia frumenti, vini & olei, de quibus dicitur Psalmo quinto: *A fructu frumenti, vini, & olei multiplicati sunt*: ac demum à pulchritudine, sicut Dominus dixit Psal. 49. *Pulchritudo agri mecum est*, cuius pulchritudinis luculentissimum est testimonium, quod perhibuit Dominus Matth. 6. de pulchritudine, ac naturali ornatu liliorum agri, affirmans, ne ipsum quidem Salomonem omni splendore ac gloria sua æquare eam potuisse.

67 Sed quæri possit hoc loco, quisnam sit odor ille agri, tantopere commendatus ab Isaac. Thostatus super hunc locum Genesis ait, odorem agri pleni, non per se delectabilem ac iucundum esse, sed tantùm per accidens: quia plenitudo eius ob abundantiam frumenti, vini, & olei, est homini, super omnem suauitatem odoris, iucunda & delectabilis. Non secus atque multùm esurienti, bonæ carnes, ac bene assæ, odorem exhalant iucundissimum; non propter se, sed propter cibum ab eo vehementer expetitum. Alioquin, nec frumenta, nec vineæ, nec oleæ, præcipua agri bona, iucundum per se ac suauem odorem reddunt. Verùm Thostatus falsus opinione sua est; non enim solùm per accidens, vt ipse putauit, sed etiam per se iucundissimus est odor agri. Huius porrò iucunditatis duplex causa est; vna in ijs quæ terra nascuntur; altera in ipsamet terra. Ager enim affert suauissimos odores propter multa odoriferarum genera herbarum, propter innumerabilem suaue olentium florum varietatem; ac demum propter inenarrabilem odorum iucunditatem, ex piris, pomis, plurimarúmque arborum fructibus manantem. Nec terra modò nascentia talem spirant odorẽ, sed ipsamet terra, si naturaliter bene affecta sit, si bene prosciſſa, mollis, nec madida, nec sitiens, póstque vomerem nitescens. Cui rei vt testimonium reddam lectori, credibile, fidémq; faciens, testem hoc loco producam Plinium, cuius in libro 17. cap. 5. hæc sunt verba: Cicero, lux doctrinarum altera, Meliora, inquit, vnguenta sunt, quæ terram, quàm quæ crocum sapiunt: hoc enim maluit dixisse, quàm redolent. Ita est profectò: illa erit optima terra, quæ vnguenta sapiet. Quod si admonendi su-

An odor agri pleni sit per se laudabilis.

Thostatus refellitur.

Terra per seipsa quando suauissimè oleat. Plinius.

mus,qualis sit terrę odor ille qui quæritur,contingit sæpè etiam quiescenti ea sub occasum solis; in quo loco arcus cœlestis deiecerit capita sua: & cum à siccitate continua,immaduit imbre. Tunc emittit illum suum halitum diuinum, ex sole conceptum, cui comparari suauitas nulla possit. Is esse odor, in commota debebit; repertúsque neminem fallet, ac de terra odor optimè iudicabit. Talis ferè est in noualibus,cæsa vetere sylua, quæ consensu laudatur. Sic Plinius. Sunt qui putent,cùm Isaac laudauit odorem agri pleni,significare voluisse tempus anni vernum;quo scilicet tempore, suauissimis odoribus fragrat ager ob florum prouentum. Audi Plinium libro 16. Pariunt arbores,cum florent. Arborum flos,est pleni veris indicium, & anni renascentis:flos, gaudium est arborum. Tunc se nouas aliásque quàm sunt, ostendunt: tunc variis colorum picturis in certamen vsque luxuriant; tunc liliorum eximius candor, paulatim sese laxat,effigie calathi, resupinis per ambitum labris: & campos longè, latéque violaria reddunt purpureos ac suaue olentes.

Plinius.

Pulcherrima Gregorij allegorica expositio.

B.Greg. istum agrum odoriferũ,per allegoricam intelligentiã comparat Ecclesię,quę secundùm varios hominũ ordines,variáq; gratiarũ genera,variis etiã modis spiritualem redolet suauitatem.Et quia oratio Gregorij,non solùm pietatis plena est,sed etiam spiritualis cuiusdam eloquẽtiæ, lubet eam hoc loco apponere. Sic autem scribit ille Homilia 6. in Ezechielem: Dominus in Euangelio dixit agrũ esse hunc mundum. Quoniã igitur Gentilis populus ad Fidem perductus, per electos suos in vniuerso mũdo virtutibus redolet, rectè dicitur, *Odor filij mei, sicut odor agri pleni.* Aliter namq; olet flos vuæ: quia magna est vis & doctrina prædicatorũ,qui inebriant mentes audientium. Aliter olet flos oliuę,quia suaue est opus misericordiæ. Aliter olet flos rosæ: mira namq; est fragrantia, quæ redolet ex cruore Martyrum. Aliter flos lilij:quia candida vita carnis,est de incorruptione virginitatis. Aliter olet flos violę:quia magna est virtus humilium, qui ex desiderio loca ima tenentes, se per humilitatem à terra in altum non subleuant, & cœlestis regni purpuram in mente seruant. Aliter redolet spica, cum ad maturitatem perducitur:quia bonorum operum perfectio,ad satietatem eorum qui iustitiam esuriunt,præparatur. Quia ergo Gentilis populus in electis suis vbique per mundum sparsus, magnis virtutibus & benefactis, omnes qui intelligunt, odore bonę operationis replet; idcircò rectè dicitur: *Odor filij mei, sicut odor agri pleni.* Sed quia virtutes illas non ex seipso habet, sed ex Deo, propterea illud adiungitur: *Cui benèdixit Dominus.* Sic Gregorius. 68

Luc.17.
Matth.13.

Nec dissimilis admodum est,nec relinquenda in præteritis altera huius loci expositio similiter allegorica, quam disertè tractat S.Ambros. lib.2. de Iacob, & vita beata, cap. 1. scribit autem ad hunc modum: Pulchrè, & verè de Iacob dictum est: *Ecce odor filij mei: tanquam odor agri pleni.* Erat enim Iacob perfectus in omni flore virtutum, & sacræ benedictionis, atq; cœlestis beatitudinis redolebat gratiam. Ipse enim ager est,quem benedixit Dominus; non ager terrenus, qui sæpe horridus est syluis, aut fragosus torrentibus,aut palustris pigrioribus aquis, aut ieiunius frumentis,aut 69

S. Ambros.

tis,aut inutilis vitibus,aut infœcunda glarea saxosus, aut hiulcus & aridus siccitate,aut nimiùm aquis madidus,aut sentibus incultus. At ager hic,est is, de quo dixit Dominus: *Et species agri mecum est.* In hoc agro vua illa reperitur,quæ expressa sanguinem fudit,& mundum diluit. In hoc agro est ficus illa,sub qua Sancti requiescunt,spiritalis gratiæ suauitate recreati. In *Psalm.49.* hoc agro est oliua illa fructifera, dominicæ fluens pacis vnguento. In hoc agro florent malogranata, quæ plurimos fructus vno fidei munimine tegunt,& quodam fouent charitatis amplexu. Hos igitur fructus redolebat Iacob,qui Deum per pericula sequebatur, & tutum se eius vbique deductione credebat. Nam licèt dulcis & suauis odor sit agri, quia est odor naturæ; tamen in sancto Patriarcha virtutum spirabat gratia. Quàm continens erat parcimonia, qui cibum sibi paratum non expetiuit, sed petenti fratri sine dilatione concessit; à quo primatum benedictionis accepit? Quàm pius erga parentes, vt præferri germano seniori, materno affectu mererertur, & paternæ benedictionis munere sacraretur? Quàm religiosus, vt fratrem recusaret lædere? Quàm verecundus, vt patrem timeret fallere? Quàm reuerens parentum,& honorificus, vt matri quod iubebat, non posset negare? Sic Ambrosius.

Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini. Et seruiant tibi populi,& adorent te tribus: esto dominus fratrum tuorum; & incuruentur ante te filij matris tuæ: qui maledixerit tibi, sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. VERSV 28 vsque ad 30.

70 HÆc verba cõtinent benedictionem amplissimam, quam Isaac diuino Spiritu afflatus, contulit in Iacob, tanquam in suum primogenitum; quanquam ipse opinionis errore, putauit illum esse Esau. Ac licèt forma huius benedictionis modum habeat optantis & precantis; reuera tamen vim habet propheticam denunciantis quod futurum est. Sic itaque intelligenda & interpretanda est: *Det tibi*, id est, Dabit. *Seruiant tibi, & adorent te*, id est, seruient & adorabunt. *Esto dominus*, id est, eris dominus. *Incuruentur ante te*, id est, incuruabuntur. *Sit ille maledictus*, id est, erit ille maledictus. *Benedictionibus repleatur*, id est, replebitur. Ad hunc item modum imprecationes malorum æternorum, multifariam in Scriptura positas interpretari conuenit. Cuiusmodi sunt illa: *Conuertantur in infernum*, id est, *Psalm 9.* conuertentur. Et, *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non* *Psalm.68.* *scribantur*, id est, delebuntur, & non scribentur. Iosephus primo libro Antiquitatum, benedictionem hanc Isaac enarrans, non parum *Iosephus parũ fidelster refert, quod in sacra historia traditur.* à sacra historia, & narratione Mosis recessit: variat namque tum formulam Benedictionis, tum sacrorum verborum sententiam. Sunt autem hæc Iosephi verba: Postquam iam cœnatus fuerat Isaac, ad Deum precibus inuocandum se conuertit: Domine, inquit, omnium sęculorum, & con

& conditor rerum omnium: Tu patri meo maxima bona pollicitus, etiam mihi præsentem felicitatem es largitus: meis quoque posteris propitium te fore, & maioribus beneficiis eos cumulaturum promisisti. Hic tuus fauor perpetuus sit precor, néve me propter hãc debilitatem despicias, quæ facit, vt magis etiam ope tua egeam. Serua puerum hunc propitius, & ab omni calamitate illæsum custodi: da ei vitam felicem, & possessionem bonorum, quæ in tua sunt potestate: fac eum formidabilem inimicis, & apud amicos gratiosum. Sic ille Deum inuocabat, putans se Esau bene precari. Hactenus ex Iosepho.

Quatuor bonorum genera, per benedictionem Isaac promissa Iacob & posteris eius.

71 Hæc porrò benedictio Isaac denotat quatuor maxima, id temporis, & optatissima bona: Primum spectat ad opulentiam, & copiam terrenorum bonorum, quæ beneficio cœli, terræque bonitate, atque vbertate proueniunt. Alterum continet imperium in gentes & populos, summumque honorem, ac venerationem ab illis exhibendam. Tertium comprehendit præstantiam domesticæ cuiusdam dominationis, & dignitatis super alios fratres; qui primogenitum fratrem, non secus ac parentem aut dominum reuerituri, atque honoraturi erant. Quartum bonum pertinet ad prosperitatem, & gloriam Iacob; quæ tanta futura esse dicitur, vt eius amicis, fautoribus, & adiutoribus prosperè omnia successura essent: contra verò, eius inuidis, insectatoribus atq; inimicis, calamitosè, atque infeliciter futurum. Hæc verò quatuor bona promissa Iacob, intelligendum est, præstanda fuisse partim eius posteris tantùm, non autem ipsi, vt secũdum & tertium: non enim Iacob adoratus est à fratre suo Esau, sed contra potius eum ipse adorauit Genes. 33. nec Iacob fuit dominus populorum & gentium, sed id completum est in posteris eius, maximè verò regnante Dauide, ac Salomone. Primum autem, & quartum bonum, communiter Iacob, & posteris eius contigit. Audi quid in hanc sententiam scribat Thomas Anglicus, hunc locum pertractans. Et hæc quidem promissa secundùm corticem veteris Testamenti, vmbratiliter in populo Israël impleta fuerunt. Quod si aliquando contrarium legimus in sacra Scriptura, Hebræos nonnunquam talibus bonis non modò caruisse, verum etiam grauissimis malis, ac calamitatibus afflictos & obtritos esse; sciendum est, id accidisse propter eorum peccata, præcipuè ob contemptum iustitiæ, ac legis diuinæ, & alienationem à veri Dei cultu, ac religione. Id prætereà contigit, vt ea ratione pernotesceret, in talibus promissis, principaliter spiritalem intelligentiam esse requirendam: & istiusmodi promissa referenda esse ad bona spiritalia, & cœlestia, quæ principaliter & propriè respiciunt Regem Christum, secundariò autem & participatiuè Ecclesiam Electorum. Semper itaque, ac simpliciter istiusmodi promissa, secundùm spiritalem intelligentiam, in regno Christi, & in Ecclesia Electorum completa sunt, secundùm autem historicum sensum, prout significant terrenam prosperitatem, ad tempus, & prout expediebat, in veteri Testamento impleta sunt. Sic ille.

Thomas Anglicus.

Cur Isaac solius roris meminerit, tacẽs imbres, niues, & ventos, & calorem cælestem.

Det tibi Deus de rore cœli. Cur inter bona & commoda quæ de cælo 72 in terras defluunt, solius roris meminerit Isaac, nihil dicens de pluuia, de vento, niue & calore Solis, meritò quæri hoc loco potest. Præsertim verò,

cum

cùm imber & nix ad fœcunditatem vbertatémque terræ præcipuè commendentur in Scriptura. Sic enim per Esaiam capite 55. loquitur Deus. *Quemadmodum descendit imber & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo; non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud.* Et in vigesimo octauo capite Deuteronomij ita scriptum est: *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, vt tribuat pluuiam terræ suæ in tempore suo, & benedicat cunctis operibus manuum tuarum.* Huic quæstioni sic est respondendum; solius roris mentionem esse factam tres ob causas. Ros enim leniter è cœlo cadens, nunquam suo lapsu lædit ea quæ de terra nascuntur, sicut non rarò imbres, & nimio impetu ruentes venti, nimiáque copia niuis, & præter modum ardens Solis calor. Deinde, ros molliter affusus terra nascentibus, & illis tanquam incubans, temperatissimo frigore, & humore, fouet ea & fœcundat. Sed illa est potissima causa, quod in Palæstina, maximè verò in Iudæa, non ferè cadunt imbres, nisi bis per annum. Primùm mense Octobri, qui dicitur imber temporaneus, iactis iam in terram seminibus maximè vtilis: pluit deinde Mense Maio, vel Aprili, quæ dicitur pluuia serotina, plurimùm valens ad maturandos fructus. Ros igitur, quoniam in eam terram à mense Maio ad Octobrem plurimùm non cadit imber, vtilissimus est, & optatissimus. Præstat enim vicem pluuiæ non sinens germina, assiduo æstu arescere, & interire, sed refrigerans ea, & augens, & ad suam quodque perfectionem adducens.

Non nisi duobus anni temporibus ferè in Palæstina pluere.

73 *De pinguedine terræ.* Pinguẽ terram appellans, significat terram natura bene affectam, & comparatam ad fœcunditatem, atque vbertatem: cui terræ, contraria est macra, perarida, & puluere fatiscens, qualis porrò esse terra debeat, quæ promittat vbertatem, & præstet, hisce notis ex Catone descripsit Plinius libro xvij. cap. v. Cato breuiter, atque ex suo more, terræ vitia, & virtutes determinat. Terram, inquit, cariosam caue: néve plaustro, néve pecore impellas. Quid putamus hac appellatione ab eo tantopere reformidari, vt penè vestigijs quoque interdicat? Cogitemus ligni cariem, & inueniemus illa, quæ in tantum abominatur, terræ vitia, aridæ, fistulosæ, scabræ, senescentis, exesæ, & pumicosæ. Plus dixit vna significatione, quàm possit vlla copia sermonis enarrari, est autem quædam, non ætate, sed interpretatione verborum, anus terra: & ideò infœcunda ad omnia, atque imbecilla. Idem optimam terram, appellat teneram, quæ vocetur etiam puella. Intelligendum autem est, dictam mira significatione teneram: & quicquid optari debet, in eo vocabulo inueniri. Illa enim temperatæ vbertatis est, illa mollis, facilísque culturæ, nec madida, nec sitiens: illa post vomerem nitescens, & quam recentem exquirunt improbę alites vomerem comitantes, coruíque aratoris vestigia ipsa rodentes. Illa suauissimi est odoris, nonnunquam emittens quasi diuinum quendam halitum, cui comparari suauitas nulla possit. Hactenus ex Catone, vel Plinio. Sicut igitur Cato appellans teneram terram, eo nomine omnes

Signa bonæ, ac fœcũdæ terræ ex Catone, & Plinio.

eius virtutes,& bona significare voluit,ita quoque sanctus Isaac, vocans pinguem terram.

Sequitur, *Abundantiam frumenti,& vini.* Pro(vino)Hebraicè est mu- 74
stum,vt significetur, non vinum exotericum, & aliundè aduectum, sed vinum ibi natum,& quasi indigena.Nonnulli codices, præter frumẽtum, & vinũ,habent,oleum;sed id nec Hebræi,nec Chaldaici,nec Græci codices habent,nec Latini emẽdatiores. Sub nomine autem frumenti,& vini, quæ sunt principes humani victus partes, significantur cætera, vt oleum, mel,mãna,& quæ ex herbis,& oleribus,fruticibus,arboribus,& animalibus suppeditantur humanæ vitæ commoda:ista enim ex rore cœli,& pinguedine terræ proueniũt.Est porrò mira societas terræ,ac cœli ad procreationem eorum,quæ in terris nascuntur: ad id enim vtriusque virtute, ac benignitate opus est.Quocirca Dominus Leuit.26.Violatoribus legis sue minatur daturum se cœlum ferreum & terram æneam: ea re significans, summam sterilitatem,& penuriam omnium terra nascentium. Est igitur quasi coniugium quoddam inter cœlum,& terram:idque Poëtas, & philosophos non latuit,qui cœlum vocauerunt Iouem, Terram verò Iunonem,quòd terra cœlestibus fœcundata & grauidata seminibus, varia frugum, aliarúmque rerum genera pariat. Sic enim Beatus Augustinus libro quarto de Ciuitate Dei, capite decimo interpretatur illos Virgilij versus.

Mira societas & quasi cõiugium quoddã cæli, ac terræ vnde procreatio omnium terra nascentium.

Locus Leuitici cap.26.

S.Augustinus Virgilius.

Tunc Pater omnipotens,fœcundis imbribus Aether
Coniugis in gremium latè descendit.

Atque hæc quidem dicta sunt de historica interpretatione, & litterali 75
intelligentia illorum verborum. *Det tibi Deus de rore cœli, & pinguedine terræ.* Eorundem porrò verborum allegoricam expositionem breuiter tradit B.Gregorius hunc in modum scribens Homilia vj. in Ezechielem: Quoniam inter Electos alij in contemplationem surgunt, alij verò per actiuę vitæ solummodò opera pingescũt:rectè in benedictione illa Isaac dicitur: *Det tibi Dominus de rore cœli, & de pinguedine terræ:* Ros etenim desuper,& subtiliter cadit:& nos toties de rore cœli accipimus, quoties per infusionem contemplationis intimè de supernis aliquid tenuiter videmus.Cùm verò bona opera etiam per corpus agimus, de terræ pinguedine ditamur. Sic Gregorius. Memoranda item est Theodoreti eorundem verborum allegorica similiter interpretatio. Nam quæstione 81.in Genesim docens,quod istis verbis dictum est Iacob. *De rore cœli,& pinguedine terræ.*Id potissimum pertinere ad Saluatorem nostrum, quem Iacob multis rebus mirificè præfigurauit,& cuius secundùm carnem etiam pater fuit:Ros itaque cœli,diuinitatem Christi prę signat:pinguedo autem terræ,Humanitatem eius de terrena substantia nostra acceptam. Etenim Beatus Dauid Psalmo 71.hæc prænuntians,inquit: *Descender sicut pluuia in vellus,& sicut stillicidia stillantia super terram.*Sicut enim ros inuisibiliter quidem descendit, deorsum autem consistens manifestò apparet: Sic Deus cum sit inuisibilis,per carnem visus est super terram;& cum hominibus conuersatus est.Frumentum autem,& vinum, ænigmata sunt diuinorum

B.Greg.& Theodoreti allegorica expositio.

Theodoretus.

Baruch.3.

norum mysteriorum. Ergo promissum istud roris cœlestis, & pinguedinis terræ, symbolica significatione promissionem continet Domini nostri, qui verus Deus, verúsque homo, & ex semine Iacob generatus secundùm carnem, salutem attulit mundo. Vt secundùm hanc intelligentiam, illud: *Det tibi Deus de rore cœli, & pinguedine terræ*, hoc significet: Dabit tibi Deus Filium, Deum simul, & hominem & totius mundi Saluatorem. Et hanc quidem interpretationẽ valdè adiuuat quod mox subditur: *Seruiãt tibi populi, & adorent te tribus*, namque hoc cumulatissimè, & absolutissimè in Christo factum est, vt prædictum de eo fuerat psalmo. 2. & 71. & apud Danielem cap. 2. & 7.

76 Non prætermittam obiter commonere lectorem, ex istis verbis Isaac, voluisse Tertullianum fidem astruere, firmaréque illius opinionis suæ de Regno Christi, per annos mille in terris, maxima Sanctorum omnium felicitate futuro. Quæ fuit quondam multorum, & apprimè nobilium Auctorum sententia, & postea, cùm est ab Ecclesia reiecta, hæresis chiliastarum, quos Latinè ad verbum Millenarios dicas licet, appellata est. Memorabo hîc, ad eam sententiam, nonnulla Tertulliani verba, ex libro eius tertio contra Marcionem. Quid tibi videtur, ait Tertullianus, cum Abrahæ semen, post primam promissionem, quæ in multitudidem arenæ repromittitur, ad instar quoque stellarum destinatur? nónne & terrenæ, & cœlestis dispositionis auspicia sunt? Cur Isaac item benedicens filium Iacob ait: *Det tibi Deus de rore cœli, & de opimitate terræ*, nonne vtriusque indulgentiæ exempla sunt? Si quidem & iustum est, & condignum Deo, illic quoque exultare famulos eius, vbi sunt, & ipsius nomine afflicti. Sic Tertullianus. Verùm cõtra istam opinionem cum alij copiosè, tum nos etiam non inaccuratè, nec ieiunè disseruimus sub finem libri octaui Commentariorum nostrorum in Danielem.

Tertulliani de terreno Christi & Sanctorum regno ex hoc loco argumentatio.

Genes. 35.

77 *Seruiant tibi populi, & adorent te tribus.* Et hoc, & reliquum benedictionis Isaac, ad præstantiam dominationis, & dignitatis, & prosperitatis, non tam in ipso, quàm in posteris eius pertinens, translatio, siue paraphrasis Hierosolymitana, quam vocant Thargum, expressiùs, & distinctiùs sic interpretatur, Seruient coram te omnes populi: omnes scilicet filij Esau. Et subijcientur tibi omnia regna: nimirum omnes filij Ismaëlis. Esto Dominus, & princeps super omnes filios Cæturæ. Præuenient, & petent pacem tuam omnes filij Laban fratris matris tuæ. Qui maledixerit tibi, erit maledictus, vt Balaam filius Beor. Et qui benedixerit tibi, erit benedictus, vt Moyses propheta Legislator Israëlis. Sic ibi. Quanquam autem Balaam, cum ductus est ad maledicendum Hebræis, pro maledictione, egregiam dedit illis benedictionem: is tamen postea dans consilium Madianitis, per formosas mulieres decipiendi Hebræos, & ad idololatriam alliciendi; non incommodè potest intelligi, tali eum ratione maledixisse Hebræis. Verùm quispiam fortasse hîc scire cuperet, cur promittantur Iacob, quæ non ipsi, sed posteris eius præstanda erant. Sciat igitur is, consuetudinem esse diuinæ scripturæ, promittere aliquibus magna quædam bona, quæ non ipsis, sed multo post tempore alijs præstãda sint:

Consuetudo Scripturæ in dandis promissionibus.

promittuntur autem illis,quòd sint illi tanquam caput, & principium, & radix eorum, in quibus ea promissa sunt complenda. Dantur itaque illis promissa,ad ostẽdendum dignitatem eorum, declarandúmque meritum: quippe talia dari posteris suis,egregijs ipsi virtutibus,& factis promeruerunt. Facit præterea id ad consolationem eorum mirificè gaudentium, talia promissa posteris suis aliquando esse præstanda. Huius ferè generis fuere promissa data tribus istis Patriarchis, & quæ Iacob vicinus morti filijs suis ventura prædixit. Videat lector, quæ super ista re disseruimus in Tomo 3. Commentariorum nostrorum in Genesim super caput xiij. numero 44. & 45.

Allegoria in benedictione Isaac. S. Augst.

78 Cæterum totius benedictionis huius,qua Isaac benedixit Iacob, allegoricam, & perbreuem explanationem huiuscemodi tradit Augustinus lib. xvj. de Ciuitate Dei,cap. xxxvij. Benedictio Iacob,ait Augustinus, benedictio Christi est in omnibus gentibus. Hoc fit,hoc agitur. Lex,& prophetia est in Isaac: etiam per os Iudæorum Christus ab illa benedicitur, velut à nesciente;quia ipsa nascitur. Odore nominis Christi, sicut ager, mundus impletur. Eius est benedictio de rore cœli,hoc est, de verborum pluuia diuinorum: & de vbertate terræ,hoc est de congregatione populorum. Eius est,multitudo frumenti & vini, hoc est,multitudo quam colligit frumentum & vinum in sacramento corporis,& sanguinis eius. Ei seruiunt gentes,ipsum adorant Principes. Ipse est Dominus fratris sui, quia populus eius,dominatur Iudæis. Ipsum adorant filij patris eius,hoc est,filij Abrahæ secundùm fidem; quia & ipse filius est Abrahæ secundùm carnem. Ipsum qui maledixerit,maledictus, & qui benedixerit, benedictus est. Christus etiam ex ore Iudæorum,quamuis errantium,sed tamen legem, Prophetasque cantantium, benedicitur; id est veraciter dicitur; licèt alius benedici putetur, qui ab illis errantibus expectatur. Hæc Augustinus,qui omnem benedictionem Isaac refert ad Christum.

Rupertus. Ephes 1 & Col. 1.

79 Paulò ampliorem;nec minùs eruditam, atque obseruandam eiusdem generis interpretationem Rupertus in libro vij. Commentariorum in Genesim cap. xvij. talem ponit, vt priorem Benedictionis partem exponat de Congregatione fidelium, quod est corpus Christi; posteriorem autem partem de Christo qui est caput Ecclesiæ. Scribit verò Rupertus hoc modo: Est rationali creaturæ ros cœli,non aliud, nisi gratia Spiritus sancti,quæ peccata remittit: pinguedo autem terræ,vel abundantia frumenti & vini, est adapertio sensus ad intelligenda quæ latent in Scripturis mysteria regni Dei. Illic enim latet granum frumenti, quod cadens in terram mortuum fuit, & multum fructum attulit: Est vinum, quod lætificat cor hominis: & oleum in quo facies hilarescit. Erga ista dicens Isaac,prophetat simul,& optat illud, quod nunc factum est, & fit vsque in finem seculi,videlicet,quòd seminis Abrahæ per fidem,tanquam vnus est ager,latitudo totius mundi,gemino fœcundatus munere Spiritus sancti: altero,quod est in remissione peccatorum,quovero cœli rore innouetur facies hominis: altero, quod est diuersarum distributio gratiarum,

Ioan. 12.

Psal. 103.

eiusdem

eiusdem Spiritus Sancti, quo diteſcimus in omnibus, vt in nulla gratia nihil nobis deſit, ſicut ait Apoſtolus. His dictis quaſi de toto corpore, deinceps ad caput verba conuertit, ſubiungens: *Et ſeruiant tibi populi, & adorent te tribus, &c.* Quis enim eſt ille, cui ſeruiunt populi, & quem adorant tribus, niſi caput ſeminis Abrahæ Chriſtus Dominus, non tantùm homo, ſed Deus & homo, vnus Ieſus Chriſtus? Coram illo incuruantur omnes filij matris eius, id eſt, omnes ciues ſupernæ Hieruſalem, quæ eſt mater omnium noſtrum. Et iurè incuruantur: Nam licèt ipſi etiam ſint fratres, & filij Dei, verùm per adoptionem tantùm, ipſe verò ſecundùm naturam; & quâ homo frater eſt, quâ Deus, fratrum adorantium, & ſeruientium eſt Dominus. Nec in Chriſtum non bellè quadrat: *Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus; & qui benedixerit tibi, benedictionibus impleatur.* Maledicit Chriſto, qui Chriſtum blaſphemat, eius vel doctrinam, vel facta obtrectans, & calumnians, ſicut venenata lingua Scribarum, & Phariſæorum dicentium: *Dæmonium habes: in Beelzebub eijcit dæmonia.* E contrario benedicit Chriſto, qui confitetur & laudat Chriſtum, corde, & lingua dicens: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Dicit autem Apoſtolus, quòd nemo loquens in Spiritu Dei dicit anathema Ieſu: Et quòd nemo dicit, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu Sancto. Igitur qui Chriſto maledicit, Spiritu ſancto caret, quod eſt verè maledictum eſſe; & qui benedicit illi, in Spiritu ſancto loquitur, quod eſt verè benedictum eſſe. Spiritus quippe Sanctus vera eſt, & ſola benedictio Dei: ideo rectè dictum eſt: *Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus impleatur.* Hactenus ex Ruperto.

1. ad Cor. 1.

Ad Gala. 4.

Ioan. 8. & 10. Matth. 12. Infr. 21. & 23 1. Cor. 12.

Expauit Iſaac ſtupore vehementi: & vltrà quàm credi poteſt admirans ait: Quis igitur ille eſt, qui dudum captam venationem attulit mihi, & comedi ex omnibus priùs quàm tu venires? benedixíque ei, & erit benedictus. VERS. 33.

80 SECVNDVM Græcam verſionem huius loci cenſet Beatus Auguſtinus, tunc Iſaac paſſum eſſe ecſtaſim, & mente diuinitus illuſtrata, cognouiſſe Dei voluntate illa eſſe acta, & ab eo prælatum eſſe Iacob Eſau, deſignatúmque primogenitũ, atque hæredem ſuarum promiſſionum. Verba S. Auguſtini in tractando quæſtionem octogeſimam in Geneſim, hæc ſunt: quod habent Latini codices: *Expauit Iſaac pauore magno valdè,* Græci habent ἐξέστη δὲ Ἰσαὰκ ἔκστασιν μεγάλην σφόδρα. Vbi tanta commutatio intelligitur, vt quædam mentis alienatio ſequeretur, ipſa enim propriè dicitur Ecſtaſis. Et quia ſolet Ecſtaſis in magnarum rerum reuelationibus fieri, in hac intelligendum eſt factam eſſe ſpiritalem admonitionem vt confirmaret benedictionem ſuã filio minori, cui potius iraſcendum fuerat, quòd fefelliſſet Patrem. Sic ibi Auguſtinus. Idem lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 37. Ecce, inquit, benedictionem promiſſam repetenti maiori filio, expaueſcit Iſaac, & alium pro

Ecſtaſis Iſaac.

Auguſtin.

alio se benedixisse cognoscit. Miratur, & quisnam ille sit, percunctatur, nec tamen se deceptum esse conqueritur: immò confestim reuelato sibi intus in corde magno sacramento, deuitat indignationem, & confirmans benedictionem: *Benedixi eum, & sit benedictus.* Quis non hîc potiùs maledictionem expectaret irati, si hæc non superna inspiratione, sed terreno more gererentur? O res gestas in terra, sed cœlitus! per homines, sed diuinitus! Sic Augustinus. Memoratu quoque dignus est Commentarius huius loci, qui est apud Caietanum, ita super hoc loco scribentem. Pro illo: *Expauit Isaac stupore vehementi*, iuxta Hebræum est, *Tremuit Isaac tremitu magno valdè*, non erat sanè ratio timendi, aut tremendi, sed admirandi potiùs, & irascendi secundùm causas naturales, & humanas. Quocirca pauor iste, ac tremor tam magnus ac repentinus, fuit diuinitus. Et quoniam quæ exteriùs fiunt à Deo, signa sunt internorum, sicut tremor est motus compositus ex motibus diuersis, tum eleméti grauis, tum ipsius animæ: ita animus Isaac mixtus erat ex affectu proprio erga Esau, aduersus Iacob, & ex motione diuina in fauorem Iacob, quæ tãdem prævaluit. Diuina nãque reuelatio, non qualiscunque, sed cum huiusmodi pugna in animo Isaac describitur, inchoando ab ipsa contrarietate motuum in corpore, & in animo Isaac. Et hæc est tertia reuelatio diuina facta Isaac. Sic Caietanus. Quoniam autem supradiximus ex sententia Augustini, Isaac fuisse abstractum à sensibus, & in Ecstasi cognouisse mysterium quod antea ignorauerat, hîc lectorem obiter monemus, Philonem egregiam disputationem scripsisse de quadruplici Ecstasis modo, ac ratione in diuinis litteris celebrata: Eius verba hîc non adscripsimus, quòd ea posuerimus in 3. Tomo nostrorum Comment. in Genesim super caput 15. numero marginali 66. Pro illo verbo, *Expauit*, Hebraicè est (harad) quod Oleaster propriè significare putat commoueri, sollicitum, & anxium, & conturbatum esse: qnare hîc verti potuisse: Commotus est Isaac commotione vehementi. Sed reuera significat etiam pauere, ac vehementer admirari. Vehementer itaque obstupuit Isaac, subitò cognoscens voluntatem, sententiam Dei super Iacob, cui contradicere, nec debuit, nec voluit. Simúlque animaduertit, honorem primogenituræ, multis rebus fuisse præsignatum: ac prænonstratum, minori filio fuisse deferendum. Hoc enim præsignauit colluctatio Iacob, & Esau intra vterum maternum: hoc retentio plantæ Esau egredientis ex vtero: hoc venditio primogenituræ, iureiurando firmata, hoc demum, suprema ac solemnis, ante mortem primogenitis dari solitæ benedictionis per Iacob occupatio.

Caietanus.

Philo de quadruplici Ecst.

Oleaster.

Gen. 24.

Ibidem.

VERS. 34. Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam.

Caietanus.

CAIETANVS ex his verbis argumentatur, peccasse venialiter Iacob, cùm dixit mendacium illud officiosum, *Ego sum Esau*: illud enim, vocat nunc Isaac, aduentum Iacob ad se fraudulentum. Verùm non ita res habet: nos enim suprà in 81

Disputa

Disputatione huius capitis prima exposuimus varia simulationũ, & fraudũ genera, & ostendimus esse aliquot sine vitio, quò retulimus, quod Iacob egit cũ patre suo. Thomas Anglicus interpretatur, Iacob adiisse fraudulenter patrem suum, non quantum ad rei veritatem, sed quantum ad exteriorem modum exequendi eam, simulando nomen Esau, & pilositatem eius. Vel fraudulenter, inquit, dictum est pro cautè, solerter, callidè, ac prudenter. Thostatus ideo ait Iacob dici fraudulẽter egisse cum Isaac, quia ita se gessit tum verbis, tum factis, vt pater deciperetur, non agnoscẽs ipsum esse Iacob, sed putans esse Esau, idque sine peccato fieri potuit, vt suprà ostensum est.

Thomas Anglicus.

Thostatus.

82 Hoc loco altercatur Paulus Burgẽsis cum Lyrano super voce Hebræa, quam Latinus interpres in hoc loco vertit, fraudulenter. Sic autem scribit Lyranus: Hebræi pro (fraudulenter) interpretantur, prouidenter, quia dictio Hebraica, quæ est ibi, est æquiuoca: aliquando enim accipitur pro dolo, & aliquando pro prudentia, seu bona cautela, & sic debet hîc accipi. Iam enim cognouerat Isaac diuina voluntate, & ordinatione Iacob recepisse benedictionẽ, & ideo eius factũ non poterat imputari fraudi, si propriè, atque in malam partẽ ea vox accipiatur. Sic Lyranus. At Burgensis ei contradicens, negat vocem Hebræam esse æquiuocam ad fraudem, & cautelam, sed propriè significare dolum, & fraudem prout in malum accipitur. Non tamen inficiatur ea voce per abusum significari cautelam, & solertiam, sicut apud sanctum Paulum 2. Corinth. 12. *Cùm essem astutus, dolo vos cepi:* Et sic ait sumi hoc loco. Vel fortasse, inquit, volens Isaac excusare se apud Esau, vocauit Iacob fraudulentum secundùm propriam eius vocis significationem. Sed hoc extremum Burgensis dictum bene confutatur vltimis Lyrani verbis proximè positis.

Lyranus. Altercatio inter Lyranum, & Paulum Burgensem.

Burgensis.

Mihi placet Lippomani sententia, quam proprijs eius verbis hîc adscribam: Dictio, inquit (rama) inter cætera significat interdum decipere vnde (mirma) descendit, dolum & fraudem significans. Rectè igitur Latinè redditum est, fraudulẽter, & à septuaginta, cum dolo. Sed distinguere oportet triplicem fraudem, vnam eruditionis, qua Ioseph scyphum suũ poni iussit in sacco Beniamin: alteram inspirationis diuinæ, qua filij Israel mutuati sunt ab Ægyptijs vasa aurea, ac tali Iacob vsus est cum patre suo Isaac: tertiam noxiæ deceptionis, qua Propheta Bethel decepit virum Dei de Iuda, vt secum comederet, & hæc vitiosa est, non autem priores duæ. Simulatio item quadruplex est: vna prouidentiæ, & cautelæ, qua vsus Iosue, simulauit fugam: altera doctrinæ, sic Christus coram duobus discipulis finxit se longiùs ire: tertia significationis, de qua est hîc sermo: quarta duplicitatis, & calliditatis, secundùm quam sæpe Angelus Satanæ transfigurat se in Agelum lucis, & hæc censetur culpabilis & damnabilis. Hæc Lippomanus.

Lippoman. in catena.

Genes. 44.

Exod. 12. 3. Reg. 13. Iosue 8. Luc. 24. 2. ad Cor. 11.

83 Septuaginta Interpretes pro illo (fraudulenter) habent μετὰ δόλου, ideſt, cum dolo. Videtur autem vox doli plerumque dici cum vitio in Scriptura vt est illud: *Non est in spiritu eius dolus*, & illud: *Rationabile, & sine dolo lac concupiscite.* Et item illud: *Verè Israelita in quo dolus non est.* Id ipsum patet

An vox dolus sæpe in vitio ponatur. Psalm 31. 1. Pet. 2.

Ioann.1. B. Aug. patet ex descriptione doli,quam B.Augustinus in tractatu 7.in Ioannem tradit his verbis:Dolus est,cùm aliud agitur,& aliud fingitur.Dolus fraus est,& simulatio est. Cùm aliquis aliud tegit in corde, & aliud loquitur, dolus est, & tanquam duo corda habet, vnum quasi sinum cordis habet, vbi videt veritatem,& alterum sinum,vbi concipit mendacium.Et vt noueritis hunc esse dolum,dicuntur in Psalmis:*Labia dolosa.*Quid est *Labia dolosa?* sequitur: *In corde, & corde locuti sunt mala.* Quid est,*in corde,& corde,* nisi duplici corde?Sic Augustinus.Ergo secundùm Augustinianam doli & fraudis descriptionem,vocabulum doli & fraudis in vitio ponendum est. Atenim licèt nunc ferè dolus in malam partem accipiatur pro fraude,seu machinatione ad fallendum quempiam, veteres tamen etiam in bonam partem accipiebant pro solertia,& calliditate,præsertim aduersus hostes,aut latrones.Quocirca cùm sumere in malum volebant dolũ, non præcisè dicebant dolum,sed cum adiunctione, malum dolum, quia esset bonus etiam dolus. Tale illud Comicum:

Psal. 11.

Terentius in Eunuch.

Iam tum suspicio,dolo malo hæc fieri omnia.

In libro quarto Digestorum, Titulo tertio de Dolo malo,tale memoratur edictum Prætoris: Quæ dolo malo facta esse dicentur,si de his rebus alia actio non erit,& iusta causa esse videbitur,iudicium dabo. Super quibus verbis Vlpianus sic ait,Non fuit contentus Prætor dolum dicere, sed adiecit malum: quoniam Veteres etiam bonum dolum dicebant,& pro solertia hoc nomen accipiebant, maximè si aduersus hostem, latrónemve quis machinaretur. Idem ipsum à Gellio reperimus obseruatum, & proditum lib.12.cap.9.Scribit enim,huiusmodi vocabula, tempestas, valetudo,facinus,dolus,gratia,industria,periculum,venenum, contagiũ, quinetiam honos,fuisse apud Veteres ancipiti significatione, & vtroque versus,in bonum æquè,ac in malum dici solita.Ex his apparet, quòd Septuaginta Interpretes dixerunt, Iacob veniisse ad Isaac cum dolo, & per dolum paternam benedictionem præripuisse fratri; interpretandum esse de bono dolo. Conueniens porrò fuit, vt Isaac diceret ista de Iacob, quo declararet ipsi Esau, se nec volentem, nec scientem benedixisse Iacob, sed per errorem, ex simulatione Iacob natum; vt sic agnosceret Esau, non fuisse patris animum erga se mutatum, nec Isaac vllo simulationis artificio vsum, voluisse benedicere potiùs Iacob, quàm sibi. 83

Vlpianus.

Gellius.

Vtrum benedictio,quã Isaac dedit Iacob, per errorem personæ,putãs esse Esau,censeri deberet valida.

Verùm existit hoc loco non leuis,nec silentio inuoluenda quæstio,An benedictio, quam Isaac dedit Iacob, priusquam Dei voluntatem & sententiam sciuit, rata & valida fuerit. Nam cùm ea fuerit contra intentionem & voluntatem Isaac, volentis eam dare Esau, & per errorem personæ, tribuentis eam Iacob; non videtur fuisse valida: talis enim error personæ, solet humanos contractus, maximè verò Matrimonij, irritos & inualidos facere.Respondendum est, posito, Iacob fuisse Dei voluntate ac decreto verum primogenitum Isaac, licèt id tunc latuerit Isaac; fuisse planè validam benedictionem hanc ei à patre datam; quinetiam fuisse secundùm intentionem ipsius Isaac. Etenim primaria intentione 84

voluit

voluit Isaac benedicere primogenito suo, quia ei debebatur benedictio: secundaria autem voluit benedicere Esau, quòd eum putaret verum esse primogenitum suum. Ergo Isaac principaliter intendit, & voluit benedicere primogenito suo sibi tũc adstanti, præsentíque; & illi collata benedictio, erat secundùm intentionem & voluntatem eius, & idcirco erat valida. Sed is qui tunc erat præsens ipsi Isaac, & qui erat primogenitus eius, fuit Iacob: ergo data ei benedictio, fuit secundùm primariam intentionem Iacob, ob ídque rata & valida censeri debuit. Quare cùm Isaac resciuit diuinitus, primogenitum suum esse Iacob, declarauit benedictionem eius esse validam, dicens, *Benedixi ei, & erit benedictus.*

SEPTIMA DISPVTATIO.

Cur tantopere Isaac recusauerit benedicere Esau: & hic tantopere benedictionem illius expetierit.

Super illis verbis,

Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres eius seruituti illius subiugaui: frumento, & vino stabiliui eum; & tibi post hæc fili mi, vltra quid faciam? Cui Esau: Num vnam, inquit, tantùm benedictionem habes, pater? mihi quoque obsecro, vt benedicas. VERS. 37.

53

PVs diuinæ prædestinationis, & gubernationis, siue spiritualis, siue temporalis, soli Deo competentis; vti est, hominum alios destinare seruitio aliorum, alijs dominatum & imperium tribuere, & copiam bonorũ temporalium largiri; Isaac sibi assumit, tanquam vicem Dei gerens, vel potius Dei nomine ista denuntians. Illud aute: m *Num vnam tantùm benedictionẽ habes, pater?* dupliciter intelligi potest; vel, Num tibi ius & potestas non est, istam benedictionem dare pluribus? quasi dicat, Quid prohibet, quam dedisti benedictionem Iacob, etiam mihi dare? Et cum hoc intellectu congruit quod adiecit Esau: *Mihi quoque obsecro, vt benedicas.* Vel potest etiam hoc modo intelligi: Numquid vnum tantùm habes genus benedictionis? Esto, dederis istam benedictionem Iacob; an mihi aliam quampiam dare non potes? Et pro hac interpretatione facit quod supra dixerat Esau: *Nunquid non reseruasti & mihi benedictionem?* Et quod ei respondit Isaac: *Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres eius seruituti illius subiugaui; frumento, & vino stabiliui eum; & tibi post hæc, fili mi, vltra quid faciam?* Tradit Philo non tam cordi fuisse Esau paternam benedictionem ob spiritualem eius virtutem; quàm ne frater eius Iacob sibi præferretur, & opulentior, atque honoratior esset: inuidus enim erat; & ideo præ inuidia exclamauit: *Benedic etiam mihi pater.*

Verùm offerunt se hoc loco tres quæstiones, cursim exsoluendę. Prima 86
quæstio; Cur Isaac, post benedictionem quam dederat Iacob, non poterat item benedicere Esau, vt non sine causa dixerit ei Esau, *Nunquid non reseruasti etiam mihi benedictionem?* Et rursus, *Num vnam tantùm benedictionem habes pater?* Illud quoque auget difficultatem: Iacob enim benedixit duobus filijs Ioseph, Ephraim dico & Manassem, vt legitur Genes. 48. Immò duodecim filijs suis Iacob distinctè ac sigillatim benedixit, propriam cuique eorum benedictionem impertiens: sic enim scriptum est Genes. 49. *Hæc locutus est eis pater suus, benedixítque singulis benedictionibus propriis.* Sed huic quæstioni sic respondendum est: Solemnis illa benedictio patrum dabatur ijs tantùm filijs qui futuri erant hæredes & participes earum promissionum quæ datæ fuerant Abrahæ & semini eius, & qui futuri erant de populo Dei. Quapropter Abraham è domo sua eiecit Ismaëlem, dicente Sara: *Non erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ*: testantéque Deo, *In Isaac vocabitur tibi semen*, Genes. 21. & ante mortem suam segregauit omnes filios suos ab Isaac, vnum ipsum declarans hæredem suum. Similiter Isaac, vbi diuinitus illustrata mente resciuit, solum Iacob hæredem fore diuinarum promissionum, & dignitatem Primogenituræ ab Esau trãslatam in Iacob: ipsum porrò Esau ac posteros eius segregatum iri à populo Dei; benedictionem à se priùs (licet inscienter) datam Iacob, comprobauit: nec vllis Esau precibus & lacrymis adduci potuit, vt talem benedictionem conferret in ipsum. At verò filij omnes Iacob, & filij Ioseph, Ephraim & Manasse, eorúmque posteri, patres futuri erant populi Dei: ex illis enim exortæ sunt duodecim tribus, ex quibus vniuersus populus Hebræus constabat: & idcircò omnes illi futuri erant participes diuinarum promissionum pertinentium ad semen Abrahæ: vt mirum videri non debeat, communicatam esse cum illis omnibus benedictionem Iacob, idém que dicendum est de filijs Ioseph. Quanquam in benedictionibus filiorum Iacob, animaduertere est notabilem differẽtiam benedictionis Iudæ, atque aliorum filiorum: illa enim talis fuit, qualis dari solebat primogenitis, quantum ad principatum & imperium, honorémque ac dignitatem: super omnia verò, quia de stirpe eius generandus prædicitur Messias.

Cur Isaac non poterat benedicere duobus filijs suis, Iacob & Esau, cùm Iacob benedixerit 12. filiis suis.

Altera quæstio: Cur Isaac talem benedictionem non expetijt à patre 87
suo Abraham, & ab eo accepit: cum videamus tam studiosè fuisse eam expetitam, & tam sollicitè atque anxiè quæsitam à Iacob & Esau? Respondeo, non quia in sacris litteris non est proditum, Abraham talem benedictionem dedisse filio suo Isaac, propterea factum esse id negari debet: multa enim illorum patrum facta, dictáque, litterarum monumentis consignata non sunt. Verùm concedamus, talem benedictionem, Abraham non dedisse filio suo Isaac, rationem eius rei satis idoneam & probabilem hanc possumus reddere: Deus non semel, tum ante conceptum Isaac, tum post eius generationem declarauerat, filiorum omnium Abrahæ solùm Isaac hæredem futurum suarum promissionum: solámque progeniem Isaac, censendam esse semen Abrahæ, ad quod promissiones diuinæ pertinerent: ad hoc igitur declarandum superuacanea erat illa benedictio

An Abrahã benedixerit filio suo Isaac.

pater

paterna. Quid quòd eiusmodi benedictionis cumulatissimè vicem expleuit tam eiectio Ismaëlis ex domo Abrahæ, quàm separatio aliorum omnium filiorum Abrahæ à contubernio & societate Isaac? vt narratur Genes. 21. & 25.

88 Tertia quæstio: Cur talis benedictio paterna tantoperè expetereturà filijs, & tam anxiè procuraretur: & an cuiuslibet patris similiter efficax esset benedictio? Quoniam multis exemplis, longóquevsu obseruatum fuerat, benedictionem pariter atque maledictionem patris plurimum valere in vtramque partem: & quia per talem benedictionem declarabatur, & quodammodo constituebatur, in qua persona, & in cuius semine diuinas promissiones, quæ datæ fuerant Abrahę, compleri deberent; ob hanc profectò causam, meritò talis benedictio maiorem in modum filijs cordi, & curæ erat. Talis porrò benedictio non in quolibet patre certam habebat efficaciam: sed in magnis illis Patriarchis, & Propheticis viris, vt in Noë, Genes. capite nono in Isaac, Genes. capite vigesimo septimo, in Iacob, Genes. capite quadragesimo octauo, & 49. in Moyse Deuteronomij cap. vltimo. Adijciam hoc loco ad explicationem primæ quæstionis, Ruperti auctoritatem & sententiam. Is septimo libro Commentariorum in Genesim, capite octauo ad hunc modum scribit: Hîc iam prætereundum non est, cur vnam tantùm benedictionem habuerit Isaac: sic enim Esau eiulando dixit: *Num vnam tantùm benedictionem habes pater? mihi quoque obsecro benedicas.* Quærendum igitur, cur vnam tantùm benedictionem habuerit. Ac primò dicimus, non multa esse semina, sed vnum esse semen, quod est Christus: in quo secundùm promissionem datam Abrahæ, benedicendæ erant omnes gentes. Quam verò, præter illud semen benedictũ, habere poterat Isaac benedictionem? Erant autem duo fratres, & ex illis duo populi contra alterutrum diuidendi; iuxta veritatem dicentis: *Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi de vtero tuo dividentur.* Quomodo igitur illis diuisis communicari poterat vnum semen, quod est Christus? ille quippe vnus est, & non in diuisione, sed in vnitate est. Oportebat igitur alterum alteri præferri: & prælatus est, quem Deus commendauit, non quem caro & sanguis commendare voluit. secundùm naturale ius primogeniti.

Cur tanti fieret benedictio paterna, & an cuiuslibet patris benedictio æqualem vim haberet.

Rupertus.

Ad Gal. 3.

Gen. 25.

VERS. 39.

Cúmque eiulatu magno fleret, motus Isaac, dixit ad eum:
In pinguedine terræ, & in rore cæli desuper
erit benedictio tua.

89 EIVLATVS, est planctus ex ingenti tristitia, & dolore proueniens: & propter magnitudinem, acerbitatémque doloris, in altam vocem, sonúmve forâs erumpens. Verùm de eiulatu nihil habent Hebræa, sed hoc tantùm: *Cúmque leuans vocem fleret.* Sed videtur tantus eiulatus fuisse admodum indecens & turpis Esau, tum propter dignitatem eius, tum etiam propter ætatem. Erat enim tunc Esau vir magnæ auctoritatis, vtpote secundùm suum

Varro. de ling. Lat.

patrem Isaac,omnium maximè honoratus.Erat item graui iam ætate,non minor vtique septuagesimo septimo anno. Sedenim priuatio, & amissio tanti boni,quanti æstimabatur eo tempore,& paterna benedictio, & dignitas primogenituræ,mirum videri non debet,si ea vberes ex oculis Esau lacrymas excutere, & ex imo pectore profunda trahere suspiria, & crebra lamenta,atque eiulatus extundere potuit. Sequitur, *Motus Isaac.* Hoc nec est in Hebræo,nec in alijs translationibus: Verùm quò expressiùs redderetur sententia,additum est à nostro interprete. Sed quatenus Isaac precibus & lacrymis Esau motus est? Non sanè vt benedictionem datam Iacob antiquaret,ac rescinderet:neque vt eam communicaret etiam cum Esau; id enim fieri non poterat. Siquidem illa propria erat primogeniti, qui vnus tantùm erat:& per illam benedictionem Iacob constitutus erat dominus Esau:si autem eandem tribuisset Esau,factus esset dominus fratris sui Iacob: fuisset igitur idem, & seruus & dominus fratris sui Iacob. Hactenus itaque motus est Isaac lacrymis Esau,vt paruam & exilem quandam benedictionem ei largiretur. 90

In pinguedine terræ,& rore cœli desuper erit benedictio tua. Pro illo *benedictio tua*, Hebraicè est *habitatio tua.* Istorum autem verborum hic est sensus: Possidebis terram bonam, & fertilem earum rerum quæ ad degendam commodè vitam conducunt, simúlque bonitate terræ, ac cœli benignitate frueris.Nec tamen hîc adiecit id quod supra posuerat in benedictione Iacob,*Abundantiam frumenti & vini.* Licèt enim bona fuerit regio Idumæorum,qui posteri fuerunt Esau; non tamen nec amœnitate, nec vbertate cum terra Hebræorum comparãda fuit,quippe quæ ob eam causam Terra lacte ac melle fluens appellata sit. Considerare est in hoc loco, terrenorum bonorum copiam communiter bonis & malis dari à Deo:ipse enim oriri facit solem suum super bonos & malos,& pluit super iustos & iniustos.Nemo igitur de istiusmodi bonis,quorũ improbi abun-
Matth.5. dantiores esse solent,quàm probi,nimium lætetur, aut glorietur. Ergo quæ ad commoda bonorum temporalium pertinebant, non sunt denegata Esau:quæ autem ad honorem & dignitatem, quæ ad dominationem & Sacerdotium,& ad progeniem ipsius Messiæ,ea cum Esau nullo modo communicata sunt.

OCTAVA DISPVTATIO.

De dissonantia quæ videtur esse inter hunc locum Geneseos,& sententiam quandam Beati Pauli,super benedictione Esau.

NARRAT hoc loco Moses, lacrymis Esau permotũ Isaac,benedixisse illi: At cõtraria videtur esse Beati Pauli sententia in capite xij.Epistolæ,quæ est ad Hebræos, affirmantis, Esau, tametsi lacrymis petentem benedictionem, non tamen 91

eam

eam impetrasse. Verba Pauli sunt hæc: *Ne quis sit fornicator, siue profanus vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primitiua sua: scitote enim quoniã & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est: non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam.* Hæc Paulus. In cuius verbis duplex est difficultas: vna, quòd Paulus negat Esau obtinuisse benedictionem à Patre: quam tamen accepisse eum, apertè tradit Moyses hoc loco. Altera est difficultas, quòd Paulus ait, eum etiam cum lacrymis non inuenisse pœnitentiæ locum; At Isaac lacrymis eius permotus, licèt aliquandiu recusasset ei benedicere, denique tamen benedixit. Quòd si Paulus loquitur de pœnitentia suorum peccatorum, videtur eius sententia Nouatiani hæresim adiuuare; quasi peccatum quodpiam sit in hac vita, vt sic loquar, impœnitibile atque irremissibile; contra id quod disertis verbis pronuntiauit Dominus per Ezechielem, capite 18. & 33.

Locus Pauli ad Heb 12 fusè tractatus.

92 Beatus Thomas explanans locum illum Pauli, non tangit priorem difficultatem: sic enim ait: Narrat historia libri Geneseos cap. 27. postquam Isaac benedixerat Iacob, venisse Esau, & petijsse benedictionem, quam tamen non obtinuit; licèt pater per ignorantiam ac errorem benedixisset Iacob. Namque in illo stupore quem habuit, factus in ecstasi, doctus est à Spiritu sancto, vt non retractaret quod iam fecerat: vnde dixit: *Benedixi ei, & erit benedictus.* Et sic Esau consilio Spiritus sancti reprobatus fuit. Quod attinet ad posteriorem difficultatem, S. Thomas dictum Pauli interpretatur de pœnitentia siue de venia & remissione suorum peccatorum: quam iccirco Esau non inuenit, quia eius pœnitentia non syncera, sed fucata fuit: neque ex dolore culpæ, sed ex inuidia fratris, & accepti à se damni æstimatione profecta. Sic autem scribit Sanctus Thomas: Quomodo Paulus dicit, Esau non inuenisse pœnitentiæ locum, tametsi cum lacrymis eam requisisset: cum dicatur Ezech. 18. *Quacumque hora ingemuerit peccator*, &c. Dicendum est: Quandiu præsens vita agitur, posse agi semper veram pœnitentiam. Interdum tamen aliquis pœnitet nõ propter amorem iustitiæ, sed propter timorem pœnæ vel damni temporalis, & sic pœnituit Esau, non quia vendiderat primogenita, sed quia perdiderat: vnde non dolebat de peccato venditionis, sed de damno perditionis. Quocirca pœnitentia eius non fuit accepta, quia non erat vera. Isto enim modo etiam damnati pœnitent in inferno, vt dicitur Sapientiæ quinto, non quia peccauerunt, sed quia excluſi sunt. Hactenus ex Beato Thoma.

S. Thomas.

93 Theodoretus in explanando locum illum Pauli, tacita priori difficultate, posteriori respondet similiter ac S. Thomas: Cuius responsum non est aliud, nisi Commentarius ipse Chrysostomi, succinctè tamen ac restrictè commemoratus. Declarans enim illud Pauli: *Non inuenit pœnitentiæ locum, cùm lacrymis quæsiuisset eam.* Nouatiani, ait Theodoretus, sua esse arma existimant, hæc Pauli verba: verùm illi suis ipsorum telis confodiuntur: Esau namque non fleuit agens pœnitentiam, sed fratris felicitati inuidens: quod etiam accidit Cain. *Concidit enim*, inquit Scriptura,

Theodoretus.

Hebr. 12.

Genes. 4.

facies eius: Sed non ideo quia malè obtulerat, sed quia fratrem viderat
Heb.12. diuina honoratum sententia. Atque id etiam diuinus Paulus significauit, dicens: *Non inuenit pœnitentiæ locum*, pro eo quod est, Non inuenit viam veræ pœnitentiæ; lugens nempe ob ea quæ improbè egerat. Verùm ille non fleuit peccatum, sed prosperum Iacob successum: idque testatur illa eius verba: *Venient dies luctus patris mei, vt occidam fratrem meum Iacob.* Hæc Theodoretus.

Caietanus. Caietanus primam quæstionem soluēs, duas facit benedictiones Isaac; vnam magnam & principalem; & hanc Esau non potuit ab Isaac consequi: alteram, paruam & tenuem, quam Esau impetrauit à patre suo Isaac. Paulum autem dicit non de benedictione parua loqui, sed de illa magna
Thostatus. & principali. Et idem tradit Thostatus super hunc locum Geneſis. Alteram quæstionem enodans Caietanus, ait, Paulum in eo loco non agere de pœnitentia Esau respectu suorum peccatorum simpliciter: sed respectu solùm amissæ Benedictionis, & iuris atque honoris primogenituræ. Verba Caietani sic se habent: Quod dicitur Esau non inuenisse locum pœnitentiæ, ad literam verum est, intelligendo eum non inuenisse pœnitentiam ab homine Isaac patre suo: ab ipso enim cum lacrymis non impetrauit benedictionem primogeniti: quamuis impetrauerit benedictionem minorem. Simile quid accidit pœnitentibus post perditam virginitatem, aut aliquod simile donum: nunquam enim inueniunt locum pœnitentiæ apud Deum, quoad priorem dignitatem, sicut nec Esau quoad primogenituram. Et hæc dicuntur, vt caueat quisque ne cadat: quoniam incerta est futura pœnitentia, & multo incertior fructus eius. Sic Caietanus.

Mihi opinio Caietani maiori ex parte probatur: sed ea paulò explica- 94
tiùs declaranda, firmiúsque comprobanda est. Per partes igitur sententiā & verba Pauli perpendamus. *Postea cupiens hæreditare benedictionem:* Nónne vides Paulum apertè loqui, non de qualibet benedictione; sed de hæreditaria, id est, de illa principali & solemni, quæ coniuncta erat cum hæreditario iure paternarum facultatum, & cum dignitate primogenituræ? Huiusmodi autem benedictionem Isaac dedit Iacob, nec talem dare voluit Esau; quanquam flagrantissimè eam concupiuit, & instantissimè petijt. *Reprobatus est.* Non loquitur Paulus de reprobatione Esau respectu vitæ æternæ, sed respectu benedictionis quam petebat: & est sensus, in sua postulatione reprobatus & reiectus est. *Non inuenit pœnitentiæ locum.* Vox illa *pœnitentiæ* non refertur hîc ad Esau, nec ad veniam & remissionem peccatorum eius: sed referri debet ad Isaac; & est sensus: Neque precibus, neque lacrymis suis potuit Esau adducere patrem suum Isaac ad pœnitentiam eius quod fecerat: vt scilicet pœnitens benedictionis datæ Iacob, etiamsi per ignorantiam & errorem data fuerat, eam rescinderet ac mutaret, & conferret in Esau. Hoc enim loco, vox *pœnitentiæ*, signi-
Quid denotet vox pœnitentiæ. ficat mutationem facti vel dispositionis, cùm id quod vel factum, vel designatum est, mutatur. Sic Paulus ad Romanos cap. 11. dixit, dona Dei esse sine pœnitentia, vel, vt ad verbum sonant Græca, impœnitibilia, &

ſuper quibus Deus non mutat ſententiam ſuam. Et apud Hieremiam cap. 26. ait Dominus Hieremiæ: *Noli ſubtrahere ab illis verbum, ſi fortè audiat, & conuertantur à via ſua mala, & pœniteat me mali, quod cogito facere eis,* id eſt, mutem, & prohibeam, & auertam mala, quæ minatus ſum illis. *Locus Hieremiæ cap. 26.*

Eandem ſignificationem habet illud Geneſ. 6. Pœnituit eum, quòd
95 feciſſet hominem, id eſt, voluit interimere, ac delere hominem à ſe conditum. Super quibus verbis diſputans Theodoretus Quæſtione 50. in Geneſim: Quomodo, inquit, pœnitentia cadit in Deum, qui ſua præſcientia regit vniuerſa? Sed pœnitentia Dei nihil eſt aliud niſi mutatio diſpenſationis eius. *Pœnitet me*, inquit ipſe, 1. Reg. cap. 15. *quòd conſtituerim Saul regem.* Pro eo, quod eſt, ſtatui illum deponere, & alterum Regem creare. Et: *Pœnitet me feciſſe hominem*, hoc eſt, decreui perdere hominum genus. Hæc Theodoretus. Nam quem verè, & propriè pœnitet eius quod egit, is profectò ſi poſſet, mutaret quod egit, & infectum redderet. Sed quia id non poteſt, mutat animum, mutat conſilium, & propoſitum. Quod enim priùs ardenter amauerat, poſta odit, & deteſtatur. Mutat amorem in odium, & delectationem in dolorem. Mutat item conſilium & propoſitum: nam quod priùs deliberauerat facere, id poſtea firmiſſimè ſtatuit apud ſe, nunquam in poſterum facere. Liquet igitur, in vocabulo *pœnitentiæ* notionem eſſe ac ſignificationem mutationis. Ergo, non inuenit Eſau locum pœnitentiæ apud Iſaac; id eſt, nulla ratione potuit efficere vt Iſaac mutaret quod egerat circa benedictionem Iacob. Quare ſuper iſta re fuit Iſaac impœnitens, id eſt, inflexibilis, atque immutabilis. *Theodoretus.*

Viues in gladio, & fratri tuo ſeruies. VERS. 40.

96 ILLVD *viues in gladio* denotat non ſolùm perſonam Eſau, ſed multo magis poſteros eius, gentem dico Idumæorum perpetuò accinctos fore gladijs, & arma verſantes, & bellicoſos, ſæuos, ſanguinarios, bellicis turbis, ac tumultibus, rapiníſque, ac cædibus gaudentes. Tales porrò fuiſſe Idumæos, ſatis ad cognoſcendum furit vel vnius Ioſephi teſtimonium. Is enim lib. 4. de bello Iudaico narrat, in tempore obſidionis Hieroſolymitanæ Zelotas in auxilium ſuum accerſiſſe Idumæos; gentem, inquit Ioſephus, turbulentam, & mutationibus rerum ſtudentem, atque gaudentem; & quæ vel paruis ſupplicantium adulationibus, & blandimentis arma moueret, & in aciem tanquam ad feſtum pergeret. Et paulò poſt: Idumæi, ait, nulli parcebant, cum ſint naturâ ſuâ crudeliſſimi ad occidendum: atque indifferenter tam ſupplicantes ſibi, quàm repugnantes; etiam communem ſanguinem, & communis templi reuerentiam commemorantes, gladiis tranſuerberabant, ædes diripiebant, obuios quoſlibet occidebant; contemptáque plebe, Sacerdotes veſtigabant, captóſque ſtatim occidebant. In tantum præterea impietatis proceſſerunt, vt occiſos abiicerent inſepultos, cùm tamen tanta ſemper Iudęis ſepulturæ cura fnerit, vt etiam cruce *Idumæorũ ingenia, & mores.* *Ioſephus.* *Deut. 21.*

cruce damnatos, ante solis occasum tollendi, & sepeliendi præceptum diuinum habuerint. Sic Iosephus. Ex quo liquet, posteros Esau fuisse armigeros, & feroces, & sanguinarios, vt bene in illos, sub persona Esau parentis eius gentis, prædictum sit ab Isaac, *Viues in gladio.*

Et fratri tuo seruies. Seruire alijs, naturaliter durum, asperum, & odiosum est. Verùm seruitus Esau dupliciter mitigatur ab Isaac, tum quòd non erat seruiturus Esau alienigenis, aut barbaris, aut inimicis: sed fratri, & consanguineis suis: tum quòd futura non erat ea seruitus perpetua, sed aliquando excutienda, erátque posteris Esau, non libertas modò, sed etiam regnum comparandum. Nec istud vaticinium Isaac completum est in duobus illis fratribus Iacob & Esau, sed in eorum posteris. Regnante enim Dauide, Idumæi subiecti sunt Imperio Hebræorum. Sic enim scriptum est libro 2. Regum cap. 8. *Posuit in Idumæa custodes statuétque præsidium: & facta est vniuersa Idumæa seruiens Dauid.* Hoc itaque vaticinium Isaac de subiectione Idumæorum sub imperium Hebræorum completum est, 70. annis, & eo amplius, postquam ab eo enunciatũ fuerat. Ac licèt pro magno malo duceret Esau, posteros suos seruituros esse posteris Iacob, fuisset tamen ipsis, si eo vti, vt par erat, voluissent, bonum & vtile. Improbos namque & insipientes, prudentum ac bonorum imperio teneri & regi, magno illis bono est. Audiat lector elegantem super ea re Philonis sentẽtiam. Disputans enim omnes probos esse liberos, improbos autem seruos, cùm ad id quandam memorasset Zenonis sententiam, subiũgit: Ista Zenonis sentẽtia, tanquã è fonte hausta videtur ex Iudæorũ legibus. In his quippe narratur de duobus fratribus, altero frugi, altero luxu perdito: quòd cõmunis amborũ pater miseratus eũ qui àvirtute descisuerat, precatus ei est, vt fratri suo seruiret; seruitutẽ (quæ videtur malũ maximũ) arbitratus rẽ esse insipienti vtilissimã; ne si suo relinqueretur arbitrio, in omnẽ prolaberetur licentiã. At verò sub imperio melioris viuẽs, per eius curã, emendatis moribus, in melius etiã ipse proficeret. Hæc Philo in eo libro quem prænotauit: *Quòd omnis probus liber.* Et in libro, quem scripsit *de nobilitate*, in eandem sententiam hæc addit: Ex Isaac nati sunt gemelli, diuersis admodũ corporibus, atque animis. Minor vtriusque parentis beneuolentiam demerebat obsequiis, laudatus ob id Dei testimonio: maior, ventri & libidini addictus, iure primogeniti cessit minori. Sed mox cessisse pœnitens, fratri molitus est necem: amarus etiam, atque odiosus parentibus: quocirca illi vota pro minore fecêre amplissima, quæ Deus rata esse voluit: Alterum verò filium miserati, hoc affecêre beneficio, vt fratri eum subijcerent; rati fore perutile, si homo nequam, suæ potestati & arbitrio minimè relinqueretur. Qui si eam seruitutem libenter tulisset, potuisset mereri secunda virtutis præmia. Sed quia iugum excussit contumax, sibi & posteris suis magnam lucratus est ignominiam. Sic Philo.

Locus 2. Reg. 8.

Philonis sententia, Improbis melius esse vt seruiant bonis, quàm vt dominentur.

97

Hanc Philonis sententiam æmulatus Ambrosius, disertiùs eam, & luculentiùs tractasse mihi quidem visus est. Verùm eius rei arbitrium & iudicium permitto lectori, vtriusque orationem inter se componenti, atque

98

com

comparanti. Sic autem scribit Ambrosius libro secundo de Iacob, & Vita Beata, capite tertio: Esau, vt benediceretur à patre, cogendo elicuit, & impetrauit: Sed eam tamen benedictionem accepit, quæ cum superiore congrueret, & conueniret, vt seruiret fratri suo. Etenim qui imperare non poterat, & alterum regere, seruire debebat, vt à prudentiore regeretur. Neque enim fuit sancti Patriarchæ, vt filium suum degeneri conditioni seruitutis addiceret, sed vt bonus pater, cùm duos haberet filios, vnum intemperantem; sobrium & prudentem alterum, vtrique consuluit. Intemperanti præfecit sobrium, & prudenti insipientem statuit obedire, quia insipiens non potest voluntarius esse virtutis discipulus, nec perseuerare in studio, quoniam stultus sicut luna mutatur. Meritóque ei libertatem proprij negauit arbitrij, ne velut nauis in fluctibus sine gubernatore fluitaret, sed subdidit eum fratri, sicut scriptum est; Seruit imprudens prudenti; vt sic regentis imperio suum melioraret affectum; & ideò ait: *Super gladium tuum viues, & seruies fratri tuo.* Domina enim est pietas crudelitatis; & mansuetudo duris moribus præstat. Seruit omnis, qui auctoritatem puræ non habet conscientiæ: Seruit quicumque vel metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel trahitur cupiditatibus, vel indignatione exasperatur, vel mœrore deiicitur. Seruilis enim est omnis passio, siquidem Dominus dixit Ioan. cap. 8. *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Et quod peius est, multorum seruus est, qui subiectus est vitiis, & ita se multis dominis addixit, vt seruitio ei exire vix liceat. Hactenus ex Ambrosio.

S. Ambros.

Eccles. 27.

99 Ad hunc locum spectat illa Basilij egregia disputatio in libro de Spiritu Sancto, capite vigesimo disertè ab eo tractata. Apud homines, inquit, nullus est naturâ seruus. Aut enim, qui viribus pressi sunt, sub iugum seruitutis missi sunt, vt in bello capti, aut ob paupertatem in seruitutem redacti sunt, velut Ægyptij ob famen seruitio Pharaonis obstricti sunt. Aut iuxta sapientiam quandam, & arcanam dispensationem, qui inter filios deterrimi sunt, parentum voce; & sententia, sapientioribus & melioribus in seruitutem addicti sunt: id autem non in supplicium, sed in beneficium potiùs duxerit æquus rerum æstimator. Nam qui ob sensus inopiam non habet in sese id quod natura imperat, huic expedit in alterius esse potestate; vt dum potentioris prudentiâ gubernatur, similis sit currui qui aurigam recepit, aut naui quæ nauclerum habet clauo assidentem.

Basilius.

Hanc ob causam Iacob dominus fratris sui Esau ex benedictione patris factus est, vt stultus à sapiente, vel inuitus beneficio afficeretur, quippe non habens proprium creatorem, videlicet mentem: Et Chanaam seruituti adiudicatus est fratrum suorum, quoniam indocilis erat ad virtutem, & patrem habebat Cham hominem insipientem. Sic Basilius.

Genes. 9.

***

Tempúsque veniet,cùm excutias,& soluas iugum eius de cer-
VERSV. 40 uicibus tuis.

Idumæi quãdiu permanserint sub iugo Iudæorum, & quoties.

IDVMÆI, qui fuêre posteri Esau, regnante Dauide subiecti sunt imperio Hebræorum, vt suprà dictum est:& in ea seruitute permanserunt annis plus centum quinquaginta, vsque ad Ioram regem Iudæ, filium regis Iosaphat. In huius enim principatu recessérunt Idumæi ab imperio Iudæorum, & proprium sibi regem constituerunt,sicut scriptum est in libro quarto Regum cap.octauo. *In diebus eius (Regis Ioram) recessit Edom, ne esset sub Iuda:& constituit sibi regem.* Ea porrò seruitute soluti,tunc Idumæi permanserunt liberi vsque ad Hircanum Simonis filium, ex Asmonæorum familia, Iudæorum Pontificum simul;regémque,à quo Idumæi non solùm rursus Iudæis subiugati sunt, sed insuper religionem Iudaicam, cæremoniasque accipere coacti sunt,vt narrat Iosephus libro decimo tertio Antiquitatum, ita scribens:Hircanus, etiam Idumeæ vrbes cepit Adora, & Marissam: edixítque,vt circumciderétur,nisi mallent à propriis pelli sedibus. At illi amore patriæ admiserunt circumcisionem,& reliquam, iuxta Iudaicos ritus,viuendi formulam: atque ex eo tempore primùm inter Iudæos censeri cœpti sunt. Sic Iosephus.Ex eo autem tempore, quo defecerunt à dominatu Regis Ioram, vsque ad principatũ Hircani, cùm imperio Iudæorum iterum subditi sunt, anni fluxerunt ampliùs octingenti: Siquidem Iosephus initium principatus Hyrcani statuit in Olympiade centesima sexagesima secunda.

Idumæi quãdo iterum, & à quo subiecti sunt Iudæis. Iosephus. Hircanus Põtifex, & Rex Iudæorum.

Pro illo, *Excutias*, siue, vt habent septuaginta, *cum deposueris*,verbum 101
Hæbræum, quod est in hoc loco, interpretantur quidam *dominari*, vt sit sensus, Tempúsque veniet cùm dominaberis. Talis porrò dominatio potest dupliciter accipi, vel absolutè, vt significetur, Idumæos non solùm seruitute Iudæorum liberatum iri, sed habituros insuper proprium regnum, proprióque Reges. Quod ita contigisse, perspicuum est ex illis verbis Scripturæ in quarto Regum, capite octauo: *Recessit Edom ne esset sub Iuda,& constituit sibi Regem.* Potest etiam intelligi,Idumæos fuisse aliquando dominaturos Iudæis, sub quorum ipsi fuerant dominatione. Id verò factum est,cùm Herodes regnauit in Iudæa:fuit enim ille patre Antipatro Idumæo genitus:nec ipse modò,verùm etiam posteri eius, Iudæis dominati sunt vsque ad excidium Hierosolymitanum, Tito Imperatore factum,per annos, scilicet centum quinquaginta. Nimirum Herodes Romanorum auctoritate factus est Rex Iudæorum in Olympiade centesima octogesima quarta, vt tradit Iosephus libro decimo quarto antiquitatum. Excidium autem Hierosolymitanum competit in Olympiadem ducentesimam duodecimam. Videat lector quæ super hisce rebus scripta reliquit Iosephus, tum libro primo de Bello Iudaico, tum initio libri xiiij. Antiquitatum.

Quãdo Idumæi,& quandiu dominati sint Iudæis.

Oderat

Oderat ergo semper Esau Iacob pro benedictione qua benedixerat ei Pater: dixítque in corde suo: Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum. VERS. 41.

102 ECCE tibi immodicum ambitionis studium, & execranda fames auaritię, omnia rumpit, quãuis fortissima, naturalis amoris vincula. Esau ob sibi præreptam benedictionem paternam, fraternum amorem conuertit in hostile odium fratris sui Iacob, vsque ad firmum propositum, & deliberatam occidendi eius voluntatem, procedens. Ac ne putares fuisse repentinum, & breue odium, dixit Scriptura: *Oderat semper*, vt continuum, atque obfirmatum odium intelligeres. Quanquam illud aduerbium *semper* nec Hebræi codices habent, nec Græci. sed quid est illud *dixit in corde suo?* Non sanè aliud, nisi, Apud se statuit, animo suo agitauit, & deliberauit; non id forâs proferens, sed tacitum, & corde cęlatum continens, ne patrem videlicet offenderet, vel optatam rei peragendæ occasionem perderet. Diodorus, vt fertur Catena in Genesim, sic illud *dixit in corde suo*, exposuit: Non repentina & subita ira, sed profecto mentis assensu, firmáque deliberatione constituit fratrem occidere. *Diodorus.*

103 *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Sensus est: Veniet tempus mortis patris mei, & eo mortuo interficiam fratrem meum. Mortem Patrisfamiliâs consequitur luctus filiorum, & cognatorum. Itaque per id quod sequitur, significauit quod antecedit. Voluit autem Esau occidere Iacob, vel vt ita vlciscetur iniuriam, & damnum sibi ab eo factum; vel sperans fortasse, eo interfecto, rediturum ad se ius primogenituræ, & inualidam fore benedictionem paternam in eum collatam. Sed cur non est ausus occidere Iacob, viuente patre? nimirum, patrem à quo eximiè dilectus & honoratus fuerat, non sustinuit, nimio dolore ob filij necem, opprimere, & obruere, simúlque perhorruit maledictionem eius. Matrem verò suam Rebeccam nihil videtur curasse, paratus post mortem patris, etiam viuente matre, necem fratri afferre: nam neque eam multùm amabat, quòd ea semper fratrem sibi prætulisset, & auctor fuisset occupandi benedictionem paternam; & offensam eius, ac maledictionem paruipendebat: Quanquam vtriusque parentis maledictionem perhorrescendam, Scriptura docet Ecclesiastici tetio: Vbi de maledictione matris, sic est: *Benedictio patris firmabit domus filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta.*

***

Nunciata sunt hæc Rebeccæ;quæ mittens, & vocans Iacob filium suum, dixit ad eum: Ecce Esau frater tuus minatur vt occidat te. Nunc ergo fili mi,audi vocem meam, & consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haram: habitabísque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui: & cesset indignatio eius,obliuiscatúrque eorum quæ feciſti in eum:postea mittam,& adducam te inde huc.cur vtroque orbabor filio in vno die?Dixítque Rebecca ad Isaac:Tædet me vitæ meæ propter filias Heth:Si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ,nolo viuere.

Versu 42. vsque ad 46.

B. August.

QVOMODO resciuit Rebecca quod Esau tantùm dixerat in corde suo? S. August. in quæst. 81. in Genesim, ait fuisse id per diuinam reuelationem patefactum, & cognitum Rebeccæ. Verùm istud minimè cõgruere videtur cum narratione ipsius Scripturæ,quæ non ait,fuisse verba,vel cogitata, & consilia Esau reuelata Rebeccæ, sed nunciata. Illud igitur verius dictu fuerit, licèt Esau consilium occidendi fratrem, à primo tacitum & occultum tenuerit, postea tamen vel ex occasione alicuius nouæ indignationis & offensæ; vel per imprudentiam,atque incogitantiam id aperuit, præsertim sermocinãdo cum fidis sibi,& intimis hominibus:& ista via permanauit ad aures & notitiam Rebeccæ. *Habitabis cum eo dies paucos.* Hebraicè est (*dies vnos*;) id est dies aliquot,siue paucos;quam phrasim, hodiéq; habet sermo Hispanus. Nam quia vnum in numeris minimum est, Hebræi *vnos dies*, vocant breuissimum,& minimum tempus. Et Rebecca quidem ita cogitabat,verùm secus euenit:habitauit enim Iacob in Mesopotamia per annos viginti. 104

Donec requiescat furor fratris tui, & cesset indignatio eius, obliuiscatúrque eorum quæ feciſti in eum. Hinc apparet, quanta in Iacob ira,& odio inflammatus fuerit Esau. Simul & illud liquet ad extinguendam, vel certè ad mitigandam iram valere plurimum, tum absentiam eius qui læsit, tum longinquitatem temporis: dies enim, vt de mœrore ac dolore, ita de ira multùm minuit ac deterit. Aristoteles libr. 4. Ethicorum duplex facit genus iratorum hominum, alios enim dicit esse procliues ad suspiciendam, & deponendam iram; & vt facilè irritabiles, ità citò esse placabiles, quos vocat ἀκροχόλους, id est summæ & incensæ bilis; alteros autem vocat πικροχόλους, id est amaræ bilis homines,implacabiles,atque iræ pertinaces, nec nisi sumpta vltione acquiescentes: atque in hoc posteriori irascentium genere fuisse Esau, supradicta Scripturæ verba non obscurè indicant. Verba Aristotelis, si ea nosse auet lector, huiusce modi sunt: Iracundi sunt irritabiles,celeritérque irascuntur: Sed iidem sunt placabiles, irascendiq́ue finem citò faciunt, quod quidem in illis optimum est. quod illis propterea contingit, quia iram non comprimunt, neque cohibent, sed statim iniuriam acceptam,si quidem possunt,referunt:iccircò vocant eos ἀκροχόλους quasi 105

Aristoteles duo facit Iratorum hominum genera.

quasi dicas summoperè bilioſos, & iracundia exardeſcentes, vnde nomen natum eſt. At qui ſunt amari, quos πικροχόλους nominant; propemodum ſunt implacabiles, diúque in iracundia perſeuerant. Iram enim comprimunt, quæ tum quieſcit cùm iniuriam vlti fuerint. Vltio enim iram ſedat, doloris loco voluptatem afferens. Sed ſi non poſſint vlciſci, quaſi graui quodam onere premuntur, intra ſe iram concoquentes. Ad iram verò in ſe ipſo conquendam longo tempore opus eſt. Sic Ariſtoteles.

106 *Poſtea mittam, & adducam te inde huc.* An hoc fecerit Rebecca, non eſt proditum in ſacris litteris. Hebræi tradunt, Rebeccam miſiſſe nutricem ſuam Deboram, quæ ſecum venerat ex Meſopotamia, accerſendi Iacob gratiâ: quam fuiſſe in comitatu Iacob cùm redijt ex Meſopotamia in Palæſtinam, patet ex hiſtoria, quæ narratur infra capite trigeſimo quinto. *Cur vtroque orbabor filio in vno die?* Vnde hoc ſequitur? An quia ſi Eſau adoriretur occidere Iacob, & hic ſe fortiter defenderet, fieri poterat vt mutuis vterque vulneribus conciderent? An quia Eſau, occiſo fratre, & parentum indignationem, ac maledictionem timens, longè à conſpectu, & ſocietate parentum aufugeret, & ſic eo Rebecca orbaretur? An quia ſi Eſau fratrem occidiſſet, eum Rebecca, pro filio non erat habitura, ſed maledictis & diris eum deuoueret, & pro mortuo haberet?

***

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA

IN CAPVT VIGESIMVM OCTAVVM GENESIS.

ARGVMENTVM.

Iacob profectus in Mesopotamiam, habet in itinere admirabilem cuiusdam scalæ visionem, Deiq; amplissima sibi dantis promissa. Quapropter locum illum consecrat, vouetq; Deo suorum bonorum decimas.

1 VOCAVIT itaque Isaac Iacob, & benedixit eum, præcepítque ei, dicens: Noli
2 accipere cõiugem de genere Chanaam: sed vade & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ, ac domum Bathuel, patris matris tuæ, & accipe inde tibi vxorem de filiabus Laban auunculi tui. Deus au-
3 tem omnipotens benedicat tibi, & crescere te faciat, atq; mul-
4 tiplicet, vt sis in turbas populorum. Et det tibi benedictiones Abrahæ, & semini tuo post te: vt possideas terram peregrina-
5 tionis tuæ, quam pollicitus est auo tuo. Cúmque dimisisset eum Isaac, profectus venit in Mesopotamiam Syriæ ad Laban filium Bathuel Syri, fratrem Rebeccæ matris suæ. Videns au-
6 tem Esau, quòd benedixisset pater suus Iacob, & misisset eum in Mesopotamiam Syriæ, vt inde vxorẽ duceret; & quòd post benedictionem præcepisset ei, dicens, Nõ accipies vxorem de

filiabus

filiabus Chanaam : quódque obediens Iacob parentibus ſuis 7
iſſet in Syriam : probans quoque quòd non libenter aſpiceret 8
filias Chanaam pater ſuus: iuit ad Iſmaëlem, & duxit vxorem, 9
abſq; ijs quas prius habebat, Maheleth filiam Iſmaël filij Abra-
ham, ſororem Nabaioth. Igitur egreſſus Iacob de Berſabee, 10
pergebat Haran: Cúmq; veniſſet ad quendam locum, & vellet 11
in eo requieſcere poſt Solis occubitum, tulit de lapidibus, qui
iacebant, & ſupponens capiti ſuo, dormiuit in eodem loco. Vi- 12
dítque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen il-
lius tangens cælum : Angelos quoque Dei aſcendentes & deſ-
cendentes per eam: & Dominum innixum ſcalæ, dicentem ſi-
bi: Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac: 13
Terram, inqua dormis, tibi dabo & ſemini tuo. Erítque ſemen 14
tuum quaſi puluis terræ: dilataberis ad Occidentem, & Orien-
tem & Septentrionem, & Meridiem: & Benedicentur in te, &
in ſemine tuo cunctæ tribus terræ. Et ero cuſtos tuus quocun- 15
que perrexeris : & reducam te in terram hanc : nec dimittam,
niſi compleuero vniuerſa quæ dixi. Cúmque euigilaſſet Iacob 16
de ſomno, ait : Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſcie-
bam. Pauénſque, Quàm terribilis eſt, inquit, locus iſte! non eſt 17
hic aliud, niſi domus Dei, & porta cœli. Surgens ergo Iacob 18
manè, tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in
titulum, fundens oleum deſuper. Appellauítque nomen vrbis 19
Bethel, que priùs Luza vocabatur. Vouit etiam votum, dicens: 20
Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via, per quam ego
ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimen-
tum ad induendum, reuerſúſque fuero proſperè ad domum 21
patris mei : erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte, quem 22
erexi in titulum, vocabitur domus Dei : cunctorúmque quæ
dederis mihi, decimas offeram tibi.

PRÆFATIO.



PVD *Euſebium libro nono de præparatione Euangelica, capite vltimo, Alexander Hiſtoricus tradit, Iacob eſſe à patre ſuo miſſum in Meſopotamiam, cùm is ageret ætatis annum quintum & ſeptuageſimum, patre eius annos nato cen-* *Euſebius.*

to centum triginta septem. Sedenim aperta in paucis istius scriptoris verbis est discrepantia & repugnantia. Cùm enim Isaac sexagenarius genuerit Iacob & Esau, vt dictum est Genes. 25. necesse profectò est, in anno ætatis Isaac centesimo trigesimo septimo, fuisse Iacob non septuagintaquinque, vt ille auctor ait, sed septuagintaseptem annorum. Hac igitur ætate Iacob, relicta paterna domo, & vrbe Bersabee, cepit iter in Mesopotamiam: & hoc nos suprà, in exordio Capitis vigesimi septimi euidenti argumentatione concluſimus.

Tempus mortis Ismaëlis.

Hinc porrò efficitur, ante istam profectionem Iacob, annis quatuordecim, mortuum fuisse Ismaëlem fratrem Isaac. Ismaël quippe annis quatuordecim fuit prior natu quàm Isaac, vt ex capite decimosexto & vigesimoprimo Geneſis manifestum est. Vixit autem centum triginta septem annis, vt scriptum est Genes. 25. Ergo, si erat Isaac annorum centum triginta septem, cùm misit Iacob in Mesopotamiam; id quatuordecim annis post mortem Ismaëlis euenisse necesse est. Quod igitur in hoc capite, & versu nono scriptum est, Esau iuisse ad Ismaëlem, & vxorem duxisse eius filiam, non de persona Ismaëlis intelligendum est, vtpote aliquot iam annis vita defuncti, sed de Ismaëlis familia & gente. 2

Quo autem animo Esau acceperit vxorem filiam Ismaëlis, an vt gratificaretur parentibus suis valdè offensis ob vxores eius Chananæas, vt supra dictum est sub finem Capitis vigesimi sexti, & in hoc ipso loco capitis vigesimi octaui: an potiùs quo vehementiùs irritaret & offenderet parentes, tanquam malè de se meritos, ablata nimirum sibi dignitate primogenituræ, denegatáque Benedictione, in dubio & incerto reliquit Rupertus: illud tantùm affirmans, quocunque id animo egerit, malè eum atque insipienter egisse. Scribit autem Rupertus ad hunc modum; Aut velut insipiens, aut tanquam verè stultus fecit hoc Esau. Nam si tædium matris, aut offensionem paterni animi lenire voluit, insipientiæ fuit facere id consultis parentibus, quos iam in alijs vxoribus offenderat, ad seruilia nempe declinando tabernacula, & cum eiectis è domo Abrahæ, exhæreditatísque, ob ídque patri suo infensis, coniugij societatem contrahere. Sin autem, quod verius est, quia parentibus quoque propter Iacob iratus erat, id fecit, quò amplius eos offenderet, proculdubio stultus fuit. Sed verisimilius est, fecisse id Esau cupientem gratificari parentibus, ex gente tam consanguinea ipsis, vxorem accipiendo, vt ex ipsa Scripturæ narratione non obscurè significatur.

Rupertus.

Præmonendus & prædocendus hoc loco est Lector, id quod scitè adnotauit Augustinus libro 16. de Ciuitate Dei cap. 38. quemadmodum cùm 3

S. August.

supra

suprà Gen.21. Deus Abrahæ dixit: In Isaac vocabitur tibi semen, *Ceteri omnes filij Abrahæ,tam ex Agar,quàm ex Cetura excluſi ſunt participatione diuinarũ promiſſionũ, quæ datæ ſunt Abrahæ ac ſemini eius:ita cùm Iſaac miſit Iacob in Meſopotamiam, dixítque ei(vt traditur in hoc capite)* Det tibi Deus benedictiones Abrahæ,& ſemini tuo poſt te,vt poſſideas terram peregrinationis tuæ, quam pollicitus eſt auo tuo:*Segregatum eſt ſemen Iſaac per Eſau,à participatione diuinarum promiſſionum, quarum ſolum ſemen Iſaac per Iacob futurum erat particeps. Verba Sãcti Auguſtini hæc ſunt:Hîc iam intelligimus ſegregatum ſemen Iacob ab alio ſemine Iſaac, quod factum eſt per Eſau. Quando enim dictum eſt Abrahæ:* In Isaac vocabitur tibi ſemen, *pertinens vtique ſemen ad ciuitatem Dei, ſeparatum eſt inde aliud ſemen Abrahæ,quod erat in ancillæ filio, & quod futurum erat in filijs Ceturæ. Sed adhuc erat ambiguum de duobus Geminis filijs Iſaac,ad vtrumque,an ad vnum eorum tantùm,illa benedictio pertineret:& ſi ad vnum,quiſnam eſſet illorum.Hoc autem nũc declaratum eſt, cum propheticè Iſaac benedixit Iacob,& dixit ei,* Et eris in congregatione gentium:*&,* Det tibi Deus benedictionem patris tui. *Sic Auguſtinus.*

PRIMA DISPVTATIO.

An locus,in quo Iacob vidit ſcalam pertingentem vſque ad cœlum, fuerit mons Moria, in quo fabricatum poſtea eſt templum Hieroſolymitanum.

Super illis verbis,

Cúmque veniſſet ad quendam locum, & vellet in eo requieſcere poſt Solis occubitum, tulit de lapidibus qui iacebant; & ſupponens capiti ſuo,dormiuit in eodem loco. VERS. 11.

4 MVLTORVM eſt ſententia,eum locum, in quo Iacob habuit Viſionem huius ſcalæ,& Dei ſecum loquentis, fuiſſe montem Moria, vbi Abraham voluit immolare Deo filium ſuum Iſaac;& vbi multa poſt ſecula ædificatum eſt tẽplum à Salomone,vt traditur 2.Paralipomenon cap.3. Arbitrantur enim iſti, quòd Iacob poſt illam viſionem dixit, Dominum eſſe in loco illo,& ibi eſſe Domum Dei, & portam cœli; & quòd vbi ſtatuerat ipſe lapidem in titulum & monumentum ſuæ viſionis, vocatũ iri domum Dei;hæc inquam verba manifeſtam continere prophetiam Hieroſolymitani templi ædificandi aliquando in eo loco. Sed qui ſunt iſtius opinionis *Gen.24.*

probatores & sectatores? Hoc scilicet autumant Hebræi: Hebræos secuti
Hebræi, Lyranus, Caietanus, Historia Scholastica. sunt Lyranus, Caietanus, Lippomanus, aliique complures: idémque habet Historia Scholastica super librum Geneſis capite. 73. Quinetiam Beatus
S. August. Augustinus hoc ipsum innuere videtur Quæst. 83. in Geneſim: nam cùm memorasset illa verba, *Dominus est in loco isto, & non est hîc aliud, nisi domus Dei, & porta cœli*, subiungit ipse: Hæc verba ad prophetiam pertinere, quia ibi futurum erat tabernaculum, quod constituit Dominus in hominibus in primo populo suo. Portam autem cœli sic intelligere debemus, tanquâ inde fiat aditus credẽtibus ad capessendum regnum cœlorum. Et paulò infra, Quæstione 85. Quod Iacob, inquit Augustinus, voto promisit decimas domui Dei futuræ in loco illo, prophetia est domus Dei ibi olim futuræ, & iccirco appellauit locum illum, Domum Dei. Hæc Augustinus.

Verùm, istam opinionem multis rationibus Thostatus super cap. 12. & 5
18. Geneſis arguit, & conuincit falsitatis, & ante illum Borchardus. Nos
Prima Ratio. aliquot, grauiores scilicet, firmiorésque rationes breuibus exponemus. Iacob profectus est ex vrbe Bersabee, vt hîc dicitur, in Mesopotamiam, quæ quidem Orientalis est, multúmque Septentrionalis comparatione Palæstinæ: Hierusalem autem, magis est occidentalis, quàm Bersabee. Iacobo igitur ex Bersabee, quæ magis orientalis est, quàm Hierusalem, eunti in Mesopotamiam, valdè remotum & deuium fuisset, transire vrbem Hierusalem, multùm nempe declinando à recto itinere. At verò transire vrbẽ Bethel, quæ erat magis Orientalis quàm Bersabee, conueniens erat itioni in Mesopotamiam. Cuius rei non leue argumentum est, quòd Abraham veniens ex Mesopotamia in Chananitidem, primò venit in vrbem Sichẽ,
Secunda ratio & Hai & Bethel. Deinde, locum, in quo Iacob habuit illam visionem, ipsemet appellauit Bethel, cum prius diceretur Leuza, quæ quidem vrbs erat iuxta Sichem, & Hai, & prope celebres illos montes Garizim & & Hebal: hæc autem loca satis multum distabant ab vrbe Hierusalem. Eusebius certè, siue Beatus Hieronymus in libro de locis Hebraicis ait, Bethel duodecim milliaribus distare Hierosolymis. Adhæc, si locus ille fuis-
Tertia ratio. set, vt aiunt, mons Moria, non sanè dixisset Iacob: *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* Siquidem Iacob ignorare non potuit, montem Moria multis de causis fuisse Deo sacratum. Illic enim Abraham iussu Dei, sa-
Genes. 22. crificare voluit filium suum Isaac. Illic Deus ei apparens immolationem prohibuit Isaac, & pro eo sacrificandum exhibuit arietem. Illic magnifica data sunt Abrahæ promissa, sanctissimo Dei iureiurando firmata: ac demum illum locum appellauerat Abraham, *Dominus videt*, & inde postea manauit illud prouerbium super eo loco: *In monte Dominus videbit*, vt scriptum est Genes. 22.

Illud quoque magnam huic sententiæ fidem adstruit, quod legitur in 6
Quarta ratio libro 3. Regum cap. 12. Ieroboam, primum regem Israël post diuisionem
Locus lib. 3. Regũ cap. 12 regni Salomonis factam sub eius filio Roboam, posuisse in Bethel Vitulum aureum, vt in eius cultu detineret populum, ne cupido eum incesseret eundi ad templum Hierosolymitanum, vbi regnabat Roboam. Ex quo apparet, locum Bethel, longè diuersum ac dissitum fuisse à monte Moria,

& vrbe

& vrbe Hierusalem. Verba Scripturæ in eo loco hæc sunt: *Dixit Ieroboam in corde suo, Nunc reuertetur regnum ad domum Dauid, si ascenderit populus iste vt faciat sacrificia in Domo Domini in Hierusalem, & conuertetur cor populi huius ad dominum suum Roboam regem Iuda, & interficiet me, & reuertetur ad eum. Et excogitato consilio, fecit duos Vitulos aureos, & dixit eis, Nolite vltra ascendere in Hierusalem. Ecce dij tui Israël, qui te eduxerunt de Terra Aegypti. Posuítque vnum in Bethel, & alterum in Dan.* Propter hoc tam impium regis Hieroboam factum, locus Bethel, antea religiosissimus & sanctissimus, factus est postea infamis, & probrosus, atque abominandus: nec amplius Bethel, quod significat Domum Dei, sed Bethanen, quod sonat Domum Idoli, nominatus est, vt tradit B. Hieronymus in libro de locis Hebraicis in voce Bethel.

S. Hieron.

7 Præterea in isto loco, qui visione Iacob nobilitatus est, vrbs fuit, cui nomen erat Luza; quem locum Iacob, ob admirandam visionem, quæ in eo loco sibi contigerat, appellauit Bethel. At vrbem istam Bethel, quæ dicta fuerat Luza, diuersam fuisse ab Vrbe Hierusalem, manifestissimum est ex eo, quod in lib. Iudicũ cap. 1. traditur hisce verbis: *Iebusæum habitatorẽ Hierusalẽ non deleuerunt filij Beniamin: habitauítque Iebusæus cum filiis Beniamin in Hierusalem vsque in præsentem diem. Domus quoque Ioseph, ascendit in Bethel, fuítque Dominus cum eis. Nã cum obsiderent vrbem, quæ prius Luza vocabatur, viderunt hominẽ egredientẽ de ciuitate, dixerúntque ad eum: Ostẽde nobis introitum ciuitatis; & faciemus tecum misericordiã. Qui cùm ostendisset eis, percussérunt vrbem in ore gladij, hominem autem illum, & omnem cognationem eius dimiserunt. Qui dimissus abiit in terram Hethin, & ædificauit ibi ciuitatem, voeauítque eam Luza, quæ ita appellatur vsque in præsentem diem.*

Quinta ratio

8 Ex istis verbis scripturæ alia ratio conficitur ad id quod probare volumus, cõfirmandũ. Dicitur enim istic, Bethel captã & possessam esse à filijs Ioseph, idémque traditur in lib. Iosue c. 16. At Hierusalé pertinuisse primò ad tribũ Beniamin, postea verò ad tribũ Iuda, perspicuũ est ex cap. 18. Iosue, vbi Hierusalem numeratur inter ciuitates, quæ ceciderunt in sortem Beniamin: pertinuisse autem Montẽ Moria & Hierusalem ad tribum Iuda, patet ex illis verbis Psalmi 77. *Repulit tabernaculũ Ioseph, & tribũ Ephraim non elegit: sed elegit tribum Iuda, montẽ Sion quem dilexit.* Idemque patet ex vltimis verbis cap. 15. Iosue. Et locum illum partim fuisse sortis Beniamin, partim Iuda, significatur Iosue 18. Si quis autem nobis contradicat, propterea quòd in eodẽ capite, & in eodẽ Catalogo ciuitatũ tribus Beniamin memoretur etiam Bethel; & B. Hieronymus in libro de locis Hebraicis dicat, Bethel cecidisse in sortem Beniamin: hoc sanè non eleuat robur & vim rationis nostræ. Nam vt sit verum, quod tradunt duo Hebræorũ Rabini, Kimhi & Isaias, duas fuisse vrbes Bethel; quarum vna fuit in sorte filiorum Ioseph, altera in sorte filiorum Beniamin; vtrãque certè diuersam fuisse ab vrbe Hierusalem, confiteri necesse est. Ac de illa quidem extra controuersiam est de hac verò Beniamitica, etiã dubitari non potest: cùm in Catalogo vrbium Beniamin, primò memoretur Bethel, deinde post aliquot alias vrbes memoratas, recensetur Hierusalem.

Sexta ratio.

Obiectio, eiúsque solutio.

Hieron.

Septima ratio. His accedit, nusquam vel in diuina Scriptura, vel apud Auctores pro- 9
batos, qui de locis Palæstinæ ac Terræ sanctæ diligenter scripserunt, reperiri, vrbem Hierusalem fuisse aliquo tempore nominatam Bethel, saltem tanquam vno & proprio nomine: hoc autem dico, quia prout Bethel significat domum Dei, conueniebat id nomen in Hierusalem ob templũ Dei quod in ea vrbe erat, in quo solo totius orbis terrarum loco, cultus Dei, secundùm legales cæremonias agi & celebrari poterat. Lubet hoc loco, ad eiusdem rei confirmationem adscribere sententiam Borchardi,
Borchardi laus. qui ante annos trecentos vixit: cuius auctoritas, cum agitur de locis sanctis Palæstinæ, haud paruipendenda est. Adijt enim ipse regionem illam, omniáque eius loca pedibus suis obire, oculisque spectare, & contemplari voluit: atque in his sæpiùs perlustrandis, & curiosè obseruandiis totum decennium consumpsit. Nec sua contentus priuata vtilitate, laborem hũc suum ac diligentiam, in commune studiosorum sacræ Scripturæ bonum conferens, librum, breuem quidem, sed perutilem, edidit, qui *Descriptio Terræ sanctæ* prænotatus est. Borchardus igitur in prima Parte huius libri, & capite septimo, numero 37. scribens de vrbe Bethel, sic ait: Ex Hai, ad leucam vnam ferè contra Aquilonem, paululum tamen declinando, est Bethel ciuitas, quæ priùs Luza vocata est, in tribu Beniamin. In hoc loco Iacob, cùm proficisceretur in Mesopotamiã, fugiens Esau fratrem suum, lapidem capiti supponens obdormiuit; vidítque in somnis scalam, & Angelos ascendentes ac descendentes: & erexit lapidem in titulum, appellauítque nomen loci illius Bethel, id est, Domus Dei. Errant igitur, qui putant, hanc Bethel fuisse Hierusalem: cùm eo tempore Melchisedech regnaret in Hierusalem; essétque tunc vrbs illa glorioſa. Si autem Bethel fuisset Hierusalem, non vtique Iacob dormiuisset foris in agro, sed diuersatus fuisset apud Melchisedech, aui sui Abrahæ amicissimum. Præterea, adhuc hodie in hac vrbe Bethel, ostenditur lapis erectus à Iacob in titulum; & sepulchrum Debboræ nutricis Rebeccæ subtus in valle, de quo scriptum est infra Genes. 35. Hæc autem monumenta, constat non esse in vrbe Hierusalem. Auctores porrò istius opinionis non aliud habent fundamentum, nisi certos quosdam versus qui vulgo feruntur; & nullius sunt auctoritatis Sunt autem versus huiusmodi:

Solyma, Luza, Bethel, Hierusalem, Iebus, Helia:
Vrbs sacra Hierusalem dicitur atque Salem.

Cæterum à sic opinantibus, libenter equidem doceri vellem, in quo loco veteris, aut Noui Testamenti legerint, Hierusalem aliquando dictã fuisse Luza, vel Bethel; nisi fortè velint, templum Hierosolymitanum appellari Bethel; quia eo nomine significatur Domus Dei. Sed hoc est laborare in æquiuoco; ad hanc enim sententiam, omnis Ecclesia dici posset Bethel. Hactenus ex Borchardo.

SECVN

SECVNDA DISPVTATIO.

Cur Iacob, & incomitatus, & pedes atque inops missus sit in Mesopotamiam.

Super illis verbis,

Cúmq; veniſſet ad quendam locum,& vellet in eo requieſcere poſt Solis occubitum, tulit de lapidibus qui iacebant,& ſupponens capiti ſuo,dormiuit in eodem loco. VERS. 11.

10 MIRANDVM fortaſſe cuipiam accidat, Sãctum virum Iacob, opulentiſſimi patris filium, & ad ducendum vxorem miſſum ab eo in longinquam regionem, non eſſe miſſum cum numeroſo famulorum ſeruitio, honoratóque amicorum comitatu,atque ingenti copia,tum rerum itineri commodè faciendo conducentium,tum etiam pretioſorum munerum,ad Laban ſocerum,aliósque cognatos ſibi demerendos. Æſtimet lector,quanta cum opulentia,& magnificentia,ſeruus Abrahæ, eundem in locum miſſus ſit,vt inde vxorem duceret ad Iſaac. Sic enim ſupra Gen. 24. ſcriptum eſt, *Tulit (ſeruus Abrahæ) decem camelos de grege domini ſui,& abiit,ex omnibus bonis eius portans ſecum, profectúſque perrexit in Meſopotamiam.* Verumenimverò, tantæ ſolitudinis, & paupertatis Iacob, rationes aliquot ſatis idoneas, & probabiles tradunt Doctores. Theodoretus quæſtione in Geneſim. 82. refert hoc ad illuſtrioré Diuinæ prouidentiæ erga Iacob declarationem, ita ſcribens: Cur Iacob tantas benedictiones adeptus, fratrem fugit,& ſolus,rebúſque neceſſariis carens,abiit peregrè? Sed nimirum id factum eſt, quò manifeſtiùs diuina prouidentia declararetur in rebus quæ videntur aduerſæ: Nam quibus omnia proſperè ſuccedunt, non ſatis intelligunt quantis bonis fruantur. Hac de cauſa Iacob aufugit, & ſolus eſt peregrinatus, vt locupletiſſimus poſtea rediens,& ipſe experiretur quanta ſit prouidentia Dei hominum;& alios doceret hanc Dei curam & prouidentiam. Sic Theodoretus. *Theodoretus.*

11 Præterea voluit Deus id fieri,quo ſancti Iacob in Deum fides, & pietas & fiducia vehementiùs excitaretur, & augeſceret, atque illuſtrior apud omnes exiſteret,vt qui humanis opibus,præſidiíſque omnibus orbatus,ex diuinarum modò promiſſionum expectatione, ac diuinæ munificentiæ fiducia totus penderet. Et vt ille poſtea ex pauperrimo factus opulentiſſimus,maximas Deo gratias perpetuò ageret, cuius ſolius benignitate, ex tanta rerum omnium inopia,in tantas bonorum copias euaſiſſet. Id porrò ille gratiſſimo animo agnouit,& prædicauit. Rediens nempe in Chananitidem ex Meſopotamia his verbis precatus eſt Deum, vt legimus Geneſis 32. *Deus patris mei Abraham,& patris mei Iſaac, Domine,qui dixiſti mihi: Reuertere in terram tuam,& in locum natiuitatis tuæ,& benefaciã*

tibi: minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua quã expleuisti seruo tuo. in baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior. S. Augustinus aliam quandam huius rei, sed allegoricam rationẽ exposuit. Ait enim sanctum Iacob missum in Mesopotamiam ad ducendam vxorem, præfiguraſſe filium Dei, qui descendit in terras, vt Ecclesiam sibi desponsaret in fide, ac misericordia. Humilitas igitur & paupertas Iacob euntis in Mesopotamiã, nec aliud secum ferentis nisi baculum, typũ gessit humilitatis, & paupertatis Domini nostri; & sanctissimæ crucis eius. Verba S. Augustini in sermone de tempore 79. huiusmodi sunt: Beatus Isaac, quando filium suum mittebat in Mesopotamiam, Dei Patris typum præferebat. Iacob verò Christum Dominũ præfigurabat. Isaac neglectis mulieribus regionis quam ipse incolebat, misit filium suum Iacob ad regionem longinquam, vt ibi vxorem acciperet, quia Deus Pater missurus erat Vnigenitum suum, qui repudiata synagoga, de gentibus sibi Ecclesiã sociaret. Hoc tunc in veritate completum est, quando Iudæis Apostoli dixerunt: *Vobis quidem primùm oportebat loqui verbum Dei, sed quia vos indignos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes.* De Beato Iacob non legimus, quòd cum equis aut aut camelis abiret: sed hoc tantùm legimus, quòd baculum in manu portauerit. Sic enim ipse dum supplicaret Domino, dixit; *Minor sum omnibus miserationibus tuis, cum baculo meo transiui Iordanem istum, & ecce cum duabus turmis regredior.* Iacob ergo ad accipiẽdam vxorem, exhibuit baculum: & Christus ad redimendam Ecclesiam, detulit crucis lignum. Sic Augustinus. Similiter Rupertus allegoricè tractans hunc locum in libro septimo Commentariorum in Genesim, capite 21. ait, paupertatem istam, rerúmque omnium inopiam sancti patriarchæ Iacob, fuisse propositam, tanquam exemplum olim æmulãdum prædicatoribus euangelicis, missis in vniuersum mundum, vt ex cunctis gentibus, quasi spõsam euocarent, & adducerẽt ad Christi Ecclesiam. Enimuerò cum Dominus noster mitteret Apostolos, & Discipulos ad prædicandum, in primis commendauit eis, ac præcepit studium atque obseruantiam humilitatis & paupertatis.

S. Aug. *Actor. 13.* *Rupertus.*

Thomas Anglicus super hunc locum Geneſis duas reddit rationes cur Iacob ab omnibus humanis adiumentis & præsidiis imparatus, atque inops iuerit in Mesopotamiam. Sic enim scribit, Si quęrat quispiam, quomodo Iacob filius tanti patrisfamiliãs, qui, vt suprà legitur, plurimos seruos, multáſque diuitias habebat, ibat ita solus, & ita pauper, vt non haberet ne stratum quidẽ ceruical in quo de nocte dormiret: Potest dici primò, Iacob voluisse iter suum esse fratri suo Esau occultum, quò melius consilia eius, & insidias, conatúſque nocendi sibi falleret, ac declinaret. Potest etiam dici, sanctos illos Patriarchas, licèt diuitiis abundarẽt, & seruis, modico tamen, vilíque victu, atque humili corporis cultu esse vsos. Vnde & Esau agricola erat, ac fessus de agro rediens, simplicem cibum Iacob expetiuit, videlicet non aliud tunc pulmẽtum domui suæ paratum inueniens. Rebecca quoque, etsi multas haberet puellas, & seruas, cum hydria tamen scapulis imposita hausſtum aquam ibat. Nimirum prisci & sancti

Thomas Anglicus. *Genes. 25.*

sancti illi viri nolebant filios suos molliter educari, nec delicatè, nec luxuriosè nutriri, sed eos formabant, durabántque ad labores. Ad hanc sententiam spectat, quod scribit Chrysostomus homil. 54. in Genesim, hæc ipsa verba, super quibus nunc disputamus, pertractans. Vide, inquit, præstabilem vitæ philosophiam. Considera quemadmodum antiqui illi patres iter faciebant. Iacob, vir domi educatus, longè peregrinaturus, neque iumentis, neque seruis, neque viatico vsus est: sed iam tunc Apostolicum morem imitatus, iter fecit: & cùm occumberet Sol, ibi dormiuit, vbi eum nox comprehendit, super lapide caput reclinans: quoniam igitur bene moratam animam habebat, & virilem spiritum ab omni luxu, vanitatéque liberum, idcirco admirabilem visionem illam meruit. Iustorum itaque conuersatio & vita, totius Philosophiæ continet doctrinam: hic iuuenis, domi educatus, nunquam antea peregrinatus, neque graue quippiam aut durum expertus; longum iter, solus, & pauper, omnibúsque humanis subsidiis ac solatiis distitutus, arripuit. Hæc Chrysostomus. *S. Chrysostom.*

13 Philo, cuius allegoricos in sacris litteris & doctrinis tractatus, & disputationes, propter ingenij acumen, & abundantiam, grauitatémque, atque copiam sententiarum, & multi iugis eruditionis varietatem, mirámque orationis amplitudinem, Patres, tam Græci, quàm Latini vehementer admirati, æmulatíque sunt; hic inquam Philo in libro de somniis, hoc exemplo Iacob, tam vili, & paupere victu, cultúque vtentis, acriter inuehitur in homines molles, delicatos, atque effœminatos, qui omnem in deliciis ætatem agunt, à studio sapientiæ ac virtutis alieniſſimi. Contrà verò magnopere cohortatur amatores virtutis & sapientiæ, ad laboriosam & duram, & ab omni fastu, luxúque remotam vitæ rationem amplectendam, & colendam: quæ Philonis disputatio hisce verbis ab eo tractatur: Miranda, inquit, sunt hæc de Iacob in sacris libris tradita, non solùm propter allegoriam & physiologiam, sed etiam propter simplicem narrationem; continent enim perilluſtre laboris & patientiæ exemplum. Non enim decet virtutis sectatorem vita delicata, nec imitatio istorum hominum, qui vocantur beati: sunt autem reuera miserrimi, quorum tota vita, vt scitè in sacris libris scriptum est, quasi somnus quidam, & somnium est. Hi postquam totum diem in tribunalibus, in curiis, in theatris, & vbique molesti fuêri aliis, reuersi domum suam destruunt infelices. Non loquor de domestico ædificio, sed de animæ cognata domo, hoc est corpore, quod immodicis deliciis aliis super alias ingestis obruunt: Et mero multo rigant, donec ratio mersa pereat, & affectus qui sub ventre nascuntur ex saturitate, in effrenem rabiem conciti, quicquid obuiam fit corripiãt ad sedandũ libidinis furentis ardorã. Noctu verò dormituri, super auratas spondas, pictósq; tapetes decumbunt molliter more mulierum, quibus natura victum delicatum permisit, & ideo corpus etiã earum mollius fecit opifex. Talium hominum nullus sacro verbo familiaris est, amatórve sobrietatis, honestatis, & pudoris. Cúmque ad continentiam, & frugalitatem, ac patientiam, ceu ad crepidines quasdam, iactati vitæ pro *Philo in allegoriis celebratissimus.*

Qualis vitæ ratio deceat amatorem, sectatorémque virtutis ac veræ sapientiæ.

procellis animam tãtùm non mergentibus,in ſtationem tutiſſimam ſe recipiunt,contẽptores pecuniæ,voluptatis,gloriæ, atque etiam cibi, & potus,niſi quantum ad arcendam famem,ſitimque opus eſt : parati propter virtutem perferre ſitim,æſtus,frigora, labores,& pericula quælibet:quos victus non pudet ſimpliciſſimi ; immò luxum veſtium vt ignominioſum fugiunt.Hiſce viris,pro cubili pretioſo, eſt ſolum herbidum; pro ſtragulis,congeſtæ frondes,& folia ; pro puluino, ſaxum aliquod, aut tumulus paulò accliuior. Horum victum delicati homines durum & aſperum vocant: honeſtatis autem ſectatores exiſtimant iucundiſſimum & peroptandum:conuenit enim viris,qui reuera viri ſunt,id eſt, virtutis cultoribus. Vide quemadmodum Iacob nutritus regiis facultatibus,athleta virtutis inducitur,humi cubans;& ſaxo, pro puluino capiti ſuppoſito vtens: nec aliud deprecans à Deo,quàm panem, & veſtem,naturæ ſcilicet diuitias;vtpotè cui nunquam faſtus,& luxus,& mollities vitæ placuiſſet. Hic igitur vir exemplar verum & perfectum eſt animæ in virtutibus exercitatæ, imitandum vtique iis, qui ad perfectæ virtutis & ſapientiæ perceptionem contendunt. Hactenus ex Philone.

B. Gregorij allegorica expoſitio huius hiſtoriæ de Iacob.

Beatus Gregorius hanc hiſtoriam Iacob in itinere dormientis humi, 14
capite ſuper lapidem poſito,& in quiete admirabilem illam viſionem habentis,ad allegoriam,more ſuo,traducens,docet, electum quoddam eſſe genus hominum,qui ab exteriorum rerum negotiis, curiſque, ac ſtudiis, quàmmaximè poſſunt,remoti,in diuinarum rerum contemplatione,quaſi dulci quodam ſomno capti,conquieſcunt. Tractans enim Gregorius libro quarto Moralium verba illa Iob quæ ſunt in capite 4. *Quando ſolet ſopor occupare homines*:Quiſquis,inquit,ea quæ mundi ſunt,agere appetit,quaſi vigilat: quiſquis verò internam quietem quærens, huiuſmodi ſtrepitum fugit,velut obdormiſcit.Deinde oſtendit ſomnum tribus modis dici in Scriptura. Primò enim vſurpatur pro morte carnis, ſicut apud Paulũ 1. ad Theſſalonicenſes quarto;*Nolo vos ignorare,fratres,de dormiẽtibus.*& Dominus apud Ioannem capite 11.*Lazarus amicus noſter dormit.* Ponitur etiam pro torpore negligentiæ, quemadmodum Paulus dixit ad Romanos decimo tertio,*Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere.*Ac demum ſumitur pro quiete mentis, & vitæ, calcatis iam carnis deſideriis,quò ſpectat illud Sponſæ Canticorum quinto : *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Nimirum ſancta mens, quo ſe magis à ſtrepitu temporalis concupiſcentiæ retrahit, eo veriùs interna cognoſcit : &tanto alacrius ad intima vigilat, quanto magis ſe ab exteriorum inquietudine occultat. Quod bene per Iacob in itinere dormientem figuratur : qui ad caput lapidem poſuit, & obdormiuit ; & ſic à terra ſcalam cœlo inhærentem, & innixum ſcalæ Deum, aſcendentes quoque & deſcendentes Angelos vidit. In itinere quippe dormire, eſt in hoc præſentis vitæ tranſitu à rerum temporalium amore quieſcere : in itinere dormire, eſt in dierum labentium curſu, ab aſpectu viſibilium mentis oculos claudere,quos primis hominibus ſeductor aperuit. Culpæ quippe oculos concupiſcentia aperuit, quos innocentia clauſos tenebat. Angelos verò aſcendentes & deſcendentes

Nomen ſomni tribus modis in Scriptura ſumi.

Geneſ. 3.

cerne

cernere, est ciues supernæ patriæ contemplari, vel quanto amore auctori suo se ipsos transcendendo inhæreant, vel quanta compassione charitatis nostris infirmitatibus condescendant. Et notandum est valdè, quòd Iacob dormiens Angelos vidit, qui caput in lapide posuit: quia nimirum ille ab exterioribus operibus cessans, interna penetrat; qui intenta mente, quæ principale est hominis, imitationem sui Redemptoris obseruat. Caput quippe in lapide ponere, est mente Christo inhærere. Qui enim à præsentis vitæ actione remoti sunt, sed ad superna nullo amore rapiuntur, dormire possunt; sed videre Angelos nequaquam possunt, quia caput in lapide tenere contemnunt. Sunt namque nonnulli, qui mundi actiones fugiunt, sed nullis virtutibus exercentur. Hi nimirum, torpore, non studio dormiunt, & idcirco interna non conspiciunt, quia caput non in lapide sed in terra posuerunt. Quibus plerumque contingit vt quanto securiùs ab externis actionibus cessant, tanto latiùs immundæ in se cogitationis strepitum per otium congerant. Hæc Beatus Gregorius.

Vidítque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes, & Dominum innixum Scalæ, dicentem sibi, &c. VERS. 11.

15 AD historiam huius loci propriè ac signatè spectat quod de Beato Iacob dicitur in libro Sapientiæ, capite decimo, his verbis: *Hæc (sapientia) profugum iræ fratris iustum deduxit: per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam Sanctorum, honestauit illum in laboribus, & compleuit labores illius. In fraude circumuenientium illum, & adfuit illi, & honestum fecit illum. Custodiuit illum ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum, & certamen fortè dedit illi, vt vinceret, & sciret quoniam omnium potentior est sapientia.* Appellat Iacob profugum iræ fratris, quia discessit ex domo paterna, vt fratris sui Esau, sibi vehementer irati, declinaret insidias. Deduxit autem eum per vias rectas, id est, per vias bonas & securas, & perducentes ad prosperum finem, in quibus ille ambulans, neque ad dexteram, neque ad sinistram declinaret, id est, neque in rebus secúdis, neque in aduersis ab æquo, & recto aberraret, & nusquam offenderet, nullísque aut corporis, aut animi malis vinceretur. Et hoc Deus illi promiserat, cùm dixit ei, vt legitur in hoc loco; *& ero custos tuus quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc; nec dimittam: nisi compleuero vniuersa quæ dixi.* Quomodo autem Deus ostenderit Iacob regnum Dei, liquidò notum est ex visione, quæ narratur hoc loco: vidit enim scalam à terra vsque ad cœlum pertingentem: vidit ascendentes per eam, & descendentes Angelos, vidit etiam Dominum desuper innixum scalæ: Hæc autem significationem faciebant regni Dei tam cœlestis quàm terrestris, & significabant quemadmodum ipse regnet, prouidentiam & curam gerens omnium, & Angelorum opera & ministerio vtens. Putat

Explicatur diligenter locus sapientiæ cap 10. pertinens ad historiam Iacob huius loci Gen.

Lyranus habuisse tunc Iacob reuelationem de statu regni cœlestis,& patriæ,ac felicitatis æternæ. Quapropter dixit ipse,*non est aliud nisi Domus Dei,& porta cœli*. Sunt qui putent, ideo dici Deum ostendisse ei regnum Dei,quia tunc reuelauit ei,fuisse ipsum à se electum & prædestinatum ad vitam æternam,quo scilicet deinceps fortior, & constantior, & alacrior esset ad perferenda quantalibet mala,Deóque fideliter,& feruenter, perseuerantérque seruiendum. *Dedit illi scientiam Sanctorum*. Græcè est γνῶσιν ἁγίων, id est cognitionem Sanctorum. Et illud *Sanctorum* potest accipi,vel tanquam in masculino genere,vel neutro positum. Priori modo,vt pleriique accipiunt, denotat visionem Sanctorum Angelorum, per illam scalam ascendentium, & descendentium : ex quo intellexit Iacob, quale Angelorum esset ministerium inter Deum,& homines. Posteriori autem modo acceptum,significat à Deo Iacob doctum esse,quæ res ad sanctitatem & animi sui,& cultus diuini pertinerent:tale fuit, erigere lapidem in titulum,& desuper oleo vngere,vota Deo facere,& decimas bonorum suorum Deo promittere,locúmque in quo visionem illam habuerat, dicare,ac sacrare diuino cultui.

Honestare pro locupletari,& ditare,poni nõ semel à Latino Interprete.

Sed quid est,quod subiungitur,*Honestauit illum in laboribus,& complenuit labores illius?* Frequenter in hoc libro Latinus interpres vertit, honestare,& honestum facere,quod Græcè est,locupletare,vel ditare,& diuitem facere. Nam hîc pro,*honestauit*,est Græcè ἐπλούτισεν, id est locupletauit : & paulò infra pro *honestum fecit illũ*,est Græcè ἐπλούτισεν, id est ditauit. Quantopere autem Iacob ditatus fuerit in Mesopotamia(maximis licèt suis laboribus)liquet ex illis verbis Genes. 30. *Ditatúsque est homo vltra modum, & habuit greges multos,ancillas,& seruos,camelos,& asinos*. Pro, *Compleuit labores illius*,Græca sonant *multiplicauit*,quo significatur, Deum labores Iacob in pascendibus gregibus Laban,multiplici admodum fœtu ouium compensasse,vt narratur Genesis 30. Sequitur:*in fraude circumuenientium illum adfuit illi*. Hoc spectat ad fraudes Laban,& filiorum eius:qui ob auaritiam sæpiùs debita mercede fraudabant labores Iacob:& vt taceam cetera,decem vicibus mutarunt eius mercedem,vt ipse attestatus est Genes. 31. Licèt pro fraude Græcè sit πλεονεξία,id est, auaritia, bene tamen,& ad sententiam veritatis appositè Latinus Interpres vertit fraudem : ex auaritia namque prodibant fraudes,quas illi struebant; Iacob,& mala, quibus eum opprimere callidè conabantur. Eôdem spectant quæ sequuntur:*Custodiuit illum ab inimicis,& à seductoribus tutauit illum*. Sic enim appellat Laban,& filios eius. Quanquam hoc etiam referri potest ad Esau,& Chananæos,& Pherezæos,quos vehementer timebat post cædem Sichimitarum: Sic enim dixit filijs suis illius cædis auctoribus. *Turbastis me, & odiosum fecistis me Chananæis,& Pherezæis habitatoribus huius terræ. Nos pauci sumus,illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea. Genes. 34.* Verùm adfuit illi Deus,qui gentes illas magno perculsas pauore, ne sanctum Iacob lædere, aut inuadere auderent,cohibuit. Sic enim legimus Genes. 35. *Cúmque profecti essent,terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates,& non sunt ausi persequi recedentes.*

Restat

Restat illud, *Et certamẽ forte dedit illi, vt vinceret*: Græcè est ἐβράβευσεν αὐτῷ, significat autem verbum βραβεύω proponere, & instituere certamen, vnà cum eius præmio: vt sit sensus, Etsi varijs Iacob certaminibus exercitatus est, amplissima tamen ex eorum victoria retulit prẹmia. Secundùm nostrã lectionem, quidam ista verba referunt ad luctam, qua Iacob cum Angelo certauit, vt narrat Moses Geneseos cap. trigesimo secundo; in eo enim certamine videtur quodammodo prævaluisse, & vicisse Iacob. dixit enim ei Angelus: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis?* Sed præstat in vniuersum interpretari de varijs certaminibus laborum & periculorum, in quibus illum Deus exercuit, ad eum finem, vt prævalens ac vincens, potentior, & clarior, atque glorioſior existeret. Verùm quæ pertinebant ad interpretationem illius loci libri Sapientiæ, qui propriè spectabat ad visionem Iacob, quæ hîc narratur, & à nobis deinceps fusiùs explicanda est, hactenus cursim dicta sint.

TERTIA DISPVTATIO.

Quæ fuerit propria, & primaria significatio eius scalæ quam in somno vidit Iacob.

Super illis verbis,

VERS. 12.

Vidítque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen eius tangens cœlum. &c.

18 EXTRA controuersiam est, Scalam illam fuisse Symbolum, & signum magnæ cuiuspiam rei, cuius significandæ gratia, potissimùm dormiẽti Iacob visum illius scalæ oblatum est. Sed quia multiplex admodum esse potuit, & à Doctoribus multiformis tradita est illius visionis significatio; Quæritur, quænam maximè propria, & primaria illius scalæ significatio fuerit. Hanc ego puto fuisse declarationem prouidentiæ, ac curæ, quam gerit Deus, tum in commune omnium rerum tam cœlestium, quàm terrestrium; tum quam singulariter, ac propriè gerebat ipsius Iacob, vt clarè ostendunt ea verba, quæ Deus in illa visione dixit ad Iacob, & in hoc loco, à Mose commemorantur. Primùm igitur demonstremus, quemadmodum illa scala symbolum fuerit vniuersalis rerum omnium prouidentiæ diuinæ: tum ostendamus, quomodo istiusmodi visum singulariter ac propriè pertineat ad Iacob, & ad ipsum aptari & accommodari queat.

Quomodo Scala illa figura fuerit diuinæ prouidentiæ.

Scala illa pertingens à terra vsque in cœlum, est diuina prouidentia: hac enim Deus omnia, tam cœlestia, quàm terrestria gubernat, atque moderatur: Sicut Ecclesia confitetur in quadam oratione dicens:

Omnipotens sempiterne Deus,qui cœlestia simul, & terrena moderaris. Illa namque vehementer execranda impiorum oratio est, quam refert Iob cap. 12. *Quid enim,inquiunt,nouit Deus? quasi per caliginem iudicat. Nubes,latibulum eius,nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat.* Contrà verò præstantissimæ pietatis,certissimæque veritatis plena est illa Dauidis sententia in Psalmo 112. *Quis sicut Dominus Deus noster,qui in altis habitat,& humilia respicit in cœlo,& in terra?* Et quod scriptum est in libro Sapientiæ cap. 14. *Tua Pater prouidentia,ab initio gubernat.* Et cap. 12. *Non est alius Deus,quàm tu,cui cura est de omnibus.* Doctissimus Philosophus,simúlque Poëta Boëtius,cuius poëma ex intima philosophia promptum est,in libro v. de Consolatione philosophica,Metro 3. quod Homerus dixit de Sole. Πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει. Id est, omnia videt, & omnia audit;ostendit,nec in Solem verè dici,& in Deum verissimè conuenire. Audiat lector pulcherrimos eius versus,

Boëtius.

Huic ex alto cuncta tuenti
Nulla terræ mole resistunt.
Non nox atris nubibus obstat;
Vno mentis cernit in ictu
Quæ sint,quæ fuerint,veniántque:
Quem quia respicit omnia solus,
Verum possis dicere Solem.

Idem Auctor,Scalam istam diuinæ prouidentiæ, mirificè atque graphicè descripsit in libro 3. Metro 9. cuius super ea re elegantissimos, & doctissimos versus qui legerit,suauissima complebitur omni voluptate. Sicut autem hoc loco per scalam significatur Dei prouidentia; sic eandem significauit Homerus per catenam quandam auream ab Ioue de cœlo demissam in terras,omnia comprehendentem,atque constringentem, & ad ipsum Iouem retrahentem: sicut videre est apud Homerum Iliados Θ.

Iouis catena secundùm Homerum.

Varij gradus istius scalæ,quorum alij sunt inferiores,alij superiores, figurant multiplices vias,& multiformes rationes,variósque modos,quibus res à se conditas Deus regit,& gubernat,pro varietate scilicet ipsarum rerum,vel ratione carentium,vel ratione & intelligentia, & libero arbitrio præstantium. Et res quidem expertes rationis gubernat Deus,& ad suum quemque finem dirigit,per formas,& qualitates à principio eis ingeneratas,& per naturales propensiones;& irrationales quosdam instinctus qui tamen instar rationis,& cuiusdam prudentiæ in illis sunt. At verò animal hoc rationis & intelligentię particeps,proprio arbitrio,& volũtate pollẽs, capáxque religionis,virtutis,sapientiæ,ac felicitatis, quod hominem appellamus,non vno modo,sed multifariã gubernat;primò per leges tã naturales,quàm scriptas siue diuinas,siue humanas;tũ per prosperitatẽ rerũ, & aduersitatẽ, atque vtriusque temperamentum: deinde vel præmiorum spe,& expectatione alliciens,& incitans,vel suppliciorum metu deterrẽs, ac reuocans;adhæc,per internas inspirationes,externáq; monita,& documenta,& exempla tam honorum hominum, quàm malorum, necnon & per

Variis gradibus scalæ significari varios modos prouidentiæ pro ipsarum rerum varietate.

& per miracula, atque prodigia. Hęc porrò Dei erga homines prouidẽtia, comprehendit quatuor hominum genera, id autem est vniuersum genus hominum; & eos, qui viatores appellantur, qui vitam adhuc in terris agũt, & iam præsenti vita defunctos, atque hos, vel damnatos æternis Inferni suppliciis, vel qui temporariis cruciatibus expiandi in Purgatorio detinentur, vel in cœlis beato & immortali æuo perfruentes.

21 Duo ligna, quæ sunt latera scalæ, & quibus vtrimque inserti, atque infixi tenentur gradus, sunt duæ virtutes, siue proprietates diuinæ prouidẽtiæ, fortitudo & suauitas. Fortitudo quidem, ac potentia diuinę prouidentiæ, prorsus insuperabilis & indeclinabilis est: omnia comprehendit, nihilque patitur extra Regnum suum esse, aut vim suam effugere. Non potest frustari effectu, non impediri, non tardari, nusquam deflecti, nec vllo modo falli. Verissimum enim est, quod Ecclesia in quadam oratione dicit: Deus, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur: Et meritò quidem. Nam si cuncta prospicit Deus (vt Boëtius argumentatur lib. 5. de Consolatione philosophica, Prosa 3. neque falli vllo modo potest, euenire necesse est, quod prouidentia futurum esse præuiderit. Si enim res, aliorsum, quàm prouisæ sunt, detorqueri valent, non iam erit futuri firma præscientia, sed opinio potius incerta, quod ego de Deo credere nefas iudico. Sic Boëtius.

Latera scalæ significant diuinæ prouidẽtiæ fortitudinem, similque suauitatem.

Boëtius.

Atenim huic sententiæ ita posset occurri: Si omnia sunt Dei Sapientissimi, potentissimi, atque optimi subiecta prouidentiæ, vnde tot in rebus vitia, defectus, peccata, & mala, tum in rebus naturalibus, tum maximè in humanis? Hoc enim, inquit Boetius initio libri quarti de Consolatione philosophica, vel maximæ est admirationis hominum, & querimoniæ causa; quod cùm rerum omniũ bonus rector existat, vel esse omnino mala possint, vel impunita prætereant. Etenim imperante, florentéque nequitia, virtus non solùm præmiis caret, verùm etiam sceleratorum pedibus subiecta calcatur, & in locum facinorum supplicia luit. Quæ fieri in regno Scientis omnia, Potentis omnia, sed bona tantummodò volẽtis Dei, nemo satis potest nec admirari, nec conqueri. Verùm huiusmodi obiectionem benè, breuitérq; soluit Sanctus Thomas Prima Parte, Quæstio. 22. articulo 2. ad hunc modũ scribens: Corruptiones & defectus qui sunt in rebus, dicuntur esse contra naturam particularem, sunt tamen secundùm intentionem naturæ vniuersalis, in quantum scilicet defectus vnius cedit in bonum alterius, vel etiam totius vniuersi: Siquidem corruptio vnius, est generatio alterius, per quam species conseruantur. Cùm igitur Deus sit vniuersalis prouisor totius entis, ad ipsius prouidentiam pertinet, vt permittat nonnullos defectus esse in quibusdam rebus particularibus, ne bonum vniuersi perfectũ impediatur. Si enim omnia mala impedirentur, multa bona deessent vniuerso: non enim esset vita Leonis, si non esset occisio aliquorum animalium, nec esset patientia Martyrum, si non esset persecutio Tyrannorum. Vnde dicit Augustinus in Enchiridio, capite vndecimo; Deus Omnipotens nullo modo sineret malum aliquod esse in operibus suis, nisi vsque adeo esset omnipotens, & bo-

Obiectio, An mala, quæ cernuntur in rebus, cohære re queãt cum perfectissima Dei prouidẽtia. Boetius.

Solutio obiectionis. Egregia doctrina S. Tho.

B. Augustin.

nus, vt benefaceret etiam de malo. Hactenus ex Beato Thoma. Hoc ipsum legere est apud Boëtium libro quarto, Prosa sexta, paucis verbis, sed appositissimis, & significantissimis expressum. Hæc autem sunt eius verba: Sola est diuina vis, cui mala quoque bona sint; cùm eis competenter vtendo, alicuius boni effectum elicit. Ordo enim quidam cuncta complectitur, vt quod ab assignata ordinis ratione discesserit, hoc idem, licèt in alium, tamen in ordinem relabatur: ne quid in regno prouidentiæ liceat temeritati. Sic ille. Ea porrò, quæ videntur, & dicuntur fortuita, nobis quidem fortuita sunt non Deo; cuius nimirum prouidentiæ legibus tenentur ductúque, ac ratione eius gubernantur. Scitè igitur Boëtius lib. 5. Metro primo.

Præclara Boëtij sententia.

Idem Boët.

Et quæ permissis fluitare videtur habenis
Fors, patitur frenos, ipsáque lege meat.

Altera virtus, siue proprietas diuinæ prouidentiæ, est inenarrabilis quædam eius suauitas, non minor vtique, quàm ea est, de qua iam diximus, eusdem Prouidentiæ fortitudo: vtramque enim pariter in diuina prouidentia contineri, atque indissolubili societate per omnia pertinere ac permeare, scriptum est in libro Sapientiæ: Nam in septimo capite dicitur Spiritus diuinæ Sapientiæ (eadem autem est prouidentia) Sanctus, vnicus, multiplex, subtilis, mobilis, certus, suauis, humanus, benignus, stabilis, securus, omnem habens virtutem, omniáque prospiciens; & in se permanens, omnia tamen innouans: denique attingens à fine, vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter. Sic enim diuina prouidentia se rebus accommodat, vt nulli vim afferat, nihil contra cuiusquam rei naturam faciat: sed ita res omnes, & singulas moueat, ac regat, vt poscit cuiusque rei natura: tantáque id agit suauitate, vt vix sentiatur, & ob eam causam non pauci fuerint, qui nullam esse dixerint prouidentiam. Audiat Lector pulcherrimam Beati Dionysij super ista diuinæ prouidentiæ admirabili suauitate sententiam: In omnibus, inquit, quæ subsistunt, diuina prouidentia est, nihilque non Dei prouidentia agitur. Quinetiam ijs, qui fiunt mali, benignè prouidentia vtitur ad illorum, siue aliorum communem, siue priuatam vtilitatem. Ideóque absurdam multorum rationem non admittimus, qui aiunt oportuisse prouidentiam inuitos etiam nos ad virtutem ducere: atqui non est prouidentiæ diuinæ, violare naturam. Sed est cuiusque naturæ conseruatrix, eis, quæ per se mouentur, & libero agunt arbitrio, conuenienter prouidens, omnibúsque, & singulis propriè, vt omnium, singulorúmque natura capit, pro modo cuiusque, prouidentissimas bonitates impartiens. Hæc Beatus Dionysius. 22

Præclara B. Dionysij de prouidentia Dei sententia, in libro de diuinis nominibus. c. 4. parte 4.

Administri huius diuinæ prouidentiæ, sunt beati spiritus Angelici: quos iccirco Paulus ad Hebræos 1. Administratorios vocat Spiritus, missos in ministerium, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Et Iob capite nono dixit, eos portare orbem: *Deus*, inquit, *cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo curuantur, qui portant orbem.* Daniel capite quarto appellat Vigiles, id autem est, perpetuò intentos exequendis 23

Administros diuinæ prouidentiæ esse Angelos.

dis Dei iussis, iniunctísque sibi ministeriis diuinæ prouidentiæ obeundis: Idémque capite decimo, vocat eos Principes Regnorum, & Prouinciarum. Sanè Dauid psalmo 102. paucis verbis eleganter exposuit ministerium angelicum circa Dei prouidentiam. Nam primò prouidentiam Dei significãs, ait: *Deus in cœlo parauit sedem suam, & Regnum ipsius dominabitur.* Tum indicat, qui sint, & quales huius prouidentiæ ministri; dicens: *Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute facientes verbum illius, ad audiendum vocem sermonum eius. Benedicite Domino omnes virtutes eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius.* Inducuntur autem in hac visione Angeli ascendentes & descendentes, quia in hoc maximè versatur ministerium angelicum. Ascendunt enim, referentes ad Deum preces, & vota, & necessitates mortalium; descendunt verò deferentes à Deo ad homines, diuina consilia, & arcana eis reuelanda, & item dona & auxilia cœlestia eis præstanda, ac demum optatos, lætósque petitionum & votorum effectus. Huius angelici ascensus & descensus, multa extant in Sacris litteris documenta, cùm alibi, tum in Apocalypsi, sed illud valdè luculentum, & in hoc loco memorandum est, quod in libro Tobiæ capite duodecimo de Angelo Raphaele proditum est. Vis nosse eius Angeli ascensum ad Deum? Audi quid ipse dicat Tobiæ: *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, ego obtuli orationem tuam Domino. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te.* Vis descensum eiusdem Angeli cognoscere? attende quid ipse post ista verba proxima dicat. *Et nunc misit me Dominus, vt curarem te, & Saram vxorem fily tui à Dæmonio liberarem. Ego sum Raphael Angelus, vnus ex septem, qui astamus ante Dominum.* Ergo descendunt Angeli, cùm à Cœlo veniunt in terras mandata Dei perferentes inibi peragenda, ascendunt autem, vel eo, quo dixi, modo, vel cùm iam confectis mandatis diuinis in Cœlos reuolant, ad Deum reuertentes. Quare Raphael expedito negotio, cuius perficiendi gratia missus à Deo fuerat ad Tobiam, dixit: *Tempus est ergo, vt reuertar ad eum, qui me misit: vos autem benedicite Deum, & memorate omnia mirabilia eius, & cum hæc dixisset, ab aspectu eorum ablatus est, & vltra eum videre non potuerunt.*

Quid ascẽsus, & descensus Angelorũ per scalam.

Locus Tobiæ cap. 12.

24 Sanctus Thomas secunda secundæ Quæstione 181. Articulo vltimo ad 2. ascensum istum, & descensum Angelorum, interpretatur munera & functiones vitæ angelicæ, tam actiuæ, quàm contemplatiuæ, hoc modo scribens: De ijs quæ pertinent ad dispensationem ministeriorum Dei, vnus Angelus docet alium purgando, illuminando, & perficiendo. Et secundùm hoc, habent Angeli de vita actiua, quandiu mundus durat, eo quòd administrationi inferioris creaturæ intendunt. Id autem significatum est per illam visionem Iacob. Vidit enim Angelos in scala ascendentes, quod pertinet ad contemplationem: & descendentes, quod pertinet ad actionem. Verùm Angeli, vt ait Gregorius libro secundo Moralium, non sic à diuina visione forâs exeunt, vt internæ contem

S. Thomas.

S. Gregorius.

contemplationis gaudiis priuentur. Quo fit, vt in eis non separetur vita actiua à contemplatiua, sicut in nobis separatur; qui per opera vitæ actiuæ impedimur à contemplatione. Sic B. Thomas qui mutuatus id videtur ex B. Gregorio: cuius in eandem sententiam in lib. 5. Moralium hæc sunt verba: Angelos ascendentes & descendentes cernere, est ciues supernæ patriæ contemplari: vel quanto amore auctori suo semetipsos trãscendendo, inhæreãt; vel quanta compassione caritatis, infirmitatibus nostris condescendant. Sic ille.

S. Gregorius.

Dominus in culmine scalæ, innixus ei quid significaret.

Quod autem Iacob vidit Deum in fastigio scalæ innixum ei, siue vt Hebræa sonant, stantem super eam; id significabat, Deum esse primum principium, atque vltimum finem totius prouidentiæ; ab ipso mitti Angelos cum mandatis peragendis in terra, atque his peractis, ad ipsum reuerti. Visus est in fastigio Scalæ prospiciẽs inde inferiora, quia licèt Deus excelsissimus sit, & in cœlis habitare dicatur, omnia tamen, quamuis minima, & abditissima, atque occultissima sint, clarissimè cernit. Néque verò De⁹, ascẽdere aut descẽdere, aut aliquo quopiã motu visus est moueri, sed innixus scalę, stans atque immotus. Quo significatum est, Deum, cum sit ipse per se immobilis, atque immutabilis, nec apud eum sit trãsmutatio vlla, aut vicissitudinis obumbratio; omnia tamen per suam potentiam, atque efficacitatem prouidentiæ mouere, atque omnium esse auctorem mutationum. Quo fit, vt in libro Sapientiæ, capite septimo, diuina sapientia dicatur esse mobilior omnibus mobilibus, quantum videlicet ad potentiæ suæ & gubernationis effectus: & ideo mox subditur: *Attingit autem vbique propter suam munditiam.* Nam quòd ipsa per se immobilis, cuncta moueat, & regat, declaratur ibi verbis illis: *Et cùm sit vna, omnia potest: & in se permanens, omnia innouat.* Cùm quibus pulchrè consonant versus illi Boetiani in libro tertio, Prosa nona.

Iacob 1.

Locus lib. Sapientiæ. ca. 7.

Boetiani.

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum, Cœlique Sator: qui tempus ab æuo
Ire iubes; stabilisque manens, das cuncta moueri.

An prouidentia mundi à solo Deo proueniat, an etiã aliis ex rebus

Si quis porrò de me quærat, an prouidentia mundi à solo Deo pendeat, an etiam ab Angelis, aliísve rebus: Ego breuibus isti quæstioni satisfacerem, hac distinctione adhibita. Aut nomine prouidentiæ, intelligitur præordinatio rerum omnium, & directio ad fines suos, & item præfinitio mediorum, quibus ad suum quæque res finem perducenda est. Aut intelligitur nomine Prouidentiæ, executio istius ordinationis, cùm talis præordinatio, & præfinitio explicatur, atque deducitur in actũ & vsum, quæ solet propriè vocari gubernatio. Priori modo sumpta prouidentia, indubiè tota pendet à Deo, qui vt solus res omnes ab initio cõdidit, ita sapiẽter eas sol⁹ ordinauit, proprios singulis fines præfigẽs, propriáq; ad eos fines consequendos media præfiniens. Sic autem intelligi oportet quod dixit Iob cap. 34. *Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbẽ, quẽ fabricatus est?* Quasi dicat, nullus alius præest rectioni mundi, nisi solus is, qui eũ condidit. Per se quippe mundũ régit, ait

Locus Iob cap. 34.

Grego

Gregorius lib. 24. Moralium, ista verba exponens) quem per se condidit: nec eget alienis adiutorijs ad regendum, qui non eguit ad faciendum. Solus igitur præsens est in regimine, qui solus auctor fuit in creatione. *B. Greg.*

27 Sin autem posteriori modo nomen prouidentiæ accipiatur, non dubium est, quin diuina prouidentia per alias res medias ad executionem, & operum absolutionem veniat, id est, per causas secundas, vel naturales, vel Angelicas, vel humanas. Hunc certè ordinem cernimus in executione diuinæ prouidentiæ: inferiora enim corpora reguntur per superiora, hæc verò per substantias spirituales: idque fit non propter defectum diuinæ virtutis, sed ob diuinæ bonitatis potius abundantiam, vt etiam cum rebus à se creatis, dignitatem efficientiæ, atque, vt ita loquar, causalitatis communicet. Ex his apparet, falsam & impiam fuisse sententiam, quam memorat Gregorius Nissenus libro octauo de prouidentia, cap. tertio, Platonicorum, triplicem distinguentium Prouidentiam: quarum prima erat summi Dei, primò ac principaliter prouidentis spiritualibus & cœlestibus substantiis, consequenter autem toti mundo, sed solùm tamen, quantum ad genera, & species, & causas vniuersales. Secunda prouidentia erat, qua prouidetur rebus singularibus, generalibus, & corruptibilibus, intra orbem Lunæ positis, quam assignabant, Diis secundis, qui mouent orbes cœlestes. Tertia erat Prouidentia rerum humanarum, cui præficiebant Dæmones, quos aiebant esse medios inter Deum & homines: super quo disputat copiosè Augustinus initio libri noni de Ciuitate Dei. Et ante eum Apuleius in libro, quem scripsit de Deo Socratis.

Falsa Platonicorum de prouidentia mundi opinio. Nissenus.

Augustinus. Apuleius.

28 Sequitur altera pars huius Disputationis breuibus expedienda: Quomodo visio illius scalæ pertinuerit ad declarandam singularem prouidentiam, & curam, quam Deus gerebat patriarchæ Iacob, id est ad magnam eius viri, tunc vehementer anxij & afflicti, consolationem & confirmationem. Quatuor verò potissimùm res animum sancti viri Iacob, id temporis, valdè sollicitum, & tristem, & anxium habebant. Ac prima tristitiæ causa, fuit discessus à chariſſimis parentibus, sub quorum paterna disciplina, & cura septem & septuaginta annos quietissimè, ac iucundissimè vixerat, vtrum autem eos aliquando postea reuisurus esset, incertum habebat. Sed contra hoc, dixit ei Deus, *Ego ero custos tuus quocumque perrexeris: Et non dimittam te, nisi compleuero vniuersa, quæ dixi.* Quasi polliceretur ei se beneuolentia singulari, curáque, parentum vicem præstiturum. Deinde tristem faciebat eum itio in Mesopotamiam, longinquam terram videlicet, & ad gentem ignotam: præsertim autem, derelicta terra Chanaam, quam ille multum diligebat; non eo tantùm, quòd in ea terra natus, educatúsque, ac tot annos commoratus esset, sed eo maximè, quòd eius terræ possessionem Deus auo suo Abrahæ, atque eius posteris promiserat, nec sciebat vtrum ad eam rediturus esset aliquando. Verùm contra hoc voluit, quod dixit ei Deus, *Terram in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo*, Et paulò post: *Reducam te in terram hanc.* Tertia causa mœroris & angoris, erat solitudo eius, quòd omnium, & cognatorum, & amicorum societate, consuetudinéque orbatus erat, nec quem-

Quomodo visio ista propriè ad eruditionem & cõsolationem, & confirmationẽ Iacob pertinuerit.

quam habebat, cuius vel consilio regi, vel opera iuuari, vel præsidio defendi, vel solatio recreari posset. Ad hunc verò mœrorem, metúmque animo eius eripiendum pertinuit visio Angelorum ascendentium, & descendentium per scalam, à Deo scilicet ad ipsum, & ab ipso ad Deum qua visione significabatur ea, quam habent Angeli hominum, & quam propriè habituri erant ipsius Iacob, custodia, protectio, & defensio. Quod illustrari potest altera visione, quæ accidit ministro Elisæi Prophetæ, vt narratur quarto Regum, capite sexto. Nam cùm ille videns Ciuitatem in qua erat, validissimo exercitu hostili circumdatam, maiorem in modum perterritus fuisset, Deus illi, ad preces Elisæi, aperiens oculos, ostendit totum montem plenum equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisęi, vt meritò tunc ei dixerit Elisęus, *Noli timere, plures enim nobiscum sunt quàm cum illis.* Quarta res, quæ mentem animúmque Iacob afflictabat, erat huiusmodi: videbat se pauperrimum, atque omnium rerum inopem, nec habere suum, vel tantulum terræ, vbi pedem poneret: ire porrò ad gentem, cui quòd esset ignotus nihilque speciosum & splendidum ferret, futurum se putabat obscurum & ignobilem, ideóque vilem & contemptum. At Deus istam ei adimens opinionem, & timorem, dixit ei: *Dilataberis ad Orientem & Occidentem, & Septentrionem & Meridiem, & benedicentur in te, & in semine tuo omnes tribus terræ.*

Cernis, opinor, ex ijs, quæ breuiter dicta sunt Lector, visionem illius 29
scalæ, non solùm pertinuisse ad declarandam prouidentiam Dei in vniuersum, sed etiam propriè eam, quam singulariter Deus ipsius Iacob habebat, & in posterum habiturus erat. Possunt hęc confirmari auctoritate
Theodor. Theodoreti idipsum affirmantis in Quæstione 82. in Genesim. Nam cùm docuisset, iccircò Iacob profugum, & solitarium atque inopem digressum à parentibus, iuisse in Mesopotamiam, vt clariùs Dei prouidentia erga ipsum agnosceretur, subiungit hæc: Quam quidem prouidentiam, apparitione sua confestim Deus declarauit. Ostendit enim ei scalam ad cœlum vsque pertingentem, & sanctos Angelos ascendentes & descendentes. Ipse verò Dominus sursum consistens, confirmabat eum, & metum expellebat. Horum autem vnumquodque poterat securum reddere Patriarcham. Docetur enim, nihil negligenter & sine cura ab omnium Deo administrari: sed ipsum omnia dispensare sanctorum Angelorum vtentem ministerio: ipsos enim Angelos dixit
ad Hebr. 1. B. Paulus administratorios esse Spiritus, in ministerium missos propter eos qui hæreditatatem capiunt salutis.

QVARTA

QVARTA DISPVTATIO.

De varijs eiusdem scalæ interpretationibus allegoricis.

29 PROPRIA & primaria, & quam vocant litteralem, expositio illius scalæ, superiore Disputatione satis copiosè tractata est. Deinceps disputandum est de mysticis eiusdem scalæ interpretationibus partim allegoricis, partim tropologicis. Allegoria super ista scala duplex traditur: harum vna pertinet ad Christum Dominum; altera ad Ecclesiam eius. Itaque scala illa fuit figura generationis Filij Dei secundùm carnem, quam, descripta eius genealogia, duo Euangelistæ Matthęus & Lucas tradiderunt: ille, descendendo ab Abraham vsque ad Ioseph & Mariam; hic autem ab his ascendendo vsque ad Adamum & Deum. Multigena igitur Christi prosapia, similitudine illius scalæ pręsignata est. Gradus scalæ, fuerunt omnes illæ generationes, & personę, quę in genealogia Christi memorantur, per quas scilicet Christus, secundum rectam lineam descendit ex Abraham. Latera scalæ, quibus eius nititur stabilitas, & quibus inserti, fixiąque tenentur gradus, sunt Dei misericordia, & veritas, siue fides: nam duabus hisce rebus maximè nititur diuina promissio venturi Messiæ. Etenim magna Dei fuit misericordia ac benignitas, tanto seruum suum Abraham honore dignari voluisse, vt ex eius semine, Filium suum hominem generatum iri promitteret. At veritatis & fidei ac iustitiæ diuinę fuit, promissum hoc suum constanter tueri atque inuiolatum seruare, & in tempore pręstare. Quare licèt complures earum personarum, quæ in genealogia Christi recensentur, ob insignem earum improbitatem atque impietatem indignissimæ essent, vt ex ipsis Christus progigneretur: attamen veritas diuinæ promissionis prætualuit, nec istorum hominum scelera Dei promissa mutare aut exinanire potuerunt. Manserunt igitur gradus, licèt per se essent pessimi, quia lateribus scalæ firmissimè infixi erant. Inferior porrò scalæ pars hęrebat in terra, suprema verò contingebat cœlum. Hoc significabat duas Christi naturas, diuinam & humanam. Vel prefigurabat duas in Christo partes; inferiorem, secundùm quam in terris versabatur mortalis, & passibilis, & quasi viator; & superiorem partem, secundùm quam erat beatus in cœlis, & comprehensor. Deus scalæ innixus fastigio, quid aliud significabat, nisi Diuinitatem vnitam Humanitati, & quod Paulus dixit, *Caput Christi Deus.* Angeli ascendentes per scalam ad Deum, erant ij, qui ferebant ad Deum ardentissima desideria, & deuotissimas preces Patriarcharum & Prophetarum, aliorúmque Sanctorum hominum super aduentu Messiæ in terras. Cuiusmodi fuêre illa: *Vtinam disrumperes cælos, & descenderes.* &, *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum; aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Et illud Iacob, *Salutare tuum expectabo, Domine:* necnon & illud Moysi, *obsecro, Domine, mitte quem missurus es.* Descendebant verò Angeli, deferentes ad sanctos homines

Prima Allegoria illius scalæ pertinēs ad Incarnationem Christi.
Matth.1.
Luc.3.
1.Corinth.11.
Isai.64.
Supra 45.
Genes.49.
Exod.4.

Genes. 49. diuina oracula de tempore aduentus Messiæ; quale est illud, *Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de fœmore eius, donec veniat, qui mittendus est.* Et Dan. 9. celeberrimum illud Danielis vaticinium de septuaginta hebdomadibus, & item de loco natiuitatis eius, de qualitate matris eius, de genere doctrinæ quam prædicaturus erat, de admirandis eius operibus & miraculis; ac demum de atrocissima eius morte: quibus de rebus multa diuinitus Isaiæ reuelata sunt, & ab eo scriptis prodita. Omnino Angeli mysteriorum ad Christum pertinentium, tam in veteri, quàm in nouo Testamento, & Nuntij, & Procuratores, & Administri fuerunt.

Allegoria S. August. Sanctus Augustinus visionem istius scalæ interpretatur allegoricè de Christi non solùm Incarnatione, Generatione, vt in superiore expositione, verumetiam de paupere ac humili eius in terris vita, & conuersatione; præcipuè autem de morte in cruce pro nobis ab eo susceptæ & oppetita. In sermone igitur 79. de Tempore, istiusmodi Allegoriam ad hunc modum tractat: Isaac filium suum mittens in Mesopotamiam, Dei Patris typum præfigurauit: Iacob autem illuc missus, præsignauit Christum Dominum. Isaac neglectis mulieribus regionis quam incolebat ipse, misit filium suum Iacob in terram longinquam, vt inde sibi vxorem acciperet: quia Deus Pater missurus erat in hunc mundum Filium suum, qui repudiata Synagoga, de Gentibus sibi Ecclesiam sociaret. Quod tunc verè completum est, cum Iudæis dixêre Apostoli: Act. 13. *Vobis primùm oportebat loqui verbum Dei: sed quia vos indignos iudicastis æterna vita: ecce conuertimur ad Gentes.* Non legimus Iacob iuisse in Mesopotamiam cum equis & camelis, sed baculum duntaxat manu portasse: *Cum baculo meo*, inquit ipse, Genes. 32. *transiui Iordanem istum, & ecce cum duabus turmis regredior.* Iacob igitur ad accipiendam vxorem exhibuit baculum; & Christus ad redimendam Ecclesiam, detulit Crucis lignum. Iacob vidit Dominum in cacumen scalæ incumbentem. Quid est, in scalam incumbere, nisi in ligno Crucis pendere? Sed quare id factum est in itinere, priùs quàm Iacob vxorem acciperet? quia verus Iacob Dominus noster, prius in scala, id est, in Cruce occubuit, & postea sibi Ecclesiam sociauit, dans ei in præsenti arram sanguinis sui, daturus dotem postmodùm sui regni. Angeli ascendentes ad cœlum, & descendentes in terras, præfigurabant sanctos Prædicatores, qui cum alta & diuina mysteria tractant, quæ non à quibuslibet, sed à per- 1. Cor. 2. fectis solùm intelliguntur, ascendere dicuntur ad Deum: audi Paulum: *Sapientiam*, inquit, *loquimur inter perfectos: sapientiam verò non huius sæculi, sed arcanam & absconditam, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram.* Cùm autem prædicatores ea docent, quæ pertinent ad corrigendos mores, & ab omni populo intelligi possunt, tunc descendunt in terram; vt cum Paulus dicebat: Ephes. 5. *Fugite fornicationem. Nolite inebriari vino,* 1. Tim 6. *in quo est luxuria. Radix omnium malorum est cupiditas.* Ioannes quoque in Ioan. 1. exordio sui Euangelij altissimè ascendit, dicens: *In principio erat verbum: & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil.* Sed idem nihilominus profundissimè descendit, cùm subiunxit: *Et verbum caro fa-*

ctum

ctum est: & habitauit in nobis. Hoc itaque ordine & ascenditur & descenditur, cùm & perfectis cibus solidus tribuitur; & doctrinæ lac, etiam imperfectis, tanquam infantibus, non negatur. Hactenus ex Augustino. *1. ad Cor. 3.*

Tertull. Allegoria.

Tertullianus extremo libro tertio aduersus Marcionem, interpretatur per illam Scalam Iacob præmonstratum esse iter ad cœlum, quo alij perueniant, & vnde alij decidant. Cùm autem Iacob euigilans dixit: *Vere non est hic aliud nisi Domus Dei, & Porta cæli:* planissimè Dominum nostrum prænunciauit. Ipse est enim templum Dei, in quo non solùm plenitudo omnium gratiarum, sed etiam plenitudo ipsius diuinitatis corporaliter inhabitauit. Ipse est porta cœli, sicut ipse dixit: *Ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur; & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* *Coloss. 2.*

Allegoria illius scalæ spectans ad Ecclesiam bene à Caietano explicatur. Genes. 4.

31 Altera huius visionis Allegoria refertur ad Ecclesiam Christi: quam scitè admodum, & appositè tractat Caietanus, in Commentario huius loci, ad hunc modum scribens: Quoniam similitudines corporales Dei & Angelorum, & scala monstrata Iacob, sunt figuræ rerum spiritualium: ideo ad literam visio ista prefigurauit Ecclesiam Dei, hoc est, Congregationem iustorum hominum in vna fide, spe, & charitate Dei: hæc enim viua Domus Dei est, quæ incœpit ab Abel iusto. Ad hanc solida stat scala vsque ad cœlum, hoc est via gradatim per ordinata merita & officia gratiásque pertendens ad cœlum. Et in ea continuè Angeli ascendunt à nobis, referendo nostra in Deum; & descendunt ad nos, adferendo diuina nobis. Et quamuis simpliciter prior sit descensus Angelorum ad homines, quàm ascensus eorum ab hominibus: in scala tamen à terra in cœlum erecta, prior est ascensus in terra, quàm descensus à cœlo. Etenim quamuis Angeli priùs ad custodiam hominum venerint, quàm nostra retulerint ad Deum: inchoata tamen iam ecclesia, priùs nostra referuntur ad Deum, quàm deferantur diuina ad ipsam congregationem iustorum. Intelligendum enim est, merita Ecclesiæ prouocare Angelos ad descendendum: & Angeli qui priùs quàm scala fieret, descendebant sine scala ad constituendam Ecclesiam; post eam iam constructam, præueniunt ascendendo per scalam, eos qui descendunt per eandem scalam: ideo enim priùs nominantur in hoc loco ascendentes Angeli per scalam, quàm descendentes per eam. Nam etsi ascendentes priùs descenderant, non enim nati fuerant in terris, sed venerant de cœlo, non tamen descenderant per scalam. Hęc Ecclesia, est verè Domus Dei: in hac sola via est ducens ad portam cœlorum: extra hanc nulli patet accessus ad cœlestem patriam: in hac supremus Deus & Creator omnium præsidet, & iudicia sua exercet, & bona malaque pro cuiusque meritis retribuit. Hæc Caietanus. Cui non assentior, istiusmodi expositionem esse litteralem; est enim mystica, & allegorica; litteralis verò ea est, quàm nos in superiore disputatione tradidimus.

***

QVINTA DISPVTATIO.

De tropologica illius ſcalæ interpretatione, quæ ad diſciplinam vitæ, ad normam Euangelicæ perfectionis agendæ ſpectat.

VIsio illius ſcalæ, ſecundùm intelligentiam tropologicam, 32
pulchrè accommodatur ad Chriſtianam diſciplinam & vitam; eam maximè, quæ ad normam Euangelicæ perfectionis conformatur & dirigitur, quam vocare ſolemus diſciplinam & vitam religioſam. Scala igitur hærens in terra, & vſque ad cœlum erecta, eſt Chriſtianæ vitæ ratio, & diſciplina rectiſſima & ſublimiſſima. Sancti nãque homines, licèt corpore verſentur in terris, conuerſatio tamen eorum in cœlis eſt. Sunt quidem in mundo, ſed non ſunt ex mundo: ambulant in terris, & cum hominibus etiam mundanis conuerſantur, ſed contemptis mundanis bonis, quærunt quæ ſurſum ſunt, & quæ ſurſum ſunt ſapiunt. Et ſicut aſcenſus per illam vſque adeo ſublimem & arduam ſcalam fuiſſet laborioſiſſimus: ita profectò vita Chriſtiana, & Religioſa, laboris & aſperitatis plena eſt. Et ad hoc ipſum ſignificandum, bellè quadrat ſimilitudo iſtius ſcalæ: quæ præter vulgatum, notúmque omnibus ſignificatum, etiam (ſi credimus Suidæ) ſignificat inſtrumentum. Scala, inquit ille, eſt inſtrumentum quoddam torquendi, quo eorum torquentur corpora, qui ſupplicio afficiuntur. Hoc apertè indicant illa Ariſtophanis verba:

Sola quid.

Philip. 3.

Coloſſ. 3.

Scala erat, auctore Suida, inſtrumentum quoddam torquendi. Ariſtophanes.

Modis omnibus de illo quæſtionem habe,
Scalæ impone, ſuſpende, loris cæde:
Deglube, torque, acetum naribus infunde,
Lateres impone.

Latera ſcalæ, quæ.

Duo latera ſcalæ, ſunt in Chriſtiana diſciplina, & vita; Fides, & Opera: aut verbum Dei, & Sacramenta: ſiue illa duo præcipua philoſophiæ moralis capita, *Suſtine, & abſtine*, quæ duo verba, ſi quis cordi habeat (vt ſolitum dicere Epictetum, refert Gellius lib. 17. cap. 19.) eaq; ſibi imperando atq; obſeruando curet; is erit plerumq; impeccabilis, vitamq; viuet tranquilliſſimam. Sunt enim duo validiſſima firmamenta, & præſidia humani animi, aduerſus plurima & grauiſſima vitia, malaque, quorum fœcũdiſſimi parentes ſunt Intolerantia, & Incontinentia. Gradus porrò ſcalę, ſi quis dixerit eſſe varias gratiarum, & virtutum ſpecies, quarum cultu & exercitatione aſcenſus fit ad culmen vſq; perfectionis, haud ille quidem à vero aberrauerit. Niſi quis fortè malit intelligere, tres illos celebres gradus ſtudentium virtuti, ac Deo ſeruientium; vnum Incipientium; alterum Proficientium; tertium Perfectorum. Enimuerò, ad iſtiuſmodi gradus myſticos, per quos aſcenditur ad Deum, non ineptè referri poteſt quod cecinit Dauid in Pſalm. 83. *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum, in loco quem poſuit. Etenim benedictionem dabit Legiſlator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.*

A. Gellius.

Gradus ſcalæ qui ſint.

Angelorum per ſcalam aſcenſus & deſcenſus, denotabat duplicem 33
Sanctorum

Sanctorum hominum vitam in terris: vnam, quæ vocatur Contemplatiua, per quam mente ascenditur ad Deum: alteram, quæ dicitur Actiua, per quam descenditur ad erudiendum, consolandum, corrigendum, iuuandúmque homines. Vel descensus Angelorum significat, eorum, qui magnos in studio perfectionis fecerant processus, horribilem casum, lapsúmque in grauissima peccata, & ad terrenas cupiditates, & voluptates turpem regressum. Contrà verò, ascensus è terra vsque ad verticem scalæ, indicat admirabilem quorundam hominum ex vitiis ad virtutes conuersionem: qui, cùm terrenis cupiditatibus, ac vitiis penitus immersi ac infixi essent, inde tamen per Dei gratiam non solùm emerserunt, sed etiam in fastigium vsque perfectæ atq; absolutæ virtutis euaserunt: quod B. Magdalenæ, aliorúmque plurimorum clarissimis exemplis confirmari posset. Non est autem visus in illa scala Angelus quisquam aut residere, aut subsistere: omnes enim vel ascendebant, vel descendebant: quod sanè symbolum magnæ cuiuspiam, & admodum obseruandæ rei fuit. Etenim qui versantur in studio ac professione Euangelicæ perfectionis, nisi ascendant, continuò descendere eos necesse est: nam qui non proficiunt, necessariò deficiunt: medius enim status inter profectum & defectum nullus est. Cum enim homo Religiosus debeat esse perfectus, id est, perpetuò currere ad consequendam perfectionem, & in ea acquirenda in dies magis ac magis proficere: Si à tali cursu & profectu cessat, deflectat necesse est à statu, & instituto, professionéque Religionis. Deus porrò in vertice scalæ insistens, vel innixus, significabat, se in viris maximè perfectis, & qui ad culmen perfectionis ascenderint, habitare, requiescere, & (vt ita loquar) deliciari, atque illis perfectè vniri.

Duplex Sanctorum in terris vita.

34 Cæterum hæc à nobis concisè ac ieiunè dicta, latiùs & luculentiùs, appositis Sanctorum Patrum testimonijs & sententiis, exponenda sunt. S. Bernardus in Sermone de verbis illis Euangelij: *Ecce nos reliquimus omnia*, (qui alio nomine inscribitur: Declamationes B. Bernardi) istam scalam, ait, esse disciplinam religiosam cuiusque Ordinis Religiosorum hominum, probati in Ecclesia. Quisque enim habet certam, & propriam disciplinam à fundatore eius Ordinis præscriptam: quam obseruando, qui in eo Ordine seruiunt Deo, tanquam per scalam ascendunt ad perfectionem, & in cœlestem patriam. Hanc dicit fuisse scalam, per quam B. Benedictus, post mortem, visus est quasi per viam quandam rectam, pretiosis stratam palliis, & innumeris corruscantem lampadibus, ab eius cella in cœlum vsq; tendentem, ascendere ad cœlestem patriam. Et ijs qui istud videbant, dixit quidam venerando vultu & habitu vir: Hæc est via, qua dilectus Domini Benedictus cœlum ascendit. Duo latera huius scalæ, dicit esse præcipua disciplinæ Religiosæ firmamenta, Asperitatem vitæ, & Humilitatem mentis. Illa cõtinet iuge studium & exercitium mortificationis corporalis, per ieiunia, vigilias, verberationes, aliásque afflictiones corporis. Hæc autem contemptum & fugam habet humanæ laudis, honoris, & gloriæ; è contrario autẽ studium & amorẽ rerum vilium, atq; abiectarum nec modò contẽptum habet seculi, sed etiã sui. Vbi si (ait Bernard.)

S. Bernard. Matth. 19.

Latera scalæ.

stabi

ſtabilieris & firmaueris in corde tuo, aſperitatem corporalis abſtinentiæ & laboris amplecti; ſimúlque omni vilitate, & extremitate eſſe contentum; habes bona ſcalæ latera; ſecurus iam inſere gradus exercitij ſpiritualis, vt totum, quod mundo & carni ſubtrahis, ſtudio pietatis impendas: & oblitus quæ retrò ſunt, extentúſque in anteriora, aſcenſiones in corde tuo diſponens, de virtute proficias in virtutem, vt videre Deum deorum in Sion merearis.

Philip.3. *Pſalm.83.*

Meritò autem ſpiritualis diſciplina aſcenſui per gradus ſcalæ comparatur. Nam vt illic alios ſuper alios gradus conſcendere oportet, nec vſquam inſiſtere, quoad perueniatur ad culmen ſcalæ: ſic in diſciplina capeſcenda perfectionis, ſemper ad vlteriora currendum, & magis in dies proficere conandum eſt. Audi egregiam Bernardi ſententiam ex epiſtola eius 253. ad Abbatem Garinum Alphenſem: Nunquam vir iuſtus (verba ſunt hæc Bernardi) arbitratur ſe comprehendiſſe: nunquam dicit, Satis eſt, ſed ſemper eſurit, ſitíſque iuſtitiam: ita vt ſi ſemper viueret, ſemper, quantum in te eſt, iuſtitior eſſe contenderet, ſemper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum, vel ad tempus inſtar mercenarij, ſed in æternum diuino ſe mancipat famulatui. Audi verbum iuſti: *In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas.* Itaq; indefeſſum proficiẽdi ſtudium, & iugis conatus ad perfectionẽ, perfectio reputatur: Quòd ſi ſtudere perfectioni, & velle ſemper proficere, eſt perfectum eſſe; profectò nolle proficere, deficere eſt. Vbi ergo ſunt, qui dicere ſolẽt, Sufficit nobis, nolumus eſſe meliores quàm patres noſtri. O Monache, non vis proficere? Non, inquit. Vis ergo deficere? Nequaquam, ait. Quid ergo? Manere, inquit, volo, in eo, quò perueni: nec peior fieri volo, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod eſſe non poteſt. Vidit enim ſcalam Iacob, & in ſcala Angelos, vbi nullus reſidens, nullúſve ſubſiſtens apparuit: ſed vel aſcendere vel deſcendere videbantur: quo palam daretur intelligi, inter profectum, & defectum, in hoc ſtatu mortalis vitæ, nihil medium inueniri, ſed vt ipſum corpus noſtrum continuè aut creſcere conſtat, aut decreſcere; ſic neceſſe ſit, & Spiritũ aut proficere ſemper, aut deficere. Hactenus ex Sãcto Bernard.

Semper in via Dei progrediendum eſſe vlteriùs: nam non progredi, eſt regredi. Bernard.

Locus Pſalm. 118.

Digniſſimum quoq; memoratu, cognitúq; videtur, quod ſuper iſta ipſa ſcala diſputat D. Baſilius, ſcalam iſtam à terra vſque in cœlum porrectam, referens ad ſublimen & arduũ aſcenſum, ad perfectę, conſummatæq; virtutis perceptionem. In qua ſcala inchoandus eſt aſcenſus à primo gradu terræ proximo, vt primus aſcenſus, ſit receſſus à terra, quia primus in diſciplina virtutis gradus, eſt declinare à vitijs. Deinde fit gradus, & aſcenſus ad ſublimiora, & difficiliora. Si enim ſuprema virtutis proponerentur prima, cùm ea inexercitatis admodum difficilia & aſpera videantur, multorum animi à ſtudio virtutis abſterrerentur. Sapientiſſimũ eſt igitur & ſaluberrimum illud diuinæ Scripturæ documentum: *Declina à malo, & fac bonum.* Cum quo ſatis concordat illud Poëtæ: 35

Pulchra diſputatio allegorica S. Baſilij, ſuper illa ſcala quam vidit Iacob.

Pſalm.33.

Horat.

Virtus eſt vitium fugere & ſapientia prima,
Stultitia caruiſſe.

Baſilius igitur explanans primum Pſalmum, ſuper eo quod diximus, ad hunc 36

hunc modum scribit : *Declina à malo:* inquit Scriptura, *& fac bonum,* sapienter profectò, & artificiosè adducens nos ad virtutem, declinationem mali principium fecit bonorum. Si enim statim perfecta tibi præciperet, piger esses ad conatum: nunc verò ad faciliora te assuefacit, vt postmodũ ad sublimiora & difficiliora audentior fias. Equidem non dubitanter dixerim, studium pietatis assimilari scalæ illi, quam vidit Iacob: cuius infima humi erant, & vicina terræ; superna verò, ad cœlum vsque porrecta. Opus igitur est, vt qui virtutis ingredi viam cupiunt, primis gradibus vestigia admoueant, deinde insequentes & altiores inscendant, donec ad summũ fastigium paulatim, quantum humanæ fragilitati datum fuerit, euadant. Quemadmodum itaque primus per scalam ascensus, est recessus à terra; sic in diuino negocio primus est profectus à malis recessus. Hæc Basilius.

Primus gradus scalæ spiritualis.

Recensentur decem gradus scalæ spiritualis, per quos ascēditur ad culmen vitæ spiritualis.

37 Primus igitur & infimns scalæ spiritualis gradus, siue primus per eam ascensus, est abscessus à terra; id autem est, renuntiatio terrenarum, & secularium rerum, cum proposito sequendi Christum. Idque primò fecêre Apostoli: Vnde fidenter dixerunt Christo: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Secundus gradus, & ascensus est, præter externarum istiusmodi rerum secularium renuntiationem, earum etiam amorem, & memoriam ex animo nostro abijcere, vt fecit Paulus, quæ retrò sunt, obliuiscens. Et sub nomine Sponsæ, cuilibet perfectæ virtutis amatori dicitur: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Tertius gradus est non solùm ista bona terrena iam relicta obliuisci, verùm etiam ceu stercora, & detrimenta contemnere, auersari, & odisse, quemadmodum Beatus Paulus testatur, quæ sibi antea fuerant lucra, postquam ad Christum conuersus est, ea se tanquam stercora & detrimenta æstimasse. Quartus gradus est, non solùm externarum rerum, sed etiam amicorum, & cognatorum, atque adeo ipsorum parentum, & filiorum amorẽ exuere; quinetiam si seruitus Christi, & studium disciplinæ perfectioris postulet istiusmodi personas odisse: id enim est quod Dominus per similitudinem significauit, cùm dixit: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te.* Quintus gradus, & supremus renunciationis est, non solùm alias res, vel personas, sed etiam animam suam propter Christum odisse. Hic enim est terminus perfectissimæ Renuntiationis, si quis amore Christi, studióque perfectionis vitæ spiritualis cõsequendæ, præsentem vitam nihil curet, mortem horis omnibus qualemcumque paratus accipere. *Si quis venit ad me* (ait Dominus Luc. 14.) *& nõ odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Audiat Lector in hanc sententiam pulchertima Basilij verba, in Regulis fusiùs disputatis, ad Interrogationem octauam respondentis. Cum enim proximè dicta Domini nostri verba commemorasset, subdit: Perfecta igitur renunciatio in eo consistit, si quis id assecutus fuerit, vt ne de vita quidem sua quicquam affectus sit omnino, etiamsi habeat mortis responsum, ita vt nihil sibi confidat. Eiuscemodi autem renunciatio initium sumit à derelictione rerum externarum, vt

Tertius gradus. Philip. 3.

Quartus gradus.

Matt. 8.

Quintus gradus.

Lucæ Locus cap. 14.

S. Basilius.

possessionum,humanæ gloriæ,consuetudinis vitæ superioris,& ad res inutiles affectionis. Cuius renunciationis exemplum nobis præbuêre Sancti Apostoli Iacobus,& Ioannes ,relicto patre Zebedæo , & de quo tota illorum victus ratio pendebat,nauigio.Matthæus quoque statim vt à Domino vocatus est , relicto telonio secutus est eum. Qua in re non lucra modò reliquit,sed pericula etiam contempsit,quæ ipsi,totíque eius familiæ,à ciuitatis magistratibus imminebant,quòd redemptorum à se vectigalium rationes,tam repentè discedens,non confectas reliquisset. Beato Paulo totus mundus crucifixus erat, ipséque vicissim mundo: & quæ priùs ei fuerant lucra & ornamenta, postea , tanquam fœdissima stercora,& magna sibi detrimenta, propter Christum æstimauit. Est igitur renunciatio , vinculorum crassæ huius ac temporariæ conuersationis absolutio,quæ nos,dum emancipat , & eripit anxijs & humanam vitam comitantibus negocijs,& curis,promptiores facit,magísque idoneos ineundæ viæ,quæ ad Dei contemplationem rectè perducit. Est item Renunciatio,cordis ab humano viuédi ritu,ad cœlestem conuersationem translatio , vt illud Pauli verè dici queat : *Conuersatio nostra in cœlis est*.Sic Basilius.

Matt.4.
Locus Lucæ 5.& Matth.9
Gal. 6.
Phil.3.
Quid sit renunciatio.
Ad Ph.3.

Conscensis supradictis quinque gradibus , qui ad perfectam rerum omnium renunciationem pertinent,reliqui sunt alij quinquegradus conscendendi,in quorum vltimo,qui decimus numero est , Dominum innixum fastigio scalæ reperiemus.Sextus igitur gradus est abnegatio sui:Septimus verò,quotidiana crucis gestatio , id est perpetua sui mortificatio: Vtriusque ascensum gradus Dominus præcepit ei qui perfectus esse vellet,dicens,*Abneget semetipsum,& tollat crucem suam quotidie*. Abnegatio sui præcipuè ad propriam voluntatem,& iudicium pertinet , vt non suam faciat voluntatem,sed eius quem in via , & vita spirituali , magistrum & ducem susceperit:huic enim se regendum omnino , & quocumque velit, ducendum permittat necesse est,nec sua nitatur prudentia, sed à rectoris sui iudicio,& sententia totus pendeat.Iugis verò,& perpetua mortificatio potissimùm versatus in reprimendis frænandísque sensibus,& in frangédis,ac perdomandis cupiditatibus,& in laborum,ac periculorum,& quorumlibet malorum,quæ acciderint perpessione.Huius laudarissimæ,& ad consequendam perfectionem necessariæ mortificationis, clarissimum testimonium &laudem Ecclesia perhibet Beato Lucæ Euangelistæ,dicens, eum crucis mortificationem iugiter in corpore suo pro diuini nominis honore portasse.Post venditionem omnium suarum rerum , & abnegationem sui,& continuam mortificationem , extremo loco præcepit Dominus : *Et sequatur me* ; Est autem Christum sequi , nihil aliud nisi pro viri li eius virtutes imitari. Verùm duas potissimùm virtutes suas Dominus imitandas nobis proposuit,quæ ad duos istius scalæ gradus, id est, octauum,& nonum pertinent. Prior virtus est humilitas, cuius indiuidua comes est mansuetudo,quam nobis commendans Dominus,dixit:*Discite à me quia mitis sum,& humilis corde*.Posterior,est perfecta charitas proximi.*Mandatum*, inquit , *dedi vobis,vt diligatis inuicem , sicut dilexi vos.*

37

Sextus gradus
Septimus gradus.
Luc.9.
Egregium sanctæ Ecclesiæ de B.Lucæ testimonium.
Octauus & nonus gradus.
Matth.11.

Triplex

Triplex porrò charitatis Christi perfectio nobis imitanda est. Non enim ille ad tempus dilexit, sed perseueranter vsque in finem, testante hoc Ioãne: *Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Nec ille dilexit lingua tantùm, & verbo, sed opere, & veritate, ita vt etiam mortem vltrò pro nobis oppetierit. *Ego*, inquit, *animam meam pono proouibus meis*: Et. *Maiorem hac dilectionem, nemo habet, vt animam suam ponat pro amicis suis.* Nec modò amauit amicos, verùmetiam inimicos, pro ijs orans Patrem, dum in cruce penderet, à quibus crucifixus erat. Restat decimus, & supremæ scalæ gradus, in quo Dominus esse visus est, figurans vtique perfectam animæ cum Deo vnionem, vt tota penitúsque ei adhæreat, & qua si vnus fiat spiritus: & verè illud Pauli vsurpare possit: *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.* Nam qui tales sunt, auctore Beato Dionysio, non tam humanitus agunt ipsi se, quàm aguntur à Deo. Atque hæc dicta sint de Tropologica totius scalæ intelligentia, cuius gradus placuit nobis ad numerum denarium redigere, quod is numerus tum vniuersitatem, tum perfectionem in diuina Scriptura denotare solet.

Ioan. 15. Triplex charitatis Christi perfectio imitanda nobis. Ioan. 10. Infra 15. Luc. 23 Decimus gradus. Gal. 2. B. Dionys. Cur decẽ gradus assignati sint scalæ spirituali.

SEXTA DISPVTATIO.

Exponuntur, & perpenduntur tres eiusdem Scalæ interpretationes, quæ traduntur à Philone.

38

PHILO in libro de somnijs enarrans visionem diuinitus oblatam Iacob, & de scala, quam ille vidit, accuratè disserens, tres eius scalæ interpretationes tradit, quas commemorare in hoc loco, nec instituto nostro alienum, nec iniucundum fore lectori, visum nobis est. Prima interpretatio ad hunc modum ab eo tractatur. Scala, inquit, in hoc mundo, aër figuratè intelligitur, cuius basis, terra; caput, cœlum est. Nam à Lunari orbe vsque ad superficiem terræ, per totum id interstitium aer extenditur. Hoc est animarum corpore carentium domicilium; mundi namque opifici omnes eius partes implere animalibus placuit. Etenim animalia terrestria terris attribuit, aquis indidit aquatilia, & cœlis sidera: quæ non solùm animalia dicuntur, sed & mentes purissimæ. Necessum igitur est, in alia item parte mundi, videlicet aëre, propria esse creata, & locata animalia. Nec mirum si ea non patẽt sensibus, cùm & animus noster inuisibilis sit. Quid enim absurdius, quàm in aqua esse animalia, non esse autẽ in aere, cùm & aquatilia ipsa animentur aëre? Animalibus enim imaginatione, & motu vtentibus, aër est quasi anima, vt contra rationem sit, elementum, quo animantur cetera, carere ipsum animabus. Enimuerò, non solùm aër habet animas, sed instar populosæ ciuitatis, incorruptibiles habet animas, stellis numero pares. Hatũ quædã descendũt, illigandæ corporibus mortalibus, nimirũ quæ viciniores sũt terris, & camãtiores corporũ; aliæ surſũ ascẽdũt,

Philo.

Hic platonizat Philo.

segregatæ à corporibus post certos à natura præfinitos terminos. Ex his porrò, aliæ desiderio tactæ huius vitæ rursum ad corpora recurrunt: aliæ vanitatem pertæsæ præsentis vitæ, corpus, ceu sepulchrum aut carcerem fugiunt, & sublimem ætherem petentes pennis leuibus, totum ibi æuum exigunt. Sunt aliæ quædam purissimæ, atque omnium optimæ, quæ altiùs, diuiniùsque sapiunt: & aspernatæ ista terrestria, & humilia, ministræ sunt Omnipotentis Dei, tanquam magni Regis videlicet aures, & oculi videntes, audientésque omnia. Has Philosophi Genios vocant; Angelos, sacræ litteræ, vocabulo sanè aptissimo: sunt enim internuntiæ, Patris mãdata perferentes ad filios, & ad illum vicissim preces & vota filiorum. Quapropter inducuntur ascendere, & descendere: non quòd indicibus opus Deo sit, qui antè scit omnia, etiam antequam fiant: sed quia conducit nobis mortalibus tales habere mediatores & arbitros, quò magis rerũ omnium effectoris & pręsidis Dei potentiam & maiestatem reuereamur:

Exodi 19. hanc enim quidam vehementer reueriti, dixerunt Moysi: *Loquere tu nobis, & non loquatur nobis Deus, ne fort moriamur.* Pulchrè autem scala infima sui parte inhærens terræ, figurat aërem: exhalationes enim è terra expiratæ, attenuantur in aërem, vt terra quasi radix, cœlum verò quasi caput sit aëris. Nec desunt qui dicant, lunam non esse globum puri ætheris, vt cetera sydera, sed mixtum ex æthere & aëre, & apparentem in ea maculam, quam vocant nonnulli faciem, nihil aliud esse, nisi admixtum aërem, qui suaptè natura niger vsque in cœlum tendit. Cùm autẽ dicitur innixus scalæ Deus, nemo intelligat Deum laborare vt eam molem stabiliat: illud potius cogitet his verbis significari, Deum esse robur, firmitatémque rerum omnium, & quibuscunque rebus assignare stabilitatem perpetuam: tantisper enim dum ab illo sustentantur, inconcussæ manent, atque integræ, atque hæc est illa mundi scala, quam in præsenti figura intelligimus. Hæc Philo: cuius hæc interpretatio, tota ex Platonis dogmate, & doctrina concinnata dupliciter falsa est: tum quà facit animos nostros ab initio ante corpora esse creatos; tum quà censet, eos sæpius corpora humana ingredi, & egredi, nec eos esse tanquam formas proprias corporum, & naturali quodam vinculo eis copulatos: sed tanquam habitatores, in corpus, vt in carcerem intrusos atque inclusos. Vtrumque porrò non solùm diuinarum litterarum doctrinæ, sed etiam rectæ philosophiæ ac rationi aduersatur.

Origenes super illa scala Iacob philonizat. S. Hieronimus

Origenes, idem Platonis dogma secutus, itidem atque Philo scalam illam in quiete ostensam Iacob interpretatur. Cuius rei grauem in primis testem laudare possum Beatum Hieronymum: cuius in Epistola 161. aduersus errores Ioannis Hierosolymitani scripta ad Pammachiũ, hæc sunt verba: Docet Origenes per scalam Iacob paulatim rationabiles creaturas ad vltimum gradum, id est ad carnem, & sanguinem descendere, nec fieri posse, vt de centenario numero, subitò quis ad vnum numerum præcipitetur, nisi per singulos numeros, quasi per scalæ gradus, ad vltimum vsque perueniat: & tot mutare corpora, quot de cœlo ad terrã mutauerit mansiones. Hæ sunt strophæ vestræ, atque præstigiæ, quibus nos

nos Peluſiotas,& iumenta,& animales homines dicitis,quia non recipimus ea quæ ſpiritus ſunt: vos Hieroſolymitæ etiam Angelos deridetis. Pertrahuntur in medium veſtra myſteria,& de Gentilium fabulis dogma contextum,Chriſtianis auribus publicatur.Hoc quod vos miramini,olim in Platone contempſimus; contempſimus autem,quia Chriſti ſtultitiam recepimus: Recepimus Chriſti ſtultitiam, quia fatuum Dei ſapientius eſt hominibus. Si fuit anima antequam Adam in paradiſo formaretur,in quolibet ſtatu,& ordine: & vixit, & egit aliquid (neque enim poſſumus naturam incorporalem,& æternam,in modum glirium immobilem,torpentémque ſentire) neceſſe eſt vt aliqua cauſa præceſſerit, cur quæ prius ſine corpore fuit,poſtea circumdata ſit corpore. Si autem animæ eſt naturale,eſſe ſine corpore,ergo contra naturam eſt,eſſe in corpore. Si contra naturam eſt,eſſe in corpore;ergo reſurrectio corporis contra naturam erit. Sed non fiet reſurrectio contra naturam; ergo iuxta ſententiam veſtram, quod contra naturam eſt, reſurgens, animam non habebit. Sic Hieronymus ex Origene contra Origenem. Ex eius namque ſententia validè concludit, aut nullam fore corporum reſurrectionem,aut ſi reſurgent corpora,reſurrectura prorſus inanimata,quorum alterum manifeſtè contrarium eſt diuinæ ſcripturæ, alterum etiam philoſophicæ rationi. Nam quid obſecro à ratione magis remotum eſſe poteſt, quàm dicere, generationem hominis eſſe contra naturam,interitum autem eius,id eſt, ſeparationem animæ à corpore,ſecundùm naturam eſſe,& quod his conſequens eſt, mortem ipſam naturaliter eſſe homini optabilem, & iucundam ei accidere? cui opinioni non ratio tantùm, ſed omnes quoque ſenſus aduerſantur. Verùm alteram Philonis expoſitionem illius ſcalæ commemorentus.

1. ad Cor 1. Quid abſurdi ſequatur ex hac opinione.

Secunda expoſitio Scalæ ſecundùm Phil.

40 Si ſcalam illam, inquit Philo, quæramus in homine, reperiemus eſſe animam: cuius baſis eſt penè corporea,& tanquam terrea,ſenſus videlicet: caput verò eſt quiddam cœleſte,mentem dico puriſſimam.Per hanc ſurſum deorſúmque feruntur perpetuò diuinæ intelligentiæ. Aſcendunt enim,trahentes eam ſecum ad rerum ſupernarum contemplationem, amorémque; diuellentéſque à rerum mortalium cupiditatibus,& mira,& iucunda ei cœleſtium rerum, quaſi ſpectacula oſtendentes. Deſcendunt item propter caritatem, vt occurrant miſero generi noſtro, & animam quaſi à flumine raptam,fauore ſuo ſeruent incolumem. Et purgatiſſimas quidem mentes ſolus Deus inuiſibiliter, atque inſenſibiliter dignatur inuiſere: Sicut legimus diuino dictum oraculo: *Inambulabo in vobis,& ero Deus veſter.* Eas verò,quæ adhuc lauantur, nondum penitus abſterſis ſordibus ex corpore contractis,interuiſunt Angeli,& exhilarant aſpectu honeſtiſſimo. Da igitur operam, ô anima,vt fias Dei domus Sacroſancta,vt ex debili fias robuſta, potens ex impotente, ex imprudente prudens, ſapiens è ſtulta. Quid ſi ſuammet ipſius vitam meditator in ſomnis vidit Scalæ ſimilem? Eſt enim naturaliter inæqualis res meditatio, nunc proficiens in altitudinem; nunc deficiens in contrarium: & tanquam nauis, nunc ſecundis, nunc aduerſis ventis nauigans. Alternis enim diebus, vt

Leuit. 26.

quidam ait, mutatur vita exercentium se in virtutis stadio, modò viuens & vigilans; modò dormiens, & quasi mortua. At verò qui consummatæ virtutis & sapientiæ compotes sunt, cœlestem regionem habitandam sortiti sunt, docti petere semper altiora: mali verò inferorum specus infimos tenent. At meditatores inter extremos medij, susque deque per Scalam feruntur: aut meliore fato subducti, aut reiecti contrario. Donec huius contentionis, & digladiationis præses Deus, parti potiori addicat præmium, in totum profligata deteriore. Et hæc est secunda Philonis interpreratio. In qua vocabulum meditatoris significat hominem, nec improbum, nec tamen optimum: sed eum qui in studio, & exercitatione virtutis cum labore versatur, pugnans acriter cum pristinis vitiis, & contra insitas atque inueteratas cupiditates.

Tertia scalæ interpretatio Philonis.

Tertia eiusdem scalæ interpretatio, prioribus aliquanto probabilior, hisce verbis à Philone traditur. Est & alterius cuiusdam rei similitudo hęc scala, non prætereunda silentio. Res humanæ naturalem habent quādam scalæ imaginem, propter cursum inæquabilem atque inconstantem. Vna enim dies (vt ait ille) alios de summo fastigio in imum deijcit, alios ex imo tollit in altum, nihilque in eodem statu apud nos perpetuò manet, sed cuncta varijs, & omnifarijs mutantur vicissitudinibus. Quoties enim visum est, ex plebeis principes effici, & plebeios ex principibus, pauperes è diuitibus, è pauperibus locupletissimos, honoratos ex vilissimis & contemptissimis, ex clarissimis & nobilissimis, obscuros & despicatissimos? Hæc est via rerum humanarum accliuis pariter decliuisque, & incertis obnoxia casibus, quorum inæquabilitatem, ipsum tempus veritatis amicissimum, non obscuris argumentis ostendit. Somnium porrò denuntiabat innixum vertici scalæ Principem Angelorum Deum. Credendum est enim, sicut in curru aurigam, aut in naui gubernatorem; ita rebus omnibus superstare eum: Qui est, corporibus, animabus, animantibus, mentibus humanis, Angelis, cunctis demum, quæ terra, vel aëre, vel cœlo continentur, naturis tum visibilibus, tum inuisibilibus: totum enim ille mundum à se pendentem regit. Sic Philo. Philonianæ huius interpretationis, non est absimile quod legitur apud Ælianum libro secundo de varia historia de Pittaco Mytilenensi, qui scalam fecit Imaginem, & figuram fortunæ. Pittacus apud Mytilenem, ait Ælianus, scalam in templis extruxit,

Pittacus cuius rei scalam fecerit symbolū. Aelianus.

ad vsum quidem nullum idoneam, tantùm vt donarij loco esset, latenter ea re multiplicem fortunæ vicissitudinem significans, quæ facit alios quidem felices ascendere, contra autem descendere alios infelices, quinetiam in vnum atque eundem vtrumque conferens.

Cúmque

Cúmque euigilasset Iacob de somno, ait: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. VERS. 16.

42 SICVT Deus vbique est secundùm potentiam, & scientiam & essentiam suam, vt ex diuina Scriptura docent Theologi: ita vbique à nobis spiritu & veritate adorandus & orandus: nec vllus ad id non idoneus, & opportunus locus est. Etenim in medio mari Moyses Deum exorauit, Iob in sterquilinio, Ezechias rex in lectulo, Hieremias in luto, Ionas in ceto, Daniel in lacu Leonum, tres pueri in fornace ignis, latro in cruce, Petrus & Paulus in carcere. Iccirco B. Paulus: *Volo*, inquit, *viros orare in omni loco, leuantes puras manus*: Et Dauid in Psalmo. 102. *In omni loco dominationis eius, benedic anima mea Domino.* Nihilominus tamen in certis quibusdam locis potiùs quàm in alijs dicitur esse, aut fuisse Deus: non quidem noua scientiæ aut potentiæ suæ præsentia: sed noua quadam declaratione singularis gratiæ & virtutis suæ. Vnde Moysen, & Iosue Deus iussit deponere calceamenta sua, propter sanctitatem terræ, in qua Deus illis mirabiliter apparuerat: vtrique enim dictum est à Deo: *Solue calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, sanctus est.* Hanc etiam ob causam, certa quædam, & ab humanis negocijs separata loca dicari voluit Deus publico sui nominis cultui: ad quæ nimirum fideles conuenirent ad orandum Deum, ad verbum Dei audiendum, ad percipienda sacra mysteria, ad diuinæ benignitatis exoptanda, petendáque, & accipienda beneficia. Audi B. Augustinum in epistola 137. ita scribentem: Vbique quidem Deus est, nec vllo continetur, aut clauditur loco, qui condidit omnia: oportétque eum à veris adoratoribus, spiritu & veritate adorari, vt in occulto exaudiens, in occulto etiam iustificet, & coronet. Verùmtamen ad ista, quæ visibiliter hominibus nota sunt, quis potest eius consilium perscrutari quare in quibusdam locis miracula fiant, in alijs non fiant? Multis enim notissima est sanctitas loci, vbi B. Felicis Nolani corpus conditum est, & cetera quæ subdit ibi Augustinus. Duo eius rei perillustria & memorabilia exempla in veteri Testamento reperire est, vnum de columna nubis, & ignis; & de propitiatorio, vbi Deus mirabiliter præsentiam suam declarabat, crebra edendo miracula, & ad consulta respondendo: alterũ de Piscina illa Hierosolymitana, in cuius aquas ab Angelo commotas & agitatas, qui primus ægrotorum descendisset, à quouis morbo curabatur. Similiter igitur Iacob ex admirabili viso, quod in eo loco sibi oblatum fuerat, & ex diuina præsentia ibi demonstrata intellexit eum locum singulari quadam religione ac sanctitate factum esse venerabilem.

Ioan. 4. Exod. 15. Iob 1. 2. Esa. 38. Ierem 38. Ioann. 2. Dan. 6. & 14. Dan. 3. Luc. 23. 1. Timoth. 2.

Cur certa quædam loca propriè Deo sacrata sint.

Exod. 3. Iosue 5.

S. Augustinus

Ioann. 4.

Exod 13. Et inde passim Ioann. 5.

43 B. Gregorius verba ista Iacob ad mystologiam transferens, docet, eos qui in obedientiæ subiectione, humilibúsq; seruitijs, & laudabilibus pietatis, ac misericordiæ ministerijs vtiliter versati & exercitati sunt, si quãdo incitante, iuuantéque Deo ad statum ascendant contemplationis Dei, & cœlestium rerum, tanto eos plerumque diuinæ cognitionis lumine illu

Egregia B. Greg. sententia.

illustrari, tantóque diuinæ suauitatis gustu affici, vt tunc verè Deum nosse, & gustasse, & antea ignorasse eum sibi videantur, & vsurpare queant verba ista Iacob: *Verè Deus est in loco isto, & ego nesciebam.* Sed audiamus ipsum Gregorium, sua illa spirituali eloquētia egregiè super ista re disputantem. In libro enim secundo suæ Expositionis in primum librum Regum enarrans verba illa: *Porrò Samuel necdum sciebat Dominum, neque reuelatus ei fuerat sermo Domini*, quæ sunt in 3. cap. eius libri, hunc in modum scribit: Quod de Samuele hîc dicitur, id conuenienter in conuersatione fidelium accipitur. Etenim plerique sub aliena institutione bene proficiunt, & nouitatis suæ tempore omnipotenti Deo ministeria sedulò persoluunt, qui tamen puritate contemplationis ad internæ pulchritudinis eius speciem non pertingunt. Verùm si subiectionis suæ merito donũ diuinæ contemplationis accipiant, experientiâ internę visionis intelligũt, quia sic nondum sciebant, cui ministrabant. Quod bene Iacob ad accipiendam coniugem proficiscens, designauit; qui post laborem itineris, per soporem quietis, Dominum vidit, sed à somno vigilans; ait, *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* Neque esse illic Deum antea dubitare poterat, qui esse eum vbique sentiebat: sed quia tunc eum perfectiùs didicit, ignorasse se illum antea perhibuit: quia priùs eum familiariùs nõ agnouit. Via porrò qua ad coniugem pergitur, intentio deuotæ obedientiæ est, qua fœcunditas internæ charitatis obtineri desideratur. Iacob itaque dormit in via, cùm fidelis subiectus, & maligni spiritus supplantator per laborem obedientiæ ad quietem internæ visionis admittitur. Qui profectò tunc Dominum agnouisse fatebitur: quia dum eam, ad quam nouiter est assumptus, internæ lucis miratur speciem, quantum antea nescierit, experientia reuelatæ pulchritudinis agnoscit. Fide namque velut fama Deum cognoscimus: amore autem contemplationis is qui fama innotuit, velut ex ostensione præsentiæ nobis reuelatur.

Differẽtia cognitionis Dei, per fidẽ à cognitione eiusdem per donũ contẽplationis

VERS. 17. Pauénsque, Quàm terribilis est, *inquit*, locus este non est hîc aliud nisi domus Dei, & porta cœli.

TRIA in illo loco accidisse Patriarchæ Iacob tradidit Caietanus: dormienti quidem, visionem Dei, & locutionem: vigilanti verò, tum illius visionis reuelationem atque intelligentiam, tum animi quendam internum pauorem ac terrorem. Reuelationem & intelligentiam illius visionis habuisse Iacob indicant illa eius verba: *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam*, &, *Non est hîc aliud nisi domus Dei, & porta cœli.* Pauorem animi eius ac terrorem clarè ostendit Scriptura, narrans de eo, *Quàm terribilis est*, inquit, *locus iste!* Terribilem nominauit locum, ex terrore quo se inibi perculsum sensit. Sed quid timuit Iacob? Timuit videlicet diuinum Iudicium, quemadmodum cùm primum venimus in conspectum & præsentiam maximi cuiuspiam, & sapientissimi Principis, vehementer timemus, ne quid sibi displicens in nobis videat. Sic etiam Iacob timuit, considerando seipsum, cum 44

cum respectu ad præsentiam Dei,& frequentiam Angelorum, metuens ne sua sibi peccata & defectus imputarẽtur. Appellat autem locum illum, Domum Dei,quòd in illa parte cœlorum videret Deum ad illam terræ partem spectantem:nec ea appellatione demonstratur locus terræ, nec locus cœli,sed vniuersus ille situs à terra, super quam stabat scala, vsque ad illam cœli partem, in qua apparuerat Deus super scalam. Verè item agnouit esse ibi portam cœli, ex eo quòd scala ad portam cœlorum pertingebat,ex qua egrediebantur Angeli descendentes, & quam ingrediebantur ascendentes.Et ad litteram,visio ista fuit figura, & quasi prophetia Templi Dei in eo loco postea ædificandi,Nam vt ex primo libro Paralipomenon capit. 22.& ex secundo libro cap. 3.clarè habetur, Bethel est mons Moria,in quo ædificatum est templum à Salomone, & vbi positus fuit Isaac super altare immolandus Deo.Hactenus ex Caietano,cuius extrema sententia,falsa est:Bethel enim distantem,diuersúmque fuisse locũ à monte Moria,suprà ostendimus in prima disputatione super hoc capite vigesimo octauo, nec vsquam in tota scriptura legitur Bethel fuisse montem Moria:nec potest id clarè, vt ait Caietanus,ex ipsa Scriptura colligi.

45 Sed cur Iacob dixit,locum illum esse terribilem, ac non potius visum illud,quod habuerat Dei & Angelorum,dixit terribile?Verùm Iacob,dicens terribilem esse locum illum,intelligi voluit,causam eius terroris fuisse id quod viderat ipse in eo loco.Ergo terribilem locum interpretamur, locum maximè religiosum, & ingenti cum animi submissione, & reuerentia,ac tremore colendum,propter Dei & Angelorum præsentiam admirabiliter ibi ostensam. Alteram eiusdem rei causam,sed planè allegoricam,affert Rupertus libro septimo Commentariorum in Genesim cap. xxiij. Notandum,inquit Rupertus, quòd Iacob, non ipsum Dominum, sed locum expaueſcit,& terribilem esse dicit.Sed quidnam pauoris,& terroris per se locus ille poterat habere? An quia Dominum in eo loco viderat in quiete? Nempè,& in alijs locis tam ipsi, quàm patri, & auo eius, idem Deus apparuerat.Ergo non dubium,quin hoc,per spiritum prophetiæ dilatato corde,præuiderit quidnam illo somnio significaretur, & augustiorem alium,sanctiorémque locum,cuius ille erat figura,pertimuerit. Talis autem locus,Ecclesia Dei est;vnde psalmo sexagesimo septimo,dictum est: *Deus,qui inhabitare facit vnius moris in domo.* Ecclesiam igitur Dei futuram,& in ea terribilia Dei opera (quam ob causam dixit Apostolus ad Ephes.cap. 3.per Ecclesiam innotuisse Principatibus, & Potestatibus in cœlestibus multiformem Dei sapientiam) Iacob vehementer miratus expauit,sicut expauerat prophetiæ nihilominus spiritu Habacuc,quando dixit: *Domine audiui auditum tuum,& timui:consideraui opera tua,& expaui.* Quorum videlicet operum summa hæc est, Per humanitatem Christi apertam esse portam cœli, & cœlestia iuncta esse terrenis:quod significauit etiam Iacob dicens: *Non est hîc aliud,nisi domus Dei, & porta cœli.* Sic Rupertus. *Rupertus.*

Non est dissimile quod Sanctus Bernardus dixit in sermone sexto de 46
S. Bernardus. anniuersario die dedicationis Ecclesiæ: vbi, quod Iacob de illo loco dixit: *Vere Dominus est in lõco isto, &, Quàm terribilis est locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli.* Docet id multo iustius, multóque congruentius in sacra Christianorum templa dici posse. Immò verò quod ibi manifestatum fuit Iacob, propter quod ille tantopere veneratus est illum locum, præfigurauit ea quæ in templis Christianorum peragenda erãt. Verba Bernardi sunt huiusmodi: Vnus homo erat Iacob, & dormiens vidit ascendentes Angelos, & descendentes. Parum est hoc, etiam Dominum Angelorum adesse testatus est, dicens: *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* Miratur enim gratiam, & magnitudinem dignationis expauescit. Quanto terribilior est locus hic noster, quanto euidentiùs, certiúsque Dominus est in hoc loco, vbi nimirum non modò duo aut tres, sed tam multi in ipsius congregati nomine perseuerant? Terribilis planè locus est, dignus omni reuerentia, quem fideles viri inhabitant, quem Angeli sancti frequentant, quem sua quoque præsentia Dominus ipse dignatur. Quomodo enim tantus Patriarcha nescire poterat quòd non esset locus, vbi non esset Deus? Sed fortè aliud esse miratus est, vbi ait: *Verè Dominus est in loco isto.* Ibi verè est, & verè Dominus est, vbi in eius nomine Angeli simul, & homines congregantur. Licèt enim in omni loco sit, qui nullo
Matth. 6. clauditur loco: signanter tamen dicimus: *Pater noster qui es in cœlis.* Quod aliter illic, & proprio quodam modo præsentem se exhibeat: non quidé ipse diuersus, sed diuersa distinguens. Est igitur in omni loco, omnia vniuersaliter continens, omniáque disponens: Sed longè tamen aliter, atque aliter. Apud homines malos est præstans, atque dissimulans: apud electos
Matth. 5. homines est operans, & seruans: apud superos est pascens, & cubans: apud inferos, est arguens, & damnans. Facit quidem solem suum oriri super malos: sed vbi malorum interim dissimulatio est, quodammodo veritas non est. Itaque, si dicere licet, apud impios est in dissimulatione; apud Iustos, in veritate; apud Angelos, in felicitate; apud inferos in feritate sua. Durum sonat vobis, quòd feritatem dixerim? ego verò, & iram vereor, &
Psa. 6. & 37. & furorem. Audite Prophetam, *Domine ne in furore tuo arguas me.* Verè inquit, *Dominus est in loco isto.* Vbi enim pluit super iustos, & iniusto; Pater est misericordiarũ, expectans homines ad pœnitentiam. Vbi damnat obHeb. 12. stinatos, iudex est, & horrendum est incidere in manus Dei viuentis. Vbi cubat, sponsus est: & beata anima, quam introduxerit in cubiculum suum.

Verè profectò Dominus in hoc loco est, si tamen seruiamus ei in spiritu, & veritate. Non enim verè Dominus erat apud eos, quibus dicebat: *Quid vocatis me, Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Testantur sacræ
Luc. 6. litteræ, in paradiso fuisse olim positum primum Adam vt operaretur, & custodiret illum: ita secundus Adam versatur in Ecclesia Sanctorum, in congregatione suorum, in horto deliciarum (si quidem deliciæ ipsius sunt
Genes. 2 esse cum filijs hominum) Denique est in loco isto, vt operetur, & custo-
Prouerb. 8. diat. *Nisi enim Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui*
Psal. 126. *ædifi*

ædificant eam,&, Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eã. Porrò Angelos ascẽdẽtes & descendentes, esse in loco isto patriarchalis ipsa visio manifestat. Ascendentes, vt videant faciem Patris: descendentes, vt prouideant nobis. Quid ergo nos? cum quanta reuerentia in loco isto versari debemus, vbi Deus est operans,& seruans ascendẽtes? atque descẽdẽtes? Nimirum pœnitẽtes,& expectantes esse nos conuenit: ad hoc enim venimus, in hoc positi sumus. Hæc sunt, quæ exiguntur à nobis, præteritorum pœnitudo peccatorum,& futurorum expectatio præmiorum. Hactenus ex Bernardo. *Matth.18.*

Surgens Iacob manè, tulit lapidem, quem suppoſuerat capiti suo,& erexit in titulum, fundens oleum desuper. VERS. 18.

47 PRo voce *titulum* Hebræa vox *Mazebba* inter alia statuam significat, à verbo Iazab, quod est stare: quemadmodum etiam Latini statuam denominarunt à stãdo. Verùm Hebræa il la vox, non statuam modò significat, sed,& titulum, & columnam,& aliud quodlibet signum,& monumentum alicuius rei. Hoc tamen loco erat simplex lapis, priùs iacens in terra, postmodum à Iacob secundùm longitudinem erectus, & ad similitudinem quandam altaris compositus. & ad sacrificandi vsum accommodatus. Nec fuisse vnum tantummodò lapidem necesse est existimare; fortasse enim plures fuerũt; & singularis numerus, vt sæpè fit, positus est pro plurali. Aut si vnus dun taxat fuit principalis lapis, quo vsus est Iacob in dormiendo vice puluini, postea tamen sunt alij adiuncti ad eum, vt similitudo quædam redderetur altaris,& commoditas præberetur administrando cultui diuino. Olea ster, cùm pro titulo, vertisset statuam, in suis notationibus dicit, vocem Hebræam propriè significare eleuationem: nam verbum *nazà*, vnde ea vox descendit, eleuare significat. Neque intelligas, inquit, ex eo lapide fecisse Iacob idolum, ac sculptile, sed simplicem lapidem, qui oblongus erat, eleuasse tanquam signum diuinæ visionis, quam ibi habuerat,& amplissimæ promissionis datę sibi à Deo. Sic ille. *Oleaster.*

48 Sequitur; *Fundens oleum desuper.* Non intelligas fusum esse oleum super totum lapidem, sed super solam eius partem supremam: nam Græcè est, *Super summitatem eius,* Hebraicè autem: *Super caput eius.* Oleum autem illud aut secum tulerat ex domo paterna Iacob, cibatus, vel vnctionis gratiâ, aut manè ingressus vrbem, ibi emerat. Bene monet S. Augustinus, non fuisse superstitiosum vngere oleo lapidem: quasi ritu idololatrarum adorare voluerit Iacob, & diuino cultu honorare illum lapidẽ. Sic enim scribit lib. 16. de Ciuitate Dei, cap. 38. Hoc quod Iacob fecit, ad prophetiam pertinet: neque enim more Idololatriæ lapidem perfudit oleo, quasi faciens eum Deum, neque enim adorauit eum lapidem, neque ei sacrificauit, sed quoniam Christi nomen, à chrismate est, id est ab vnctione, profectò figuratum est hinc aliquid, quod ad magnum pertinet *S. Augustinus*

Sacramentum. Sic Auguſt. Theodoretus ait, hoc exemplo Iacob oleo vngentis lapidem, commonitas atque commotas ſui temporis fideles atque religioſas fœminas, ſacrorum locorum ianuas, & cancellos vngere oleo conſueuiſſe. Sic autem ille ſcribit 83. Quæſtione in Geneſim: Iacob cùm erexiſſet lapidem, quē capiti ſuppoſuerat, perfudit eum oleo. Quod etiam nunc fieri ſolet à permultis vxoribus fidelium, qui Domino crediderunt. Nam conſueuerunt in templis diuinis oleo vngere adytorū cancellos, & Sanctorum Martyrum thecas, ad demonſtrandam animi pietatem; atqui non reſpuit etiam minimabenigniſſimus Dominus, gratam habens operis intentionem. Sic ille.

Theodore.

Vide antiquā fœminarum Chriſtianarū pietatem.

SEPTIMA DISPVTATIO.

Super eo, quod fecit Iacob erigendo lapidem in Titulum.

QVÆRITVR an rectè fecerit Iacob lapidem erigendo in titulum: videtur enim id fuiſſe ſuperſtitioſum: nam vt tale, damnatum eſt lege Moſaica, & à Deo vetitum. Sic enim ſcriptum eſt Leuit. 26. *Ego Dominus Deus veſter. Non facietis vobis idolum, & ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignē lapidem ponetis in terra veſtra, vt adoretis eum: ego enim ſum Dominus Deus veſter.* Sed hūc nodum exſoluere haud magni fuerit negocij. Quo tamen planior & probabilior ſit huius quæſtionis explicatio & ſolutio, prædocendus eſt lector, vocabulum Tituli quatuor modis vſurpatum in ſacris litteris inueniri. Nonnunquam ſignificat, quam Græci vocant ἐπιγραφήν Latinè appellamus Inſcriptionem, quæ rebus ſuperponitur, vt primò ſtatim aſpectu, quid res illa ſit, noteſcat omnibus. Ad hanc ſignificationem pertinet, quod ſacri Euangeliſtæ tradiderunt de titulo crucis Domini, quem Pilatus Hebraicis, Græcis, & Latinis litteris inſcriptum ſuperpoſuit Cruci, vt cauſa mortis Domini omnibus expoſita & aperta eſſet. Nec rarò id nomen ſignificat etiam marmoreas columnas, pyramides, & fornices, nominibus & elogijs præſtantium virorum inſcriptas, ad conſeruādam rerum ab illis præclarè geſtarum memoriam. Huc ſpectat quod in libro 2. Regum capite decimo octauo ſcriptum eſt his verbis: *Abſalon erexerat ſibi, cum adhuc viueret, titulum, qui eſt in valle Regis. Dixerat enim, non habeo filium, & hoc erit monumentum nominis mei. Vocauitque titulum nomine ſuo. Et appellatur manus Abſalon vſque ad hanc diem.* Hoc ipſum enarrans Ioſephus libro ſeptimo Antiquitat. hunc in modum ſcribit: Abſalon erexerat ſibi columnam marmoream cum inſcriptione, duobus ſtadijs ab vrbe Hieruſalem diſſitam, quem appellari voluit, *manum Abſalonis*, dicens: Etiamſi liberos ſuos perire contingeret, in eo tamen monumento nomen ſuum perpetuò manſurum.

Locus Leuitici c. 26. Vide infranumer. 44.

49

Quatuor ſignificationes vocis Titulus.

Locus 2. Reg. c. 18.

Ioſephus.

Tertia eius vocis ſignificatio comprehendit ſtatuam, imaginem, & qualecunque ſimulacrum, ob venerationem, cultúmque alicuius poſitū; & hoc modo accipitur Leuit. 26. cum dicitur (ſicut proximè antè memoratū eſt)

est) *Non erigetis vobis titulos.* Postremò nomen tituli denotat, siue lignum, siue lapidem, siue aliam quamlibet rem, etiam rudem, & sine vlla artis politura, positam, vt alicuius rei præteritæ quoddam signũ & monumentum sit: talis fuit titulus, quem hoc loco legimus fecisse Iacob, lapidem enim, quem supposuerat capiti ad dormiendum, postea euigilans, erexit in titulum, id est, in signum mirificæ illius visionis, & promissionis Dei, quã in eo loco habuerat: Hæc enim sunt verba Iacob: *Erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste in titulum.* Ex quo liquet titulum illum non fuisse statuam, aut pyramidem, aut columnam, aut quippiam aliud affabrè & artificiosè factum, sed naturalem, nudúmque lapidem, priùs humi iacentem, postea erectum in sublime, ad perpetuam recordationem, & commemorationem eorum quæ in eo loco Patriarchæ Iacob contigerunt.

50 Obiectionem porrò productam ex Leuitico, vbi erectio titulorum, & positio lapidum grauissimis Dei verbis prohibetur, dupliciter possumus diluere. Etenim factum illud Iacob, aliquot seculis antecessit promulgationem legis Mosaicæ: nulla verò lex in præteritum quicquam valet, sed vim tantùm habet in futurum. Verùm illud est dictu probabilius, legem istam, si verba eius consideratè perpendantur, non esse illi facto Iacob contrariam. Ibi enim prohibetur erectio insignis lapidis; vocat autem insignem lapidem, egregiè dolatum, & pulchrè effigiatum, & ad repręsentandam alicuius similitudinem, polita arte figuratum: talis enim non erat lapis, quem erexit Iacob, sed planè informis, & rudis, & omnino inartificiatus. Illud præterea in eo loco Leuitici adiunctum est: *Vt adoretis eum.* Vnde liquet eam tantùm prohiberi erectionem tituli, & lapidis, quæ fit adorandi eius causâ: Sicut Idololatræ, istiusmodi rebus quasi diuini numinis quippiam habentibus, honorem, & adorationem, & qualis Deo conuenit, cultum adhibebant. Iacob autem erexit lapidem in titulum, nõ vt eum adoraret, sed vt quasi monumentum statueret eorum quæ sibi eo loco diuinitus manifestata & promissa fuerant. Nam rudes lapides constituere tanquam signum eorum quæ gesta sunt, vsitatum fuit in populo Dei, quin etiam nonnunquam à Deo imperatum. Vnum ad præsens huius rei ex 4. cap. lib. Iosue proferam exemplum. Narratur ibi iussu Dei, duodecim prægrãdes & perduros lapides de medio Iordanis alueo sublatos, ad perpetuam miraculi in transmissione Iordanis facti memoriam, apud posteros custodiendam, positos esse in Galgalis, vbi primùm Iosue traiecto Iordane castra metatus est. Transponam inde hunc in locum, diuinæ Scripturæ verba quæ ad eius rei commemorationem spectant: *Duodecim lapides* (ait Scriptura) *quos de Iordanis alueo sumpserant, posuit Iosue in Galgalis, & dixit ad filios Israel: Quando interrogauerint filij vestri cras patres suos; Quid sibi volunt lapides isti? docebitis eos, atque dicetis: Per* Exod. 14. *arentem alueum transmisit Israel Iordanem istum, siccante Domino aquas eius in conspectu nostro, donec transiret is: sicut fecerat priùs in mari rubro, quod siccauit donec transiremus: vt discant omnes terrarum populi fortissimam Domini manum, & vt vos timeatis Dominum Deum vestrum omni tempore.*

OCTAVA DISPVTATIO.

An rectè fecerit Iacob, oleo lapidem vngendo; & cur id fecerit.

VIDETVR factum illud Iacob olere Paganorum superstitionem. Eorum namq; magna putabatur religio, & pietas, 51
lapides, ligna, specus, & arbores, vngere, ornare, coronare.
Apuleius. Apuleius initio primi libri Floridorum, multigenas istiusmodi superstitiones, vt pios & religiosos ritus cursim memorans, ita scribit: Neque istius religiosam moram viatori obiecerit, aut ara floribus redimita, aut spelunca floribus inumbrata, aut Quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata, vel colliculus sepimine consecratus, vel truncus dolamine effigiatus, vel cespes libamine humigatus, vel lapis vnguine delibutus. Sic ille. Arnobius item de se ipso, cùm adhuc Pa-
Arnobius. ganismi teneretur erroribus implicatus, hæc in primo libro aduersus Gentes scribit: Si quando conspexeram lubricatum lapidem, & ex oliuæ vnguine irrigatum, tamquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, & beneficia poscebam, nihil sentiente de trunco. Nec solùm stulta illa, & cœca Gentilitas pulchrè effigiatos lapides, atq; in hominum, vel animaliũ similitudinem politè figuratos vngebat & colebat: verùm etiam impolitos & planè rudes, & quales ipsa procreat natura, eos præsertim qui erant in a-
Siculus Flacc. gris, & quorum ad terminandos agros vsus erat, vt indicant verba illa Siculi Flacci de conditionibus agrorũ, cùm terminos, inquit, disponerent, ipsos quidem lapides in solidam terrã collocabant; proximè ea loca, quibus, fossis factis, defixuri eos erant, & vnguento, & velaminibus, & coronis eos ornabant. Ex quo palam est, quousque vanissima illorum hominũ progressa sit superstitio; vt qui quodlibet in via oblatum, sacratum aliquo modo venerarentur, siue ara, siue lapis, siue stipes esset.

Sed redeo ad vnctionem lapidis factam à Iacob. Hæc sanè, tantum ab- 52
Vnctionem lapidis factam à Iacob, nõ fuisse superstitiosam. est vt ab Idololatris fuerit accepta, vt potiùs existimari possit, superstitiosas Paganorum vnctiones, aliósque non paucos ritus, ex hoc facto Iacob, similibúsque alijs priscorum Patrum, in sincera, atque adeo impia quadã æmulatione, esse deriuatos. Enimuerò, à Iustino Philosopho & Martyre, Clemente Alexandrino, Origene, Eusebio, & compluribus alijs obseruatum, & proditum est, falsam, vanámq; Idololatrarum superstitionẽ, multis in rebus, veræ, ac piæ religionis fuisse æmulam. Vesanus enim diuinitatis affectator Diabolus, quæ à sanctissimis viris in colendo & honorando vero Deo, magna pietate, magnáq; cum laude acta cernebat, ea sibi quoque exhiberi voluit ab ijs, quos impijs erroribus à se deceptos (sui cultores fecerat. Inscitum porrò est (ne dicam stolidum, quia similes Idololatrarum vnctiones, improbę atque impię, & execrabiles sunt) ex eo velle argumẽtari, qua vnctione vsus est Iacob, eam quoque malã & damnandã fuisse, Nempè in similibus factis, nimium quantũ interest, quo fine, cuius auctoritate, ac præscripto, qua item ratione, modóq; fiant. Quod fecit Iacob, id

afflatu

afflatu & instinctu Dei, aut etiam fortasse Maiorum suorum exemplo, documentóque fecit. Nec ille vncto à se lapidi diuinum cultum, honorémq; adhibuit: nec lapidi vota fecit, sed Deo: nec in eo lapide numinis quidpiã diuini esse putauit, sed monumentũ esse voluit eorũ, quæ sibi eo loco cõtigerãt, & in posterũ dicauit eũ lapidẽ cultui diuino, inibi post felicem ex Mesopotamia reditum à se peragendo, videlicet hoc feciſſe eum legimus
53 infrà. Genes. 35.

Triũ porrò memorabiliũ rerũ, quæ postea tũ in Synagoga tum etiã in Christi Ecclesia religiosè admodum vsurpatæ ac celebratæ sunt, primus Iacob in hoc loco simul exemplũ dedit, simul & documentum. Ac prima quidem res fuit, vngendo lapides & altaria consecrare ea diuino cultui: altera fuit, nuncupare vota Deo: tertia fuit decimas bonorum suorum, & has quidẽ votiuas offerre Deo. Audiat lector obseruantẽ imprimis, & diligentem, rituum & cæremoniarum, & consuetudinum Ecclesiasticarum Scriptorem Rabanum. Is libr. 1. de institut. Cleric. cap. 45. Altare, inquit, post aspersionem aquæ, chrismate vngitur ad imitationem Patriarchæ Iacob, qui post visionem illam terribilem erexit lapidem in titulum, fundẽs oleum desuper, vocánsq; eum locum, Domum Dei. Et S. Cyprianus scribens de vnctione Chrismatis; Oleo, inquit, antiquitus Sacerdotes sacrabantur, & Reges: & ipsi altariũ lapides delibuti, spiritalẽ intelligi volebãt sacris mysteriis inesse pinguedinẽ. In Ecclesia quidem duplicis olei sacri vsus est: quorum alterum est principale, maximéque sacrum, ex oleo & balsamo confectum, quo vngi solent, qui Baptismi, & confirmationis, & sacrorum ordinum sacramenta suscipiunt. Alterum est, simplex oleum, ab Episcopo tamen consecratũ, cuius, ad Catechumenos, ante Baptismũ;
54 & ad Energumenos, necnon etiam ad infirmos vngendos est vsus.

Rabanus.

S. Cyprianus.

Duplex oleũ sacrum in Ecclesia.

Sed cur tam frequens, & varius in sacris rebus est olei vsus, fuitq; olim in veteri Testamento? Respondeo, ob multas, & perinsignes olei proprietates & virtutes factum est, vt ipsum vsitaretur in Ecclesia, tamquã eximium quoddam symbolum cœlestium, & spiritalium virtutum, atque gratiarum. Sed quæ sunt istæ proprietates, & virtutes olei? Cursim eas percensebo. Prima est illuminandi, qua videlicet pabulum, & alimentum lucis, est oleum. Secũda est condiendi cibos, & ad sanitatem vtiliter, & iucundè ad gustatum. Tertia, supernatandi aliis liquoribus. Quarta, fouendi vulnera, doloréque mitigandi: apud Lucam enim cap. 10. ei, quẽ latrones grauissimis plagis impositis semiuiuum relinquerant, Samaritanus ille obligauit vulnera, oleum infundens, & vinum. Quinta, exhilarãdi faciem, lassáque, & languida membra recreandi, ac reficiendi. Inde illud est in psalmo 103. *Vt exhilaret faciem in oleo.* Sexta, leuandi labores, minuendique molestias: quò spectat illud Isaiæ. 10. *Computrescet iugum à facie olei.* Septima, vegetandi, roborandique corpus, & habile reddendi ad luctandi certamen, vt in athletis fieri solebat. Octaua, molliendi, & impinguandi, vnde Dauid psalmo 22. *Impinguasti in oleo caput meum.* Ex quo, propter mollitiem & pinguedinem, solet oleum denotare misericordiam.

Locus Luc. c. 8

An

NONA DISPVTATIO.

An Bethel, & Luza fuerint duæ Vrbes loco ſitúque diſcluſæ; An verò vna & eadem fuerit vrbs.

Super illis verbis,

Appellauit nomen vrbis Bethel, quæ priùs Luza vocabatur.

VERS. 19.

APERTE Moſes hiſce verbis oſtendit, eandam vrbem fuiſſe Bethel, & Luzam, ſed diuerſis nominibus in diuerſis temporibus appellatam: liquet id etiam ex illis verbis capitis decimi octaui libri Ioſue: *Pertranſiens iuxta Luzam ad meridiem, ipſa eſt Bethel,* & libro Iudicum capite primo: *Domus quoque Ioſeph,* inquit Scriptura, *aſcendit in Bethel, fuítque Dominus cum eis: Nam cùm obſiderent vrbem, quæ priùs Luza vocabatur, &c.* Ex aduerſo autem fuiſſe diuerſas vrbes, & interſtitio loci diuiſas perſpicuè traditur in libro Ioſue, capite decimo ſexto, illis verbis: *Cecidit ſors filiorum Ioſeph ab Iordane contra Hierico, & aquas eius ab Oriente: Solitudo, quæ aſcendit de Hierico ad montem Bethel, & egreditur de Bethel Luzam.* Si ex loco Bethel egreſſio fiebat in locum, & vrbem Luzam, ergo Bethel & Luza diuerſa erant loca, diſtinctæque vrbes. Lyranus, Lyranique adſtipulator Thoſtatus ſuper caput 16. Ioſue; aiunt, fuiſſe antiquitus duas vrbes Bethel, & Luzam: ſed quia erant paruæ admodum, & propinquæ, poſtea ex duabus vna eſt facta, ſed adeo erant principales vnius vrbis partes, vt retinerent priora nomina, quibus vocabantur, priuſquam in vnam vrbem eſſent coniunctæ. Itaque, ſi quis ex vna parte tranſiret ad alteram, dicebatur tranſire de Bethel Luzam, vel contra. Quod Lyranus declarat exemplo ciuitatis Pariſiorum, quæ ſolet propriè vocari ea tantùm, quæ eſt intra pontes fluminis Sequanæ; quæ autem extra pontes ſunt, extra ciuitatem eſſe dicuntur; vt qui inde abeant aliò, ciuitate egredi, ac decedere dicantur; qui autem illuc veniunt aliunde, ire ad ciuitatem. Idem profectò manifeſtiſſimum eſt in noſtra vrbe Roma, cuius quæ cis Tiberim eſt pars, propriè appellatur Roma; Trans-Tiberina verò minimè, & qui hinc, tranſito Tiberi, eunt, Romam ire dicuntur. Similiter accidit Bethel, & Luzæ: & iccirco nonnunquam appellantur vt diuerſa loca, ſicut Ioſue 16. interdum verò tanquam vnus locus, ſicut Ioſue 18. & Geneſ. 28. Hęc Lyranus, & Thoſtatus. Verùm iſta eorum opinio mihi ſuſpècta eſt falſitatis. Etenim ſumunt iſti quaſi certum, Bethel & Luzam fuiſſe antiquitus diuerſas vrbes, & poſtea vnam in vrbem coaluiſſe: at cùm neque id vſquam diuina Scriptura tradat, aut etiam ſignificet, neque ipſi, vel ratione aliqua, vel auctoritate cuiuſquam probent, ſatis apparet, proprium fuiſſe Lyrani commentum.

Lyranus, & Thoſtatus.

Duo

56 Duo Hebræorum, in primis nobiles, Rabbini, Isaias, & Chimhi, arbitrantur fuisse duas vrbes nominatas Bethel; vnam quidem in tribu Ephraim, de qua fit mentio initio Capitis decimi sexti Iosue, ijs verbis, quę paulò ante commemorata sunt: alteram verò fuisse in tribu Beniamin, vt patet ex cap. 18. Iosue; & hanc fuisse eam, quæ priùs dicta est Luza, postea verò nomen Bethelis à Iacob accepit. Videtur etiam S. Hieronymus in hac fuisse sententia: quippe cum in libro de locis Hebraicis (quanquam eius libri non tam ille fuit auctor, quàm interpres, & corrector simul etiam amplificator) scriptum reliquerit, vrbem Bethel, quę priùs Luza vocabatur, cecidisse in sortem filiorum Beniamin. Atenim id planè falsum est, scripturæque contrarium; quæ Luzam, postea dictam Bethel, ponit extra terminos sortis Beniamin. Siquidem in capite 18. Iosue manifestè ponitur extra sortem Beniamin, proxima tamen termino eius sortis versus meridiem, cum dicitur: *Pertransiens iuxta Luzam ad meridiem, ipsa est Bethel.* Et apud Oseam capite quinto, idipsum significatur metaphoricè: dicitur enim Bethel esse post tergum Beniamin. Oseæ verba sunt hæc: *Vlulate in Bethauen: post tergum tuum Beniamin.* Cur Bethel Propheta vocauerit Bethauen, paulò infra causam indicabimus. Dixit autem Bethel, siue Bethauen esse post tergum Beniamin, quia est iuxta terminum sortis Beniamin meridionalem: vbi enim tribus finitur Beniamin (ait Hieronymus, illum Oseæ locum exponens) non procul inde, in tribu Ephraim vrbs Bethel condita est. Ex quo intelligitur, B. Hieronymum, qui priùs dixerat in libro de locis Hebraicis, Bethel cecidisse in sortem Beniamin, id postea correxisse in Commentariis suis in Oseam, quos haud paruo tempore post librum de locis Hebraicis, ab eo conscriptos esse, non obscurè significat ipsemet in extremo libro de Scriptoribus Ecclesiasticis.

R.R. Isaias & Chimhi faciũt duas vrbes Bethel.

S. Hieronym.

Hieronymus.

S. Hieronym. mutauit priorem sententiã suã de tribu in qua erat vrbs Bethel.

57 Andreas Masius, in caput xvj. Iosue, super versu eius capitis secundo, censet vnicam fuisse Bethel: eámque modò diuersam à Luza, modò eandem dici. Nam cum reuera locus ille, in quo diuina illa visio scalæ, & per eam ascendentium, & descendentium Angelorum contigit Patriarchæ Iacob, paululùm abesset primùm ab oppido Luza, posteris temporibus, adeo est celebratus quadam religionis opinione, vt Luzæ vrbis propinquę nomen diluerit, atque obscurauerit. Itaque cum Bethelis nomen minimè adhuc peruagatum esset, dixit Iacob iam vicinus morti, id est, annis circiter septuaginta, postquam visionem illam habuerat, dixit, inquam, Deum sibi apparuisse in Luza: *Deus Omnipotens* (inquit Iacob Genes. 48) *apparuit mihi in Luza, quæ est in terra Chanaam, Benedixitque mihi, & dixit, &c.* Quinquam Genes. 35. legamus, Deum nominasse Bethel, tacito nomine antiquo Luzæ. Sic enim ibi scribit Moyses; *Interea locutus est Deus ad Iacob: Surge, & ascende Bethel, & habita ibi, fácque altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Esau fratrem tuum.* Quod autem dixit Iacob, sibi visum illud obtigisse in Luza, non sic est accipiendum, quasi contigerit intra ipsam vrbem, cum ex narratione Mosis, quæ est in capite 28. libri Geneseos certissimum sit, non in oppido, sed in agro, dormienti Iacob Deum apparuisse, sed quia ager ille erat proprius Luzæ vrbique ipsi

Opinio Andreæ Masij de Bethel excutitur.

proximus,quod ibi factum est,in vrbe accidisse dicitur. Præter hanc verò Luzam, fuisse alteram eiusdem nominis ciuitatem apud Hethæos, manifestum est ex primo capite libri Iudicum. Scriptum enim illic est,eum hominem, qui filijs Israël prodidit vrbem Luzam, abijsse postea in terram Hethin, & ædificasse ibi ciuitatem: quam eodem nomine appellauit Luzam. Apparet igitur ex ijs quæ dicta sunt, Masium negare duas fuisse vrbes Bethel; quod tamen videtur, neminem qui legerit attentè, consideratéque caput decimum octauum libri Iosue, posse inficiari. Primò enim Bethel, quæ priùs dicta est Luza, nominatur ibi tanquam extta terminos sortis Beniamin posita: deinde verò paulò infra, cum describitur catalogus vrbium sortis Beniamin, inter eas vrbes numeratur Bethel.

Opinio quorundã, Bethel primò fuisse in tribu Ephraim, postea sorti Beniamin attributam esse.

Legi apud quosdam, Bethel fuisse primùm sortis Ephraim; verùm po- 58
stea, cum esset vicinissima Beniamitis, sorti eorũ esse attributam: quemadmodum contingit vrbi Hierusalem, qui primo fuit sortis Beniamin, postea transijt ad ditionẽ, & possessionem Iudæ. De causa porrò & modo translationis Bethel ex sorte Ephraim ad Beniamin, nullum apud istos verbum reperire est; vt id propiùs figmento, quàm vero existimari possit. Verùm enimuerò, siue vna, siue duplex fuerit Bethel, nihil prorsus id refert ad enodandam initio positam difficultatem. Conuenit enim inter omnes, Bethel, quæ fuit in sorte Ephraim, fuisse eam, quæ memoratur Genes. 28. & quæ priùs Luza vocabatur, & deinde nomen Bethelis induit. Quomodo igitur, si ista Bethel erat eadem vrbs atque Luza, in libro Iosue initio capitis 16. ponantur Luza & Bethel, tanquam diuersa & dissita loca deinceps inquirendum est.

Auctoris sententia.

Equidem nihil in præsens habeo dicere super ista quæstione, quod mi- 59
hi planè expleat animum, aut quod docto lectori omnino satisfacturum esse confidam. Verùm ne nihil dicam, quod nunc succurrit, huiuscemodi est. Vocabulo Bethelis duas res in Scriptura denotari arbitror: primò quidem eum locum, in quo Iacob memorandum illud visum habuit: nimirum ei loco maximè Bethelis nomen attribuendum esse, conuincunt verba, quæ de eo loco dixit Iacob: : *Verè Dominus est in loco isto, &, Quàm terribilis est locus iste! non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli.* Et sic accipitur nomen Bethelis infra in Exordio capitis 35. Talis autem locus, non erat intra vrbem Luzam, sed extra, non procul tamen. Denotatur etiam non rarò vocabulo Bethelis, vrbs vicina, quæ prius vocabatur Luza: & ex visione Iacob, quæ prope eam vrbem contigerat, nomen ipsa Bethelis acceperat: dicitur enim Genes. 28. *Appellauitque nomen vrbis, Bethel: quæ priùs Luza vocabatur.* Quo fit, vt sæpenumero in Scriptura cùm nominatur Luza, continuò adiungatur, *Ipsa est Bethel*, vel cognomento Bethel, vt videre est Genes. 28. & 35. Iosue 18. & Iudic. 1. His expositis atq; constitutis, haud magni fuerit negotij positam supra quæstionem expedire. Etenim nonnunquam nomen Bethel sumitur propriè, pro eo tantùm loco, vbi venerabile illud visum habuit Iacob: Et erat is locus ab vrbe Luza diuersus & distans, non longè tamen. Atq; ita vsurpatum est nomen Bethel Iosue 16. vbi sic est: *Solitudo qua ascendit de Iericho ad montem Bethel,*

Locus Iosue cap. 16.

& egre

& egredietur de Luza. Si egressus erat ex Bethel in Luzam; ergo Bethel & Luza inibi nominantur vt loca diuersa, & inter se distincta. Sedenim plerumq; ponitur Bethel pro ipsa vrbe Luza: cui scilicet locus ille Iacob priè appellatus Bethel nomen suum commodauit, tum ob vicinitatem, tum ob illius visionis Iacob admirabilitatem. Non enim insolens est, magnas & celebres ciuitates nomen capere ex vicinis locis, re quapiam maxima insignitis, atque nobilitatis.

Cur Bethel dicta sit Bethauen.

60 Vrbs porrò Bethel, dicta est posterioribus temporibus Bethauen: Sic enim appellatur ab Osea cap. quarto, illis verbis: *Nolite ingredi in Galgala: & ne ascenderitis in Bethauen*, & cap. quinto. *Ululate in Bethauen, post tergum tuum Beniamin*, & capite decimo. *Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ.* In tribus istis locis, Bethauen esse positum pro Bethel, oratio ipsa, & sententia Prophethę demonstrat, & docet Hieronymus enarrans ea Prophetæ loca. Nomen autem Bethauen, compositum est ex Beth quod significat *domum*, & Auen, quod Theodotion vertit *iniquitatem*: Symmachus autem, & Aquila transtulerunt *inutile*, siue *nihilum*, id est, *Idolum*: Sic enim vocari solet in Scriptura. Nam & Paulus 1. ad Cor. 8. *Scimus*, inquit, *quòd Idolum nihil est in mundo.* Septuaginta interpretes pro Bethauen, id est, *Domo iniquitatis*, vel *nihili*, verterunt domum *On*, quod quantum ad sententiam, in idem recidit: namque *On*, significat iniquitatem, & dolorem, quem iniquitas parere solet. Sed quando, & quam ob causam Bethel appellata fuit Bethauen? Id habuit originem ex eo quod fertur in lib. 3. Regum cap. 12. fecisse Ieroboam, primum Regem Israël post discessionem decem tribuum à tribu Iuda. *Fecit enim duos Vitulos aureos, posuitque vnum in Bethel, & alterum in Dan: & dixit populo, Nolite vltra ascendere in Hierusalem: Ecce dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti: & factum est verbum hoc in peccatum: ibat enim populus ad adorandum Vitulum, constituitque diem solemnem in mense octauo, quintadecima die mensis, in similitudinem solemnitatis quæ celebratur in Iuda. Et ascendit adorare quod fecerat in Bethel, vt immolaret vitulis, quos fabricatus fuerat.* Quoniam igitur in Bethel execrabilis idololatria celebrabatur à populo; iccirco Prophetæ partim ad irrisionem, partim ad execrationem, Bethel vocauerunt Bethauen: significantes, indignum esse eum locum deinceps vocari Bethel, id est *Domum Dei*; sed appellari oportere Bethauē, id est *Domum iniquitatis*, aut *nihili*, propter Idolum ibi positum. Vide S. Hieronymum in libro de locis Hebraicis, & super Oseam cap. 4. 5. & 10. vbi Oseas Bethel vocat Bethauen, vt suprà ostendimus. Ceterùm ne quispiam fortè putet, nomen Bethauen soli Bethel, ob quam dixi causam, esse positū sciendum est; fuisse id proprium nomē certi cuiusdam loci distincti à Bethel, non longè tamen ab ea distantis, & prope quingentos annos fuisse antiquius regno Ieroboā, & Idololatria decē tribuū in Bethel.

S. Hieronym.

Bethauen fuisse locum diuersum, sed propè distantem à Bethel.

Fuisse Bethauen distinctum locum à Bethel, annis fermè quingentis ante regnum Ieroboam, liquidò cernitur ex verbis illis, quæ sunt in libro Iosue cap. 7. *Cumq; mitteret Iosue de Hiericho viros contra Hai, quæ est iuxta Bethauē, vel ad Orientalē plagā apud Bethel.* Istud autē factū est haud multo

post quadrasimum annum egressionis Hebræorum ex Ægypto, & paulo post euersionem vrbis Hierico: ex quo tempore vsque ad regnum Ieroboam, non minùs quadringentis octoginta annis effluxit temporis. Verùm circa Bethauen, vt erat locus distinctus à Bethel duę res sunt incertæ. Obscurum enim est, an fuerit tantùm solitudo, & desertum; an verò etiam fuerit vrbs aliqua, isto nomine appellata, quæ nomen adiacenti solitudini dederit, vel contrà nomen ipsa ab ea solitudine acceperit. Sanè in libro Iosue cap. 18. vocatur solitudo Bethauen; alibi tantùm præcisè vocatur Bethauen, vt Iosue 7. & in primo Regum 13. 14. nec vspiam nominatur vrbs Bethauen. Cur item locus iste dictus fuerit Bethauen, quod sonat *Domũ iniquitatis*; An eo, quòd in ea solitudine latrocinia, vel cędes hominum fieri solerẽt, aut cultus alicuius Idoli celebrari, mihi quidẽ non liquet.

DECIMA DISPVTATIO.

Super voto quod fecit Iacob,

Et narratur à Mose illis verbis:

VERSV 20 Vouit etiam votum dicens, Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum: reuersúsque fuero prosperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei: cunctorúmque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.

Prima dubitatio. EX istis verbis quatuor exoriuntur dubitationes. Prima dubitatio hæc est: Iacob vouet habiturum se Dominum pro Deo, si is dederit sibi victum & vestitum, & prosperum in patriam reditum; Ergo si hæc non daret Deus, non erat eum habiturus pro Deo. Talis porrò mens, consilium, sensus, propositum animi, & deliberatio, erant planè impia. Deus namque omnino colendus est, siue det, siue non det bona temporalia. Ob hanc enim causam impensè laudatur responsum illud datum Regi Nabuchodonosor à tribus illis socijs Danielis. Sic enim legimus Daniel. 3. dixisse eos: *Ecce Deus noster, quem colimus, potest, eripere nos de caminoignis ardentis; & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi Rex, quia Deos tuos non colimus, & statuam, quam erexisti non adoramus.* Cuius responsi sanctitatem, simulque prudentiam animaduertens Theodoretus, Quasi, ait, istis verbis significare vellent, nos pro mercede aliqua Deo nostro non seruimus, sed eius amore, rebus omnibus cultum ipsius præferimus, quare ne ab his quidem malis temerè liberari petimus: sed ipsi omnem nostri gubernationem & prouidentiam committimus. Et quoniam

Theodoretus.

quoniam eius, quod futurum est, ignari sumus, gubernatori nostro, quocumque ei libuerit, nauem dirigendam committimus: pro certo enim habemus, posse illum nos è tuis manibus eripere. Vtrum verò id facere velit, ignoramus. Sed cùm sapiens sit, ei rerum nostrarum moderationem committimus, quamlibet iudicij eius sententiam, vt meliorem, nobisque vtiliorem libenter accepturi. Sic Theodoretus. Sedenim huic dubitationi nihil relinquetur loci, si germana voti Iacob sententia probè intelligatur. Non vouit Iacob, si Deus suppeditaret sibi victum & vestitum, eum se pro vero Deo habiturum; eiusmodi namque votum non impium modò fuisset, sed planè stolidum, vecordiæque & amentiæ plenum. Vouit igitur, si Deus iagiretur quæ postulabat, se speciali quodam cultu veneraturum Deum. Non itaque vouit generalem cultum Dei, quem ei exhibere naturali lege adstrictus erat, sed certum quendam & singularem cultum duabus in rebus positum, quas mox ipse subdidit; nimirum quòd eum locum, in quo diuinam visionem habuerat, dicaret & sacraret diuino cultui, quem ipse inibi, post reditum ex Mesopotamia, agitare & celebrare vellet; perinde quasi locus ille esset Domus Dei, id est templum diuino cultui consecratum. Et hoc significauit Iacob: nam cum diceret: *Erit mihi Dominus in Deum*, id ipsum exponens subdit: *Et lapis iste: quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei.* Altera pars specialis illius cultus, quem vouerat Iacob, fuit promissio decimarum de omnibus quæ possideret. nam præterea subiunxit; *Cunctorúmque, quæ dederis mihi: decimas offeram tibi.*

62 Secunda dubitatio, huiusmodi est. Videtur imprudens fuisse illud votum Iacob. Vouentur enim ea, quæ liberum est nobis facere & non facere: talia enim sunt quæ in promissiones cadunt, & vota. At colere Deum, obligatus erat Iacob tum lege naturali, secundùm quam Deus vt omnium creator, & Dominus, & infinitè perfectus, ab omnibus est colendus, & super omnia amandus: tum etiam lege, ac pacto Circumcisionis; in cuius susceptione, diuini cultus professio & obligatio continebatur, vt suprà Genes. 17. fusè declaratum est. Verùm solutio antecedentis dubitationis, etiam bellè quadrat ad explicationem huius. Non enim Iacob vouit in genere, velle se Deum colere; sed in speciali, velle colere eum hoc, vel illo ritu, & ceremonia, ad quod faciendum nulla erat lege obligatus. Responderi præterea illud potest nihil prohibere ad obseruantiam eiusdem rei pluribus vinculis quempiam obligari, vt ad colendum Deum, lege naturali, & lege circumcisionis, & nouo aliquo voto. Sic Dauid ad obseruantiam mandatorum Dei, præter obligationem, quam habebat ex lege Mosis, obligauit etiam se iureiurãdo, sicut ipse testatur Psalmo 118. *Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.* Vtramque hanc solutionem breuissimis verbis comprehensam à nobis significantiùs, & expressiùs tradit Caietanus, ita scribens super hunc locum Genesis: Quæstio hîc mouetur de materia huius voti Iacob, quæ videtur incongrua, si quidem materia voti debet esse bonum supererogationis, ad quod scilicet vouens aliâs non teneretur. Iacob autem vouit se habiturum Deum pro Deo, ad quod ille tenebatur sine suo voto. Verùm soluitur quæstio dupli-

Secunda dubitatio.

Caietanus.

citer: primò, habere Deum pro Deo, non debet intelligi vt verba sonant

Consuetudo sacræ Scripturæ.

solitaria, sed vt mox ipse declarauit. Sæpè enim Scriptura ita loquitur, vt quæ explicanda sint singillatim, priùs proponat in vno tanquam confusè, & mox illud per partes explicet. Sic in præsentia illud: *Erit mihi pro Deo,* statim exponitur per duas res subiunctas: quarum altera est, quòd lapis ille erat futurus ei Domus Dei, instar scilicet templi, in quo diuinum cultum celebrare volebat: altera verò est, quòd decimas omnium suorum bonorum offerret Deo. Est porrò manifestum vtrumque horum fuisse supererogationis bonum. Ceterùm etiam seruato verborum rigore potest quæstio ad hunc modum solui: Non esse inconueniens, materiam voti esse bonum, ad quod quispiam alio nomine tenebatur; vt ex duplici vinculo ad idem teneatur; vinculo scilicet præcepti diuini, siue naturalis iuris, & item vinculo proprij voti. Sic Caietanus.

Tertio dubitatio.

63 Tertia dubitatio est. Cùm paulò ante Deus promisisset Iacob, nulla re defuturum se illi, dicens: *Ero custos tuus quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc:* Quomodo postea Iacob, quasi dubius, & incertus de diuinæ promissionis euentu, atque effectu vouit dicens: *Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ambulo: reuersusque fuero prosperè in domum patris mei, &c.* Respondeo vereri potuisse Iacob, vt illa Dei promissio esset conditionalis, nimirum sibi data sub ea conditione, si permaneret ad extremum in ipsius Dei cultu & obsequio, & se ab omnibus vitiis abstineret: de quo cùm certus ipse non esset, votum illud fecit.

Quarta dubitatio.

64 Quarta dubitatio, cùm decimæ offerri solerent sacerdotibus, etiam ante legem Mosis; Abraham enim decimas dedit pōtifici Melchisedec: quæritur, cuinam eo tempore Iacob decimas suorum bonorum dederit. Nam quod nonnulli dixerunt, dedisse eas Melchisedec, sicut dederat ei auus eius Abraham; id profectò (vt alia omittam) obseruata ratione temporum, non est verisimile: tunc enim vixisse Melchisedec ægrè admodum crediderim. Si quidem Iacob implere cœpit votum hoc, post reditū suum ex Mesopotamia: erat autem eo tempore annorum propè centum. Atqui si ab eo tempore quo Abraham dedit decimas Melchisedec, vsque ad centesimum annum Iacob, intermedios annos computes, non pauciores centum octoginta reperies. Et Melchisedec quidē, tunc erat iam grandæuus, vtpotè celeberrimus in tota ea regione pontifex Dei altissimi. Non est autem credibile, Melchisedec ad ducentos annos regum & pontificatum administrasse. Illa est igitur verior istius dubitationis solutio, Iacob votiuas decimas persoluisse non sacerdotibus, sed ipsi Deo, hoc est, impendisse, atque insumpsisse eas in vsum & exercitium diuini cultus ab ipsomet celebrandi, præsertim autem in sacrificiis, quorum quædam omnino consumebantur, & comburebantur, vt holocausta, aliorum verò pars comburebatur, pars ab offerentibus comedebatur. Rectè igitur Caietanus hanc dubitationem diluens dixit: Si quæras, inquit, cui sacerdoti dandæ erant istæ decimæ, Respondeo, nulli: sed in honorem Dei fuisse offerendas Deo iuxta ritum tunc solitum: & quod erat cōsuetum comburi, comburebatur sacrificando, reliquum autem comedebatur, non tanquam cibus

Cuinam daret Iacob decimas. Genes. 14.

Caietanus partim laudatur, partim refellitur.

bus profanus,sed vt quid Deo oblatum:sicut mos erat offerentes ad sacrificandum, participes esse sacrificiorum & libaminum. Hæc Caietanus. Sed illud non laudo,quod nomine decimarum intelligi debere putat,non decimas propriè dictas, sed aliquotam bonorum partem decentem illam quidem, & quam didicerat ab auo suo Abraham, & patre Isaac solitam offeri Deo. Idem dixit supra in cap. 14. Genes. de decimis oblatis Regi Melchisedec à patriarcha Abraham:quam opinionem nos in tertio Tomo super caput 14 Genes.in Disputatione sexta,& numero marginali septuagesimo quinto confutauimus.

65 Verùm si propiùs inspiciamus,& penitus scrutemur votum Iacob,optationem & petitionem eius, frugalissimam & modestissimam fuisse reperiemus. Quid enim aliud exoptauit,& petijt à Deo, nisi tantùm sufficientem degendæ, tuendæque vitæ cibatum, & vestitum? *Si dederit mihi*, inquit, *panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum.* Nomine autem panis & aquæ significari solet in Scriptura, omnis cibatus & potus, sed frugalis admodum & parcus; quemadmodum docet B.Hieronymus exponens illa verba Isaiæ cap. 3. *Auferet à Hierusalem,& à Iuda validum, & fortem;omne robur panis,& omne robur aquæ.* Idipsum etiam significare volens B.Gregorius, dixit per panem significari aliquando subsidium præsentis vitæ. In libro namque 23. Moralium explanans illa verba Iob cap. 33. *Abominabilis ei sit in vita sua panis.* In sacra Scriptura, inquit, panis aliquando dicitur ipsemet Dominus,aliquando spiritualis gratia,aliquando diuinæ doctrinæ eruditio, aliquando Hæreticorum prædicatio, aliquando iucunditas humanæ delectationis,aliquando subsidium præsentis vitæ,sicut Iacob ad Laban proficiscens,ait,*Domine Deus si dederis mihi panem ad manducandum, & vestem ad induendum.* Nec modò votum illud Iacob, modestissimi animi eius clarissimum fuit argumentum: verùm etiam Apostolicum habuit documentum, quod tot post secula B. Paulus Euangelicæ doctrinæ, & virtutis sectatoribus tradidit, ita scribens ad Timotheum: *Est quæstus magnus pietas cum sufficientia: nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in desideria multa, & inutilia,& nociua,quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Vel ex hoc igitur verbo Iacob elucet, quanta fuerit animi eius modestia,quâ nulla diuitiarũ cupiditas,cùm tam modico & tenui victu contentus, sic vitam omnẽ agere paratus esset.

S Hieronym.

Quot modis sumatur in Scriptura nomen panis ex sententia B. Gregor.

Locus Pauli 1.Tim.6.

66 Duo sunt in mari nauigantibus vtrinque maximè infesta, & periculosa loca, olim præcipuè à veteribus celebrata,Scylla, & Charybdis; inter quæ nauigantibus summa erat opus prouisione & cautione, ne dum alterum vitare cuperent,inciderent in alterum:de quibus locis Circe præmonuit Vlyssem,vt est apud Virgilium dicens:

Dextrum Scylla latus,lævum implacata Charybdis.
Obsidet,atque imo barathri ter gurgite vasto
Sorbet.

Virgilius.

Similia

Similia istorum in rebus humanis, sunt affluentia diuitiarum, & extrema inopia, atque egestatis miseria: vtrumque enim acerrimum est mortalibus ad flagitia & scelera incitamentum. Quocirca vtrumque istorum vehementer deprecatus est Salomon Prouerbiorum 30. ita supplicans Deo: *Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria, ne fortè satiatus, illiciar ad negandum, & dicam, Quis est Dominus? aut egestate compulsus, peierem nomen Dei mei.* Media igitur vitæ humanæ conditio, & facultatum mediocritas, optanda maximè est hominibus: multa quippe arcet flagitia, vitámque facit, & frugalem, & quietam, & iocundam. Neque hoc non etiam à Poëtis cognitum, & laudatum est: Cuiusdam enim versus illi prædicantur:

Locus Prouerbiorum cap. 30.

Horatius lib. 2. od.

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret inuidenda
Sobrius aula.

Iuuenal. Satyr. 14.

Et alius, quasi ad mensuram huius voti patriarchæ Iacob demetiens sufficientem homini censum, sic ait:

Mensura tamen quæ
Sufficiat census, si quis me consulat, edam.
In quantum sitis, atque fames, & frigora poscunt.

Hesiodus. Illud celebre, sed obscurum dictum Hesiodi:

Dimidium plus toto.

Plato. Sic Plato interpretatur libro 3. de legibus, vt eo mediocritatem, quam diximus, commendari dicat. Cùm totum, inquit, accipere noxium est, dimidium autem, moderatum & conducibile.

Aristoteles. Quinetiam censuit Aristoteles lib. 4. Politicorum cap. 11. nimia ciuium vel opulentia, vel egestate statum perturbari ciuitatis, & publicum bonum corrumpi: facultatum verò mediocritate, ciuium probitatem, & modestiam, quietem item, & concordiam faciliùs, & diutiùs comparari, atque conseruari. Neque enim, inquit, ditissimi, nec pauperrimi sunt ad ciuilem societatem idonei. Alteri enim nimis superbi, alteri nimis deiecti fiunt: alteri contemnunt: alteri inuident: alteri imperant vt Domini: alteri parent vt serui: Ciuitas autem ex paribus, & similibus constare debet, quod mediocribus accidit. Itaque plurimùm ciuitas ex mediocribus consistens, conseruatur: eaque optima est, & à seditionibus abhorret. Sic ille. 67

Egregium dictum. Verum igitur, scitúmque arbitror Verbum illud, quod apud veteres in primis ferebatur, & celebrabatur: *Cui parum non est satis, ei nihil est satis:* vel vt alij referunt: *Cui, quod satis est, non est satis, ei nihil est satis.* Error itaq; & furor est, quo minus egeas, plus semper habere velle: & metu egestatis fine termino, ac modo studere opulentiæ, cum potius contra eueniat, contráque faciendum sit. Verum enim profectò est, quod obseruato rerum vsu sapientes viri tradiderunt (vt de sententia Phauorini Philosophi refert Gellius lib. 9. cap. 8.) multis egere, qui multa habeat: magnamq; indigentiam nasci, non ex inopia magna, sed ex magna copia: multa enim desiderari, ad multa quæ habeas, tuēda. Quisquis igitur multa

A. Gellius.

habens

habens, cauere atque prospicere velit, nequid egeat néve quid desit, iactura ei opus est, non quæstu: & minus habendum est, vt minus desit.

68 Ad hanc disputationem, & ad hunc locum pertinet quod super isto voto Iacob scitè Rupertus lib. 7. Commentariorum in Genesim capite 25. scripsit. Hoc ego hîc apponam, quasi clausulam Commentariorum meorum in caput hoc vigesimum octauum. Exponens Rupertus verba illa Iacob: *Si dederit mihi panem ad edendum, & vestimentum ad induendum.* Hoc, inquit, tanquam pauper, & vt verè Dei mendicus dixit. Nec mirum, cùm, & Rex maximus, & fortissimus Dauid in psalmis, egenum se, ac pauperem, & mendicum professus sit. *Ego* (inquit) *mẽdicus sum, & pauper.* Et rursus: *Quoniam inops, & pauper sum ego.* Bonum ergo ex patribus exẽplum nobis filijs prouisum est, vt quantumcumque diuites simus, dicamus tamen mendici omnes ante fores supernæ gratiæ: *Panem nostrũ quotidianum da nobis hodie.* Nec verò solùm panem spiritualis alimoniæ, sed panem quoque vitalem à Patre omnium flagitemus, vt illum quoque ex dono eius fateamur nobis esse, qui solus potuit, & dignatus est creare, non minùs Regi in solio fulgenti, quàm viduæ ad molam sedenti, necessarium panis alimentum. Triplicem itaque, vt veri pauperes precemur panem à Patre, sub vno nomine: panem scilicet vitæ æternæ, de quo dicit Dominus: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Et panem intelligentiæ, de quo dictum est, *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Ac demum panem vitalem confirmantem cor hominis, quem solus ipse producit de rore cœli, & de pinguedine terræ. Sic Rupertus.

Rupertus.

Psal. 39.
Psal. 85.

Matth. 6.

Triplex panis petẽdus à Deo.
Ioan 6.
Matt. 4.
Deut. 8.

Ceterùm quid est, secundùm spiritualem intelligentiam bonorum suorum decimas offerre Deo? Denarius numerus, symbolum est vniuersalitatis, & perfectionis: Ergo decimas offerre bonorum suorum, est perfectionem omnem bonorum suorum deferre Deo: id autem duabus in rebus, duplicique in officio faciendo positum est. Primò quidem vt agnoscamus, bonorum omnium largitorem esse Deum, nos esse mendicos, & quorumcumque egemus, ab illo esse expetenda, & postulãda: de eo namque cecinit Dauid: *Omnia à te expectant vt des illis escam in tempore. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Deinde bonorum, quæ possidemus perfectio, constat bono eorum vsu, quem debemus offerre Deo: vt partem bonorum nostrorum conferamus in ministerium, & vsum diuini cultus, partem in subsidium egentium, partem ad virtutum munera, functionésque expeditiùs, & perfectiùs obeundas: hæc qui sincerè, ac piè fecerit, is profectò decimas bonorum suorum Deo acceptissimas offeret.

Psal. 103.

***

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA

IN CAPVT

VIGESIMVM NONVM

GENESIS.

ARGVMENTVM.

Peruenit Iacob in Mesopotamiam, & exceptus domo à Laban, duas eius filias, seruitute quatuordecim annorum, sibi vxores comparauit.

1 PROFECTVS ergo Iacob, venit in ter-
2 ram orientalem. Et vidit puteum in agro,
tres quoque greges ouium recubantes
iuxta eum: nam ex illo adaquabãtur pe-
3 cora, & os eius lapide claudebatur. Mós-
que erat, vt cunctis ouibus congregatis,
4 deuoluerẽt lapidem: & refectis gregibus,
5 rursum super os putei ponerent. Dixítque ad pastores, Fratres,
6 vnde estis? Qui responderunt, de Haran. Quos interrogans,
Numquid, ait, nostis Laban filium Nachor? Dixerunt: Noui-
7 mus. Sanús ne est? inquit; valet, inquiunt: & ecce Rachel filia
eius venit cum grege suo. Dixítque Iacob; Adhuc multũ diei
superest, nec est tempus vt reducantur ad caulas greges: date
8 ante potum ouibus, & sic eas ad pastum reducite. Qui res-
ponderunt: Non possumus donec omnia pecora congregen-
tur, & amoueamus lapidẽ de ore putei, vt adaquemus greges.

Adhuc

Adhuc loquebantur,& ecce Rachel veniebat cum ouibus pa- 9
tris sui:nam gregem ipsa pascebat:Quam cum vidisset Iacob, 10
& sciret consobrinam suam, ouésque Laban auunculi sui : a-
mouit lapidem : quo puteus claudebatur : & adaquato grege, 11
osculatus est eam, & eleuata voce fleuit, & indicauit ei quòd 12
frater esset patris sui,& filius Rebeccæ:at illa festinans nũcia-
uit patri suo.Qui cùm audisset venisse Iacob filiũ sororis suæ, 13
cucurrit obuiam ei:cõplexúsque eum,& in oscula ruẽs, duxit
in domum suam.Auditis autem causis itineris, respondit: Os 14
meum es,& caro mea. Et postquam impleti sunt dies mensis
vnius,dixit ei:Nũ quia frater meus es, gratis seruies mihi? dic 15
quid mercedis accipies.Habebat verò duas filias:nomen ma- 16
ioris.Lia;minor verò appellabatur Rachel.Sed Lia lippis erat 17
oculis.Rachel decora facie,& venusto aspectu. Quã diligens 18
Iacob,ait : Seruiã tibi pro Rachel filia tua minore, septẽ annis. 19
Respõdit Labã:Melius est vt tibi eã dẽ,quàm alteri viro,mane 20
apud me.Seruiuit ergo Iacob pro Rachel septẽ annis : & vide-
bantur illi pauci dies præ amoris magnitudine. Dixítque ad 21
Labã:Da mihi vxorẽ meã:quia iãtempus impletum est,vt in- 22
grediar ad illã.Qui vocatis multis amicorũ turbis ad cõuiuiũ, 23
fecit nuptias.Et vespere Liam filiã suã introduxit ad eum,dans 24
ancillam filiæ,Zelfã nomine.Ad quã cum ex more Iacob fuis-
set ingressus,facto mane vidit Liam : & dixit ad socerũ suum: 25
Quid est quod facere voluisti ? nonne pro Rachel seruiui tibi? 26
quare imposuisti mihi?Respondit Laban:Non est in loco no-
stro consuetudinis,vt minores ante tradamus ad nuptias.Im- 27
ple hebdomadam dierum huius copulæ, & hãc quoque dabo
tibi pro opere quo seruiturus es mihi septem annis alijs. Ac- 28
quieuit placito:& hebdomada trãsacta,Rachel duxit vxorem 29.30
cui pater seruã Balam tradiderat.Tandémque potitus opratis
nuptijs,amorẽ sequentis priori prętulit,seruiens apud eũ septẽ 3
annis alijs.Videns autẽ Dominus quòd despiceret Liam , ape- 1
ruit vuluã eius sorore sterili permanẽte. Quę cõceptũ genuit 32
filiũ,vocauítq; nomen eius,Ruben,dicens:Vidit Dominus hu 33
militatem meam , nunc amabit me vir meus. Rursúmque
concepit,& peperit filium,& ait : Quoniam audiuit me Do-
minus haberi contemptui,dedit etiam istum mihi,vocauítq; 34
nomen eius Simeon,Concepítque tertiò,&genuit aliũ filium,

dixítque, Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus: eò quòd pepererim ei tres filios:& idcirco appellauit nomẽ eius, Leui. Quartò concepit,& peperit filium,& ait:Modò confitebor Domino,& ob hoc vocauit eũ Iudam:ceſſauítque parere.

PRIMA DISPVTATIO.

An Iacob honeſtè ac decorè fecerit, in publico Rachelem oſculando, nunquam à ſe viſam antea, cui & ipſe planè ignotus erat.

Super illis verbis,

VERS. 11. Et adaquato grege oſculatus eſt eam:& eleuata voce fleuit:& indicauit ei, quòd frater eſſet patris ſui.

NON videtur Iacob ſatis prudenter ac decenter feciſſe, oſculando in publico Rachelem puellam formoſiſſimam, quam nunquam antea viderat. Nam oſculari, etiam notiſſimam mulierem (præter conceſſa inter coniuges, & parentes, ac liberos oſcula) pudendum, & turpe ducitur. Dupliciter igitur videtur reprehendendus Iacob, & quòd oſculatus ſit puellam, & quòd ignotam. ſed vtrumque diluit breuiter Auguſtinus in quæſtione 87. in Geneſim: Conſuetudinis, inquit, fuit, maximè in ſimplicitate Antiquorum, vt propinqui propinquos oſcularentur: Et hoc fit etiam hodie multis in locis. Sed hoc quæri poteſt, quomodo ab incognito Rachel oſculum acceperit? Ergo intelligendum eſt, aut illum, qui eam à paſtoribus audierit, quænam illa eſſet, fidẽter in eius, tanquã conſobrinæ ſuæ, oſculum irruiſſe: aut poſtea Scripturam narraſſe per racapitulationem quod primò factũ erat: vt priùs Iacob indicauerit ei quiſnam ipſe eſſet & poſt expoſitam cognationem, dediſſe ei oſculum. Sic ex Auguſtino. Eſt igitur hîc obſeruanda figura orationis, quàm vocant Hyſterologiam, id eſt, præposteram rerum narrationem, cùm poſteriùs geſta, priùs commemorantur. Plurima eius rei ſunt in libris propheticis, nec pauca etiam in Hiſtoricis exempla. Quod autem Scriptura Iacobi fletum & oſcula narrat, id Ioſephus in primo libro Antiquitatum, vbi hanc refert hiſtoriam, non attribuit Iacob, ſed Racheli. Sic enim ſcribit: At Rachel memor eorum, quæ de Rebecca ex patre audierat, ſciénſque parentes deſiderare aliquid de ea cognoſcere, præ amore patris, lacrymabunda ruit in collum Iacob, complexóque eo, Optatiſſimam, inquit, & maximam voluptatem affers patri cum tota familia, qui nunquam matris tuæ obliuiſcitur, crebrã illius mentionem faciens: quare tale nuntium cum quantauis felicitate nõ cõmutaret. Sic Ioſephus. Apparet tum ex hoc, tum ex alijs per multis, quorũ

1

B. Auguſt.

Ioſephus non fideliter memorat ſacras hiſtorias.

parte m

partem supra indicauimus; partim in posterum, vbicumq; res feret, aperiemus; Iosephum in sacris historijs commemorandis parum fuisse aut diligentem, aut fidelẽ, nec rarò tam in historia quàm in Chronologia esse lapsum; quapropter cautè admodum, & circumspectè legendus est, ne falsus ipse, lectores itidem fallat.

2 Sed redeo ad osculum Iacob. Ac ne quis fortè miretur (castissimum) & sanctissimum virum Iacob osculari pulcherrimam virginem tunc primũ sibi visam, non erubuisse, sciat is, tum in sacris litteris, tum in profanis, sex osculorum genera quondam vsurpata, & vsitata reperiri. Primum genus osculi erat impudicum, libidinosum, turpe, ac probrosum, ac perefficax peccandi illecebra. Huius generis erant oscula meretricia, quæ tanquam pestem, mortémque fugienda præcepit Salomon Prouerbiorum 7. hisce verbis; *Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, garrula, & vaga, quietis impatiens, & præparata ad capiendas animas, apprehensúmque deosculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur. Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum pertraxit illum.* Ad huius sententiæ Salomonis imitationem & similitudinem, videtur illa scripsisse Theocritus: Consurget, inquit, in oscula, noli consentire. Mala sunt hæc oscula: *Labra veneno tota tument, atque ipsa malum sunt labra venenum.* Alterum genus osculi castum erat, atque honestum, ex naturali quodam beneuolentiæ motu & affectu natum: præcipuè verò inter valdè propinquos, & cognatos vsurpari solitũ. Sic osculatus est Isaac filium suum Iacob, vt suprà dictum est Genes. 27. & ad hoc genus pertinet osculum, quod Iacob dedit Racheli consobrinę suæ; vt in hoc loco scriptum est. Tertium erat genus osculi, quod pro humanitatis & vrbanitatis officio dabatur. Erat autem vsus eius maximè in obuiorum amicorum vel notorum hominum salutationibus, vel in accipiendis hospitio, aut conuiuio hominibus. Hic mos Romæ adeo percrebuerat, vt oscula passim frequentarentur, adusque intolerandam molestiam, atque tædium: quam ob causam ea Tiberius Cæsar publico edicto, vt refert Suetonius, prohibuit. Sed prævaluit tamẽ inueteratus mos: molestissimum namque atque odiosissimum morem hunc osculandi passim obuios quosque insectatur Martialis illis versibus:

Effugere non est, Basse, basiatores;
Hinc stant, morantur, persequuntur, occurrunt,
Et hinc, & illinc, vsquequaque, quacumque.

Fuisse hoc genus, tempore Saluatoris nostri maximè vsitatum apud Iudæos; perspicuè ostendunt verba Domini, quæ sunt apud Lucam capite septimo, insimulantis Pharisæum prætermissi solitæ humanitatis officij, quòd sibi domum eius ingresso, & ad conuiuium inuitato, non dedisset osculum.

3 Quartum genus osculi pertinebat ad Romanas fœminas, quas propinqui & cognati, cùm sibi obuios salutarent, tentamenti gratiâ, osculabantur: vt explorarent videlicet an vinũ bibissent: id enim tunc perquàm fœdum ac probrosum, nec inultum erat. Audi Plinium libro. 14. cap. 14. Non licebat, inquit, vinum fœminis Romæ bibere. Inuenimus inter

Sex osculorũ genera in sacris litteris traditio.

Locus Salomonis prou. ca. 7.

Theocritus.

Suetonius.

Martialis.

Locus Lucæ cap. 7.

Plinius.

exempla, Egnatij Mecennij vxorem, quòd vinum bibisset è dolio, interfectam fuisse à marito, eúmque cædis à Romulo absolutum. Cato idcirco propinquos fœminis osculum dare scripsit, vt scirent an temetum oletét: hoc tunc vino nomen erat: vnde & temulentia appellata. Sic Plinius. Ad eandem sententiam, quæ prodidit Gell. lib. 10. ca. 23. legi possunt: Quintum genus osculi erat fraudulentum, specie amoris & pacis, odium celãs, & perniciem, atque exitium afferens. Tale fuit osculum Iudæ, cui dixit Dominus, *Iuda, osculo Filium hominis tradis?* Tale quoque fuit osculum, quo Ioab incautum faciens Amasiam, interfecit eum, vt narratur in 2. lib. Reg cap. 20. De tali osculo scriptum est Prouerb. 27. *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.*

A. Gellius.

Luc. 22.

Sextum atque vltimum genus osculi sacrum erat & sanctum apud Christianos primæuæ Ecclesiæ, non solùm castè, sed etiam sanctissimè vsurpatum: de quo nempe Sanctus Paulus ad Romans 16. & 2. & ad Corinthios 13. scribens: *Salutate*, inquit, *inuicem, in osculo sancto.* Huiusmodi osculi præcipuus erat vsus in Christianorum conuentibus ad orandum, & ad percipiendam sacram Eucharistiam: finitis namque precibus, & ante perceptionem Eucharistiæ, mutuo se osculo consalutabant, dicentes alter alteri, Pax tecum. Huius consuetudinis rationem videat lector apud Iustinum Martyrem in oratione ad Antoniũ Imperatorem, & apud Origenem in cap. 16. Epistola ad Romanos, & in cap. 13. secundæ ad Corinthios, super illa verba Pauli: *Salutate inuicem in osculo sancto:* Et apud Cyrillum Hierosolymitanum, Catechesi quinta. Mos porrò, & modus osculandi erat, non solùm os & labia suauiari, sed caput etiam, & genas, & frõtem, & oculos & manus, maximè verò dexteram, quinetiam pedes. Varias autem partes osculabantur pro variorum animi affectuum significatione, id est, vt indicia facerent, vel teneri & flagrantis amoris; vel obseruantiæ ac reuerentiæ; vel cuiusdam ciuilitatis, atque vrbanitatis; vel petitionis, aut gratiarum actionis; vel supplicationis pro commiseratione, aut venia.

Locus Pauli ad Ro. 16. & 2. ad Cor. 13.

Iusti. Martyr. Origenes.

Cyrill. Hiero. Quas partes corporis osculari mos fuerit, & cur.

Cæterùm dicamus quemadmodum historiam huius loci tractans allegoricè Sanctus Augustinus, pulchrè accommodauerit eam ad Christum, & Ecclesiam. Sic autem ille super ea re disputans in sermone octogesimo de Tempore scriptum reliquit: Sæpe dixi, beatum Iacob typum gessisse Saluatoris nostri. Sicut enim iuit Iacob in regionem longinquã, vt coniugem acciperet; ita Christus venturus erat in mundum, vt iungeretur Ecclesiæ. Abijt Iacob in Mesopotamiam, & cùm venisset ad quendam puteum, vidit Rachelem venientem cum ouibus patris sui, & cùm cognouisset esse consobrinam suam, adaquato eius grege, osculatus est eam. Non fuit profectò sine causa, quod tres magni Patriarchæ vxores iuxta puteos, aut fontes inuenerunt: nam & Rebecca, quæ iungenda erat Isaac, iuxta puteum inuenta est: Ita Rachel, quæ futura erat vxor Iacob: necnon etiam Sephora, quæ matrimonio iuncta est Moysi. Sine dubio igitur aliqua in hoc Sacramenta debemus agnoscere. Quoniam igitur tres isti Patriarchæ typum Domini nostri prætulerunt, ad fontes,

Allegoria huius loci secũdùm August.

Genes. 24. Exod. 2.

vel

vel puteos vxores inuenerunt, quia Christus ad aquam Baptismi inuenturus erat Ecclesiam. Et Iacob veniens ad puteum, priùs gregem Rachelis adaquauit, & deinde osculatus est eam: Similiter etiam, nisi prius per aquam Baptismi, Christianus populus à peccatis omnibus abluatur, osculum à Christo accipere, id est, pacem eius habere non meretur. Poterat quidem Iacob prius oscurari Rachelem, quàm potare gregem eius: sed id factum non est, vt locus daretur mysterio: oportebat enim prius à peccatis ablui per Baptismum Ecclesiam, & deinde pacem, & amicitiam, & quasi coniugium quoddam spirituale cum Deo inire. Hactenus ex Augustino.

6 Circa illa verba: *Vidit puteum in agro, & tres ouium greges accubantes iuxta eum.* Annotanda est præclara quædam interpretatio allegorica ex B. item Augustino super psalmo 99. deprompta, quæ ad tres greges quorum hic fit mentio commodè aptari potest. sed antè doceamus, quid ille puteus significet. Puteus ille præfigurauit gratiam, & doctrinam Christi, vnde hauritur aqua salutaris, & vitalis ad abluendas sordes animæ, ad refrigerandum ardorem concupiscentiæ, ad fœcundandam sterilitatem humani cordis; deinde ad explendam sitim æternæ veritatis, & vitæ. De tali aqua dixit Christus Ioan. 4. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Et apud Isaiam cap. 12. Verè dictum est. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Tres porrò greges accubantes iuxta puteum, præsignabant tria genera hominum in Ecclesia Christi viuentium, & disciplinam eius profitentium; quos parabolica oratione complexus est Christus Dominus verbis illis quæ refert Matt. cap. 24. *Tunc duo erunt in agro, vnus assumetur, & vnus relinquetur. Duæ erunt molentes in mola: vna assumetur, & altera relinquetur. Tunc duo erunt in lecto, vnus assumetur, & vnus relinquetur.* Hæc Domini verba pertractans Augustinus in Expositione Psalmi 99. ita scribit: Qui sunt isti duo in agro? Nimirum hoc est quod dixit Apostolus, *Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit.* Et idem, *Dei agricultura estis.* Duo igitur in agro, sunt clerici, & Rectores animarum, qui plebem Christi quasi agrum, docendo, & rigando percolunt. Ex istis vnus assumetur, bene fungens munere suo, alter tanquam malus, relinquetur, & reijcietur; Sunt enim in ordine Clericorum, & boni, & mali. Duæ, quæ sunt in molendino, plebes significant. Sed cur in molendino? quia deuinctæ in seculo, circuitu rerum temporalium voluuntur, & quasi ad molam continentur. Ex istis autem vnus assumitur, ad æternam nempe salutem, qui permanet in obseruantia diuinæ legis, & opera misericordiæ perseueranter exercet, diligens non solùm amicos, sed etiam inimicos, & in diligendo Deo, ac proximo perseuerans vsque in finem. At, qui contra fecerit, relinquetur, & abijcietur. Sunt etiam in populo Dei, quietem amantes, nihil pati volentes, fugientes turbas, & in securitate, ac tranquillitate viuere cupientes. Isti tanquam in lecto recumbunt, & sine vlla sollicitudine requiescere volunt: & quia istud, & benefieri potest, & malè,

Idem Augustin.

Tria genera hominũ in Ecclesia Christi.

S Augustinus 2. ad Cor. 3. Ibidem.

& malè, etiam in isto genere hominum reperire est nonnullos bonos, & complures malos. Nemo vos fallat, fratres, inquit Augustinus. Scitote omnem professionem in Ecclesia habere fictos. Non dixi, omnem hominẽ in Ecclesia esse fictum; sed omnem professionem habere fictas aliquas personas. Ad hanc fermè sententiam Augustinus. Hi sunt igitur tres ouiũ greges iuxta puteum accubantes, quos Christus viuifica suæ doctrinæ aqua potat, ac reficit: vt verè illud Dauidis possint dicere: *Super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit.* *Psalm. 22.*

Sed quispiam fortasse de nobis quæreret, cur in ea, quam suprà memorauimus, Domini sententia, quod de mola dictum est, propriè attributũ sit mulieribus; sic enim dictum est, *Duæ erunt molentes in mola, vna assumetur, & altera relinquetur*, cum tamen quod dictum est de agro, & lecto, nõ ad mulieres, sed ad viros tantùm relatum sit. Sed sciendum est morem fuisse veteribus, ancillas, & seruas, atque harum vilissimas, huic labori, & operi molendi addicere: id autem tum ex sacris, tum ex profanis litteris intelligi potest: In Exodo enim c. 11. sic est: *Morietur omne primogenitum in terra Aegyptiorum, à primogenito Pharaonis qui sedet in solio eius, vsque ad primogenitum ancillæ quæ est ad molam.* Et Isaias cap. 47. prænuncians Babylonijs venturas illis calamitates, loquitur de ea gente quasi cum muliere quadam; & inter alia dicit, *Descende, sede in puluere filia Babylon, quia non vltra vocaberis mollis, & tenera. Tolle molam, & mole farinam; denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, denuda crura, &c.* Homerus quoq; in Odyss. canit Alcinoum Regem Phęacũ quinquaginta seruas habuisse, quæ aulico famulitio farinam molebant. Et in eodem opere de Vlysse ait, fuisse in ædibus eius duodecim famulas, quæ continuò frumenta molerent. 7

More antiquo vilissimæ mulieres opus molendi frumẽta faciebant.

Locus Exod. cap. 11.

Auditis autem causis itineris, respondit, Os meum es, & caro mea.

CAVSÆ susceptæ à Iacob illius itineris in Mesopotamiam, fuerunt duæ; vna, vehementiùs, atque instantiùs vrgens profectionem, fuit declinatio iræ, atque insidiarum Esau, molitis necem Iacob propter benedictionem paternam sibi præreptam. Altera causa fuit, vt non ex pessima gente Chananæorum, quam parentes Iacob maximè oderant, sed ex cognatione sua, & familia matris suę vxorem acciperet. Narrauit item Iacob, quemàdmodum ipse, Dei voluntate, ac sententia prælatus fuerit fratri suo Esau, & primogenituræ ius, cum omnibus eius bonis obtinuerit. Fecit hæc narratio Iacob, ne Laban miraretur tantam eius paupertatem, & solitudinem, & quod filius tam opulenti patris, pauper, & incomitatus, & pedibus tam longum, & laborioſum iter fecisset, vt non ob eam rem vilis, & contemnendus videretur: quin imo permagni eum faceret, futurum nempè bonorum Isaac hæredem. 8

Circa illud: *Os meum, & caro mea.* Sciendum est hanc esse phrasim peculiarem Hebręæ linguæ, à qua non longè diuersus est Latinorum sermo, qui

qui cognatos,&propinquos vocant consanguineos,quasi eiusdem carnis & sanguinis.Et sicut Hebræi dicunt,*Os meum & caro mea*:Sic Virgilius dixit:Sanguis meus:facit enim lib.6. Æneidos Anchisem hortantem Iulium Cæsarem nepotem suum,vt à cæde ciuili abstineat, dicens : *Proijce tela manu,sanguis meus.*

Explicatio trium locutionum hebraæ linguæ.

8 Adam vbi vidit ex se formatam Euam,dixit,*Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.*Et Abimelech,vt traditur libro Iudicum cap.9.persuadere volens Sichimitis vt ipsum crearent regem , *Considerate*, inquit, *quòd os vestrum,& caro vestra sum.*Et in secundo libro Regum cap. *5. venerunt*,inquit,*vniuersa tribus Israël ad Dauid in Hebron, dicentes,ecce nos os tuum,& caro tua sumus.*Similis est altera quædam,secundùm linguam Hebræam,locutio,communicare carni,& sanguini,pro eo, quod est hominẽ esse.Sic enim legimus apud Paulum ad Hebræos 2. *Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini,& ipse similiter participauit eisdem.* Id est quia quos redemptum & seruatum venerat , hi erant homines ; idcirco Filius Dei eiusdem naturæ humanæ particeps esse voluit. Apud Matthæũ quoque cap. 16. Dominus dixit Petro : *Caro , & sanguis non reuelauit tibi,sed Pater meus,qui in cœlis est.*Id est,Istud quod de me tanta fide confessus es,non didicisti ab homine vllo, nec humano ingenio , aut ratione comprehendisti,sed per solam reuelationem perfectum tibi est.

Genes.2.

Locus Pauli ad Hebr.21.

Sed Lia lippis erat oculis:Rachel decora facie & venusto aspectu. VERS. 7.

9 HEBRAICE pro *Lippis*, est,*teneris oculis*,vel,vt vult Oleaster, mollibus,siquidem verbum *achach*, mollire significat. Nec diuersa est interpretatio lxx.Interpretum, qui pro lippis,siue teneris reddiderũt *infirmis oculis*. Caietanus sic exponit:Erat, inquit,in Lia indigesta materia oculorum,nec reducta ad naturalem soliditatem.Thostatus hunc in modum interpretatur;Ex teneritudine,ac debilitate oculorum Liæ,fluebat assiduè crassus humor ex oculis , ita vt videretur Lippa;&similis lacrymãti.Sunt,qui putẽt significari hoc loco Liã fuisse luscitosam,quod genus homines nõnisi oculis proxima,ac penè cõtigua vident,& qui limis,& transuersis,& qui penè clausis oculis aspiciũt: quod in quouis homine deforme est,in muliere verò turpe admodum & fœdum.Hoc autem propterea dictum est de Lia, vt ea re intelligeretur causa cur Iacob non Liam,quæ maior natu erat, sed Rachelem dilexerit, atque vxorem sibi optauerit:nimirum causa fuit deformitas Liæ, & pulchritudo Rachelis. Atenim Chaldæus paraphrastes, quos Hebræa Scriptura vocauit teneros oculos,interpretatus est formosos,&venustos:quòd interdum vsurpari solet tenerum pro delicato,& eleganti,& venusto,cuius lectionis hæc fuerit sententia : Liam sola oculorum venustate fuisse commendabilem,&amabilem:Rachelem autem vsquequaque pulchram fuisse,& amabilem:dicitur enim fuisse decora facie,quod pertinet ad pul-

Oleaster.

Caietanus.

Thostatus.

Pharaphrasis Chaldaica.

chritudinem oris,& vultus,& item venuſto aſpectu,quod ſpectat ad pulchram totius corporis compoſitionem,decentémque omnium membrorum inter ſe proportionem. Verùm nos conſideremus Latinam verſionem. Lippitudo,eſt craſſus humor pituitæ,nonnunquam putridus,& mar cidus,aſſiduè profluens ex oculis. Quanquam Cornelius Celſus libro 6. duo faciat lippitudinis genera,vnum lippitudinis humidæ, de quo modò dictum eſt:alterum,lippitudinis aridæ, quam Græci ξηροφθαλμίαν vocant. Sic enim ſcribit;Eſt etiam genus aridæ lippitudinis, ξηροφθαλμίαν Græci appellant:neque tument,neque fluunt oculi;ſed rubent tantùm, & cum dolore quodam graueſcunt,& noctu præ graui pituita inareſcunt: quantoque minor generis huius impetus,tanto finis minus expeditus eſt. Sic ille.

Duplex genus lippitudinis auctore Celſo.

Explicatio pulcherrima loci Leuitici c.21. ſecundum Gregorium.

In Leuitico capite ſecundo duo memorantur oculorum vitia, Lippitudo,& albugo:prohibetur enim ſacerdos aſcendere ad miniſterium altaris,ſi maculoſus fuerit:inter maculas verò complures, numerantur hæ duæ:*Si fuerit*,inquit,*Lippus,ſi albuginem habuerit*:quem locum eruditiſſimè,ac diſertiſſimè tractans S.Gregorius in Prima Parte Paſtoralis cur. cap.xi.ſuper lippitudine,& albugine,ſecundùm tropologicam intelligentiam,hoc modo diſputat:Lippus eſt,cuius ingenium ad cognitionem veritatis emicat,ſed id tamen per opera carnalia obſcuratur. In lippis quippe oculis pupilla ſanæ ſunt:ſed humore defluente, infirmatæ palpebræ craſſeſcunt:&quia infuſione crebra atteruntur,etiam acies pupillæ vitiatur.Similiter nonnulli ſunt, quorum ſenſum operatio carnalis vitæ ſauciat,qui profecto videre ſubtiliter per ingenium rectè poterant, ſed vſu prauorum actuum caligant. Lippus itaque eſt,cuius ſenſum natura exacuit,ſed conuerſationis prauitas confundit: cui bene per Angelum dicitur:*Collyrio inunge oculos tuos,vt videas*.Hoc tunc bene fit,cùm ad cognoſcẽdã veri luminis claritatem,per mendicamen bonæ operationis,intellectus noſtri aciem adiuuamus.Albuginem porrò habet in oculo, qui lucẽ veritatis propterea videre non ſinitur,quia arrogantia ſapientiæ, ſeu iuſtitiæ ſuæ cæcatur.Pupilla namque oculi nigra bene videt: quia videlicet ſenſus humanæ cogitationis ſi ſtultum ſe,ac peccatorem agnoſcat,cognitionem intimæ claritatis apprehendit. Si autem candorem ſibi iuſtitiæ, vel ſapientiæ tribuit, à luce ſupernæ cognitionis ſeipſum excludit: & eo claritatem veri luminis non penetrat,quo ſe apud ſe per arrogantiam exaltat.Sicut de quibuſdam dictum eſt: *Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt*.Sic Gregorius.

Locus Apocalypſis c.3.

Ad Ro.2.

***

SECVN

SECVNDA DISPVTATIO.

Cur Iacob septennem exhibuerit seruitutem pro vxore.

Super illis verbis,

Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore septem annis.

VERS. 11.

11 PROMITTIT in hoc loco Iacob se pro vxore seruiturum septem annis, & infra cap. xxx. & xxxi. testatur se pro duabus vxoribus, annis quatuordecim seruisse Laban socero suo. Et apud Oseam cap. xij. Sic est: *Seruiuit Israel in vxore, & in vxore seruiuit.* Est autem Hebraismus, hunc habens sensum: Primò seruiuit pro Rachel septem annis, & postea totidem seruiuit pro Lia. Sed cum solemne fuerit in omni tempore, & apud omnes fermè gentes, vt dotem vxor daret marito: cur in isto matrimonio Iacob cum filiabus Laban, nullum fit verbum de dote, quam vxores attulerint Iacob: immò nullam ei dotem esse allatam, paulò infra ostendetur? Contra verò Iacob longissima, & grauissima seruitute, quæ quantamlibet dotem præpõderabat, istud sibi coniugium comparauit. Verùm enimuerò scire cõuenit, antiqui fuisse moris apud gentes illas Mesopotamiæ, Palestinæ, aliásque orientales, quin etiam postea apud Græcos, & Romanos; vt in contrahendis matrimonijs, sicut vxor dotem afferebat marito, ita vicissim maritus pecunias, & munera (quasi dotem quandam) futuræ vxori, vel eius parentibus daret: & per hæc quasi se inuicem maritus & vxor coëmerẽt, ita vt maritus quodammodo esset vxoris, & vxor itidem mariti. Quod si vir pecunias, & munera non haberet, operam suam locabat quasi seruiendo aliquandiu parentibus vxoris, quemadmodum fecisse Iacob, narrat in hoc loco Moses. Quæ porrò Maritus dabat, ea nonnunquã in Scriptura appellantur Sponsalia: sic vocantur in primò libro Regum cap. 18. *Dixit Saul seruis suis; Sic loquimini ad Dauid, Non habet Rex sponsalia necesse, nisi tantum centum præputia Philistinorum, vt fiat vltio de inimicis regis.* Quæ verba enarrans Iosephus libro sexto Antiquitatum: Dicite, inquit, me nihil curare pecunias, aut dona quæ sponsæ offerat: & Dauid 2. Regum, c. 3. *Redde mihi vxorem meam Michol, quam despondi mihi centum præputijs.* Interdum verò quæ maritus offerebat munera, nomine dotis appellantur. Sic enim vocantur Genes. 34. vbi Sichem dixit hæc verba ad filios Iacob: *Inueniam gratiam coram vobis, & quæcumque statueritis, dabo vobis: augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuã quod petieritis: tãtùm date mihi puellã hãc in vxorẽ.*

Mos antiquus in matrimonijs, vt vir, & mulier seruitutem emerent.

Locus 1. Reg 18. Iosephus.

12 Maritus igitur & vxor se inuicem quasi emebant, vtrinque data dote, vel quod eius vicem impleret: & tale matrimonium apud Romanos dicebatur per coëmptionem. Nam cùm tres apud illos modi essent contrahendi matrimonij, vnus per vsum, alter per confarreationem, tertius per

coemptionem,de quo nunc agitur,hic vltimus frequentissimus erat, simúlque celeberrimus,per quem mulier & vir,alter in alterius, & bonorum,& sacrorum communionem transibat.De quo quicquid scire curiosus Lector velle posset,scripsit eruditè,copioséque Brissonius in eo libro, quem inscripsit,de ritu nuptiarum. Ad hanc proculdubio consuetudinẽ spectat, quod Oseas dicit capite tertio de muliere, quam iussus fuerat à Deo vxorem ducere,*Et fodi*,inquit,*eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei,& dimidio cori*.Nam verbum Hebræum quod ibi redditur *fodi*,significationem habet emendi;vt super eum locum obseruatè,scitéque adnotauit noster Ribera,Et ad id probandum appositè vsus est loco illo Geneseos capite 50.vbi referũtur hæc verba Iacob:*In sepulchro,quod fodi mihi in terra Chanaan,sepelies me*,dixit *fodi* pro *emi*:quo verbo apertè vsus est Interpres Iosue capite vltimo,in illis verbis,*Ossa Ioseph sepelierunt in Sichem, in parte agri,quam emerat Iacob de filijs Hemor*. Iuxta consuetudinem hãc in carnali matrimonio vsurpari solitam,qua vir datis pecunijs, & muneribus dicebatur vxorem quodammodo emere; est id quoque, quod in spirituali matrimonio dici legimus in sacris litteris. Ad hanc nempe sententiam dixit apud Oseam capite secundo Deus. *Despõsabo te mihi in iustitia,& in misericordia,& fide*.Quasi vellet hisce donis eam sibi sponsam emere.Et Paulus Actorum 20.dixit Christum Ecclesiam sibi acquisiuisse sanguine suo:quasi diceret,Ecclesiam sibi Christus sponsam emit,& comparauit maxima dote,pretio scilicet sanguinis sui.

Brissonius.

Franciscus Ribera.

Cæterum super eo,quod dictum est de dote,ac muneribus,quæ in cõ- 13
trahendo matrimonio vir,& mulier inuicem afferre solebant, non esti-
gnoãrdum fuisse antiquitus variam pro varijs Gentium institutis,& legi-
bus consuetudinem.Plutarchus narrat in Vita Solonis,& Lycurgi, duos
istos nobilissimos Legumlatores salubriter consulentes, ne Sponsæ ma-
gno coniugia inirent,viris dotes ab vxoribus dari legibus vetuisse. Cor-
nelius Tacitus in eo libro quem de moribus Germanorum scripsit, vetus
fuisse institutum eorum,ait,vt viri dotes vxoribus dare cogerentur, qui-
bus non datis, nihil consociatum aut confederatum sponsalia haberent.
Eundem morem fuisse Cantabris memorat Strabo libro tertio:apud eos
namque nisi à viro dos esset sponsæ soluta, nullũ matrimonij fœdus esse
ducebatur.Narrat idem auctor libro xv. apud Indos,pari boum viros qua
si mercari vxores:& cum in plures illi diuiderentur ordines,vnius tribus
viros diuersæ tribus vxorem sumere non licebat. Apud Massilienses (sic
proditũ est è Strabone lib.4.) vltra centum aureos, dotem nulli dare fas
erat.Cretensibus mos fuit,vt dimidia pars bonorũ, quæ fratri cõtingebat
(sic est apud Strabonẽ libro 10.) Sorori,dotis nomine,daretur.Apud ve-
teres illos Gallos(sicut à Cæsare scriptum est libro 6.) Quantã pecuniam
vir ab vxore accipiebat dotis nomine, tantam ipse de suo conferre debe-
bat:vt quod inde redundaret cum fructibus alterutri coniugum superstiti accederet.Ægyptij vsque adeo auersabantur dotes muliebres(sic enim
in veteribus eorũ memorijs,& monumentis reperimus) vt qui dotes ab
vxore acciperent, eos velut mancipia, vxori addicerent. Brissonius
in lib.

Varia quondã consuetudo Gẽtium circa dotes matrimoniales Germanorum mos.

Cantabri.

Indi.

Massilien.

Cretenses.

Galli.

Ægyptii

in lib. de ritu nuptiarum moris fuisse Saxonibus, ait, vxores suas à parentibus emere trecentis solidis. Sed redeo ad Iacob. *Saxones.*

14 Quoniam igitur Iacob ex more illius gentis, pecunias, & munera pro Rachele, quam vxorem ducere cupiebat, patri eius Laban dare debebat; ipse autem pauper erat, atque istiusmodi rerum prorsus inops, eorum vice, ac nomine, septennem ipsi Laban seruitutem obtulit. Verumtamen Laban dupliciter iniquè grauauit, fraudauitq; sanctum virum Iacob: tum quòd finitis quatuordecim annis seruitutis pro cõiugio duarum filiarum eius, seruire insuper eum sibi sex alios annos, quodammodo coegit: tum quòd filiabus suis nihil, dotis nomine dedit, quo scilicet onera matrimonij leuiùs tolerari, ac ferri possent: sed eas indotatas, & quasi nudas dedit genero: immo tãquam seruas vendidit Iacob pro seruitio eius. Quam ob causam illæ de patre suo amarissimè sunt conquestæ, dicentes ea verba, quæ refert Moses infrà cap. 31. *Responderunt*, inquit, *Rachel, & Lia. Nunquid habemus residui quidquam in facultatibus, & hæreditate domus patris nostri? nonne quasi alienas reputauit nos: & vendidit, comeditque pretium nostrum?* Sed enim non est in præteritis relinquendum in hoc loco, quod Iacob septem annorum seruitute obstrinxerit se pro futuro coniugio Rachelis, tanto tempore optatissimas eius nuptias expectans, manifestum est, magnúmque singularis eius viri continentiæ argumentum; præsertim cum assiduè eius aspectu frueretur, & in eodem habitarent domicilio. Verùm omnem in eo libidinis titillationem, tres maximè res, aut prorsus arcébãt, aut planè cõprimebant: sanctissimus Dei timor penitus in animo eius à pueritia vsq; infixus; tũ multus, & assiduus labor, atq; occupatio in exercitio artis pastoralis, ac demũ vitæ frugalitas, victúsq; parcimonia. *Dupliciter Labã iniquè grauauit, & fraudauit ipsum Iacob.* *Singularis cõtinẽtia Iacob.*

Sed quæri posset hoc loco, vtrum Iacob initio illorum septem anno-

15 rum, contraxerit matrimonium cum Rachel in præsens, ita vt iam ex eo tempore legitima eius vxor esset: an tantummodo in futurum, vt tunc facta sit solùm promissio, & pactum ineundi post illud septennium matrimonij, in modum videlicet spõsalium. Breuiter isti quæstioni respondendum est: matrimonium illud esse contractum per verba de præsenti initio illius septennis seruitij Iacob, & fuisse iam tunc ratum, & ex illo tẽpore Rachel fuisse veram, & legitimam vxorem Iacob. Hoc patet ex verbis illis Iacob, quæ hîc paulò infrà memorantur: expleto namque illo septennio, dixit ad Laban: *Da mihi vxorem meam: quia iam tempus impletum est, vt ingrediar ad illam.* Ex quo palam est, Rachelem ante finem septennij, fuisse vxorem legitimam Iacob: nec Iacob expectasse finem septennij, vt matrimonium conficeret, sed vt id consummaret per copulã carnalem. Atenim quia ex pacto inter Laban & Iacob facto, suspensa fuit consummatio eius matrimonij secundùm carnalem copulam, vsque in finem septennij, inde factum est, vt toto eo tempore Rachel maneret in potestate patris, non autem mariti; & quòd Iacob non posset eam cognoscere, quia ipse sibi, data fide, talem vsum matrimonij ad tempus illud interdixerat. Quod si tũc fortè Iacob cognouisset Rachelem, haud dubiè peccasset: quia perfidiosè egisset frangens fidem, qua se obstrinxerat: Si *Quando cõfectum fuerit matrimonium inter Iacob & Rachel.*

tamen tunc filios genuisset, fuissent illi sine dubio legitimi, tanquam ex legitima matre, & legitima vxore progeniti. Sed cur istud fecit Laban, nolens ante completum septennium filiam dare in potestatem Iacob? nimirum callidè istud fecit, optiméque consuluit rebus suis, rarus fore, vt Iacob fidelius, & ardentius seruiret sibi in expectatione, & desiderio potiundæ vxoris, quàm si à primo, amorum suorum potitus esset.

Allegoria Ruperti.

Restat allegorica huius loci, & breuis, miniméque contemnenda Ruperti expositio, quam lib. 7. Comment. in Genes. cap. 29. his verbis tradit. Proprium fuit Patriarchæ Iacob, quod in suscepta peregrinatione pro ducenda vxore, semetipsum tradens spontaneo seruitio, subditus fuit: neque enim hoc de aliquo ceterorum legimus alicubi. Sicut & patris eius Isaac proprium fuit, quod à patre suo Abraham ductus est ad immolandum: & filij eius Ioseph, quòd à fratribus suis venditus, venditoribus suis in fame subuenit, proprium fuit. In quibus omnibus manifestè singuli istorum, quia sterilibus erant matribus, Dei dono geniti, propriam prætulêre similitudinem nascituri de Virgine Filij Dei. Verùm omissis ad præsens aliis, quæramus quænam fuerit seruitus, qua Christus pro Rachele, id est, Synagoga seruiuit? nempe illa, de qua dixit Apostolus: *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: Sed semeipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Annon seruire mundo fuit, pœnitentiam agere, immo, & pœnitentiæ baptismo baptizari propter peccata mundi, vt iuxta Michæam cap. 7. ea proijceret in profundum maris: tandémque in crucem ascendendo seruilia portaret onera sæculi, id est, super se tolleret peccata mundi, quibus erat grauatus? Huius seruitutis merces esse debuit Rachel, id est, Synagoga: illâ namque propter Patres valdè amabat Christus, & propter illam ad seruitutem se venisse testatus est, cum dixit: *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.* Sedenim Laban pro Rachele subintroduxit Liam: quia videlicet subsistente Synagoga, Ecclesia Gentium de toto mundo quasi nescius, ad Christi thalamum introiuit: dum populus quem non cognouerat, vt dicitur psalmo 17. & Gens, quæ secundùm Isa. capite 55. nomen eius non inuocauerat, ad seruitium eius, & ad delicias amoris eius, id est, ad Spiritus sancti gratiam properauit. Sic Rupertus. 16

Genes. 22.
Infrà 37.

Locus Ad Ph. 2.

Ioan. 1.

Mat. 15.

***

TERTIA

TERTIA DISPVTATIO.

Vtrum amor, quo Iacob tantopere dilexit Rachelem, fuerit inordinatus, atque immoderatus, & culpabilis.

Super illis verbis,

Et videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.

TRIA videntur arguere improbitatis amorem illum Iacob. Primò, quia Rachelem tantopere dilexit propter pulchritudinem: & ob eam maximè videtur voluisse habere eā vxorem. Sic enim scriptū est, *Rachel erat decora facie, & venusto aspectu: quam diligens Iacob, ait, &c.* Deinde, illud declarat exuperantiā amoris, quòd vir honestus, & nobilis seruire voluerit septem annis, vt habere vxorem illam posset, idque temporis perexiguum illi videbatur: Tantus scilicet erat amoris ardor. Sic enim loquentem eum facit Scriptura, *Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore, septem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Ac demum illud facere videtur culpabilem amorem Iacob, quòd ob solam pulchritudinem Rachelis, ei longè postposuit Liam, quæ maior natu erat: atque eam despexit præ Rachelis amore. Quod non sine culpa fecisse Iacob, indicat Scriptura, cùm ait: *Videns Dominus quòd despiceret Liam, aperuit vuluam eius, sorore sterili permanente.* Atque hæc sunt, quæ super præsenti disputatione difficultatem afferunt.

17 Verùm antea declarandum est, quomodo, si Iacob ardentissimè diligebat Rachelem, pauci videbantur ei dies, quibus coniugium eius differebatur, cùm ratio doceat contrarium, & comprobet experientia, quinetiā dictum illud Salomonis Prouerb. 13. celeberrimum sit: *Spes, quæ differtur affligit animam.* Nimirum amanti omnis mora longa est. Et ille apud Virgilium amator dicebat;

Quomodo septē annī videbantur Iacob dies pauci, cū vehemēs amor sit impatiens moræ.

Si mihi non hæc lux, toto iam longior anno est.

Terentianus Phædria fortis videbatur sibi, & quasi magnam virtutem prædicabat, quòd totum triduum amoribus suis carere possit.

Tandem ego, inquit, non illa caream.
Si sit opus, vel totum triduum?

Quem deridens seruus eius Parmeno,

Hui, vniuersum triduum? Vide quid agas.

S. Augustinus quæstione octogesima octaua in Genesim breuissimè ponit, & soluit hanc quæstionem. Quærendum, inquit, quomodo dictum sit, quod videbantur ei dies pauci præ amoris magnitudine, cùm potius quantumlibet breue tempus, longum videri soleat amantibus. Dictum est igitur ita, propter laborem seruitutis, quem facilem, & leuem amor faciebat. Hæc Augustinus. Paucos ergo dies interpretatur Augustinus labo

S. Augustinus

labores illorum septem annorum, qui pauci, & parui, & leues visi sunt Iacob. Thomas Anglicus ait: Si amor Iacob fuisset libidinosus, non fuissent visi pauci dies, sed plurimi, eo quòd talis amor, est impatiens moræ, nec rationem attendit: quamuis post factum, multus labor pro amasia iam toleratus, videatur paruus etiam libidinoso amori. Sic ille. Atenim omnis siue probus, siue improbus sit amor, dūmodò intentus, vehemens, & ardens sit, impatiens est moræ. Quare expeditius fuerit ita soluere quæstionem; Tempus illud septenne seruitutis Iacob, dupliciter potest considerari; vel secundùm iudicium, vel secundùm affectum amoris: secundùm iudicium videbantur Iacob pauci dies. Siquidem reputanti secum præstantiam rei amatę, septenne illud seruitium videbatur exiguum pretium, quo tantum illud bonum compararetur. Itaque si Laban viginti annos seruitutis postulasset, ne tam grauem quidem, & diurinā, atque iniquam conditionem recusasset Iacob. At verò secundùm affectum, id est ardoré amoris, & flagrantissimum desiderium cupito bono potiundi, non pauci, sed plurimi videbantur dies. Enimuerò vehementer quidpiam desiderāti, velocitas ipsa tarda est. Si loqui lubet more Scholastico, breuiter expedies quæstionem, si dicas, appretiatiuè paucos visos esse Iacob dies: affectiuè verò, plurimos.

Thomas Anglicus.

Expeditior solutio quæst.

Sed principalem quæstionem illam suprà positam enodemus: An fuerit culpabilis amor, quo Iacob dilexit Rachelem propter eius pulchritudinem. Thomas Anglicus tribus modis purgat à vitio amorem illum Iacob. Aliud est, inquit, propter se, & principaliter in pulchritudinem alicuius corporalem ferri tanquam mouentem ad impudicas voluptates, & ad virilem animū eneruandū: & hoc, malum & culpabile est. Aliud verò est in pulchritudinem alicuius personæ ferri, vt ea moueat ad honestam societatem, & amicitiam habendam cum ea. Et hoc, malum non est; Videmus enim eum, qui multos filios habet, vel amicos vel socios, moueri ad diligendum vnum eorum præ alijs, propter decorem corporis, aut hilaritatem, aut festiuitatem. Et Hugo de S. Victore in quodam suo libro scripsit: Quemadmodum idem ferculum placet magis in patina munda, & eleganti, quàm contra: Sic etiam æqualis caritas, & virtus plus nobis placet, & vehementius nos ad sui amorem allicit, si fuerit in persona, quæ habeat suauem vocem, venustos gestus, lepidum sermonem, quàm in persona rusticana, & agresti. Deinde, sciendum est, esse quædam genera rerum, in quibus exercendis necessarium est esse nonnihil voluptatis, qua fiant delectabiles; sine qua, vix possent ad effectum, & finem suum perduci. Vnde Augustinus in libro Confessionum ait, In actu comedendi opus esse aliqua iucunditate gustus: nam sine ea, neque corpus reficeretur, nec cibus gustari, aut deglutiri posset, nisi ad modum medicamenti, quod cum horrore sumitur. Idem vsu-venit in exercitio discendi: nisi enim, quæ audiuntur, & leguntur, & discuntur, delectabilia fuerint, aut nemo eis studebit, aut in eorum studio diu non permanebit. Est autem de istiusmodi rerum genere, ac numero actus coniugalis generatiuus prolis. Quocirca adiunctas eiusmodi actibus iucunditates, non prorsus

Thomas Anglicus.

Hugo S. Vict.

B. Augustin.

auer

auersari, & damnari, sed moderari secundum rationem oportet; quod in his vitiosum est, detestando; nec eas propter se, sed vt molestiæ operis leuamenta, & quasi condimenta quædam ciborum expetenda. Illud præterea non est ignorandum, egregios virtute, ac perfectos viros in circunstantijs quibusdam suorum operum interdum debilitari, ac deficere, etiam respectu eorum operũ, quæ alioquin perfectè admodum exercent. Exempli causa: Sunt aliqui iustitiæ, ac veritatis præferuidi Zelatores: qui tamen ex nimio zelo nonnunquam impetu potius quodam, quàm iudicio feruntur ad reprehendenda, & castiganda vitia, & in ea re modum excedunt. Sunt etiam Sancti quidam viri multùm liberales erga pauperes, & hospitales; qui tamen nonnunquam, vel in ipso dono, vel in lætitia, & hilaritate accipiendi, tractandique hospites, modum transgrediuntur. Huiusmodi porrò excessus, siue defectus; partim propter ipsius operis perfectionem, & aliarum circumstantiarum excellentem bonitatem, excusantur: partim processu temporis, & continuo incremento virtutis expurgantur, & expiantur: partim verò per alias perfectiones ceterarum virtutum, & operum, quodammodo compensantur. Ergo iuxta tres modos præditos, amor Iacob erga Rachelem æstimari, & excusari debet. Hactenus ex Thoma Anglico.

19 Equidem breuissimè quæstionem istam sic expedirem: Velle vxorem ducere propter pulchritudinem, quò scilicet in pulchra vxore voluptuosiùs libidinari, & oblectari quis possit, flagitiosum est. Etenim primarius finis ineundi matrimonij, est prolis generatio: Secundarius, euitatio fornicationis. At, spectato, & sibi proposito eo, quem diximus, matrimonij fine, hanc fœminam vxorem velle ducere, potiùs quàm illam, quòd hæc pulchra sit, & amabilis, illa minimè, extra vitium, & culpam est. Amatur enim pulchritudo non per se, neque vt ad improbas ducens voluptates: sed quòd vir habens pulchram vxorem libẽtius cum ea viuat, & tranquilliorem, ac iucũdiorem cum ea societatem, & consuetudinem habeat: & vt pulchra vxore contentus, ad alias mulieres animum non adijciat; non alienum torum appetat. Et hanc rationem secutum esse Iacob, non obscurè indicat historia huius loci. Cum enim duæ essent sorores, quarum coniugia inire posset, Lia, & Rachel; & hæc decora esset facie, & venusto aspectu, illa verò ob fœdam oculorum lippitudinem, inelegans, atque inamabilis; Rachelem magis dilexit, & vxorem præoptauit, quàm Liam. Intelligendum porrò est, pulchritudinem, bonum quoddam esse naturæ, & in bonis naturalibus, & corporalibus permagnum, & peramabile. Nimirum, de tribus bonis humani corporis, sanitate, robore, pulchritudine, hæc ceteris amabilior est, hominúmque demerendi beneuolentiam, & gratiam efficacior. Plato vocauit eam principatum naturæ: Carneades, regnum sine custodibus: Cuius simile illud Socratis fertur, appellantis Tyrannidem non diuturnam. Aristoteles pulchritudinem potiorem omnibus epistolis in commendando esse dicebat. Et interrogatus cur tam libenter pulchros videamus, & cum his loquamur; respondit, cæci esse hominis talem interrogationem. Ergo in amanda pulchritudine

Auctoris sententia.

Quale bonũ pulchritudo
Plato.
Carneades
Socrates.
Aristoteles.

non est peccatum, sed in modo tantùm amoris, si ea nimirum, præter modum ametur; si quæratur respectu cuiuspiam mali; si fuerit cum alterius contemptu, & iniuria. Scitum enim est quod scribit Aristoteles lib. 7. Ethic. cap. 4. Quasdam esse res, quarum amor bonus, & laudandus est, sed amoris exuperantia obnoxia est vitio. Quemadmodum Niobe nimio filiorum amore excessit vsque in contemptum Deorum: & quidam, cui nomen Satyrus, patris amore furebat, & insaniebat: his enim duobus exemplis in eo loco, vtitur Aristoteles.

VERSV 22 Qui vocatis multis amicorum turbis ad conuiuium, fecit nuptias.

Thostatus. LICET de substantia matrimonij, inquit Thostatus, non sit celebritas nuptialis, magna tamen in ea est honestas, & decentia, & ingens Reipublicæ vtilitas, tum quò matrimonialis contractus testatior, & firmior existat; tum quò filij cognoscantur legitimi, & liquidò discernantur ab illegitimis: quam etiam ob causam Ecclesia iubet matrimonia publicè denunciari facienda, & publicè fieri. Sed perpendamus verba. Nec est Hebraicè, nec Chaldaicè illud, *Fecit nuptias*, id enim Latinus Interpres ex lxx. Interpretibus mutuatus est. Sic autem Hebraicè legitur hic locus: *Congregauit Laban omnes homines loci, & fecit conuiuium.* sed enim interpres Latinus illud: *Omnes homines loci.* quod etiam habent lxx. Interpretes, commodè interpretatus est illis verbis, *Vocatis multis amicorum turbis*: non enim omnes simpliciter Laban vocauit ad conuiuium, sed cognatos, amicos, & familiariter notos; vt locutio Græca & Hebraica hoc loco sapiat hyperbolem. Quoniam verò conuiuium illud erat nuptiale, atque eius finis erat tradere publicè nuptam filiam in potestatem viri: rectè additum est Græcè ac Latinè illud. *Et fecit nuptias*, Nimirum in principio septennis seruitutis Iacob, confectum est matrimonium inter Iacob & Rachelem, quantum ad substantiam; & ex eo tempore, ratum fuit matrimonium, & Rachel vera eius vxor, & exacto septennio, perfectum est matrimonium quantum ad consummationem eius per copulam carnalem. Hoc enim petijt Iacob à socero suo Laban, finito septennio seruitutis dicens: *Da mihi vxorem meam: quia iam tempus impletum est, vt ingrediar ad illam.* Pro Latina voce (nuptias) Græcè est vocabulum γάμος, quæ vox teste Iulio Polluce, & nuptias significat, & conuiuium. γάμος, inquit (quod Latinè dicimus nuptias) non solùm vocatur vnio & congressus viri, ac mulieris, sed etiam conuiuium ipsum ea voce appellatur ab Homero.

Iulius Pollux.

Conuiualis nuptiarum celebritas, quàm fuerit antiquitus solennis.

Nuptias porrò conuiuali lætitiæ celebrari solicitas non modò apud Ethnicos, vt ex multis eorum historijs notum est; verùm etiam apud Iudæos, satis liquet ex historia Euangelica, vt de nuptijs factis in Cana Galilææ Ioan. 2. Idque patet ex duabus parabolis Domini nostri, quarum alteram refert Matthæus capite 22. alteram Lucas cap. 14. Idémq; cernere est in veteri Testamento pluribus locis, velut in libro Iudicum cap. 14. Et in libro

libro Tobiæ cap. 9. Nec solùm in nuptijs agitabantur conuiuia, sed ludi adhibebantur,& ioci, & sales,ac saltationes, & cantus,variiq; musicorum instrumentorum soni, etiam in antiquissimis illis temporibus: Homerus quippe nuptias filiæ Menelai describens:Et hi quidem, ait,epulabantur in magna domo vicini, atq; socij illustris Menelai: inter eos autem canebat diuinus cantor pulsans citharam: duo autem saltatores in ipsis cantum incipientes, colluctabantur per medios. Et alio loco:Duas, inquit,ciuitates fecit hominum mortalium pulchras, & in hac quidem nuptiæ erant, & conuiuia. Pueri autem saltatores colluctabantur, in his tibiæ lyræque vocem habebant,&c.

Homerus. Odyss. 4.

Iliad. 6.

22 Solebant nonnunquam nuptialia conuiuia vsque in luxum prope immensum excedere:quod vnius exemplo Alexandi Magni manifestum fieri potest. Ponam verba Æliani ex libro eius octauo de Varia Historia,quibus nuptias celebratas ab Alexandro post victum Darium Regem Persarum,in hunc modum enarrat:Cum Alexander Darium superasset,suas,& & amicorum nuptias celebrauit. Erant, qui vxores ducebant,nonaginta, totidémque thalami. Eratque locus vbi viri conuiuabantur,lectis centum ornatus, & argenteus tripes in vno quoq; positus; in Alexandri verò, aureus:omnésque mensæ stratæ purpura, & pictis stragulis barbarico more, & pretioso textis. Ad conuiuium quoque adhibuit suos hospites, quos è regione voluit accumbere. In aula conuiuabantur copiæ pedestres, nauales,equites,legati,& peregrini Græci. Tubæ signo accumbebant,eodémque,sed vario, finem esse significabatur. Quinque integros dies, propter nuptias, sacris operam dedit. Interfuerunt etiam cantores, actorésque multi Comœdiarum,& Tragœdiarum:Indici quoque præstigiatores,qui in ea arte ceteris eo tempore præstabant,dicuntur affuisse. Sic Ælianus.

Alexandri Magni nuptiale conuiuium ex Ælia no.

23 Sed enim Plato,vt è nuptijs luxum penitus tolleret,& conuiuij nuptialis sumptus minueret, moderatus est numerum conuiuarum. Sic enim in libro quinto suarum legum de conuiuijs nuptialibus præcipit, Amicos quidem, & amicas non plures quinque, ex vtraq; parte conuocare liceat; Consanguineorum verò, & domesticorum, itidem tot ex vtraque parte accersere. Sumptus verò,quàm cuiusque fortuna,maior non erit.Ebrietatem porrò arcendam esse à nuptijs, præsertim verò à Sponso, & sponsa, quos maximè in nuptijs sobrios esse decet, his verbis docet in eodem libro:Bibere vsque ad ebrietatem, neque vsquam fas est, nisi in festis Dei, qui vinum dedit:& id maximè alienum est à nuptiis:in quibus potissimum esse prudentes decet Sponsum, & sponsam, vt qui iam vitæ non paruam incipiant mutationem, simúlq; vt fœtus quàm maximè à prudentibus nascatur. Hæc Plato.

Quemadmodū Plato sumptus minuerit nuptialium conuiuiorum.

***

QVARTA DISPVTATIO.

De fraude, quam Laban fecit genero suo Iacob, Liliam introducens ad eum pro Rachele.

Super illis verbis.

VERSV 23 Et vesperi Liam filiam suam introduxit ad eum: dans ancillam filiæ, Zelpham nomine.

Cur vespere sponsa ducebatur in domum viri. Prima quæstio.

IN huius disputationis tractatu tres quæstiones explicandæ 23
sunt. Quarum prima, hæc est: Cur vespere sponsa ducebatur ad virum eius? Responsum in prompu est: nimirum sic antiquitus in more fuit: quapropter etiam apud Græcos, & Romanos, sponsa sub noctem accensis, & prælucentibus facibus, ducebatur in domum viri. Quinque porrò faces è spina alba confectæ à pueris patrimis, & matrimis præferebantur, quas vocabant nuptiales, siue geniales tædas. Huius verò consuetudinis duplicem fuisse rationem coniicere possumus; alteram, quia nuptiale conuiuium sub noctem fiebat, & in longum protrahebatur: pòst, deinde sponsa in ædes viri ducebatur. Id quoque institutum, & obseruatum reor, pudoris & verecundiæ causa, qui quasi pro integumento sunt nocturnæ tenebræ. Tunc enim sponsa tradedatur in potestatem mariti, mox ab eo virginitatis flore priuanda. Namque ob hanc etiam pudoris causam, moris fuit, vt ne sponsa pedibus suis viri domum ingrederetur, sed manibus aliorum sublata, illuc inferretur: vt ea re significaretur, auctore Plutarcho in Romanis quæstionibus, eam inuitam illuc ire, vbi esset virginitatem amissura. Quinetiam eiusdem pudoris gratia, velata facie tunc incedebant; vnde scilicet nuptiarum nomen ductum est, ab obnubendo, id est tegendo, & velando. Sed fuit præterea Laban propria, vt id faceret causa; quò facilius, quem ipsi Iacob struebat dolum, supponendo ei pro Rachele Liam, in tenebris nocturnis exequeretur.

Plutarchus.

Secunda quæstio.

Altera quæstio est, quomodo Lia sustinuit ingredi à Iacob, cuius scie- 24
bat se non esse vxorem, & cuius illicito congressu flagitiosè amissura erat virginitatem, mulieris nempè optimam, & præstantissimam dotem? Respondeo, Liam esse id facere ausam, tum patris non solùm cõsilio, & monitu, sed etiam mandato, præceptoque impulsam: patris autem voluntati omnino esse obsequendum putauit. Confidit præterea fore, vt se postmodum in vxorem Iacob acciperet, siue casum eius, & conditionem miseratus, ne videlicet ab eo repudiata, maneret in posterum innupta, & ludibrio, atq; infamiæ obnoxia. Ad id præterea vehementer incitata est desiderio prolem ex Iacob suscipiendi, vtpotè quem videbat esse insignem virum, honoratum ab omnibus, Deiq; gratia prœditum, ob idque prosperè omnia agentem: eiúsq; posteritati amplissima data esse à Deo promissa, sæpius inaudierat. Verumtamen Lia, sine dubio grauiter peccauit, voluntariè

tariè ſtuprum paſſa, & quantum in ipſa fuit, etiam Iacob inducens ad committendum adulterium, & probabili admodum periculo perpetuæ in poſterum infamiæ ſeipſam committens.

Tertia quæſt. Quàm graue fuerit & multiforme peccatum Labã.

25 Tertia quæſtio. Quot modis, & quàm grauiter peccauit Laban, pro Rachele fraudulenter ſupponens Liam. Peccauit ille primum perfidiæ crimine; quia contra datam fidem, in tempore, pacto conſtituto, non dedit Rachelem vxorem Iacob, ſed Liam, de qua nullum inter eos pactum, & conuentum fuerat. Deinde, Laban quodammodo coëgit ipſum Iacob facere matrimonium cum Lia, quod ipſe non quæſierat, nec optauerat: compulítque, ſibi eum alios ſeptem annos ſeruire. Præterea, Laban facti ſui cauſam mendaciter attribuit conſuetudini illius terræ; cum vera cauſa fuiſſet, vt Liæ coniugium obtruderet Iacob, & quo diutius eum in ſeruitio ſuo detineret. Ad hæc, quantum in ipſo fuit, induxit Iacob ad ſtuprum, deflorandam ſubiiciens ei virginem, quæ non erat vxor eius: immò ad adulterium, quia Iacob erat iam coniugio Rachelis adſtrictus: quin etiam induxit ad inceſtum: ſiquidem Lia, cum ſoror eſſet Rachelis, veræ vxoris Iacob, in primo affinitatis gradu attingebat ipſum Iacob. His quoq; acceſſit crimen pellicatus: Lia quippe, extra coniugium mixta cum Iacob marito Rachelis, fiebat eius pellex. Poſtremo, in maximum dedecoris, & infamiæ diſcrimen obiecit Laban eo facto filiam ſuam Liliam. Nam ſi Iacob noluiſſet eam ducere vxorem, vt iure poterat nolle, manſiſſet Lia probroſa, & infamis, per flagitioſum ſtuprum, atque inceſtum amiſſa virginitate, nec amplius fuiſſet idonea, vt honeſto alicui viro poſſet nubere. Sed cur Laban dedit Liæ ancillam, nomine Zelpham? In obſequium videlicet eius, & famulitium, & vt quæ futura erat domus, ac familiæ Iacob domina, haberet ancillas, quarum miniſterio multa faceret, quæ per ſe ipſam facere indecens fuiſſet. Dedit præterea in ſolatium; vt ſi fortè in longinquas regiones, ignotaſque gentes à marito ducta fuiſſet, haberet inibi de ciuibus, & domeſticis ſuis antiquis, quicùm fidenter, ac familiariter, & iucundè confabulari poſſet. Factum iſtud Laban, etiam nunc imitandum eſſet: conduceret enim multum, quo pauperculæ virgines, in familiam locupletum, & nobilium fœminarum receptæ, honeſtiùs alerentur, boniſq; artibus ex vſu poſtea futuris, probè inſtituerentur.

Cur Laban dederit ancillam filiæ ſuæ Liæ.

QVINTA DISPVTATIO.

Super illis verbis,

Ad quam cum ex more Iacob fuiſſet ingreſſus, facto manè vidit Liã: & dixit ad ſocerum ſuum, Quid eſt hoc quod facere voluiſti? nónne pro Rachele ſeruiui tibi? quare impoſuiſti mihi? Reſpondit Laban: Non eſt in loco noſtro conſuetudinis, vt minores antea tradantur ad nuptias. Imple hebdomadam dierum huius copulæ: Et hanc quoque dabo tibi pro opere, quo ſeruiturus es mihi ſeptem annis alijs.

VERS. 25. 26. 27.

Prima quæst.

Hæc verba tres ferunt quæstiones. Primò quæritur, quî fieri potuerit vt Iacob per totam illam noctem non ex tactu, non ex voce cognouerit Liam, & à Rachele discreuerit, præsertim tot iam annos in earum domo versatus. Iosephus libro primo Antiquitatum, causam ignorantiæ Iacob refert, tum ad nocturnas tenebras, tum ad ebrietatem, quod in cõuiuio nuptiali, multo largius solito bibisset. Sed cum alium eius rei, commodiorémque inueuenire exitum possimus, quid attinet sanctissimo viro temulentiæ crimen impingere? Ergo ne Liam de facie cognosceret Iacob, causa fuit in tenebris nocturnis, & quòd ad ipsum velata facie, vt moris erat, deducta esset, & in cubiculum, & cubile collocata. Quod autem Lia ex voce, & nomine non fuerit à Iacob cognita, id perpetuo Liæ silentio factum est, quod virginali pudori, ac verecundiæ Iacob tribuebat: sed Lia id facere à patre docta, & iussa fuerat. Atq; hic error, castissimi, & pudentissimi animi eius magnum est argumentum: Quippe qui tantùm spectando solidum coniugij fructum, generationem prolis, non blanditijs vsus est cum Lia meretricijs, nec lasciuos adhibuit tactus, nec amatorios miscuit sermones: quòd alij facere solent, quo vehementiùs libidinem inflamment, amplioríque perfundantur voluptate. Hæc Iacob penitus abhorrens, eo solùm animo, eóque modo coniugalem copulam exercuit, vt generationi filiorum conducere posse existimabat.

Iosephus.

Singularis castitatis Iacobi.

Secũda quæst.

27 Altera quæstio: An excusatio Laban ex consuetudine illius regionis petita, fuerit probabilis. Erat quidem illa consuetudo satis bona, & probabilis, hodieque, quoad fieri possit, obseruanda: verùm ea, quod fecit Laban, nequaquam excusare, ne dum honestare potuit: si quidem Labã non vt oportuit, sed flagitiosè, atque iniquè tali consuetudine vsus est. Nulla quippe consuetudo contra ius naturale, vel primùm induci, vel iam inducta seruari debet, tametsi antiquissima sit, diutissimeque viguerit. Immò verò consuetudo contraria legi naturali, tanto peior est, quanto antiquior, & diuturnior: sicut & ipsum peccatum, quod vetustate, & diuturnitate non eleuatur, nec minuitur, sed augescit etiam magis, atque ingrauescit. Fornicari porrò, & adulterari, manifestè aduersantur legi naturali, cùm ea sint in præceptis Decalogi nominatim interdicta. Nulla igitur consuetudine licet hæc facere, vel ad ea facienda quempiam inducere. Consuetudo erat, filias natu maiores tradere nuptum ante minores: verùm illæ priùs desponsabantur, & apertè tradebantur marito: vt autem marito non volenti, nec scienti latenter, ac fraudulenter iungerentur, nullis antè præmissis coniugij pactis, nullísque sponsalibus, nec mutuò vtrinque postulato consensu, id sanè nulla ferebat consuetudo. Quid multa? fallacia, & fraus Laban, ex eo apparuit euidenter, quòd Iacob ignarus illius consuetudinis, expetijt coniugium Rachelis minoris filiæ Laban: neq; tunc dixit ei Laban, obstare ei rei consuetudinem, sed protinus petenti Iacob assensus, confecit matrimonium. Postea verò per fraudem Liam pro Rachele suppositit ei, de cuius matrimonio nullum antea pactum, nullúmque verbum factum fuerat.

Tertia

Tertia quæstio, quid significare voluerit Laban illis verbis, *Imple hebdomadam dierum: & hanc quoq; dabo tibi.* Quidã putant eorũ verborum hanc esse sententiam: Exple alterum septenarium annorum, seruiendo mihi, & postea tradam tibi Rachelem in matrimonium. Verùm hanc interpretationem meritò abiecerunt Hieronymus in traditionibus in Genesim super hunc locum, & Augustinus quæst. 89. in Genesim. Enimuerò narratio ipsa Mosis, quæ est in hoc loco, trifariam, & apertè istam opinionem refellit. Etenim dicit: *Imple hebdomadam dierum*, non autem annorum: quare septem dies, non autem septem anni expectandi erant Iacob, dum ei traderetur Rachel. deinde Laban dixit: *Et hanc dabo tibi pro opere, quo seruiturus es mihi alijs septem annis.* Non dixit dabo tibi eam, postquam seruieris mihi septem alios annos: quare Rachel tradita est Iacob, ante septem annos seruitutis. Idem præterea liquet ex illis verbis: *Tandémque potitus optatis nuptijs, amorem sequentis priori prætulit, seruiens apud eum septem annis alijs.* Priùs igitur Iacob potitus est nuptiis Rachelis, & posteà seruiuit septem annis. Nimis enim, inquit Augustinus, durum & valdè iniquum fuisset, vt fallaciter deceptum Iacob, vellet adhuc Laban differre septem alios annos, & tunc ei dare Rachelem, quam primò tradere debuisset. Est igitur eorum verborum hæc sententia, Imple hanc Septiduanam nuptiarum celebritatem pro Lia, qua finita, dabo tibi vxorem Rachelem, sub promissione alterius Septennij, quo mihi pro ea seruiturus es. Similiter exponit Hieronymus ita scribẽs: Postquam Liam Iacob fraude deceptus, pro Rachele vxorem acceperat, dicitur ei à socero Laban, vt septem dies pro nuptijs prioris sororis expleat, & sic accipiat Rachelem, pro qua iterum septem annis aliis seruiturus sit. Non igitur, vt quidam malè existimant, post septem annos alios, Iacob vxorem accepit Rachelem, sed post septem dies nuptiarum prioris vxoris: nam sequitur, *Et ingressus est ad Rachel, & dilexit Rachel magis, quàm Liam, & seruiuit ei septem annis alijs.* Sic Hieronymus.

Tertia quæst.

S. Hieronym.
S. Augùst.

26 Adnotauit Sanctus Augustinus, quæstione 89. in Genesim, durasse in eo tempore, & apud illas gentes septem diebus celebritatem nuptialem. Nam præter hunc locum Genesis, id etiam perspicuè indicat locus ille, qui est in libro Iudicum cap. decimo quarto. Vbi sic est: *Descendit pater eius ad mulierem, & fecit filio suo Samson conuiuium, sic enim iuuenes facere consueuerant. Cum ergo ciues loci illius vidissent eum, dederunt ei sodales triginta, qui essent cum eo. Quibus locutus est Samson: Proponam vobis problema, quod si solueritis mihi intra septem dies conuiuij, dabo vobis triginta Sindones, & triginta tunicas &c.* Apud Græcos, tres dies nuptiales celebrabantur; vnus pridie nuptiarum, alter postridie, tertius erat dies, in quo sponsus in soceri domo à sponsa accipiebatur. Hi dies à Iulio Polluce sic appellantur Græcè; προαύλια, ἐπαύλια, ἀπαύλια. Apud Romanos verò postridie nuptiarum, apud nouum maritum cœnabatur, quod illi appellabant, Repotia, quia pridiana potatio, quasi reficeretur.

Augusſt.

Quot dies antiquitus duraret celebritas nuptiarũ. Locus libri Iudicum c. 14.

Iulius Pollux.

SEXTA

SEXTA DISPVTATIO.

An Tetragamia Iacob fuerit licita, & honesta.

NARRAT in hoc loco Scriptura, Iacob quatuor duxisse simúlque habuisse vxores: duas sorores, Liam, & Rachelem; 30
duas item earum ancillas, Zelpham, & Balam. Hæc historia duas habet quæstiones: Vnam, An talis polygamia fuerit eo tempore licita: Alteram, An id fuerit indicium, Iacob fuisse libidinosum, & salacem. Priori quæstioni sic est respondendum: Nullo modo esse dubitandum, fuisse eo tempore licitam polygamiam: hac nempe viri sanctissimi, & præter cæteros in Scriptura laudati, Abraham, Iacob, Moses, & Dauid vsi sunt. Licitam porrò fuisse in tempore legis Mosaicæ, tum exemplis multorum constat, tum ex libri Deuteronomij cap. vigesimo primo, non obscurè colligitur. Accedit Beati Hieronymi auctoritas in
S. Hieronym. epistola octogesima tertia, quæ scripta est ad Oceanum, ad hunc modum aientis: Sciebat Paulus, lege cõcessum, & exemplo Patriarcharum familiare fuisse populo Hebræo nouerat, in multis vxoribus liberos spargere. ipsíque sacerdotibus, huius licentiæ patebat arbitrium.

S. Augusti. B. Augustinus libro 22. contra Faustum capite 47. respondens Fausto 31
Manichæo, Polygamiam, pro magno crimine sancto Patriarchæ Iacob, impudentissimis verbis obiectanti, hunc in modum scribit, Quando mos erat, crimen non erat: & nunc propterea crimen est, quia mos non est. Alia enim sunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. Quæ cum ita sint, quid tandem criminis est, quod de pluribus simul habitis vxoribus obiicitur sancto viro Iacob? Si naturam consulas, non lasciuiendi, sed gignendi causa illis mulieribus vtebatur. Si morem, illo tempore, atque in illis terris hoc factitabatur, Si præceptum, nulla lege prohibebatur. Nunc verò cur crimen est si quis hoc faciat; nisi quia & moribus, & legibus non licet? Quæ duo quisquis contempserit, etiamsi tantummodo causa generandi vti possit pluribus fœminis; peccat tamen, & ipsam violat humanam societatem, cui necessaria est procreatio liberorum. Sic Augustinus. Idem libro tertio de Doctrina Christiana capite duodecimo, sic ait: Sufficiendæ prolis causa, erat vxorum plurium simul vni viro habendarum inculpabilis consuetudo. In huiusmodi autem vxoribus quicquid illorum temporum sancti viri non libidinosè faciebant, quamuis ea facerent, quæ hoc tempore nisi per libidinem fieri non possunt non culpat Scriptura. Sicut enim talares, & manicatas tunicas habere, apud Romanos veteres flagitiũ erat: nunc autem honesto loco natis, non eas habere, flagititiosum est; sic animaduertendum est, in cetero quoq; vsu rerũ abesse oportere libidinẽ, quę non solùm ipsa eorũ inter quos viuit cõsuetudine nequiter abutatur, sed etiã sæpe fines eius trãsgressa, fœditatem suam, quæ intra claustra solemnium morum latitabat,
Id. Augùst.

flagi-

flagitioſiſſima eruptione manifeſtat. Hæc Auguſtinus. Verùm quod ille quaſi obiter dixit de tunicis manicatis, id apertiùs enarrans Gellius libro ſeptimo, capite duodecimo, Tunicis, inquit, vti virum prolixis vltra brachia, & vſque in primores manus, ac propè in digitos, Romæ, atque omni in Latio indecorum fuit. Solis namque fœminis veſtem longè, latéque diffuſam, non indecoram exiſtimauerunt, ſed vlnas, cruráque aduerſus oculos protegenda. Viri autem Romani, primò quidem ſine tunicis, toga ſola amicti fuerunt, poſtea ſubſtrictas, & breues tunicas citra humerum deſinentes habuerunt: quod genus Græci dicunt, ἐξωμίδας Hæc Gellius.

An Polygamia ſit contra naturam.

32 Si quis porrò ex me quæreret, an concubitus carnalis cum multis vxoribus per ſe ac citra vllam diſpenſationem, dici debeat contra naturam; huic ego ſic reſponderem. Tribus modis dici poteſt concubitus carnalis eſſe contra naturam: primò dicitur contra naturam, quia eſt contra principalem finem naturæ in concubitu carnali; is autem eſt generatio prolis. Atque hac ratione concubitus viri cum viro, eſt omnino contra naturam, & ſic appellat eum Scriptura in libro Iudicum cap. 19. Cum enim ſenex quidam reuocare vellet Gabaonitas ab eiuſmodi ſcelere patrando cũ hoſpite ſuo, dixit eis: *Habeo filiam virginem, & hic homo habet concubinam, educam eas ad vos, vt humilietis eas, & veſtram libidinem compleatis: tantum obſecro ne ſcelus hoc contra naturam operemini in virum.* Altero modo carnalis concubitus dicitur contra naturam, quia eſt contra rectum ordinẽ naturæ, ſecundùm quem in concubitu carnali debet intendi generatio prolis, non autem delectatio, quæ actum illum conſequitur, vel comitatur. Exempli gratia, qui cum meretrice fornicatur, licèt poſſit eo modo generare prolem, id tamen ille nequaquam intendit, ſed voluptatem ſolùm, & delectationem. Atqui hi duo modi concubitus carnalis ita ſunt contra naturam, vt ſint indiſpenſabiles, nec liciti eſſe poſſint. Tertio modo dicitur concubitus, vel coniunctio viri cum fœmina eſſe contra naturam, quia eſt contra conuenientiſſimum modum, & perfectiſſimam rationem naturæ in concubitu matrimoniali viri cum fœmina: is autem modus eſt, vt vnus vir ſit vnius vxoris. Namque hoc modo Deus ab initio inſtituit matrimonium, vni Adam vnicam tantùm fœminam Euam dans in matrimonium: cum tamen maximè tunc neceſſaria videretur polygamia, propagandi humani generis gratia. Et hic modus, diſpenſabilis eſt: eam verò diſpenſationem primùm factam eſſe poſt diluuium Noë pro eius poſteris, oſtendimus in Tertio Tomo ſuper caput decimo ſexto numero 17.

Locus libri Iudicũ c. 19.

Geneſ. 2.

Secunda Quæſtio.

33 Altera quæſtio, An iſta polygamia Iacob, arguat hominem voluptarium, & libidinoſum? Minimè, etenim Iacob vnam duntaxat Rachelem ducere voluit vxorem: atque ea vna contentus fuiſſet. Liam autem duxit, tum miſeratione, ac pietate adductus, ne cui per ignorantiam abſtulerat virginitatem, niſi eam duceret vxorem, in perpetuo dedecore, atque infamia relinqueret: tum id fecit neceſſitate quodam modo coactus, propter importunitatem videlicet, & perfidiam Laban: non aliter vtique optatam, pactámque Rachelem accepturus ab eo, niſi coniugem acciperet

Liam. Ancillas porrò non sponte voluntatis suæ, sed vxorem inductu atque impulsu sibi iunxit matrimonio. Sic enim de Rachele initio capitis trigesimi scriptum est: *Cernens Rachel quòd infœcunda esset, inuidit sorori suæ, & ait marito suo, Da mihi liberos, alioquin moriar. Cui iratus respondit Iacob, Num pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu ventris tui? At illa. Habeo*, inquit, *famulam Balam: ingredere ad illam, vt pariat super genua mea, & habeam ex illa filios, deditque Balam in coniugium, &c.* Similiter fecit Lia tradens Iacob, vt ancillam suam nomine Zelpham, acciperet coniugem. Sic enim eodem in capite paulò infra scribit Moses: *Sentiens Lia, quod parere desiisset: Zelpham ancillam suam marito tradidit.* Sed cur voluit Deus vxores habere Iacob duas sorores? Nimirũ quòd populus Dei ex vno Iacob totus propagandus, propter maternæ originis coniunctionem, arctissimo inuicem vinculo necessitudinis deuinctus, mutuo amoris & concordiæ affectu vehementiùs contineretur.

Verùm superiorem nostram purgationem Iacob ab intemperantia libidinis ob vxorum multitudinem, Theodoreti auctoritate confirmare possumus: qui super hac ipsa re disputans in quæstione 84. in Genesim, his verbis scribit: multi sibi prætexunt occasionem lasciuiæ, quòd quatuor vxores Iacob habuit: verùm vniuscuiusque facti scopus præcipuè spectandus est: sic enim iudicantes, reperiemus Iacob solam sibi Rachelem deponsasse, & præter animi voluntatem Liam attigisse. Mox igitur, vt dolum sensit, ægrè tulit, & cum socero questus est. Balæ verò permixtus est non voluptatis gratiâ, sed vt coniugem placaret. Nam cum Rachel angeretur, quòd liberis careret, stolidéque diceret: Da mihi liberos, alioquin moriar: piè obiurgans eam Iacob, docuit quisnam esset naturæ creator, & quòd nuptiæ non darent liberos, sed qui nuptijs legem posuit Deus: dixit enim ad illam: *Numquid ego sum tibi pro Deo, qui te fructu ventris tui priuauit?* Verumtamen volens eam placare, postulationi annuit: petierat enim, vt ancillæ suæ iungereretur, vt puerum inde natum vocaret suum. Idem, & in altera ancilla, cui nomen Zelpha, contigit. Cum enim Lia parere desijsset, rogauit eum, vt in agrum illum semen suum immitteret: quod quidem nullam libidinem denotat, sed viri mansuetudinem vxoribus suis gratificari cupientis. Ad hæc, illud aduertendum est, tunc temporis non datam fuisse vllam legem, quæ multiplices nuptias prohiberet: & quòd felicissimi tunc existimabantur, qui multorum liberorum patres erant. Nam pro maximo bono Deus sæpius Abrahæ promisit multiplicationem seminis, vt Genes. 13. 15. 17. 22. idémque promissum dedit Isaac Genesis 26. & Iacob Genesis vigesimo octauo. Nihil autem tale illis promisisset, nisi copiosam sobolem, quàm maximum bonum esse existimasset. Hactenus ex Theodoreto.

34

Theodore.

SEPTIMA DISPVTATIO.

An quemadmodum vnius viri coniugium cum pluribus fœminis licitum aliquando fuit, & honestum: Ita vicissim vnius fœminæ coniugium cum multis viris fuerit vllo tempore licitum, aut esse possit.

35 NVNQVAM tale coniugium fuit licitum. Principio, id repugnat dignitati sexus virilis, vir enim vt ait Paulus 1. ad Corinth. xi. caput est mulieris: at esse plura capita prima, & principalia vnius, & eiusdem, pluráque vnius rationis principia eiusdem rei, & prima, & proxima, & æquè perfecta non fert rerum natura. Deinde, pax, & tranquillitas, bonáque dispositio œconomicæ gubernationis nulla esse posset: quot enim capita, tot sententiæ: quisque autem eorum virorum, quod sibi visum, & liberum esset, mãdaret vxori, & idem fieri vellet, nec alter cederet alteri. Sæpe item eueniret, vt plures eodem tempore debitum peterent ab vxore, quibus illa simul satisfacere non posset, vnde contentiones, & altercationes inter ipsos. Præterea, id planè cõtrarium est fini, quem natura intendit in matrimonio, generationem dico prolis. Nam mixtio inuicem, & confusio diuersorum virilium seminum in eadem muliebri vulua, planè corrumpit virtutem seminis proliferã, vt animaduertere est in meretricibus. Quare mulier pluribus nubens viris, non id faceret propter generationem prolis, sed quo maiorem caperet voluptatem, vel quæstum faceret: id autem crimen est, aut lasciuiæ, aut auaritiæ. Ad hæc, si qui fortè ex huiusmodi matrimonio filij gignerentur, istorum incertus haberetur pater: quocirca præstantia nobilitatis paternæ, quæ ad filios deriuatur, planè tolleretur, nec ius hæreditarium constaret: hæreditas enim nisi filijs certò cognitis, non obuenit. Quin etiam periret patrum erga filios, & vicissim filiorum erga patres naturalis illa paterni, & filialis amoris flagrantia, & dulcedo. Quid quòd amor, & fides, & omnium consiliorũ, curarũque, & officiorũ cõmunicatio, quæ inter virũ, & vxorẽ esse debet, & vbi est, ingentẽ affert vtilitatẽ, & solatiũ, atque voluptatẽ, nulla esset in tali coniugio? His accedit, quòd vnus vir, sciens vxorem amari, & carnaliter cognosci ab alio viro, non solùm eam non valdè amaret, sed fastidiret, abhorreret, auersaretur, tanquã ab alio compressam, fœdatámque; immò cum ea familiariter conuersari nollet; vt taceam frequentem inter viros zelum, quod vxor plus vnum virum, quàm alium diligere, atque honorare putaretur. Octaua, & postrema ratio est Sacramentalis: Matrimonium enim, sacramentum magnum esse inter Christum, & Ecclesiam, interpretatus est Apostolus Paulus ad Ephesios, capite quinto. Est igitur carnale matrimonium, sed licitum, & honestum, figura spiritualis matrimonij inter Christum, & Ecclesiam: atqui Ecclesiæ vnicus sponsus est Christus,

Probatur octo rationibus vnius fœminæ cũ iugium cũ pluribus viris nunquã fuisse licitum.

nec plures esse possunt. Alij Sancti quantauis sanctimoniæ præstantia
Ioan 3. fuerint, non sunt Ecclesiæ sponsi, sed sponsi eius amici. Audi eum, quo inter natos mulierum maior nemo surrexit; *Qui habet*, inquit, *sponsam, Sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi, hoc ergo gaudium meum impletum est.* Potuissemus hæc, illustribus auctorum, tum sacrorum, atque Ecclesiasticorum, tum Ethnicorum sententijs exornare: sed non id agimus, vt rem extra præsentem diuinæ Scripturæ locum positam, subtiliter, eruditéque pertractemus. Quare prudenti Lectori, quod in præsens breuiter, ac velut in transcursu attigimus, satis erit.

Huius de coniugio Iacob cum duabus sororibus Lia, & Rachele, historiæ duplicem allegoriam tradunt Patres. B. Augustinus sermone de Tempore 80. & Rupertus libro septimo Commentariorum in Genesim cap. 29. & 30. Allegoriam istius coniugij referunt ad duos populos, Iudaicum, & Gentilem. Sed Augustinus Liam, populi Iudaici figuram facit, Rachelem Gentilis. Contrà Rupertus Liam, Gentilis, Rachelem Iudaici populi typum fuisse ostendit. At B. Gregorius libro sexto Mortalium super illis verbis Iob cap. 5. *Ingrediens in sepulchrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo.* Et item homilia 14. in Ezechielem, Matrimonium Iacob cum Lia, & Rachele, interpretatur allegoricè de vita contemplatiua, & actiua, hanc interpretationem deinde Rupertus libro 7. Commentariorum in Genesim cap. 31. egregiè tractauit, nihil eorum quæ tradita fuerunt à Gregorio (quod quidem obseruatu, memoratúque dignum esset) omittens, & insuper non pauca de suo addens: Ruperti verba in eam sententiam, huiuscemodi sunt: Viro Ecclesiastico ad perfectionem tendenti sciendum est, duas esse vitas, actiuam atque contemplatiuam, quas & gentiles philosophi adulterantes, alteram practicam, & alteram theoricam dixerunt: & per actiuam ordinatè procedendo, perueniri posse ad contemplatiuam, certissimo historia hæc Iacob exemplo est. Iacob enim de terra sua egressus, ad puteum venit; & illic Rachelem pulchra facie, venustóque aspectu videns, statim eius amore incensus est. Similiter quoties quisque supplantator vitiorum, & Christum sequi cupiens, diuinæ Scripturæ studijs incumbit, inde contemplatiuæ vitæ pulchritudinem delectabilem esse comperiens, protinus in eius amplexus irruere gestit. Optimam quidem ille partem eligere vult, sedere nimirum ad pedes Domini, & iugiter audire verbum illius, iuxta consilium dicentis, *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus:* psal. 45. Sed altera prior esse debet, quę sollicita est, & turbatur erga plurima, & in misericordiæ operibus exercetur, in quibus eruditum, atque exercitatum, tandem ad contemplatiuam
Threnc. 3. posse progredi, & hunc esse legitimum viuendi ordinem, Propheta quoque testatur dicens: *Bonum erit homini, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius, & leuabit se supra se.* Et apud Iob scriptum est, *Ingredieris in abundantia in sepulcrum.* Id est, cùm ditatus fueris actiuæ vitæ reditibus, tũc demum non defecturus quiescere poteris intra

36

S. August. Allegoria huius historiæ.

S. Gregor.

Rupertus.

con

contemplationis latibulum. Hæc vita per Liam, (quod nomen interpretatur, laboriosa) fœcundam quidem, sed minùs videntem, rectè figuratur: nam quasi lippis oculis, minùs contemplatur spiritualia, dum sollicita est, & turbatur erga plurima. Rachel porrò pulchra quidem, sed sterilis, vitam contemplatiuam designat, quæ dum vacat, quod necessarium est, intédit, venusto aspectu plus videt, sed sancto vtens otio, quasi minùs parit. Igitur dum repentè quis omissis gravibus, festinando ad arcem contemplationis, Rachelem præripere contendit, bene nonnunquam cum illo agitur, si prius Liæ teneatur nuptijs, videlicet protractus forâs ad actiones laboriosas frequentis ministerij, qui si contra quid mussitat, vel querulo gestu strideat, dicit ei sancta Scriptura: *Non est in loco nostro consuetudinis, vt minores antè tradantur ad nuptias*: Id est: Non ita se habet ordo, vt ad contemplatiuam vitam, quæ minus operando, minor est, ante vsum, & exercitium actiuæ quisquam prosiliat: Imple hebdomadam dierum huius copulæ, & hanc quoque poteris obtinere. Nam sicut sex diebus cuncta Deus operatus est, & in septimo die requieuit: sic prius oportet quéque in sex commemoratis apud Matthæum cap. 25. misericordiæ operibus exerceri, vt tunc demum iure in vita contemplatiua sabbatizare possit. Et notandum, quia videns Deus quòd Iacob Liam despiceret, non in eo misertus est eius, vt de lippa venustam aspectu faceret; sed in eo, vt sororis eius sterili permanente, vuluam ipsius aperiret. Semper enim actiua vita minùs videt, & lippis perseuerat oculis, & est talis, qualem Paulus mulierem in Ecclesia docere non permittit: Saluabitur autem, inquit, per filiorum generationem, id est, per operum misericordiæ administrationé.

Luc. 10.

Genes. 1.

1. Cor. 2. 14. & 1. Tim. 2.

Ergo vita eorum, qui in solis actibus remanserunt, & nunquam ad contemplatiuæ vitæ gratiam profecerunt, iustificabitur per bonorum operum executionem. Hactenus ex Ruperto. Verumetiam S. Augustinus copiosè hanc ipsam allegoriam pertractat lib. 22. contra Faust. cap. 52. & aliquot sequentibus.

***

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA IN CAPVT TRIGESIMVM GENESIS.

ARGVMENTVM.

Generatio aliorum septem filiorum Iacob; nouúmq; pactum de seruiendo alijs sex annis ipsi Laban mirabili mercede, sed mirabiliore euentu.

CERNENS autem Rachel quòd infœcunda esset, inuidit sorori suæ, & ait marito
1 suo: Da mihi liberos, alioquin moriar.
2 Cui iratus respondit Iacob: Nũ pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu vẽtris tui?
3 At illa: Habeo, inquit, famulã Balam: ingredere ad illam, vt pariat super genua
4 mea, & habeam ex illa filios. Dedítque illi Balam in coniugiũ:
5 6 quæ, ingresso ad se viro concepit, & peperit filium. Dixítque Rachel, iudicauit mihi Dominus, & exaudiuit vocem meam,
7 dans mihi filium: & idcirco appellauit nomen eius, Dan. Rursúmque Balã concipiens peperit alterum, pro quo ait Rachel,
8 Comparauit me Dominus cum sorore mea, & inualui. Vocaúitque eum, Nephthali. Sentiens Lia quòd parere desijsset,
9 10 Zelpham ancillam suam suam marito tradidit. Qua post cõ-
11 ceptum edente filium, dixit. Feliciter: & idcirco vocauit nomẽ
12 13 eius, Gad. Peperit quoque Zelpha alterum. Dixítq; Lia: Hoc

pro.

pro beatitudine mea:Beatã quippe me dicẽt mulieres:propterea appellauit eum,Aſer.Egreſſus autẽ Ruben tempore meſſis 14
triticeæ in agrum, reperit mandragoras,quas matri Liæ detulit.Dixítque Rachel: da mihi partem de mandragoris filij tui.
Illa reſpondit: Parúmne tibi videtur quod præripueris maritum mihi,niſi etiam mandragoras filij mei tuleris? Ait Rachel: 15
Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filij tui.Redeuntíque ad veſperam Iacob de agro, egreſſa eſt in occurſum eius 16
Lia;& ad me, inquit, intrabis, quia mercede conduxi te pro mandragoris filij mei. Dormiuítq; cum ea nocte illa.Et exau- 17
diuit Deus preces eius:concepítq;, & peperit filium quintum, 18
& ait:Dedit Deus mercedem mihi,quia dedi ancillam meam viro meo,appellauítque nomen eius Iſſachar.Rurſum Lia cõ- 19
cipiens, peperit ſextum filium, & ait: Dotauit me Deus dote 20
bona: etiam hac vice mecum erit maritus meus,eo quòd genuerim ei ſex filios:& idcirco appellauit nomen eius Zabulõ.
Poſtquem peperit filiam,nomine Dinam. Recordatus quoq; 21 22
Dominus Rachelis,exaudiuit eam,& aperuit vuluã eius.Quæ 23
concepit,& peperit filium,dicens: Abſtulit Deus opprobrium meũ.Et vocauit nomen eius,Ioſeph,dicens: Addat mihi Do- 24
minus filium alterum.Nato autem,Ioſeph dixit Iacob ſocero 25
ſuo: Dimitte me vt reuertar in patriam, & ad terram meam. 26
Da mihi vxores, & liberos meos, pro quibus ſeruiui tibi, vt abeam:tu noſti ſeruitutem qua ſeruiui tibi. Ait illi Laban,In- 27
ueniam gratiam in conſpectu tuo: experimento didici quia benedixerit mihi Deus propter te:conſtitue mercedem tuam 28
quam dem tibi.At ille reſpõdit: Tu noſti quomodo ſeruierim 29
tibi,& quanta in manibus meis fuerit poſſeſſio tua. Modicum 30
habuiſti antequam venirem ad te,& nunc diues effectus es:benedixítque tibi Dominus ad introitum meum.Iuſtum eſt igitur, vt aliquando prouideam domui meæ. Dixítque Laban, 31
Quid tibi dabo? At ille ait: Nihil volo:ſed ſi feceris,quod poſtulo,iterum paſcam, & cuſtodiam pecora tua. Gyra omnes 32
greges tuos, & ſepara cunctas oues varias, & ſparſo vellere: & quodcumq; furuum,& maculoſum,variúmq; fuerit,tam in ouibus,quàm in capris,erit merces mea. Reſpondebítq; mihi 33
cras iuſtitia mea, quando placiti tempus aduenerit coram te: & omnia, quæ non fuerint varia, & maculoſa, & furua, tam

in

34 in ouibus,quàm in capris, furti me arguent. Dixítque Laban:
35 Gratum habeo quod petis.Et ſeparauit in die illa capras,& oues,& hircos,& arietes varios,atque maculoſos: cunctum autem gregem vnicolorem,id eſt albi,&nigri velleris,tradidit in
36 manu filiorum ſuorum.Et poſuit ſpatium itineris triũ dierum
37 inter ſe,& generum,qui paſcebat reliquos greges eius. Tollẽs ergo Iacob virgas populeas virides,& amygdalinas,& ex platanis,ex parte decorticauit eas:detractíſque corticibus,in his, quæ ſpoliata fuerant,candor apparuit: illa verò, quæ integra fuerant viridia permanſerunt:atq; in hunc modum color effe-
38 ctus eſt varius. Poſuítq; eas in canalibus, vbi effundebatur aqua:vt cùm veniſſent greges ad bibendum,ante oculos habe-
39 rent virgas,& in aſpectu earum conciperẽt. Factúmq; eſt vt in ipſo calore coitus,oues intuerentur virgas, & parerent maculoſa,& varia,& diuerſo colore reſperſa. Diuiſítq; gregẽ Iacob,
40 & poſuit virgas in canalibus ante oculos arietum: erãt autem alba,& nigra quæque,Laban: cetera verò, Iacob,ſeparatis in-
41 ter ſe gregibus. Igitur quando primo tempore aſcendebantur oues,ponebat Iacob virgas in canalibus aquarum ante oculos arietum,& ouium, vt in earum contemplatione conciperent: quando verò ſerotina admiſſura erat, & conceptus extremus,
42 non ponebat eas.Factáq; ſunt ea,quæ erant ſerotina, Laban:&
43 quæ primi temporis,Iacob.Ditatúſq; eſt homo vltra modũ,& habuit greges multos,ancillas,& ſeruos,camelos, & aſinos.

VERS. 1. Cernens autem Rachel quòd infœcunda eſſet, inuidit ſorori ſuæ,& ait marito ſuo;Da mihi liberos,ali oquin moriar.

NON doluit Racheli,ſororem ſuam Liam eſſe fœcundam, & tam numeroſæ prolis parentem: verùm ſe eſſe ſterilem,cum ſoror tot iam filiorum mater eſſet,id verò perdoluit: hoc autem,zelo,quàm inuidiæ, ſimilius eſt. Nam ſi propriè loquamur, Inuidia eſt aliorum bonis,& proſperitate triſtari,dolere, atque animo cruciari: quod non fuit in Rachele; non enim dicitur inuidiſſe ſorori, quòd eſſet illa fœcunda, ſed quòd ipſa infœcunda eſſet. Zelus porrò tribus modis dicitur: Eſt enim dolor,aut quòd improbis, & impijs proſperè ſit;aut quòd viris optimis improſperè, ac miſerè:aut quod æquè dignis non ſimiliter bona contingant.Certè B.Auguſtinus libro 22.contra Fauſtum cap.54.citans hæc verba Geneſis pro verbo *inuidit*, refert, *Zelauit*: ita memorans hunc locum: *Et zelauit Rachel ſororem ſuam.*

Triplex Zeli ratio.

S. Auguſtinus

Da

Da mihi liberos, alioquin moriar. Impotentia desiderij liberorum, fecit hæc verba insipienter admodum, stultéque loqui Rachelem. Quanquam Hebræorum quidam honestam faciunt petitionem istam Rachelis, *Da mihi liberos.* Ad hanc sententiam interpretantes: Quando tu apud Deum tam gratiosus es, vt postulatis & optatis tuis nihil ille abnuat; deprecare mihi à Deo liberos, quemadmodum pater tuus precibus impetrauit conceptum Rebeccæ matri tuæ. Verùm istam expositionem proximè sequens responsum Iacob dupliciter excludit: dicit enim Scriptura, iratum, & indignatum fuisse Iacob Racheli, propter istam petitionem: at cum illa esset valdè honesta, & iusta, irascēdi nulla profectò erat ratio. Et illud, quod dixit Iacob: *Num pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu ventris tui?* planè ineptum, atque inconueniens fuisset petitioni Rachelis, secundùm istam interpretationem. Cæterum error ipsius Rachelis ignoscibilis est; nihil enim in coniugio antiquius & optabilius est generatione liberorū, non solùm propter perpetuitatem naturæ humanæ, quæ per huiusmodi propagationem filiorum conseruatur: sed etiam quòd parentes à liberis non solùm vitæ alimenta, sed etiam solatio, & honoris, & gloriæ ornamēta expectant. Itaque coniugium imperfectum videtur, si desint liberi; non secus atque arbor sine fructibus.

Ad hanc sententiam facit, quod Aristoteles tradit primo libro Oeconomicorum cap. 2. his verbis. Nō essendi causa solùm, verùm etiam bene essendi, mas & fœmina naturæ ope coniunguntur: filiósque procreant, non solùm vt id naturæ tributum ferant, verùm etiam vt commoda inde suscipiant. Etenim valentes ipsi, imbecilles filios labore suo tuentur, & alunt; mox ipsi ob senium imbecilles facti, à filijs iam valentibus eadem reportant. Et simul natura per hunc circuitum adimplet æternitatem, quando secundùm numerum non potest, saltem secundùm speciem. Sic enim diuinâ prouidentiâ, mulieris & viri ad societatem ordinata est natura: tendunt enim eorum omnia in eiusdem vtilitatem, licèt contraria naturæ eorum videatur conditio: alterum enim robustum fecit natura, alterum imbecillum; vt hoc ex timore, cautius; illud ob fortitudinem, pugnacius esset. Et alterum comparat foris, alterum comparata domi conseruat. Ad operum verò effectionem, alterum sedulitatem intra limen præstat, ad externam euagationem non idoneum; alterum verò ad sedulitatem domesticam minimè aptum, ad motus verò, externásque actiones valentius. Circa prolem autem, generatio quidem propria est, vtilitas verò communis: alterius enim nutrire est, alterius erudire. Sic Aristoteles. *Aristotel.*

Sed redeo ad Rachelem, cuius animum tres maximè res vesana propemodum liberorum cupidine inflammarunt. Primò quidem inuidia
3 fœcunditatis Liæ sororis suæ, quod non tacet Scriptura dicens: *Cernens Rachel quòd infœcunda esset, inuidit sorori suæ.* Tum quòd sciret nulla re mulierem viro amabiliorem effici, quàm numerosam pulchrámque prolem generando. Ad hæc, quòd audisset, foboli, ac posteritati Iacob, amplissima esse à Deo & magnificentissima promissa bona. Illud *alioquin moriar*, vel, vt est in Hebræo, *quòd si non morior*, dupliciter exponitur: Velita: si mihi

non dederis filios, præ tristitia vitam pertæsa moriar. Vel sic: Si nullos suscepero liberos, nomen meum, meique memoria penitus emorietur, atque obliterabitur. Sed prior sententia, vt simplicior, & planior, ita est probabilior.

VERS. 2. Cui iratus respondit Iacob, Num pro Deo sum ego, qui priuauit te fructu ventris tui?

BONVS & sapiens maritus vxorem docet vnde prolem optare, & petere debeat; à Deo scilicet, qui naturæ omnis est creator, & prout ei libitum fuerit, in cõtrarias partes commutator. Videtur Iacob agnouisse, sterilitatem Rachelis fuisse à Deo loco pœnæ irrogatam, quòd Rachel superba ob pulchritudinem, & quòd flagrantissimè diligeretur à marito, aspernaretur Liam: nec solùm ipsa, sed etiam Iacob quodammodo eam despiceret. Id enim paulò supra non dissimulauit scriptura, cum dixit: *Videns autem Dominus quòd despiceret Liã, aperuit vuluam eius sorore sterili permanẽte.* Ceterùm duplex causa sterilitatis esse solet: frequens enim causa sterilitatis siue in viro, siue in fœmina, ex natura est: non rarò tamen ex singulari consilio, & volũtate Dei, vel in malum, & pœnam hominis; vel in bonum, & gratiam. Varias causas naturales tam muliebris, quàm virilis sterilitatis in libro 2. de generatione animalium cap. 2. paucis verbis exposuit Aristot. Nam à primo ortu, inquit, naturæ locis, ad coitum commodis, oblæsis, steriles, & mulieres & viri redduntur: vt alteræ non pubescant, alteri non barbescant, sed spadonum similes sint. Alijs in processu ætatis idem accidit affectus, propter corporis nutricationem pleniorem: mulieribus enim pinguioribus factis, viriſque corpore valdè obesis, excrementum seminale in corpus absumitur: itáque fit vt illis menstrua desint, his genitura. Aut id accidit ex morbo; cùm à viris semen humidum, & frigidum emittitur; mulieribus verò purgationes vitiantur, & copia morbificorum excrementorũ adest; quæ vitia partim curabilia sunt, partim incurabilia. sed maximè steriles tũc perseuerant, cum primo à natura ortu, tales fuerunt: gignuntur enim & mulieres viragines, & viri fœminales: alteris menstrua desunt, alteris semen exile frigidúmque est. Hactenus ex Aristotele.

Causæ naturales sterilitatis secundùm Aristotelem.

Altera causa sterilitatis non est naturalis, sed diuina: nonnunquam § enim Deus præter ordinem naturæ steriles fecit mulieres; & contrà de sterilibus fœcundas. Cuius rei non pauca, nec obscura sunt in sacris litteris exempla. Sara dicit se conclusam fuisse à Deo, ne pareret, Genes. cap. 16. Omnium item mulierum domus regis Abimelec dicitur Genesis cap. 20. Deus conclusisse vuluas, ne parerent. Et hoc loco fidenter Iacob dixit, Deum priuasse Rachelem fructu ventris sui. De Anna quoque Samuelis matre scriptum est 1. Regum cap. 1. *Deus autem conclusérat vuluam eius.* Contra verò sterilibus mirabiliter dedit fœcunditatem, vt Saræ, Annæ, Elisabethæ matri Ioannis Baptistæ, & Racheli, de qua in hoc loco

paulò

paulò infra sic est: *Recordatus Dominus Rachelis, exaudiuit eam, & aperuit vuluam eius.* Meritò igitur Dauid cecinit: *Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.* Domum dicit, more Hebraico, pro ampla & opulenta familia, & numerosa claráque posteritate. Non est silentio inuoluendum quod legi apud Paraphrasten Hierosolymitanum super hoc caput ita scribentem: Quatuor claues positæ sunt in manu Domini uniuersi mundi, quas non tradidit Dominus nec Angelis, nec Seraphino: Clauis scilicet pluuiæ: clauis cibationis: Clauis sepulchrorum: Et clauis sterilitatis. De claue pluuiæ, ita dicit Scriptura Deuteronomij capite vigesimo octauo: *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore suo.* De claue cibationis habes in psalmo 144. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* De claue sepulcrorum dixit Deus apud Ezechielem capite trigesimo septimo; *Ecce ego aperiã tumulos vestros; & educã vos de sepulcris vestris.* De claue sterilitatis habes in hoc capite: *Recordatus Dominus Rachelis, exaudiuit eã, & aperuit vuluam eius.* Sic ille. Significare autem voluit iste auctor his verbis, quatuor potissimùm res in manu & potestate Dei esse, pluuiam cœlestem, Alimoniam, Mortuorum resurrectionem, & Procreationem liberorum. *Psal. 112.* *Quatuor claues solius Dei*

6 Omnino Ethnici quoque agnouerunt fœcunditatem, & liberorum generationem, vt singulare Dei munus, ei maximè acceptum ferri oportere. Audi Platonem in Symposio, Ex viri, inquit, & vxoris congressu partus existit: atque res hæc diuina est; & quamuis in mortali semper animante fiat; tamen & prægnatio, & genitura ab immortalibus est. Romani etiam certos quosdam Deos coluerunt, tanquam nuptiarum feliciter contrahendarum præsides, tanquam gerendæ prolis opitulatores, & iam genitæ quasi altores, tutoréque ac seruatores. Sedenim illa fuit perridicula Romanarum mulierum superstitio, quam narrat Plutarchus in Cæsare, in festis Lupercalibus, quæ in Februario mense à nobilibus iuuenibus nudis agebantur, vsurpari solita. Plutarchi verba super ea re huiusmodi sunt: Multi ex nobilibus, & claris iuuenibus, nudi per vrbem discursant, & scuticis hirsutis obuios per ludum, & risum cædunt. Quinetiam multæ in primis claræ mulieres data opera illis obuiam eunt, & seipsas plagis tanquam in schola offerũt, manus his præbentes: persuasæ eas plagas prægnãtibus, ad faciliorem partum; sterilibus verò, ad fœcunditatem proficere. Hæc Plutarchus. *Plato.* *Romanorum Gentilium superstitio.* *Plutarch.*

Dedit illi Balam in coniugium; *Versu quinto. Et paulò infra versu nono,* Zelpham ancillam, marito tradidit.

7 HINC euidenter apparet, vxores illas Iacob non libidine lasciuisse, sed prolis sola cupiditate, atque eà flagrantissima arsisse: alioqui nunquam in communionem maritalis amoris, & to ri ancillas adsciuissent. Quemadmodum porrò supra ostendimus, coniugium duarum sororum, fuisse figuram populi Iudæi, & Gentilis, & item vitæ actiuæ, & contemplatiuæ: ita coniugium duarum ancillarum quodnam habuerit mysterium, *In cõiugio Iacob cum duabus ancillis, quidnam lateat mysterij.*

cuiúsque typum gesseris, disputat Augustinus libro 22. contra Faustum
S. August. sub finem capitis 54. & per totum caput 55. Sed hoc ipsum enucleatiùs
& luculentiùs tractauit Rupertus libro 7. Cómentariorũ in Genesim cap.
Rupertus. 39. ad hunc modum scribens: Aures nimiùm pudicas præsens lectio diuerberat; nimiùm fatigantur audiendo æmulationes quatuor mulierum de vno viro concertantium. Sed habeant cum simplicitate sua prudentiã, sciéntque totum, quicquid est dictum, factúmque, redolere magnum liberorum desiderium, atque earum exemplo, tanto instantius properent animæ prudentes, spirituale de Christo viro suo, semen concipere, & parere, quantâ illas auiditate virum suum inuicem præripere, quantóque audiunt gaudio filios suos in partu susci pere. Nam Christi, vnius viri, sunt coniuges liberæ, sunt & concubinæ ancillæ. *Sexaginta*, inquit, *sunt regina,*
Cant. 4. *& octoginta sunt concubinæ.* Quæcumque est regina siue libera, vel amore ingemiscit, & parturit, vti Paulus cùm dicebat: *Filioli mei, quos iterũ parturio donec formetur Christus in vobis.* Sed non eo contenta sit; sed tãta hu-
Ad Gal. 4. ius beati seminis multiplicandi auiditate flagret, vt ancillas quoque huic viro permittat, & dicat: *Quid enim? dum omni modo siue per occasionem, sive*
Ad Ph. 1. *per veritatem Christus annuncietur? & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.* Fieri namque potest, quia sæpe iam factum est, vt quem ancilla, vel concubina concepit, eum super genua liberæ pariat: id est, vt qui per prædicationem inuidentis, diuinum audiuit verbum, confiteatur, & teneat in catholica matre Ecclesia, veræ & vnicæ perfectionem fidei, & ita nihil differat à legitimis filijs in acceptione paternæ hæreditatis. Sicut etiã quando Deus terram promissionis sorte diuisit filijs Israël, Gad, & Aser, & Dan, & Nephthali, nihil, vel minùs, vel tardius acceperũt, propterea quòd essent cõcubinarũ, vel ancillarũ filij. Ergo in huiusmodi asperitate exterioris paleæ talis historię, simpliciũ sensus offẽditur; sed interiore grano perfectiores,
1. Cor. 3. quorum est solidus cibus, non parum delectantur. Hactenus ex Ruperto. 8

Sed perpẽdenda sunt verba illa, quæ dixit Rachel viro suo Iacob, cùm ei dedit in matrimonium famulam suam Balam. *Habeo*, inquit, *famulam*
Versu. 3. *Balam, ingredere ad illam, vt pariat super genua mea, & habeam ex illa filios.*
Phrasis hebraica, Parere super genua. Quid est, *Vt pariat super genua mea?* Hebraica phrasis est, & alibi, nec semel vsurpata. Continet autem hanc sententiam, Vt pariat filios, quos possim ego adoptionis lege quasi meos super genua mea collocare; & illis (vt facere matres solent) cum voluptate arridere, alludere & blandiri. Ad hũc morem respexit Iob, cũ dixit cap. 3. *Quare non in vulua mortuus sum, egressus ex vtero non statim perii? quare exceptus genibus? cur lactatus vberibus?*
Locus Iob cap. 3. Sed ille illustrior Isaiæ locus capite 66. *Hæc dicit Dominus: Quia ego declinabo super eam quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis: ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis quomodo si cui mater blandiatur, sic ego consolabor vos.* Nec Homerus huiusmodi phrasi non est vsus Iliados 2. illis versibus:
Homerus.

Qui Dius infensus gerit immortalibus arma,
Non penes hunc genibus nati super vsque sedebunt.
Blandiri assueti.

PRIMA

PRIMA DISPVTATIO.

De natura, & virtute Mandragoræ.

Super illis verbis,

Egressus autem Ruben tempore messis triticeæ in agrum, reperit mandragoras: quas matri Liæ detulit. Dixítq; Rachel, Da mihi de mandragoris filij tui. VERS. 14.

ERAT tunc Ruben admodum puer: nempe minor sexto anno. Etenim Lia intra posterius septennium seruitutis Iacob, peperit sex filios, & vnam filiam, Genes. 30. post allatas verò sibi mandragoras à Ruben, genuit tres liberos: Issachar, & Zabulon, & filiam nomine Dinam: quocirca Ruben id temporis, summùm, quinquennis esse poterat. Puerulus igitur, tum pulchritudine coloris, tum suauitate odoris mandragoræ permotus videtur, vt eam ferret matri. Messis porrò triticea fit in Palæstina sub finem veris, & interdum non longè à tempore Paschæ, vt colligi potest ex lib. Iosue cap. 3. & 5. Verùm de Mandragora, & longa, & litigiosa est disputatio, quænam eius natura sit, quæ virtus, & effectus, vt satis idonea causa reddi possit, cur ea fuerit à Rachele tantoperè expetita. Sanè à diuersis Auctoribus tam variè, atque etiam contrariè de ea proditum est, vt vix certum quippiam, & quod exploratè perceptum sit, tradi posse videatur. Enarrabo itaque primùm quæ ab Auctoribus Ethnicis, & Hebræis, tum à Christianis, tam vetustioribus, quàm recentioribus tradita sunt. Postremò sensum quoque animi mei & iudicium, quale quale in re incerta esse potest, paucis indicabo.

9 Xenophon in symposio non obscurè significat virtutem Mandragoræ soporiferam, cùm ait: Re vera vinum, rigans animas, ipsas tristitias, quē admodum Mandragora hominem, soporat. Dioscorides libro 4. cap. 61. de Mandragora in hunc modum scribit: Mandragoram aliqui Antimolum, alij Circæam vocant, quoniam videatur ad amatoria cōducere. Duo eius genera: nigrum, quæ fœmina existimatur, angustioribus folijs, & minoribus quàm lactucæ, virosis & graueolentibus in terra sparsis. Mala gerit sorbis similia, pallida & odorata; in quibus semen veluti pyrorum. Radicibus inhæret benè magnis; binis, ternísve inter se conuolutis, extrinsecus nigris, intus albis, crasso cortice vestitis: caulem non fert. Alterum genus Mandragoræ candidum, qui mas dicitur: cuius folia magna, alba, lata, læuia, vt beręe: mala, quàm sunt fœminæ, duplo maiora: colore in croceum inclinante, iucundo, cum quadam grauitate olentia: quorum esu opiliones aliquantum soporantur. Radix similis fœmineæ, sed maior, & candidior, similitérque caulem non habens. Posthæc, Dioscorides multiplicem in medicamentis Mandragoræ vsum exponēs, satis indicat, omnia

Xenophon.

Dioscorides.

Descriptio Mandragoræ.

Virtutes & effecta Mādragoræ.

prouenire ex virtute eius frigorifera,& ſoporifera. Addit præterea eius poma ſoporem afferre, tum olfactu, tum eſu, & nimio odore percuſſos obmuteſcere, ſeménque pomorum purgare vuluas: appoſitúmque cum ſulphure ignem nõ experto,rubra fœminarum profluuia ſiſtere.Eſt quoque Mandragora,cui nomen Morion,in opacis iuxta ſpecus naſcens:quæ mollis eſt,ac candida,paulò maior palmo, pollicémque adæquans craſſitudine.Tradunt eam in pane,offa,vel obſonio, drachmæ pondere deuoratam,vſum rationis intercipere.Etenim qui edit,continuò obdormiſcit, eo ferè habitu, quo erat comedens, ſenſus inops, ternis, quaterníſve ex quo ſumpta eſt,horis.Hac medici vtuntur,cùm ſcindendi,vrendíque neceſſitas eſt,vt ſenſum ſtupefaciant. Ad hanc fermè ſententiam Dioſcorides.De virtute autem ſanandi ſterilitatem, iuuandíq; fœcunditatem,aut conciliandi amorem,ſiue ad libidinem incitandi, nullum ab eo, ex proprio ſenſu,verbum fit.

Plinius. Plinius lib.25.cap.13.eadem Dioſcoridi ſcribit de Mandragora,quãtum ad magnitudinem,figuram,colorem,& varietatem eius.Hoc Plinius 10
non ſolùm eo loco fecit,ſed alijs compluribus,ſimillima tradens Dioſcoridi.Vt propterea quidam ſuſpicati ſint,malta Plinium ex Dioſcoride,tacito eius nomine mutuatum, ſparſim inſeruiſſe ſcriptis ſuis. Sed id eſſe falſum,arguit ratio temporum,qua conſtat,non paucis annis Dioſcoridé poſteriorem fuiſſe Plinio, vt ſubtiliter, eruditéque ſuper ea re diſputans, egregiè probat libro 2.Variarum obſeruationum,cap. 28.Marſilius Cagnatus amicus meus,& familiaris,pernobilis medicus,& inſigni tam Philoſophiæ,quàm aliarum diſciplinarum ſimul,& linguæ Græcæ cognitione præſtans.Cæterùm de virtute, atque effectu Mandragoræ pauca hæc tradit Plinius:Odor eius grauis,ſed radicis,& mali grauior, folia ſeruantur in muris efficaciùs; aliâs recentium ſuccus,peſtis eſt: Sic quoque noxiæ vires,grauedinem afferunt etiam olfactu: quanquam mala in aliquibus terris mandantur,nimio tamen odore obmuteſcunt ignari; potu quidem largiore etiam moriuntur.Vis ſomnifica pro viribus bibentium. Bibitur & contra ſerpentes,& ante ſectiones,punctionéſque,ne ſentiantur. Ob hæc,ſatis eſt,aliquibus ſomnum odore quæſiſſe.Hæc Plinius. De tollenda verò ſterilitate,& concilianda fœcunditate,nihil. Galenus libro 7. Simplicium Medicamentorum, Mandragoræ vires paucis hiſce verbis deſcribit:Mandragora vincentem habet facultatem refrigeratoriam;adeo vt tertij ſit ordinis refrigerantium. Verumtamen, & caliditatis cuiuſdam particeps eſt,& humiditatis in pomis: Proinde ſoporem conciliandi vim ea habent: radicis cortex, cùm ſit valentiſſimus, non tantùm refrigerat, verùm etiam exſiccat: reliquum quod intus eſt, imbecillum exiſtit. Sic Galenus. Auicenna vnum hoc ſcribit de Mandragora(quam Arabicè vocant Iabro) habere vim purgandi matricem muliebrem, qua quidem re videtur poſſe mulieribus conducere ad conceptum. Sed veniamus ad Noſtros.

An Plinius sũpſerit ex Dioſcoride.

Marſilius Cagnatus inſignis medicus.

Galenus.

Auicenna.

Epiphanius. S.Epiphanius in Philologo cap. 4. vbi agit de Elephanto, hæc tradit: 11
Fœmina herbam,quæ Mandragora dicitur, quærit; quam vbi guſtauit,

coeundi

coëundi cupiditate accensa, ad marémque properans, illam offert ipsi. Mas verò, vt comedit, ardet eiusdem libidine, ac fœminæ miscetur. Iam verò cùm instat pariendi tempus, fœmina lacum ingreditur, & aquâ pertentat, qua mammillas vsque pertingente, parit: Si enim in terra fœtum ederet, nequaquam eleuari posset, cùm membrorum compagibus careat. Sic Epiphanius. B. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 56. hæc scribit de Mandragora: Scio quosdam opinari pomum Mandragoræ acceptum in escam sterilibus fœminis fœcunditatem afferre: & idcirco putant tantoperè institisse Rachelem sumere id à Ruben filio Liæ, cupiditate videlicet pariendi: quod ego quoque arbitrarer, si tunc Rachel concepisset. Nunc verò, cum post Liæ duos alios ab illa nocte partus, Dominus eam prole donauerit, nihil est cur de Mādragora tale aliquid suspicemur, quale in nulla fœmina experti sumus. Dicā ego quid sentiā: dicent hinc inde meliores, doctioréque. Cum enim hæc mala ipse vidissem, & propter istum ipsum sacræ lectionis locum id mihi obtigisse gratularer, rara enim res est; naturam eorum diligenter, quantum potui, perscrutatus sum. Nec id feci aliqua à communi sensu remotiore scientia, quæ docet virtutes radicum, & potestates herbarum; sed quantum mihi, & cuilibet homini, renunciabat visus, & olfactus, & gustus. Proinde rem comperi pulchram, & suaueolentem, sapore autem insipido. Quocirca cur eam mulier illa tantopere concupierit, ignorare me fateor; nisi fortè propter pomi raritatem, & odoris iucunditatem. Sic Augustinus. *S. Augustinus.*

12 Suidas dixit, Mandragoræ fructum, somnum, vel obliuionem efficere, Rhodiginus lib. 7. Lectionum antiquarum ca. 3. sic ait: Ridendos censeo, qui à Philosopho vitandos putant poëtas: id præcipiendum fuerat potius, vt in poëmate philosopharemur. Nam quemadmodum Mandragoram, tradunt rerum periti, vitibus adnatam, transmittere in illas potestatem somnificam; vt vinum ex illis bibentes, faciliùs, & procliuiùs in soporem delabantur; Mandragoram enim potu haustam insequitur Κάρος, Paulo auctore, & cataphorica affectio prævalida (id est, grauis, & profundus somnus) ita, & poëticis commentis permixta philosophia, tum lenem, tum gratam amabilémque efficit disciplinam poëticam. Sic ille. *Suidas. Rhodiginus.*

13 Matthiolus, qui luculentissimos in Dioscoridis scripsit Commentarios, supradictam de Mandragora sententiam Dioscoridis, super eo ipso loco, explanans, ad hunc modum scribit: Vtrumque genus Mandragoræ, frequens nascitur in Apuleia, monte Gargano: vnde radicum cortices, & poma, Herbarij ad nos conuehunt. Habentur, & in viridariis, spectaculi gratiâ, nósq; vidimus Romæ, Neapoli, Venetijs, vtramque Mandragoram in hortis, & vasis fictilibus satā. Radices porrò Mandragoræ humanā effigiem repræsentare, vt vulgò creditur, fabulosum est. Nam quas sub figura hominis circulatores circumferunt, & medicari sterilitati nugantur, factę ab ipsismet sunt, ex arundinum, Brioniæ, aliarúmq; plantarum radicibus, quod nos Romæ cùm essemus, manifesto experimēto comperimus. Nec tamen sine ratione putamus, Mandragoram dictam esse à Pythagora Anthro *Matthiolus.*

Cur Pythagoras mandragoram vocauerit Anthropomorphon.

Anthropomorphon, quòd humanam reddat formã: siquidem omnes fermè radices Mandragoræ à medio ad imum bifurcatæ proueniunt, ita vt crura hominum habere videantur. Quare si bene effodiantur, cùm fructum gerunt, qui pomi instar super folia terræ procumbentia, breui pendiculo appensus, parum à radice distat, hominis cui brachia desint, effigiem quadamtenus repræsentant. Hactenus ex Matthiolo.

Oleaster.

Oleaster, explanans hunc locum Geneſis, cùm probasset vocem Hebræam *Dudaim* continere significationem mammæ, aut eius quod similitudinem mammæ habet, aut cum ea conuenientiam aliquam, aut relationem ad eam; cùm inquam, hoc probasset, subiungit: Sunt etiam, inquit, in Scriptura duæ coniecturæ ad venandam propriam eius nominis significationem. Vna est coniectura, rem esse odoriferam, quia Cantic. capite septimo scriptum est *Dudaim*, id est Mandragoram, *dedisse odorem*. Altera coniectura est, eam rem nasci solitam in agris, tempore messis triticeæ, vt dicitur hoc loco. Significat igitur *Dudaim* rem, in qua tria hæc simul inueniuntur, scilicet figura mammæ, & odor suauis, & quòd tempore triticeæ messis inueniatur. Reperio autem genus quoddam albi lilij, in quo prædicta tria concurrunt. Etenim radix eius quasi cæpe est, similitudinẽ habens mammæ: flos est albus optimum odorem emittens: & ad finem Aprilis, aut in Maio facilè in agris inuenitur. Quare arbitror, *Dudaim* significare hoc genus lilij albi, non autem Mandragoram. Si tamen Mandragoris delectaris, quod non prohibemus, scito teste Dioscoride, tria esse in mandragoris, primò poma inter folia sita: tum folia ipsa: ad hęc, radices vel binas, vel ternas mutuis inuicem complexibus conuolutas, nec puero dissimiles. Tradunt Medici eam habere vim ciendi menstrua, & muliebrem vuluam ad conceptum mirificè accommodandi. Sed miratur Abẽ Esra, quomodo talem virtutem habere queat, cùm sit frigidissimæ qualitatis. Rabbi Dauid duo eius genera agnouit; candidum, qui mas; & nigrũ, qui fœmina existimatur; & ferre mala, auellanarum nucum magnitudine; vim eius esse somniferam, tam in potu, quàm in olfactu. Sed non video, inquit Oleaster, qualiter textui hoc possit accõmodari. Sic Oleaster. Eãdẽ sententiam secutus Franciscus Georgius in primo Tomo suorum Problematum, problemate 215. carpit Sanctm Hieronymum, quòd vocem Hebræam *Dudaim*, & hîc, & Canticorum capite septimo verterit mandragoram, nam nec mandragora odorifera est, sicut de *Dudaim* dicitur Cant. 7. Et cùm sit frigidissima, contraria est fœcunditati: præterea non fuisset tantopere expetita à Rachele incredibiliter cupida prolis. Sic ille. Hanc sententiam referens libro quinto Bibliothecæ Sanctæ in Annotatione 109. Sixtus Senensis, nullum contra eam verbum fecit; quod nonnullis fortasse suspicionem mouebit, istiusmodi opinionem nequaquam ei displicuisse. Atque hæc de Mandragora apud Auctores tam antiquos, quàm recentiores (quos ego adhuc viderim) scripta reperi.

Aben Esra.

Dauid Kimhi.

Franciscus Georgius.

Sixtus Senẽsis.

Auctoris sententia de Mãdragora.

Sed quænam est nostra sententia? nam hoc, opinor, à nobis Lector expectat. Nos, quo breuiùs, & apertiùs dicantur, quæ dicere volumus, sententiam nostram in quinque Propositiones digessimus, atque distinximus.

PRIMA

PRIMA PROPOSITIO: Vox Hebraica *Dudain* non significat lilium, vt visum est Oleastro, & Francisco Georgio: sed mandragoram significat, vt habent omnes Græci, & Latini codices: cùm enim ea vox nusquam alibi reperiatur nisi hoc in loco, & Canticorum septimo cùm dicitur: *Mandragoræ dederunt odorem suum*, vtrobique septuaginta interpretes verterunt mandragoram: Erant autem illi Hebrææ linguæ doctissimi, & nomina herbarum, arborum, & animalium terræ suæ, in sacris Bibliis commemorata, haud sanè paulò meliùs nouerãt, quàm Oleaster, & Georgius. Similiter etiam S. Hieronymus intellexit vocem *Dudain* vir peritissimus Hebraicè, & in ea regione permultos annos vsque ad mortem versatus, omniáque diligenter contemplatus, & ignota sibi, vel ambigua, ex Hebræorum eruditissimis curiosè scisciatus. Sed nobis opponunt isti, Mandragoram non esse odoratam: quod tamen de *Dudain* scriptum est Canticorum septimo. At nos contrà istis opponimus auctoritatem B. Augustini: qui vt supra dictum est, visu, olfactu, gustúque naturam mandragoræ periclitatus, affirmat eam suaueolentem esse: & fieri potest vt in terris calidioribus, qualis est Mauritania, & Palæstina, & Mesopotamia, maioris, & melioris sint odoris. Nec dicere necesse est, mandragoram fuisse tantopere expetitam à Rachele, quòd ea vim haberet fœcundandi mulierem; sed vt Augustinus ait, vel ob raritatem plantæ, vel ob pulchritudinem, vel odoris iucunditatem.

Locus Cantic. 7.

Quæ dicantur de Mandragora.

16 SECVNDA PROPOSITIO. Nonnulla quæ vulgò feruntur de Mandragora, sunt fabulosis simillima. Tale est illud, effigiem virilis & fœminei sexus in mãdragoris expressam cerni: hoc autem Matthiolus, vt supràdictum est, manifesto experimento falsum esse comperit. Nec illud à falso remotum est, mandragoram habere vim amatoriam; & ideo vocatam Circæam. Tale namq; hoc est, qualia de Circe à poëtis conficta sunt. Dioscorides id memorat, sed ex aliorum sensu, non suo. Et natura mandragoræ summè frigida, & virtus eius valdè soporifera, isti opinioni planè contraria est. Nec admodum quempiam moueat Epiphanij auctoritas id tradentis in Philologo: nimirum is non tam in eo libro diligens & curiosus fuit veritatis historiæ earum rerum, quas inibi memorat, quàm eas res interpretandi appositè, piéque secundùm intelligentiam allegoricam, & tropologicam. Quare proprietates animalium, & plantarum vulgo creditas, & consilio, & proposito suo accommodatas, libenter assumpsit.

Animaduersio in Philologum Epiphanij.

17 TERTIA PROPOSITIO. Mandragora per se non opitulatur mulieribus aduersum sterilitatem, vt vulgò creditur. Augustinus nempe ait, id nullius mulieris experimento compertum esse. Neque id à Dioscoride, vel Plinio, vel Galeno, vel vllo probato auctore traditur. Enimuerò id esse falsum, conuincitur exemplo Rachelis: hæc enim post esum mandragoræ, vel alium quempiam eius vsum, non est fœcundata, sed mansit postea sterilis tres circiter annos: siquidem postea genuit Lia successiuè duos filios, & vnam filiam, vt in hoc capite narrat Scriptura versu 17. vsque ad 21. Concepit quidem postea Rachel, & peperit; verùm non mandragoræ virtute, sed singulari benignitate, & munere Dei, quod Scriptura non ta-

Mandragorã per se nõ conducere mulierum fœcunditati. S. Augustin.

cuit: versu enim 22. sic ait: *Recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudiuit eam, & aperuit vuluam eius.* Quid? quòd cùm Mandragora summè frigida sit, sterilitatis potius, quàm fœcunditatis causa esset; quare mulieribus ad concipiendum aduersatrix erit magis, quàm auxiliatrix?

Quomodo Mandragora possit peraccidens conducere fœcunditati.

QVARTA PROPOSITIO. Peraccidens, vt vocant, Mandragora 18
potest conducere mulieribus, & proficere ad conceptum. Tradit enim Dioscorides, idémque confirmat Auicenna, vt suprà expositum est, mandragoram sistere nimium menstrui muliebris profluuium, & item purgare matricem: quibus rebus confert ad fœcunditatem, cui prædicta aduersantur. Adhæc, cùm mandragora sit frigidissima, potest mulieribus prodesse, quæ ob nimij caloris vteri intemperiem concipere non possunt, per eum autem mitigato & temperato eiusmodi calore, habiles fient concipiendo. Placet enim mihi, quod super ea re scripsit Leuinus Lemnius in eo libro quem inscripsit de Herbis in diuina Scriptura memoratis in capite secundo eius libri: An mandragora, inquit, vim fœtificandi mulieribus conferat, atque vtero retinendi seminis efficaciam conciliet, in dubium vocari posset. Cum enim soporifero effectu prædita sit, & sit impensè frigida, ea qualitas ad id præstandum prorsus inefficax videtur. Hoc tamen ita dilui posset; vt in frigidis, & humidis regionibus, atque in vteris muliebribus valdè humidis, & frigidis, tale quiddam perficere nequeat: sed in torridis, æstuantibúsque terris, & in valdè calidis, aridísque vteris. Quapropter in Africa, Hispania, Iudæa, Mauritania, Numidia, & Ægypto, in quibus regionibus fermè mulieres adustos & arentes habent vteros, & item squalidos, ac strigosos; non incommodè hoc pomum adhiberi posse crediderim, & valere ad fœcunditatem. Si quidem eius esu corpus muliebre ad temperiem reduceretur, & vterus retinendi seminis vim acciperet, ne id in fumos, ac fuliginem euanesceret, vt in calido, atq; æstuanti vtero fieri assolet, in quo vtriusque semina magis coalescunt, atque vniuntur. Sic ille.

Leuinus Lemnius.

Vera naturæ proprietas, & virtus, & effecta Mandragoræ.

QVINTA PROPOSITIO. Vera mandragoræ natura, vel potius 19
naturæ proprietas est, esse perfrigidam, & vt Galenus dixit, in tertio ordine refrigerantium. Germana item eius virtus est, esse somniferam, & soporiferam: quin etiam immodico eius vel esu, vel odoratu stuporem, obliuionem, priuationem sensus, amentiam, & interdum etiam mortem accidere, ex verbis Plinij, & Dioscoridis suprà memoratis, manifestum est. Adscribam hîc quod de se narrat Lemnius: Cùm æstiuis, inquit, mensibus in Musæo nostro amabile, ac speciosum mandragoræ pomum per imprudentiam collocassem, adeo somnolentus factus sum, vt soporem ægrè possem excutere; quamuis obnixè obluctarer somnolentiæ, eamque conarer eijcere. Et cùm rationem tanti veterni non possem inire; tandem, cum quaquauersum circumtulissem oculos, obtulit se à tergo pomum mandragoræ; quo inde transposito in alium locum, factus sum alacrior, depulso torpore, omnique oscitantia penitus discussa. Sic ille. Verissimile porrò est, talem fuisse mandragoram in Mesopotamia, & Palæstina, qualem in Mauritania vidit S. Augustinus visu pulchram, odore suauem, gustatu insipidam

sub

sub finem veris prouenientem in agris: namque hoc ipsum significari videtur in Canticis cap. 7. illis verbis: *Mandragoræ dederunt odorem.*

Ait Rachel, Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filij tui. Redeuntique ad Vesperam Iacob de agro, egressa est in occursum Lia; & ait: Ad me intrabis: quia mercede conduxi te, pro mandragoris filij mei. Dormiuitque cum ea nocte illa, & exaudiuit Deus preces eius, concepitque, & peperit filium quintum. VERSV 15 16. & 17.

20 SATIS apparet ex hoc loco, nec Iacob mixtum esse pluribus vxoribus, nec vxores tantoperè appetiisse concubitum eius, improbæ libidinis intemperantiâ, sed honesta flagrantique prolis cupiditate. Cui rei manifestum hoc loco perhibet scriptura testimonium, quæ sæpius dicit exaudisse Deum istarum mulierum preces, & vota, & vuluas earum aperuisse, & optatam dedisse prolem. Et mulieres ipsæ vbi prolem ediderunt, gratulabundæ Deo gratias agebant; & nomen filio imponebant, quod esset diuini muneris testimonium. Iacob item, vt omnibus, & singulis vxoribus satisfaceret, tollerétque de medio altercationes, & iurgia mulierum, certa singulis præfiniebat tempora, in quibus eis operam daret: quod manifesto est indicio, eum non dominante libidine, sed regente, ac moderante ratione, coniugalia munera ordinasse, tractasséque. Rectè igitur B. Augustinus ex hoc loco refutat calumnias, & criminationes impias Fausti Manichæi indignissimè loquentis de Iacob, & eius vxoribus. Audi eius verba ex capite 48. libr. 22. aduersus Faustum: Quid ego de viris loquar, quibus excellentissimum testimonium diuina Scriptura perhibetur? cum ipsas fœminas satis eluceat, nihil aliud in concubitu appetiisse, quàm filios? quippe se nequaquam parere viderunt, famulas suas dederunt viro suo, vt illas facerent matres carne, & ipsæ fierent voluntate. Nam quod mendacissima criminatione Faustus obiecit, habuisse inter se, veluti quatuor scorta certamen, quænam eum ad concubitum raperet: vbi hoc legerit, nescio: nulla enim ancillarum virum Iacob ab altera rapuit, nulla de illius concubitu cum altera litigauit; ideo magis ordo erat, quia libido non erat: & tanto firmiùs seruabantur coniugalis potestatis iura, quanto castiùs vitabatur carnalis cupiditatis iniuria. Quod enim & ab vxore conducitur, vbi vera nostra manifestatur assertio: quid enim opus erat vt eum altera conduceret, nisi quia ordo alterius erat, vt ad eam maritus intraret? neque enim ad aliam vnquam accessisset, nisi eum conduxisset; sed vtiq; iustis ad eam vicibus accedebat, de qua tot filios procreauerat. Verùm tunc Rachel noctem habebat in ordine, vt maneret cum viro: tunc penes eam potestas illa erat, de qua Paulus dixit: *Vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier.* Hic igitur Iacob, quem Faustus tanquam impudicum, clausis, vel potiùs extinctis oculis criminatur, si concupiscentiæ, non autem iustitiæ S. *August.* 1. *Cor.* 7.

ferutis fuisset, nónne per totam diem in voluptatem illius noctis æstuasset, qua erat cubiturus cum vxore pulchriore, sibíque cariori? Cum ergo iam die peracto in eius iret amplexus, quomodo inde auerteretur, si talis fuisset, qualem Manichæi opinantur? nónne placito mulierum contempto, intraret potiùs ad speciosam suam, cui noctem illam non solùm conpto, intraret potiùs ad speciosam suam, cui noctem illam non solùm coniugis more, verùm etiam ordinis iure debebat? Itaque vir temperantissimus, tam viriliter fœminis vtebatur, vt delectationi carnali non subiiceretur, sed dominaretur. Nam maritus iustus, & prouidus pater, cùm vxores suas prolis curam gerere videret, & ipse nihil aliud de concubitu quæreret, earum voluntati obtemperandum iudicauit, quæ sibi sigillatim filios optabant; intelligens sibi nihil minui, cui ambæ pariebant: tanquam diceret, Vobis inter vos, vt vultis, cedite, atque concedite, quænam vestrum fiat mater: ego quid contendam, quando, siue hinc, siue inde nascenti, non erit alius pater? Hanc profectò modestiam, & concupiscentiæ coërcitionem, & in commixtione corporum coniugalium, solam posteritatis humanæ appetitionem, vt erat acutus Faustus, in illis litteris, & intelligeret, & laudaret, nisi eius ingenium detestabili secta deprauatum, & quid reprehenderet, quæreret; & nuptialis conuentionis honestatem, qua mares & fœminæ liberorum procreandorum causa copulantur, crimen maximum deputaret. Sic Augustinus.

Quomodo Iacob facilè, ac plenè satisfacere potuerit quatuor vxoribus.

Cæterum scire fortasse quispiam cuperet, quemadmodum vnus Iacob, 21
quatuor vxoribus, iisque cupidissimis gignendi prolem, in reddendo illis debito, sufficere, ac satisfacere potuerit. Sed duas causas afferre possum, cur Iacob vxoribus suis plenè satisfacere potuerit: & vna causa erat in Iacob, altera in vxoribus eius. Erat sanè Iacob valentissimus, & potentissimus ad satisfaciendum vxoribus, & ad generandum numerosam prolem, ob quatuor causas: primò, quia erat firmissimo, & optimo corporis temperamento, abundans calore naturali, optimóq; semine. Deinde, ob perfectam prioris ætatis continentiam: ab ortu enim suo, vsque ad coniugium continentissimus fuit: erat enim vir sanctissimus, & virtutis amantissimus. At qui à pueritia libidinantur assiduè, enerues, imbecilli, & infœcundi efficiuntur. Ad hæc, quia erat ætate valdè integra, & matura & idonea ad generandum: cùm primùm enim vxorem attigit, quartum, & octogesimum agebat annum; quæ ætas in comparatione totius ætatis eius, quæ fuit annorum centum quadraginta septem, integra erat, maximéque idonea ad functiones coniugales, vt esset hoc tempore virilis ætas quadraginta annorum. Postremò, propter sobrietatem, & temperantiam in victu, & potu, & assiduam corporis agitationem in exercitio pastorali. Altera causa erat in vxoribus; quæ cum essent mulieres admodum honestæ, ac pudicæ, non appetebant viri concubitum, exsaturandæ libidinis, sed progignendæ prolis gratiâ: alioqui non tradidissent in matrimonium viro famulas, suas, quo videlicet ipsæ frequentiùs, & diutiùs cum viro esse possent.

Inter vxores Iacob, alias

Verùmenimuero fuisse inter vxores Iacob ordinem quendam dignita- 22
tis, vt aliæ aliis præponerentur, & priores, atq; potiores apud virum partes haberent, & verisimile est, & hac ratione persuaderi potest. Rachelem

& Liam

& Liam priori loco fuisse apud Iacob, quàm Balam & Zelpham, credibile facit, tum earum conditio, quòd illæ liberæ, & dominæ essent, hæ seruæ, & illarum ancillæ: tum quòd hæ, nisi illarum voluntate, immò rogatu & impulsu, non fuissent in matrimonium à Iacob assumptæ. Inter Liã porrò & Rachelem aliqua fuit differentia dignitatis. Cùm enim Rachelẽ Iacob primò, & solùm voluerit habere vxorem, & pro illa sola pactus fuerit seruitutem septẽnemj; nec Liam acceperit, nisi deceptus, & quasi coactus, vt Rachelem habere posset; quis dubitet, Rachelem priore potioréque fuisse loco apud Iacob? Sedenim vt Iacob omnes altercationum & iurgiorum occasiones inter mulieres ob petendum à viro debitum, prorsus de medio tolleret, certa præfiniuit tempora, in quibus ad singulas accederet, distinctas singulis noctes assignans: nam dies extra domum agebat in pascendo greges vsque ad vesperam. Hoc planè cernitur in eo, quod ita scriptum est hoc capite, Versu 16. *Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filij tui; redeuntique ad vesperam Iacob de agro, egressa est in occursum eius Lia, & ait, Ad me intrabis, quia mercede conduxi te pro mandragoris filij mei, dormiuitque cum ea nocte illa.* Quanquam credibile dictu est, plus temporis tribuisse Iacob principalibus vxoribus, quàm ancillis; & plus fortasse Racheli, quàm Liæ, ob rationes superiùs tactas.

præponi alijs, in coniugij functionibus oportuisse.

Nato autem Ioseph, dixit Iacob socero suo; Dimitte me, vt reuertar ad patriam meam, & terram meam. VERSV 25

23 HINC manifestum fit, Ioseph natum esse decimoquarto anno, quàm venerat Iacob in Mesopotamiam, & in domum Laban: nam vbi eò venit, post vnum mensem, pactus est cum Laban septenne seruitium pro Rachele: quo finito, data est ei per fraudem Lia, & necesse fuit alterum septennium pro Rachele seruire. Intra secundum hoc septennium genuit Iacob vndecim filios, & vnam filiam. ex Lia genuit hos, & hoc ordine, Ruben, Simeon, Leui, Iuda, Issachar, Zabulon, & Dinam. Ex Rachele genuit Ioseph: ex Bala ancilla Rachelis, Dan & Nephthalin: ex Zelpha Liæ ancilla, Gad, & Aser. Sed ordo istorum filiorum Iacob, secundùm tempus cuiusq; eorum ortus, hic est: Ruben, Simeon, Leui, Iuda, Dan, Nephthalim, Gad, Aser, Issachar, Zabulon, Dina, Ioseph: Beniamin autem, qui nouissimus omnium liberorum Iacob fuit, non in Mesopotamia, sed in terra Chanaam, post reditum ex Mesopotamia natus est. Quoniam igitur nato Ioseph, continuò egit Iacob cum socero suo Laban de reditu suo in patriam; inde palam est, Ioseph esse natum sub finem decimi quarti anni, postquam Iacob venit in Mesopotamiam, in quo finiabatur pacta quatuordecim annorum seruitus Iacob cum Laban: neque enim iusta fuisset postulatio Iacob, si ante finem secundi septennij abire voluisset. *Genes. 35.*

24 Ortus porrò Ioseph competens in decimum quartum annum post aduentum Iacob in Mesopotamiam, rationem annorum vitæ Iacob, multifariam notificat: & est quasi clauis quædam Chronologiæ rerum ad Iacob

Temporis ortus Ioseph bene cognitu, quasi clauis quædã est, ad totius fermè chronologiæ Iacob notitiam aperiendam.

pertinentium. Nam Ioseph natus est decimo quarto anno, quàm venerat Iacob in Mesopotamiam; cùm autem Iacob fuerit centum triginta annorum, Ioseph tunc nonum, & trigesimum annum agente, vt patet ex cap. 41.45.47. Geneſis; necesse est, in ortu Ioseph fuisse Iacob vnius, & nonaginta annorum. Hinc etiam liquet, quãdo Iacob venit in Mesopotamiam, id est quatuordecim annis ante ortum Ioseph, fuisse eum septuaginta septem annorum. Et quia septem annis pòst, cœpit filios generare, fuit Iacob, cùm primùm vxorem cognouit, & filios generare cœpit, annorum octoginta quatuor, septem nimirum annis ante natum Ioseph. Quando autem ex Mesopotamia discedens, redijt in terram Chanaan, id est, sex annis ab ortu Ioseph, erat Iacob septem & nonaginta annorum. Quo tempore autem Ioseph, annum decimum sextum agens, venditus est à fratribus suis, fuisse in eo tempore Iacob septem & centum annorum necesse est. Ecce tibi, quàm multa concludantur ad Chronologiam Iacob pertinentia, ex tempore ortus Ioseph signato, & constituto in decimo quarto anno post aduentum eius in Mesopotamiam. Si porrò verum esset, quod prodidit Alexander historicus apud Eusebium lib. 9. cap. 3. Rachelem vixisse cum Iacob tribus, & viginti annis, inde posset probari, Iacob fuisse septem, & centum annorum, cum ei natus est Beniamin, & hunc fuisse annis sexdecim minorem Iosepho, &, quod hinc consequens est, in eo ipso anno fuisse ortum, quo Ioseph à fratribus venditus est.

Eusebius.

VERSV 27 Ait illi Laban, Inueniam gratiam in conspectu tuo: experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te; constitue mercedem tuam, quam dem tibi.

Quanta in gratia sit vir bonus apud Deum.

CONSIDERET Lector quanti sit vir bonus, & Sanctus apud Deum: cuius videlicet respectu, sæpe Deus etiam improbos, atque impios homines secundat, & prosperat. Non erat ignarus Laban, quantopere res sua familiari, fideli, sedulóque seruitio Iacob amplificata fuisset: idcirco obnixè cupiens retinere eum diutiùs apud se, dixit, *Experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te.* Ergo bonorum hominum societas, & conuictus, sæpenumero, etiam malis, & sceleratis, magno bono, & præsidio est. Non erat Laban vsquequaque bonus, & erat insincerus Dei cultor: ob domesticam tamen consuetudinem Iacob, & contractam cum eo necessitudinem, maiorem in modum locupletatus à Deo fuerat. Simile est, quod infra Geneſis 39. scriptum est, Benedixisse Deum domui Ægyptij propter Ioseph. Prudentis igitur Patris familiâs fuerit, in deligendis famulis, aut conuictoribus, & contubernalibus, quoad eius fieri possit, exploratæ probitatis, & pietatis homines eligere, per quos Deus res, & negotia sua secundet, & prosperet. Veriſſimum enim est, quod Cyrus dixit apud Xenophontem libro 2. Fieri non posse, vt domus illa bene administretur, quæ improbis seruis vtatur. Videtur autem in sententia huius loci desiderari aliquid, quo sit perfecta

Bonum documentum.

Cyri apud Xenophõtem obseruanda sententia.

fectâ: hoc nimirum: *Mane apud me*: Vt sit hæc integra lectio: Inueniam gratiam in conspectu tuo: mane apud me; experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te. Quod si non subauditur illud, *Mane apud me*; Legenda sunt per parenthesim illa: (experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te) vt ordo lectionis sit: *Inueniam gratiam in conspectu tuo: constitue mercedem quam dem tibi: experimento enim didici, quia benedixerit mihi Deus propter te.* Atque hoc, quod diximus, euidentiùs cernitur in lectione Hebraica, quæ sic habet: *Si inueni gratiam in oculis tuis &c.* Hîc enim necessariò, vel supplendum est illud, *Mane apud me*, vel vt diximus, intermedia, legenda sunt per parenthesim.

26 Cæterum Græca lectio huius loci, ob scuritatem habet: talem enim reddit sententiam, *Si inueni gratiam coram te, auguratus sum vtique; benedixit enim me Deus in tuo ingressu.* Augustinus in locutionibus in Genesim, huiusmodi citat ex Græco, lectionem huius loci, *Si inueni gratiam ante te, auguratus essem: benedixit enim me, Deus in introitu tuo.* Et subdit: Non videtur, inquit, consequens quod hîc dicendum fuit: *Si inuenissem gratiam ante te, auguratus essem.* Non autem dicitur: *Si inueni.* Ordo autem est: *Si inueni gratiam ante te, permitte me augurari.* Sic enim dixit: *auguratus essem*, quasi diceret, ô si auguratus essem, id est, ad bonum augurium te in domo mea haberem. Hæc Augustinus. Græcæ igitur lectionis hic est sensus; Si tibi charus sum, & quod cupio, abs te impetrauero: auguratus vtique sum, id est, habebo id optimi augurij, & auspicij loco, vel putabo me optimo augurio recepisse te in domum, & familiam meam, vel, auguratus sum fore me fortunatum, si tu diutiùs apud me fueris meaque res administraueris. Sed vnde istam lectionem habuerunt septuaginta? ex verbo nimirum Hebræo ambiguo, multarúmque significationum. Etenim verbum Hebræum *Nahas* variè à septuaginta, & à S. Hieronymo vertitur: alicubi enim, *Experiri*, & vsu percipere significat, alicubi autem augurari: hinc ergo factum est, vt quod Hebraicè est in hoc loco *Nihasti*, Hieronymus verterit, *experimento didici*. Septuaginta *auguratus sum*. Sed probabiliorem esse Latinam translationem, constat etiam testimonio doctissimorum Hebræorum. Si quidem Aben Esra interpretans verbum Hebræum, *Nihasti*, inquit, hoc est, quasi tentaui, & probaui. Origenes annotauit, verbum illud, *auguratus sum*, esse verbum profanum, & à fidelibus Dei cultoribus alienum. *Non est*, inquit Scriptura, *augurium in Iacob*: Sed Laban, quia erat Gentilis, dixit *auguratus sum*, quasi alienus ab instituto Iacob. Explicatiùs hoc ipsum Theodoretus Quæst. 86. in Genesim; exponens enim illud quod dixit Lia Versu 10. nato sibi ex ancilla filio Gad, *Feliciter*, pro quo Græcè est *cum fortuna*, vel *cum bona fortuna*, hoc inquam, exponens Theodoretus, sic ait: In Scriptura, piorum hominum diuinæ institutiones, Spiritus sunt eloquia: Reliqua autem verba, historico more proferuntur. Non solùm igitur sermo ipse spectandus est, sed etiam quæ loquitur persona: porrò verbum *fortuna* non est verbum Iacob, sed vxoris eius Liæ, quæ in impietatibus fuerat à parentibus educata, & parum in diuinis instituta. Sic & pater eius dixit: *Auguratum sum*, cum diuina lex

S. Augus.

Aben Esra.

Origenes. Num. 23.

Theodore.

prohi

Deut. 18. prohibeat augurijs vti: nemo igitur putet, tales sermones esse diuinæ Scripturæ. Moses enim vt qui scriberet historiam, verba impiorum inseruit, sicut Pharaonis blasphemiam dicentis: *Non noui Dominum.* Qui non est sermo diuini Spiritus, sed Regis impijssimi. Sic Theodoretus. Similia

Exod. 5.

S. Augusti. super verbo *fortuna* reperiet Lector apud S. Augustinum quæst. 91. in Genesin.

VERSV 30 **Benedixit tibi Dominus ad introitum meum.**

PRO illo *ad introitum meum* Hebraicè est *ad pedem meum*, vel, vt 27
vertit Pagninus, *ad ingressum pedis mei*, quomodo etiam verterunt Septuaginta. Est autem Hebraismus, significans ad ingressum meum, vel, ad præsentiam meam, siue aduentum meum. Bene igitur Hieronymus Hebraismum cõuertit in consuetam Latinis locutionem: ex isto Hebraismo prouerbium manauit, non modò vsitatum apud Africanos, sed etiam à Latinis vsurpatum; *Homo boni pedis*, cum de felici alicuius aduentu loquimur. Et item, *secundo pede venire*, id est propitium esse, fauentémque. Afri tempore B. Augustini, talem hominem appellabant Namphanionem, id est, hominem boni pedis. Extat inter Epistolas Augustini Epistola 43. cuiusdam Maximi Mileuitani, hominis Ethnici, & nobilis Grammatici, indignantis Christianis, quòd quendam archimartyrem Namphanionem, omnibus dijs gentium anteferrent. Deridet autem in primis nomen illud Namphanionis. Cui respondens Augustinus Epist. 44. miratur, cur Maximus homo Afer Punica nomina deridiculo haberet. Nam si vocabulum, inquit, interpretetemur, non aliud certè significat, nisi hominem boni pedis, id autem est, cuius aduentus sit faustus, & felix; sicut etiam dicere solemus, secundo pede introijsse, cuius introitum prosperitas aliqua consecuta sit. Euander cùm Herculi sacra faceret, inuitat eum, vt ad ea secundo pede venire velit.

Prouerbium Homo boni pedis.

S. Augusti.

Virg. lib. 8. & 10. Æneidos.

Et nos, & tua dexter adi pede sacra, secundo,

Et alio loco magnam Deorum matrem inuocans: vt Phrygibus propitiata adesse vellet, secundò pede id fieri postulat;

Phrygibúsque adsis pede diua secundo.

Ruperti Allegoria. Non est prætereunda, quam super his verbis pulchrè tractat Rupertus, allegoria. Quid, inquit, habebat hic mundus, antequam Christus veniret? Quid, nisi modicum legalis scientiæ, quam & pauci nouerant, modicúmque carnalium cæremoniarum, quarum ritu vmbratico perpauci vnum Deum verúmque colebant. At nunc diues (potest Christus iure mundo dicere) effectus es, benedixítque tibi Deus ad introitum meum. Verè diues effectus est mundus vniuersus, præclara vnius veri Dei notitia: benedixítque Deus ad introitum Christi Filij sui, omni benedictione spirituali, qua & primò illis omnia peccata condonauit (licèt plerique retrorsum abeant, & conuertantur post Satanam) & deinde multiplicia dona contulit Spiritus sancti. Sic Rupertus libr. 7. Commentariorum in Genes. capite 37.

Iustum

Iustum est igitur, aliquando prouideam domui meæ. VERS. 30.

HEBRAICE est, *Et nunc quando faciam ego etiã pro domo mea?* Hebraismus est, Domum ponere pro familia, progenie, po-
28 steritate: Sic populus Hebræus dicitur domus Iacob, psalmo 113. *In exitu Israel de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro.* Et Isaias cap. 7. *Audite domus Dauid*, significans posteros Dauid: Similiter etiam loquuntur Latini: nam Virgilius Assaraci domum, appellauit posteros eius Troianos, vnde oriundi erant Romani. Aristoteles in Oeconomicis, nomine domus comprehendit homines eius habitatores, & possessionem eorum. Et Xenophon in Oeconomicis, Quid tandem, inquit, nobis videtur esse domus? nunquid sola habitatio? annon etiam quæcumque quis extra domum acquisiuit, & omnia nomine domus censenda erant? nam etiam si non sint in ciuitate, quæ dominus habet, quæcumque tamen possidet, ea vocantur domus eius. Significat igitur Iacob, sui officij esse prouidere domui suæ, id est, familiæ, quę constabat quatuor vxoribus & vndecim liberis: erátque ipse iã grandæuus, iam nonaginta annos transgressus: Cuius intererat, tot filijs non solùm in præsens; sed etiam in futurum consulere. Horum verborum allegoriam talem exponit Rupertus libro septimo Commentariorum in Genesim cap. 37. Quænam, inquit, est domus Christi, nisi illa domestica eius familia, quæ altari deseruit, & de sacramentis spiritualibus rationales plebium greges pascit? hic est ordo Apostolicus, sacerdotalisque, ac Leuiticus qui priùs gratis seruiuit, annuncians Euangelium regni Dei, non solùm gratis, sed etiam periculosè, recipiendo scilicet mala pro bonis: donec Lia pariter & Rachel Christo coniungerentur, id est, vtriusque, actiuæ scilicet, & contemplatiuæ vitæ varietates, per orbem terrarum in ordinibus suis multiplicarentur. Tandme ad ipsum Laban, id est, ad ipsos mundi Reges, Imperatores, cæterósque Principes, ac summos hominum abundantia gratiæ peruenit. Iustum igitur fuit Christum, aliquando prouidere domui suæ, id est, de Regum palatijs, de Principum prædijs, & thesauris suas Ecclesias ditare, vt esset, vnde haberet sufficientiam in vsus necessarios altari seruientium: in vsus pauperum, ac peregrinorum: in restaurationes Ecclesiarum, vel cœmeteriorum.

Quid nomine Domus significetur in Scripturis & apud Aristotelẽ & Xenophontẽ.

Ruperti Allegoria.

Gyra omnes greges tuos, & separa cunctas oues varias, & sparso vellere, & quodcumque furuum & maculosum, variúmque fuerit, tam in ouibus, quàm in capris, erit merces mea. VERS. 32.

29 QVÆ ab hoc loco ad finem vsque capitis huius sequuntur, multifariam habent perobscuram sententiam, nec facilẽ explicatum, tam in scriptura Hebraica, quàm in translatione Græca & Latina. Verùm enarratio huius loci posita in Tradi-

ditionibus Hebraicis in Geneſim à B.Hieronymo, ſatis boni Commentarij vicem præſtare Lectori poteſt. Ad hunc autem modum ſcribit Hieronymus: Multum apud Septuaginta Interpretes confuſus eſt ſenſus, & vſque in præſentem diem nullum potui inuenire Noſtrorum, qui ad liquidum, quid in hoc loco diceretur, exponeret. Hæc autem videtur eſſe ſententia: Vis, inquit Iacob, me ſeruire tibi etiam alios ſeptẽ annos? fac quod poſtulo. Separa omnes diſcolores & varias, tam oues, quàm capras, & trade in manus filiorum tuorum: rurſúmque ex vtroque grege alba & nigra pecora, id eſt, vnius coloris da mihi. Si quid ex albis & nigris, quæ vnius coloris ſunt, varium natum fuerit, meum erit: ſi quid verò vnius coloris, tuum. Rem non difficilem poſtulo; tecum facit natura pecorum, vt alba ex albis, & nigra naſcantur ex nigris; mecum erit iuſtitia mea, dum Deus humilitatem meam reſpicit & laborem. optionem datam Laban libenter arripuit; & triũ dierũ iter inter Iacob & filios ſuos ſeparauit, ne quis ex vicinitate pecoris naſceretur dolus. Iacob porrò nouam ſtopham commentus eſt, & contra naturã albi & nigri pecoris, naturali arte pugnauit. Tres enim virgas, populeas, amygdalinas, & mali granati (quanquam Septuaginta, Styracinas, & nucinas, & platanинas habeant) ex parte decorticatas, varium virgarum fecit colorem: vt vbicumque in virga corticem reliquiſſet, antiquus permaneret viridis color; vbi verò tolleret corticem, color candidus panderetur. Obſeruabat ergo Iacob, quo tempore aſcendebantur pecora, & poſt calorem diei ad potandum auida pergebant, & in eo tempore diſcolores virgas ponebat in canalibus: & admiſſis arietibus & hircis, in ipſa potandi auiditate, oues & capras faciebat aſcendi: vt ex duplici deſiderio, dum & auidè bibunt, & aſcenduntur à maribus, tales fœtus conciperent, quales vmbras arietum & hircorum deſuper aſcendentium, in aquarum ſpeculo contemplabantur: ex virgis enim in canalibus poſitis, varius erat etiam imaginum color. Poſtquam autem nati fuerant hœdi & agni varij & diſcolores, ex albis & vnius coloris gregibus; ſeparabat illos Iacob, & procul eſſe faciebat à priſtino grege. Si qui autem naſcebantur vnius coloris, id eſt, albi ſine nigri, tradebat in manus filiorum Laban. Sic Hieronymus. Ergo pacti inter Iacob & Laban; & itẽ artis & induſtriæ, qua vſus eſſe dicitur Iacob, vt breuiter & ſummatim dicatur, hæc eſt ſententia: Propoſuit Iacob conditionem hanc ſocero ſuo Laban, vt mercedis loco acciperet è grege, quem paſturus erat, partus omnes verſicolores, & varios. Laban accepta libenter conditione, ſeparauit à grege quicquid erat varium, & diuerſi coloris, tradens curæ filiorum ſuorum: vnicolorem autem gregem, reliquit Iacob paſcendum. Hoc artificio vſus eſt Iacob, vt è grege vnicolore ſibi tradito, verſicoloria naſcerentur. Nam virgas partim detracto cortice, partim integras, ac proinde partim albas, partim virides, & ſubnigras, ouibus potatum venientibus in canalibus propoſuit, vt diuerſum virgarum colorem oculis hauriẽtes, diuerſos itidem fœtus conciperent, ac parerent. Quod etiam euenit, & præter opinionem Laban, mirandum in modum ditatus eſt Iacob.

Sed quod S. Hieronymus in ſuperioribus verbis dixit, promiſiſſe Iacob

ſerui

seruiturum se Labã alios septem annos, vnde acceperit, equidem nescio. Nam verba Iacob ad Laban, quæ hoc loco refert Scriptura, huiusmodi fuerunt: *Si feceris quod postulo, iterum pascam, & custodiam pecora tua.* Non dixit Iacob, pascam septem annos: sed pascam iterum. Verùm, quia Iacob priùs bis custodierat gregem Laban, & vtroque tempore, septẽ annis, pro duabus vxoribus; Ideirco S. Hieronymus illud (Iterum) interpretatus est, septem annos. Sed videtur ista interpretatio pugnare cum ipso euentu, ac veritate historiæ. Siquidẽ infra Gen. 31. apertis verbis dicitur, extremam hanc seruitutem Iacob, non fuisse nisi sex annorum. Hæc sunt enim verba Iacob expostulantis cum Laban: *Per viginti annos seruiui tibi, quatuordecim pro filiabus, & sex pro gregibus tuis.* Sed responderet Hieronymus, tale quidem fuisse primum pactum inter Iacob & Laban, vt ipse dixit; sed Iacob, compulsum iniquitate Laban, per summum nefas & iniustitiã, fæpenumero commutantis pactam mercedem; tum etiam filiorum eius aduersum se maleuolentia, inuidia, & malignitate incitatum, noluisse finire septennium: sed expleto anno sexto discessisse. Atenim facit cõtra hoc, quòd Laban vbi fugientem Iacob consecutus est, inter ea, quorum accusauit eum, de non expleto septennio seruitutis, vti conuentum inter ipsos fuerat, verbum fecit nullum; quod in primis tamen exprobrasset ei, si id fuisset in pacto. Verùm missa hæc faciamus, & perpendamus verba Scripturæ, quæ supra proposuimus ad explicandum.

Excutitur sententia quadã B. Hieronym.

31 S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim, talem ex Hebræo citat huius loci lectionẽ: *Trãsibo in vniuerso pecore tuo hodie: separa inde omne pecus variũ & discolor: & omne pecus vnius coloris in agnis, & variũ & discolor in capris, erit merces mea.* Sed proculdubio illud: *Omne pecus vnius coloris in agnis,* mẽda nõ caret cũ pugnet cũ ipsa sententia, & sit cõtra pactũ, quod Iacob inire voluit cum Laban. Quare pro illo: *Vnius coloris,* legi potiùs deberet *Varij coloris.* Pagninus, ad Hebraicæ lectionis sententiam, sic est hunc locum interpretatus: *Transibo per omnes pecudes tuas hodie, remouendo inde omne pecus punctis paruis respersum; & aspersum maculis latis, & respersum punctis in capris, erit merces mea.* Græca translatio, sic ad verbum habet hoc loco: *Transeant omnes oues tuæ hodie, & separa inde omnem ouem fuscam in agnis: & omne subalbum & sparsum in capris, erit mihi merces.* Miror cur solùm in translatione Græca mentio facta sit caprarum versicolorum? quasi hæ tantùm, & non item oues, pertinuerint ad mercedem Iacob, & ad pactum quod fecit cum Laban, cum hoc manifestè contrarium sit narrationi Scripturæ, tam iuxta lectionem Latinam, quàm Hebraicam & Chaldaicam.

32 Cæterum quò planior sit & apertior sententia, per partes verba hæc pertractemus. *Separa cunctas oues.* Hîc nomine ouium, intelligere oportet tam fœminas, quàm mares, id est, etiam arietes, vt ex subsequenti narratione manifestum est. Nimirum, eadem causa est, quin etiam maior, vt color paternus sit in prole, quàm maternus: siquidem paternum semen principalius est in generatione prolis, & vis actiua quæ format fœtum, & fingit ad omnem figuram vel colorem, in semen virile deriuatur

potius,quàm in muliebre,quòd vicem gerit materiæ magis quàm agentis,& mobilis potiùs quàm mouentis.

Quatuor autem ponuntur hîc nomina diuersorum colorum gregis,vi 32
delicet,esse varias,& sparso vellere,& maculatas,& furuas siue fuluas Variæ oues dicuntur,quæ habebant quasi virgulas quasdam albi coloris vel nigri,ita vt totum fermè corpus circumdarent,& quasi cingerent.Dicũtur sparso vellere,id est,pleno vellere maculis paruis diuersorum colorũ; & hoc differt à vario;quòd varium habet diuersitatem colorum, vt diximus,in modum lineæ per transuersum circundantis;sparso autem vellere est,quod multifariam paruis quasi maculis notatum est.Quanquam apud Hieremiam cap.xiij.varium ponitur pro multigenis coloribus, quasi maculis varijs distinctum,in illis verbis:*Si mutare potest Aethiops pellem suã, aut pardus varietates suas; & vos poteritis benefacere,cum didiceretis malè.*

Furuus color. Varietates enim pardi,sunt diuersa genera colorum, quasi paruis maculis similia.Furuum idem est ac nigrum,nam furuæ hostiæ dicebantur Ethnicis Romanis,quæ erant nigri coloris:quod genus hostiæ Dijs inferis gratissimæ putabantur.Sed quia furuum ponitur pro eo,quod est distinctum à perfectè albo,vel nigro;necesse est intelligere nomine furui,non perfectè nigrum:non enim tantùm voluit Iacob separari à grege, & tradi in potestatem Laban pecora varij coloris,sed etiam quæ non erant tota perfectè vel alba,vel nigra.Alij Codices habent fuluum, & sic legit Thostatus.Fuluus autem color, vt est apud Gellium libro 2. cap. 26. videtur de rufo atque viridi mixtus,in alijs plus viridis,in alijs plus rufi habere. Sic Poëta verborum diligentissimus,fuluam aquilam dicit, & Iaspidem fuluum,& fuluos galeros, & aurum & arenam,& leonem,& æs,fulua. Septuaginta fuscum dixerunt,quod est subnigrum,

Fuluus color. Thostatus. Gellius.

In Hebræo sunt tres voces,*Nachod*,*Talu*,*& Hum*. *Nichud*, punctum, 33
siue stigma, siue paruam maculam diuersi coloris significat: Vnde *Nachod* dicitur animal album,habens veluti paruas maculas nigri coloris:vel contra animal nigrum habens quasi maculas, & velut puncta quædam alba.*Talu*,dicitur animal maculosum, sed quod maculas habet latas,& tanquam frusta quædam diuersi coloris.*Hum*,ponitsole. pro fuluo,& rufo,& fusco,interdum etiam pro nigro:descendit enim ab *Hom*, quod calorem significat,quia calor,& nigrum & rufum, & nigrum declinans ad rufum,solet facere. Paulò aliter Oleaster ; Dicunt, inquit, tam Hebræi,quàm Nostri,*Nachod*,significare punctatum,& maculis paruis respersum;*Talu* verò,magnis maculis notatum. Sed si radices istarum vocum spectes,deprehendes oppositum esse : *Nachod* enim, significat maculosum,siue paruis,siue magnis maculis:*Talu* verò punctatum, seu paruis punctis respersum:Et hoc probat ipse ex multis Scripturæ locis.Potest etiam,inquit,*Nachod*, significare cinctum, seu cingulo maculæ circumdatum.Ergo sensus huius loci,tam secundùm Latinam, quàm Hebraicam lectionem,hic est:Separa à cuncto grege pecora varijs coloribus,vel tanquam punctis,& paruis maculis notata, vel tanquam latis maculis & frustis distincta,siue circumdata,& item subnigra,& subrufa : & hæc omnia

trade

trade pascenda tuis filijs,& seruis: mihi autem solùm relinque, quæ fuerint tota perfectè vel alba,vel nigra. Ex his porrò, quæ nascentur similiter alba vel nigra,tua erunt; quæ verò diuersi coloris, mihi erunt loco mercedis.

34 Diodorus præceptor S.Chrysostomi,adnotauit (vt citatur in Catena) in Mesopotamia candidas oues & nigras capras, potissimùm exquiri, & magni fieri cõsueuisse:in Palæstina verò versicolores:quare quod cõtigit Iacob, Deo operante factum est in emolumentum eius, qui mox rediturus erat in Palæstinam. Verùm,dicet aliquis,cur hîc ouium tantùm,& caprarum fiat mentio, quasi hæc tantùm pasceret & custodiret Iacob, non autem boues,equos,& camelos nominet: cum tamen hæc Iacob habuisse,in extremis verbis huius capitis proditum sit. Verùm Iacob non accepit pascenda & custodienda à Laban,nisi supradicta animalia, oues dico, & arietes,capras & hircos: cetera verò animalia,quæ habuisse dicitur Iacob,non à Laban accepit; sed ipse sibi comparauit.Nam venditis animalibus,quæ sibi ex pacto,mercedis loco incredibili copia obuenerant,emit boues,asinos & camelos:quæ postmodum eius industria,sed potissimùm Dei benignitate,mirandum in modum propagata sunt.

Respondebítque mihi cras iustitia mea, quando placiti tempus aduenerit coram te:& omnia,quæ non fuerint varia,& maculosa,& fulua,tam in ouibus,quàm in capris, furti me arguent. VERS. 33.

35 PRo illo: *Respondebit mihi iustitia mea*, Græcè est; *Exaudiet me iustitia mea*. Id est, exaudiri me faciet apud Deum; sic interpretante Augustino in Locutionibus in Genes. Pro verbo, *respondere*, Hebraicè est verbum *ana*, quod & respondere significat,& testificari,siue testimoniũ perhibere.Est igitur sẽsus:Tuis ipse oculis videbis euidẽter,cum tempus mercedis meæ venerit,quàm copiosè Deus remuneraturus sit iustitiã meã;id est,quia sincero animo,bonáq; fide,magnáq; cura,& diligentia seruiã tibi.Vel iustitia Iacob non est referenda ad copiosam mercedem,quæ ei ventura erat; sed ad innocentiam, & integritatem eius: quòd licet durissimã conditionem fecisset cum Laban;attamen nihil in grege suo reperiendum esset, quod non ex pacto ad ipsum pertineret.Huc enim spectat quod ipse dixit: *Si quid repereris in animalibus, quæ ad me pertinent,non diuersi coloris,vt inter nos conuentum est, furti me argue,& ego furti pœnæ subiacebo*.S.Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim,sic enarrat hunc locum:Tecum facit natura pecorum,vt alba ex albis,& nigra nascantur ex nigris, mecũ erit iustitia mea; dum Deus humilitatem meam respicit,& laborem. S. Hieronym.

36 Sed singulatim expendamus verba: *Respondebit mihi*. Nonnunquã in Scriptura verbum, *Respondeo*, idem significat,atque reddo quod meritũ & debitum est,siue præmium sit,siue pœna. Et idcirco dicitur,iniquitas alicuius respondere ei,cùm Deus irrogat pœnam iniquitati eius debitam. *Respõdere pro eo quod est, Reddere cuipiam pro meritis.*

Ad hanc sententiam legitur Isaiæ 59. *Multiplicatæ sunt iniquitates nostræ coram te, & peccata nostra responderunt nobis.* Et apud Hiere. ca. 14. *Si iniquitates nostræ responderint nobis.* Itaq; responsio iniquitatis vel peccati, est irrogatio pœnæ debitæ peccato: responsio autem iustitiæ, est Dei fauor, & benignitas remunerantis iustitiam, vt meritum eius est. Videtur porrò significatio istiusmodi esse metaphorica, & sumpta ab agricolis; quibus terra perinde vt curata, & culta, & seminata ab illis fuerit, ita respondet vel benignitate, vel malignitate fructuũ. Huius significationis exemplum habes apud Virgilium 1. Georg.

Virgilium.

Illa seges demùm votis respondet auari
Agricolæ, bis quæ solem, bis frigora sensit,

Sequitur vox illa *cras*. In Scriptura sunt hæ tres voces, *heri, hodie, cras*, peculiarem habentes significationem. Nam *heri* significat omne tempus præteritum, *hodie* tempus præsens, & nonnunquam ipsam æternitatem; *cras* tempus omne futurum designat. Vnde illud Pauli ad Heb. 13. *Iesus Christus heri, & hodie, ipse & in sæcula.* Vult ergo Iacob dicere, non solùm fuisse se iustum per quatuordecim annos quibus antea seruierat Laban: sed etiã post initum pactum, iustitiam suã qua seruiturus illi erat, fore etiã ipsi conspicuam. *Quando placiti tempus aduenerit*: Placitum vocat pactũ, & conuentum inter se & Laban, cuius placiti exequendi tempus erat in tempore generationis nouorum fœtuũ ex ouibus, vel capris. Tunc enim adueniebat Laban, & quæ ex albis, vel ex nigris orta erant alba & nigra, sibi sumebat: quæ verò non ex toto erant, vel alba, vel nigra, ea mercedis loco, relinquebat genero suo Iacob.

Quomodo Iacob citra iactãtiam prædicauerit suam iustitiam.

Mirabitur fortasse quispiam, quomodo Iacob cùm fuerit vir sanctissimus, prædicet suam iustitiam. *Iustus enim*, vt inquit sapiens, *accusator est sui:* non est autẽ laudator. Sedenim aliud est præcisè, & absolutè commemorare ac prædicare iustitiam suam, & hoc nec faciunt Sancti viri, nec fecit Iacob: aliud est memorare iustitiam suam quantum ad aliquid, vel quantum ad crimina sibi obiecta, purgando se ab illis, vel quantum ad aliquid à se factum, demonstrando non malignè, nec iniquè, sed sincerè & rectè factum esse. Idem sæpius fecisse Dauidem multis in psalmis testatum est. 37

S. Hieronym.

Audiat Lector S. Hieronymum in Epistola 135. quam scripsit ad Suniã, & Fretelam: Nam commemorans illa verba Dauidis ex psalmo 7. *Iudica me Domine secundùm iustitiam meam*, subdit hæc: nec videatur cuiquã temerarium, quòd iudicari se postulet secundùm iustitiam suam; cum, & sequẽs versiculus hoc ipsum confirmet: *Et secundùm innocentiã meã super me.* Et psalm. 16. hoc sit exordium: *Exaudi Domine iustitiam meam*: & in 17. similiter dicat: *Retribuet mihi Dominus secundùm iustitiam meam, & secundùm puritatem manuum mearum reddet mihi*: Et psalmo 85. *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.* Iacob quoque loquitur in Genesi: *Et exaudiet me cras iustitia mea.* Sic Hieronymus. Iacob igitur prædicat iustitiam suam, non quâ putaret se absolutè iustum coram Deo, sed quâ fideliter, ac sincerè, atque innocenter seruiturus erat Laban.

An

SECVNDA DISPVTATIO.

An laudari posſit iuſtitia Iacob in eo quod egit cum Laban.

Super verbis illis iam expoſitis,

Reſpondebit mihi cras iuſtitia mea.

38 NOn videtur iuſtè egiſſe Iacob cum Laban: immò verò multùm ei per fraudem nocuiſſe. Nã cum accepiſſet à Laban paſcendum gregẽ vnicoloré, ille artificio ſuo fecit, vt ex eo non vnicolores fœtus, ſicut natura ipſa ferebat, naſcerentur, ſed verſicolores; magno ſcilicet cum detrimento ſoceri ſui Laban. Rupertus lib. 7. Commentar. in Geneſ. cap. 38. ponit hanc ipſam quæſtionem, tractans illa verba: *Reſpondebitque mihi cras iuſtitia mea*; ita ſcribens: Hîc iam quæritur; vtrum verè in eo, quod egit Iacob, iuſtitia ſua ei reſponderit. Quid enim ille egit? nónne ſtropham nouam commentatus eſt? & contra naturam albi & nigri pecoris, naturali arte pugnauit? & cùm memoraſſet Rupertus, quod egit Iacob circa virgas poſitas in canalibus ante conſpectum ouium, ſubdit; Hoc ergo quæritur, vtrum rectè à Iacob in tali facto iuſtitiæ ſuæ reſponſum ſperatur, in quo dolus, vel impoſtura manifeſtè conuincitur. Poſthæc, ſolutionem quæſtionis tradit proximè ſequenti capite, hiſce verbis: Ad hæc dicimus, ante hanc ſtropham iã dudum Iacob cauſam iuſtitiæ ſuæ habuiſſe contra Laban: ac ſi tempus ſibi idoneum coram illo, cum legitima defenſione datum eſſet, ſubſtantiam Laban iure tollere debuiſſe. Ille namque vnam poſtulanti filiam in coniugium, & pro vna ſeruitium ſuſcipienti, alteram quoque homini peregrino, & aduenæ impoſuit; illam videlicet cuius nuptias, quia deſpicabilis erat, difficiles ſibi fore ſciebat. Nec enim ſine magna dote quis illam ſtrenuus vir acciperet, quam facies, quæ multùm valet in huiuſmodi, nequaquam expetibilem faciebat. Si igitur, Iacob opportunitatem habuiſſet, potuiſſet vtique vocare in ius Laban, quòd filias ſuas alendas ipſi abſque dote vlla impoſuerat: inſuper & pro ea quam non expetitam ſibi obtruſerat, ſeruitium ſeptem annorum extorſerat. At ille peregrinus erat, & aduena, idcirco violentum & potentiorem indigenam in ius vocare non poterat. Arte igitur neceſſariò pro filia contra patrem vſus eſt, vt ad filiam cui competebant, bona patris aliqua deuenirent. Et in hoc verè iuſtitia eius reſpondit ipſi. Sic Rupertus. Significat igitur Rupertus cauſam, cur Iacob iuſtè potuerit ex bonis Laban, per artem, & induſtriam ſuam, magnum capere emolumentum, fuiſſe potiſſimùm, quod contra ius, & morem gentium, maximè verò illius regionis, filias dederat Iacob in matrimonium ſine vlla dote, & fermè nudas. *Ruperti*

Nos

Auctoris sententia.

Nos Ruperto assentientes, quantùm ad sententiæ eius veritatem, paulò enucleatiùs eam ipsam sententiam declarabimus, subiectis tribus Propositionibus. 39

PRIMA PROPOSITIO. Factum illud Iacob, si per se ipsum consideretur, videtur fuisse fraudulentũ, & iniquũ, magno nẽpe coniunctum cum dãno soceri sui Laban. Nã si Iacob sua illa industria & arte, citra cuiusquã iniuriã & dãnum sibi profuisset, bona sua amplificans, fuisset illa eius industria & honesta & laudabilis. At ea fuit cum ingenti detrimento Laban. Siquidem greges vnicolores, secundùm naturam, & nisi oppositũ fuisset in pactis, edimentum, vnicolores quoque fœtus procreassent; albi nimirum albos, & nigri nigros, & hoc erat lucrum Laban: id autem lucrũ Iacob auertit ab eo; & in seipsum conuertit. Itaque priuauit Laban certo lucro futuro, & ex damno illius emolumentum sibi comparauit: quod esse contra ius & fas, nemo negabit.

Triplex iniustitia Laban cõtra Iacob.

SECVNDA PROPOSITIO. Laban triplici vsus est iniustitia cõtra Iacob, non dans ei quod debitũ ei erat. Prima iniustitia fuit, cùm per dolum substituit ei Liã pro Rachele: & eã vxorem ducere quodãmodo cõgit, nullã pro ea tribuens dotẽ; quã tamen, quia inelegans erat, nemo quisquã vir honestus sine magna dote accepisset: immò verò, quod fuit iniquius, pro eius coniugio septẽ annos seruitutis ab eo exegit. Secunda iniustitia fuit, quòd filias in matrimonium dedit, nullã eis dotem assignans, contra ius & consuetudinem gentium, maximè verò illius regionis, sed quasi seruas vendidit eas Iacob pro seruitute, quã illi seruierat. Tertia iniustitia fuit, quòd pactã ei mercedẽ decies iniquissimè commutauit. Has igitur ob causas, Deus bona Laban transtulit in vxores & filios Iacob. Sed hoc perspicuũ magis fiet appositis verbis Iacob, & vxorũ eius, quæ paulò infrà ca. 31. commemorantur. Verba Iacob ad vxores suas hæc sunt versu 7. *Nostis ipsæ, quòd totis viribus seruierim patri vestro: Sed, & pater vester circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus, & tamen non dimisit eum Deus, vt noceret mihi. Si quando dixit; Variæ erunt mercedes tuæ; pariebant omnes oues varios fœtus. Quando verò è contrario ait: Alba quæque accipies pro mercede, omnes greges alba pepererunt, tulitque Deus substantiam patris vestri, & dedit mihi.* Quærimonia porrò, vxorũ Iacob de patre suo Laban narratur illis verbis Versu 14. *Respondérúntque Rachel, & Lia: Nũquid habemus residui quicquam in facultatibus, & hæreditate domus patris nostri? Nonne quasi alienas reputauit nos? & vendidit, comeditque pretium nostrum? Sed Deus tulit opes patris nostri, & tradidit nobis, & filijs nostris. Vnde omnia, quæ præcepit tibi Deus, fac.* 40

TERTIA PROPOSITIO. Potest quispiã duplici nomine, siue, vt loquimur in scholis, titulo, iustè accipere sibi bona, quæ sunt in potestate alterius hominis, etiã inscio eo, & nolente ipso: Primò quidem, si ea bona iure ad ipsum pertineant, nec alia ratione possit ab eo recipere, nisi, vel occultè, vel per artẽ aliquã, & industriã: vt si debitam sibi mercedẽ, aut creditã à se pecuniã illi, aliáve bona eius fidei commissa nolit reddere eo tẽpore quo deberet, vel quamuis alterius bona ad alterum nullo iure pertineant, 41

neât,tamẽ si Deus iubeat ea cuiquã auferri,& dari alteri,cùm ipse dominus sit omnium,iustissima est eiusmodi bonorum acquisitio & possessio. Cuius rei exemplum illustre Lector habet in terra Chanaan, quam Deus abstulit Chananæis indigenis, & antiquis eius possessoribus, deditque Hebræis. Prioris autem iuris exemplum extat in libro Exodi, vbi narratur,Hebræos abstulisse secum Ægyptiorum bona, quæ commodato ab ipsis acceperant;Deo id iubente fieri, propter iniustitiam Aegyptiorum, qui pro diuturnis & magnis laboribus,quos Hebræi seruiendo ipsis pertulerant,non solùm meritam debitámque illis mercedem non reddiderunt;sed insuper inhumaniter & crudeliter eos longo tempore vexauerũt. Idcirco scriptum est de Hebræis in libro Sapientiæ cap. 10. *Reddidit iustis mercedem laborum suorum*:quasi diceret,CùmDeus bonis Aegyptiorum locupletauit Hebræos,non aliena eis dedit, sed propria, quæ videlicet seruiendo meruerant. Iacob autem vtroque nomine bona Laban in suum emolumentum conuertit;tum iussu Dei, tum iure suo, nimirũ pro duobus vxorẽ,& pro seruitio suo,cuius mercede sępius eũ fraudauerat.

Exod.12.

Locus libri Sapientiæ cap. 10.

Et separauit in die illa capras, & oues,& hircos, & arietes varios,atquemaculosos:cunctum autem gregem vnicolorem, id est,albi,& nigri coloris,tradidit in manu filiorum suorũ. VERS. 35.

42

HIc locus quantum ad illa verba : *Cunctum autem gregem vnicolorem tradidit in manu filiorum suorum* :obscurissimum habet intellectum,& vix vllum capit idoneum, ac probabilem explicatum:videtur enim lectio Latina huius loci,lectioni tam Hebraicæ,quàm Græcæ non modò diuersa, sed aduersa.Hebraicè ad verbum sic est,vt vertit Pagninus : *Et remouere fecit in illa die hircos maculis respersos in locis vbi colligari solent,& omnes capras punctis respersas,& maculis aspersas,& omne in quo erat cãdor,& omne rufum in pecudibus,& dedit in manu filiorũ suorũ.* Græca lectio hãc cõtinet sententiã:*Et separauit in die illa hircos sparsos & subalbos,& omnes oues sparsas,& subalbas,& omne quod erat fuscũ in agnis,& omne quod erat albũ in eis:& dedit in manu filiorũ suorũ.* Dupliciter igitur Latina huius loci lectio differt à Græca,& Hebraica:tum quòd illa duplex genus gregis distinguit, vnum versicoloris,alterum vnicoloris : hæ verò vnum tantùm genus versicoloris gregis commemorant:tum quòd illa duas facit distinctas sententias in hac periodo:vnã ab initio periodi,vsque ad illud : *Cunctum autem gregem vnicolorem*:alteram ab his verbis,vsque ad finem periodi:hæ verò totam periodum habent sub vno contextu orationis,& sub vna sententia. Videtur præterea hæc verba falsam continere sententiam : nam in pacto inter Iacob & Laban expressum fuerat,vt discolor grex remoueretur à cura Iacob,datus curæ Laban:vnicolor autem relinqueretur Iacob : hîc autem contrarium dicitur.Hanc igitur ob causam,& in tota historia huius facti

Disceptatio super Latina lectione huius loci.

Iacob,præsertim autem hoc loco,non pauci auctores Catholici, & cum-
primis graues Theologi Latinam translationem huius loci,& mutilam,&
Caietanus. confusam,atque adeo mendosam improbant. Caietanus super illa verba:
Gyra omnes greges tuos,&c. Versu 32.ad hũc modum scribit; Scito prudẽs
Lector,quòd vniuersa hæc pars textus,vsque ad finem capituli,apud La-
tinum interpretem paraphrasis est potius quàm textus, & propterea non
mireris,si alia pacta in hoc textu nostro legas,& non illa,quæ solitus est le
gere. Antiquus enim interpres nescitur quo Spiritu hæc ita summauerit.
Lyranus & Thostatus. Sic Caietanus. Sed plura ad istam sententiam leguntur apud Lyranum. Is
enim super hoc ipso loco,de quo nunc disputatur, ita scribit: Videtur
quod dicitur hîc,contradicere ei, quod paulò supra dictum est, scilicet
quòd variæ pecudes pertinerent ad curam filiorum Laban,vnicolores au
tem relinquerentur curæ Iacob. Doctores nostri vt difficultatem expedi-
rent,dupliciter exposuerunt hunc locum. Dicunt primò nomine filiorũ
Laban,intelligi debere hoc loco filios Iacob,qui erant nepotes Laban:nã
sicut auus in Scriptura dici solet pater nepotis,sic contrà,nepos filius aui.
Ergo quod dicitur vnicolorem gregem traditum esse in manu filiorum
Laban,idem significat ac si diceretur, traditum fuisse in manus filiorum
Iacob. Sed istam expositionem repellit ætas filiorum Iacob;quorum na-
tu maximus Ruben,minor erat,id temporis,septimo anno. Siquidem pa-
ctum illud inter Iacob & Laban,narratio Scripturæ demonstrat esse fa-
ctum statim post ortum Ioseph,qui natus est septimo anno postquam Ia-
cob vxores cognouit,& filios generare cœpit. Cùm igitur Ruben nondũ
esset septennis,& alij minores essent,in qua ætate pascendo, & custodiẽ-
do gregi nequaquam erant idonei,non est credibile dictu,Laban custo-
diam gregum tradidisse in manum illorum puerorum. Quocirca Docto-
res altero modo exponunt hunc locum,dicentes intelligi quidem id de-
bere de filijs Laban,sed dictum hoc fuisse per anticipationem:non enim
hoc loco locutum esse Mosen de prima separatione gregum, facta statim
post pactum;sed de secunda,quæ deinde post virgarum positionem in ca-
nalibus,& post generationem fœtuum fiebat. In qua diuersicolores re-
linquebantur Iacob:vnicolores autem accipiebantur à Laban,& curæ fi-
liorum suorum tradebantur. Verùmtamen expositio hæc videtur mul-
tum extorta:& hac posita,nihilominus Latina lectio discrepat à littera He
braica. **Namque** vbi nos habemus;*Cunctum autem gregem vnicolorem:* in
Hebræo sic est:*Omne quod habebat album in se ipso,& omne rufum in arie-
tibus:* Quod sic exponunt Hebræi, & omne quod habebat maculam al-
bam quantumcumque minimam,& omne quod habebat partem quam-
piam rufam,quantumcumque minimam: licet totum residuum,vnius es
set coloris. Discrepat item Latina lectio ab Hebraica in pũctuatione, quia
facit principium versus distinctum à præcedenti ibi,*Cunctum autem gregẽ
vnicolorem:* in Hebræo autem totum continetur sub vno contextu oratio-
nis,& sub vno versu,& sub vna sententia ab initio vsque ad finem. Hacte-
nus ex Lyrano. Idem sensit,& scribit Thostatus,ad vnum omnia mutua-
tus ex Lyrano.

Mihi

43 Mihi placet secunda expositio, quamuis eam Lyranus vt duram & extortam reijciat: meliorem quidem certè huius difficultatis exsoluendæ modum, reperire adhuc non potui. Censeo igitur in hoc loco Mosen loqui de secúda diuisione gregum, & pecudum, non autem de prima, quod meliùs intelligetur, si Lector aduertat duplicem factam esse diuisionem gregum à Laban; prior diuisio gregum, & pecudum facta est, statim post initum pactum inter Iacob & Laban: in qua diuisione diuersicolores pecudes segregatæ sunt ab vnicoloribus, & ille remotæ sunt à cura Iacob, & traditæ in manus filiorum Laban: Hæ verò relictæ sunt curæ Iacob. Posterior diuisio pecudum fiebat eo tempore, quo pecudes vnicolores, quas pascebat Iacob, generauerant fœtus suos. Tunc enim Laban veniebat ad greges Iacob, & despiciens generatos agnos, vel hœdos, quicumque erãt vnicolores, eos sibi ex pacto sumebat, & aggregabat ad alias pecudes quas pascebant filij eius: qui autem versicolores erant, eos relinquebat Iacob; tanquam laboris eius mercedem. Secundùm hanc igitur expositionem facilis est huius loci explicatio: sic enim commodè exponitur; *Et separauit in die illa*, non in ea, qua factum, sed in eo tempore, quo separatio fieri debebat, post generationem ouium, & caprarum: *Capras, & oues, & hircos, & arietes varios, atque maculosos.* Ista separauit, & dedit Iacob, quòd ex pacto ad mercedem eius pertinèrent: *Cunctum autẽ gregem vnicolorem tradidit in manu filiorum suorum.* Si quidem ex gregibus vnicoloribus relictis curæ Iacob, quæcumque similiter vnius coloris nascebantur, ea pertinebant ex pacto ad Laban, & idcirco ad greges, quos pascebant filij eius adiungebantur. Et quamuis huiusmodi separatio facta sit post virgarũ positionem in canalibus, hîc tamen ante narrata est per anticipationem, figuram vtique frequentem in Scriptura, quæ perturbato huius narrationis ordine, magnam fecit obscuritatem. Hæc itaque est nostra sententia. Equidem spero alios maiori & ingenio & doctrina, maioríque cura, & animi contentione, ad huius difficultatis explicationem incumbentes, commodiorem aliquam, & probabiliorem solutionem reperturos: nam damnare, quod illi faciunt, Latinam lectionem huius loci, quam omnes Latini codices cõcordissimè habẽt, etiã, qui nouissimè iussu Sixti V. Pontificis Maximi diligenter emendati in publicũ prodierũt, nefas esse duco.

Tollens ergo Iacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticauit eas: detractísque corticibus in his quæ spoliatæ fuerãt, candor apparuit: illa verò, quæ integra fuerant viridia permanserunt: atque in hunc modũ color effectus est varius. Posuítque eas in canalibus vbi effundebatur aqua: vt cùm venissent greges ad bibẽdũ, ante oculos haberent virgas, & in aspectu earũ conciperẽt. Factúmque est vt in ipso calore coitus, oues intuerẽtur virgas, & parerẽt maculosa, & varia, & diuerso colore respersa. VERS. 37. 38. 39.

LATINÆ lectioni huius loci, quam memorauimus, diuersa 44
nonnullis in rebus est Græca & Hebraica: id manifestum erit Lectori, si vtramque lectionem hîc adscriptam, considerandam ei proponamus. Hebraica lectio, vt eam Latinè Pagninus expressit, sic habet: *Et tulit sibi Iacob virgam populeam viridẽ: & amygdalinam, & castaneam. Et decorticauit in eis cortices albos, denudans candorẽ, qui erat in virgis: Et statuit virgas, quas decorticauit in canalibus, in potorijs aquarũ, ad quæ veniebant pecudes, è regione pecudũ, & coirent, dũ venirent ad bibendum. Et coibant pecudes ad virgarum aspectum, & pariebant pecudes maculis respersas in locis, vbi colligari solent, & pũctis respersas: & maculis latis respersas.* Pagninus igitur pro virgis plataninis, vertit castaneas. Græca lectio hãc reddit sentẽtiã: *Sũpsit sibi Iacob virgã styracinã viridẽ, & nucinã, & platani: & decorticauit eas, decorticationes albas: & detrahẽs viride, apparebat in virgis albũ: quod decorticauerat, variũ; & appositit virgas, quas decorticauerat, in alueis canaliũ aquæ, vt cùm venissent oues bibere in cõspectu virgarũ, veniẽtibus ipsis ad bibendũ, conciperent oues in virgas, & pariebãt oues subalbas, & varias, & cineritias sparsas.* Apparet ex hac lectione pro virgis populeis, & amygdalinis, quas posuit Latinus interpres, septuaginta vertisse styracinas, & nucinas, nec mira videri debet hæc nominum arborum diuersitas, quia, vt doctissimi linguæ Hebrææ obseruarunt, Hebræa vocabula arborum, & animalium, quam propriè speciem eorum denotent ignotum est Hebræis. Et ideo alij alias species arborum ponunt. Nec est incredibile, ex illis omnibus generibus, fuisse virgas, quas elegit Iacob, & posuit in canalibus.

S. Hieron. Sed excutiamus, & expendamus lectionem Latinam. S. Hieronymus 45
in Traditionibus Hebraicis in Genesim super hunc locum pro virgis plataninis legit virgas mali granati, & nominat tres tantùm virgas, sed ibi nomen virgæ, non vnam numero virgam, sed speciem virgæ significat: complures enim erant ex vna quaque specie virgæ. Declarat item qua arte, & obseruatione vsus sit Iacob, cum ponebat virgas in canalibus. Obseruabat, inquit, Iacob quo tempore ascendebantur pecora, & post caloré diei, ad potandum auida pergebant: & in eo tẽpore discolores virgas ponebat ipse in canalibus, & admissis arietibus, & hircis, in ipsa potandi auiditate oues & capras faciebat ascendi, vt ex duplici desiderio dum auidè bibunt, & ascenduntur à maribus, tales fœtus conciperent, quales vmbras arietũ, & hircorum desuper ascendentium, in aquarum speculo contemplabantur: ex virgis enim in canalibus positis, varius erat etiam imaginum color. Sic ille. Videtur autem his verbis significare Hieronymus, pecudes genera sse diuersicolores fœtus, non ob aspectum virgarum multicolorum: sed ob aspectum imaginum arietum, & hircorum, quæ imagines in aqua, quasi virgarum varijs coloribus & ipsæ coloratæ, repræsentabantur ouibus & captis.

Hoc porrò quemadmodum fieret, subtiliter, & enucleatè declarat Tho- 46
Thostatus. status ad hũc modum scribens: Ponebat Iacob virgas in canalibus potius quàm in alijs locis, quia mares tunc potius, quàm alio tempore ascende-

bant

bant fœminas in canalibus bibentes. Vel potiùs id fiebat, quia conceptio fœtuum verſicolorium efficiebatur propter apprehenſionem & imaginationem quam habebant fœminæ de formis marium à quibus aſcendebãtur. Et quia forma marium aſcendentium fœminas, non poterat ab illis apprehendi per radium directum, cùm eſſent illis à tergo, apprehendi oportebat per radium reflexum: Reflexio autem non fit, niſi in corpore aliquo ſpeculari, qualis eſt aqua. Ponebantur igitur virgæ in canalibus immediatè ſub aqua, ita vt clarè videri poſſent earum colores: & ſpecies viſibilis maris aſcendentis fœminam inibi bibentem, multiplicabatur directè vſque ad aquam; & deinde fiebat reflexio eiuſdem formæ maris ad oculos fœminæ, & quia fœmina recipiebat ſimul ſpeciem arietis reflexam, & ſpeciem virgarum multicolorium directam, vtrumque faciebat quaſi eandem viſionem, quia ſpecies viſibiles arietum recipiebantur ſuper loca virgarum. Quoniam igitur tam color virgarum, quàm imagines arietum ſimul repræſentabantur viſui fœminę, idcirco figurabat illa apud ſe formam maris variati, vel maculoſi ex candido, & viridi. Sed quia color viridis non conuenit pilis, vel carnibus pecorum, loco viridis coloris pingebatur in fœtibus ſubniger, ſiue fuluus. Sic Thoſtatus.

TERTIA DISPVTATIO.

An quod fecit Iacob, vt ad virgarum multicolorium obtutum pecudes generarent verſicolores fœtus, id fuerit miraculum diuinæ omnipotentiæ, an effectus, & opus naturæ.

47 SANCTVS Chryſoſtomus homilia 57. ait, id tranſcendiſſe vim, & ordinem naturæ, & idcirco aſſignat miraculo. Sic enim ſcribit: Hæc faciens iuſtus, non à ſe ipſo mouebatur, ſed inſpiranti menti eius ſuperna gratia. Non enim iuxta naturæ ordinem erat quod fiebat, ſed valdè admirandum, & naturæ modum tranſcendens. Totum autem hoc factum eſt, vt iuſtus re ipſa compertam haberet Dei erga ſe prouidentiam: & Laban liquidò cerneret, quantam Dei gratiam haberet Iacob. Hæc Chryſoſtomus. Iuxta Chryſoſtomi opinionem eſt, quod ſcribit Theodoretus ſuper hunc locum. Nam cùm poſuiſſet hanc quæſtionem, quæ eſt numero 88. Cur virgas decorticatas bibentibus ouibus oppoſuit Iacob? Ad eam ſic reſpondet: virgas decorticatas obiecit ouibus Iacob, non illis confidens, ſed opẽ diuinam expectans: vnde factum eſt, vt audierit Angelum, ſibi dicentem: *Vide oculis tuis hircos, & arietes aſcendentes ſuper oues, & capras: Vidi quæ fecit tibi Laban.* Cùm enim animalia fuſca, & varia filijs Laban commiſſa eſſent, & illorum greges, trium dierum itinere diſtarent; Deus, qui certat pro iniuriam paſſis, oſtendit Iacob variegatos hircos, & arietes coëuntes cum femellis: vt perſpicuũ fieret per experientiam, quanta

S. Chryſoſtom.

Theodoretus.

Dei prouidentia fruantur, qui Deo omnium auctori confidunt. Sic Theodoretus.

Factum illud Iacob ex causis naturalibus existere potuisse.

Verùmtamen contraria opinio censetur probabilior. Intentissimum 48
enim obtutum in aliquam rem, cum vehementi eius rei imaginatione, in ipso ardore coëuntium, & in articulo conceptionis, valere plurimũ ad variè colorandum & afficiendum conceptum, ad similitudinem nempe illius rei, quæ tunc visa & cogitata fuerit, multis auctoritatibus, certisque

Plinius. constat experimentis. Plinius libr. 7. cap. 12. super ea re in hunc modum scribit: Similitudinum in mente reputatio est, in qua creduntur multa fortuita pollere. Visus, auditus, memoria, haustæque imagines sub ipso conceptu: Cogitatio etiam vtriuslibet animum subitò transuolans effingere similitudinem, aut miscere existimatur. Ideóque plures in homine, quàm in ceteris animantibus differentiæ, quoniam velocitas cogitationũ, animique celeritas, & ingenij varietas multiformes notas imprimit; cùm ceteris animantibus immobiles sint animi, & similes omnibus, singulisque in suo cuique genere. Hęc Plinius. Galenus in libro, quem scripsit de

Galenus. Theriaca ad Pisonem, narrat mulierem quandam intuitu pulcherrimæ picturæ pulchrum infantem ex deformi marito concepisse: Visu, inquit, opinor, naturæ imaginem transmittente. Verùm luculenta est super hac

S. Hieronym. ipsa re, & à posterioribus expositoribus celebrata Beati Hieronymi oratio in Traditionibus Hebraicis in Genesim super hunc locum: Nec mirum, inquit ille, hanc in conceptu fœminarum esse naturam, vt quales perspexerint, siue mente cogitauerint in extremo voluptatis æstu, in quo concipiunt, talem sobolem procreent: cum hoc ipsum etiam in equarum gregibus apud Hispanos fieri dicatur. Quintilianus certè in ea controuersia,

Quintilianus in qua accusabatur matrona, quòd Æthiopem peperisset, pro defensione illius argumentatur, hanc conceptus esse naturam, quã dudum diximus.

Hippocrat. Et scriptum reperitur in libris Hippocratis, fuisse fœminam quandam suspicione adulterij puniendam, quòd pulcherrimum infantem peperisset vtrique parenti generique dissimilem: nisi memoratus Medicus soluisset quæstionem, admonens vt quærerent, si fortè talis pictura fuisset in eius mulieris cubilo: qua inuenta, mulier à supplicio, & suspicione liberata est.

S. Augustinus Similia Hieronymus vel potius eadem tradit Augustinus in Quæstione 93. in Genesim, ita scribens. Facto Iacob multa dicuntur similiter fieri in animalium fœtibus: Sed & mulieri cuidam traditur simile quid accidisse, sicut in libris antiquissimi & peritissimi Medici Hippocratis reperitur: illa enim suspicione adulterij fuerat punienda, quòd puerum pulcherrimum peperisset, vtrique parenti, generique dissimilem, nisi memoratus medicus soluisset quæstionem, illis admonitis quærere ne fortè aliqua talis pictura esset in cubiculo: qua inuenta, mulier à suspicione liberata est. Sic Augustinus. Animaduertit, opinor, lector, hæc ad verbum ex

Apis bos numen Aegyptiorum. Hieronymo Augustinum esse mutuatum. Idem Aug. lib. 18. de Ciuitate Dei ca. 5. simile quid eius, quod fecit Iacob in ouibus, & capris, scribit dolosè fecisse Dæmonem in Api boue, quem pro diuino numine colebant Ægyptij.

Ægyptij. Augustini verba hæc sunt: Ille autem bos, quem mirabili vanitate decepta Ægyptus in honorem Serapidis, delicijs affluentibus colebat, quoniam eum sine sarcophago viuum venerabatur, Apis, non Serapis vocabatur. Quo boue mortuo, quoniam quærebatur, & reperiebatur vitulus coloris eiusdem, hoc est, albis quibusdam maculis similiter insignitus, mirum quiddam, & diuinitus sibi procuratum esse credebant. Non enim magnum erat dæmonibus ad eos decipiendos, phantasiâ talis tauri, quam sola cerneret, ostentare vaccæ concipienti, atque prægnanti: vnde libido matris attraheret, quod in eius fœtu iam corporaliter appareret: Sicut Iacob de virgis variatis, vt oues, & capræ variæ nascerentur, effecit. Quod enim homines coloribus & corporibus varijs; hoc Dæmones figuris fictis facillimè possunt animalibus concipientibus exhibere. Sic Augustin.

50 His præterea sunt adijcienda quæ in eandem sententiam scripta reliquit Isidorus sub finem primi capitis lib. 12. Etymologiarum, siue Originum. Sic autem ille scribit: Iacob contra naturam, similitudines colorũ procurauit, nam oues illius tales fœtus concipiebant, quales vmbras arietum desuper ascendentium, in aquarum speculo contemplabantur. Denique, & hoc ipsum in equarum grege fieri dicitur, vt generosos obijciãt equos visibus concipientium, quo similes eorum concipere & creare possint. Nam & columbarum dilectores ponunt pulcherrimas columbas, ijsdem locis, quibus illæ versantur, quo videlicet rapiente visu, similes generent. Inde est, quòd quidam grauidas mulieres vetant intueri turpissimos animalium vultus, vt cenocephalos, & simias, ne visibus occurrentes, similes fœtus parerere faciant. hanc enim fœminarum dicunt esse naturam, vt quales perspexerint, siue mente cogitauerint, in extremo voluptatis æstu, dum concipiunt, talem sobolem procreent. Etenim anima in vsu venereo formas extrinsecas intus transmittit, eorúmque satiata typis, rapit species eorum in propriam qualitatem. Sic Isidorus. *Isidorus.*

51 Memorabile in primis est, quod legi, exemplum cuiusdam fœminæ. Hæc longè absente marito, quatuor filios genuit ex adultero, legitimi viri dissimillimos, quam ob causam ille adulterinos reputans, pro filijs suis minimè habebat. Eadem postea marito item absente, adulterino concubitu filium generauit, non adulteri, sed legitimi mariti simillimum. Cuius similitudinis causa fuerat, quòd in singulos dies mariti aduentum expectans, diu multúmque super eo cogitauerat, valdè anxia, & vehementer metuens, ne inopinato illius aduentu oppressa, deprehenderetur in flagitio. Ex quo factum est, vt imaginem & similitudinem viri, quam tantopere animo & cogitatione versauerat, perfectè imprimeret fœtui. Maritus porrò similitudinis ratione deceptus, hunc solum filium, qui tamen etiam adulterinus erat, tanquam genuinum, & verum, pro suo habuit: ceteris tanquam solis adulterinis, reiectis & abdicatis. Extant super ea re lepidissimi versus Thomæ Mori, viri tum alijs rebus inclyti, tum maximè ob martyrij gloriam, omnibus seculis prædicandi: quos versus, vt tanti viri memoriam renouarem atque honorarem, hîc libuit adscribere: *Memorabile exemplum.*

Quos

Thomæ Mori Martyr. vers.

Quos ante coniux quatuor
Natos, Sabine, protulit
Multum, ecce, dissimiles tui,
Tuos nec ipse deputas.
Sed quem tibi puellulum,
Enixa iam nuperrimè est,
Solùm tibi simillimum,
Pro quatuor complecteris:
Adulterinos quatuor
Vocas, repellis, abdicas.
Atqui graues tradunt sophi
Quodcumque matres interim
Imaginantur fortiter
Dum liberis datur opera,
Eius latenter, & notas
Certas, & indelebiles,
Modóque inexplicabili,
In semen ipsum congeri.
Quibus receptis intimè,
Simúlque concrescentibus,
A mente matris insitam
Natus refert imaginem.
Quum tot abesses millibus,
Dum gignit vxor quatuor,
Quòd esset admodum tui
Secura, dissimiles parit.
Sed vnus omnium hic puer
Tui refert imaginem;
Quod mater hunc dum concipit,
Sollicita de te plurimum,
Te tota cogitauerat;
Dum pertimescit anxia,
Ne tu, Sabine, incommodus,
Velútque Lupus in fabulam
Superuenires interim.

Hinc satis apparet, ex prolis dissimilitudine, aut similitudine, argumentari falsum esse; aut verum parentem, infirmam esse, ac leuem, miniméq; probabilem argumentationem.

Quod factum est in pecudibus Iacob ex aspectu virgarum, id fuisse simpliciter naturale, secundùm quid autem minimè.

Sed reuertamur ad quæstionem suprà positam. Quæsitum est, an illud factum Iacob fuerit naturæ opus, an supra naturam, & miraculum Diuinæ omnipotentię. Nos arbitramur, quod in animalibus illis factum est ex virgarum aspectu, id factum esse naturaliter, & ex causis naturalibus; ad id enim perficiendum, sufficiens in natura vis, & potestas erat; vt ex memoratis paulò suprà auctoritatibus, experimentisq; manifestum est. Quàquam non temerè credi potest, illud non esse perfectum sine interuentu, & opera Angeli, qui non solùm docuit Iacob arcanam illius rei peragendæ artem; verùm etiam effecit, vt pecudes Iacob, in supremo coitus ardore, & in tempore concipiendi, virgarũ colores exteriùs intentissimè aspicerent, eosdémque interiori phantasia vehementer imaginarentur, ad id eas incitando, & applicando. Nimirũ quod egit Iacob didicisse id ex Angelo, non obscurè significatur infrà Genes. 31. versu 12. vbi narratur apparitio Angeli, & sermo eius cum Iacob super ista ipsa re. Nam quamuis apparitio ista memoretur post factum illud virgarum, & partum animalium, existimandum tamen est, ante id accidisse, & id narrari per recapitulationem; alioqui & inutilis, & inanis, & nullius rei fuisset illa apparitio. Ergo factum illud Iacob simpliciter naturale fuit, quodammodo autem non fuit naturale. Ad eundem modum, Salomonem per scientiam rerum naturalium sibi diuinitus traditam, mira efficere potuisse, atque adeo perfeciisse, non est dubitandum, præsertim autem cùm eius rei testem habeamus Iosephum libro octauo Iudaïcarum antiquitatum. Similiter iuuenis ille Tobias, admirabilem virtutem piscis, quem in Tigri ceperat, Angelo Raphaële docente cognouit. Sic enim Tobiæ dixit Raphaël, vt legitur

52

Iosephus.

capi

capite septimo eius libri: *Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, fel autem eius valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur.* Quanquam nonnullis visum est, istiusmodi virtutem non fuisse naturalem pisci. Verùm super ea re disputatum à nobis est copiosè in libro quarto Commentariorum nostrorum in Danielem, in expositione Cantici trium puerorum, super illis verbis: *Benedicite cete, & omnia quæ mouentur in aquis, Domino.*

QVARTA DISPVTATIO.

Quæ sit physica ratio, & causa cur pecudes in obtutu virgarum multicolorum concipientes, genuerint fœtus similes virgarum coloribus.

53 SVPER isto facto Iacob dubitandi ratio duplex est: Legimus enim in veterum scriptis, pecudes quarundam aquarum potu mutasse ipsas colorem, & item fœtibus suis certum quendam colorem impressisse. Id quippe ab Aristotele lib. 3. de historia animalium cap. 12. hisce verbis proditum est: Sunt aquæ multis in locis, quas cum oues biberint, móxque inierint, nigros generant agnos: vt in terra Assyritide agri Chalchidi Thraciæ facit amnis, quem ob nimiam frigiditatem Psychrum vocãt: & in Antandria duo sunt fluuij quorum alter cãdorem, alter nigritiem pecoribus facit. Scamander etiam amnis flauas reddere oues creditur; quamobrem Xanthum pro Scamandro nuncupatum ab Homero autumant. Sic Aristoteles. Solinus Varronem laudat auctorem, à quo traditum sit, in littore maris Rubri esse fontem, quem si oues biberint, mutent vellerum qualitatem; & antea candidas, post haustum fuluo nigrescere colore. Hoc igitur ex veteribus monumentis notum est: sed quòd pecudes in concipiendo, ob aspectum variorũ colorum, fœtum quoq; colorarint ad similitudinem eorum, id profectò, extra sacram Scripturam, in nulla veterum extat memoria. Deinde, quid habet commune facultas videndi, siue imaginandi, cum facultate generandi, & cum virtute formatrice corporis, quæ est in semine? nam & diuersarum animarum facultates sunt, illę enim sentientis animæ, hæ verò alentis: & longè sunt diuersæ locis, illæ in capite sedem habent, hæ autem in genitalibus membris.

Aristoteles. Aquarũ potu mutari colorẽ pecudum.

Varro.

54 Emimuero persuasum lectori certúmque esse debet, permagnam esse conuenientiam, & coniunctionem, atque consensum inter facultatem imaginatricem, & generatricem: ita vt altera mota, continuò alteram quoque moueri manifestũ sit. Etenim si genitalia redundent semine; phantasia quoq; libidinosis, & obscœnis scatet imaginibus. Et vicissim si phantasia obscœnarum rerum imagines concipiat, versétque, protinus etiam genitalia turgent, & irritantur ad libidinem.

Illud præterea multis, & certis experimentis in omni ætate exploratum,

& compertum est, habere animam ad demutandum, & variè afficiendum corpus, sæpe quidem propriũ, interdum verò etiam alienum, permagnam vim atque potestatem; idque vel per vehementem alicuius rei imaginationem, vel ob affectum aliquem potentissimum, & violẽtam quampiam animi perturbationem. Marsilius Ficinus in libro 13. de Platonica Theologia cap. 1. nonnulla eius rei memorat exempla, quę hîc breuiter adscripta nosse, non iniucundum erit Lectori. Phantasiam, inquit ille, quatuor sequuntur affectus, Amor, Gaudium, Metus, Dolor, hi omnes si fuerint vehementissimi, subitò corpus proprium omnino; interdum verò etiam alienum afficiunt. Quantos ardores, vel cupiditas vindictæ accendit in corde, vel libido voluptatis in iecore? Immò ex immoderato amore, & mira pulsus commotio ac variatio existit, & animi atque corporis ægritudo. Erasistratus nobilis medicus agnouit Antiochum filium Seleuci Regis Asiæ, amore Stratonicæ nouercæ suæ captum esse, quod ad eius ingressum, & aspectum, illico vultus ægrotãtis, mirandum in modum commutaretur. Cupido quoque nocendi aliis per frequentem ac malignum intuitum, quàm perniciosè pueros, aliósque teneriores fascinauerit, multis experimentis testatum est. Prægnantis quoque mulieris auiditas, & vehemens imaginatio, tenerum fœtũ consignat, atque inficit rei cogitatæ nota. Quàm varios filiis suis gestus, figuràsque, & colores, & quàm sibi dissimiles imprimunt parentes, propter vehemẽtem rerum diuersarum in ipso coitu imaginationem? Ingens, & inopinata lætitia interitum nonnullis attulit. Philippides Comœdiarum poëta haud ignobilis, cùm in certamine poëtarum præter spem vicisset, & lætissimè gauderet, inter illud gaudium repentè mortuus est. Præterea in Romanis annalibus scriptum est, qua tempestate Apud Cannas exercitus Romanus cæsus est, anum matrem nuncio de morte filio allato luctu atque mœrore affectam esse. Sed is nuncius non verus fuit: atque is adolescens non diu post ex ea pugna in vrbem redijt: anus repentè filio viso, copia atque turba, & quasi ruina incidentis inopinati gaudij oppressa exanimataque est. Molestia item ex tetro & fœdo aliquo spectaculo, interdum inficit gustum, & prouocat nauseam solo aspectu. Quid misericordia, quæ dolor quidam est ex alieno dolore? nónne miserantis corpus ita nonnunquam malè afficit, vt miseri, & miserandi alterius corpus affectum viderit? Multi sanguinis humani aspectu, spiritu deficiente labuntur. Quid metus? nónne altis è fenestris in terram despicientes caligamus præ formidine, & contremiscimus, & nonnunquam etiam ruimus? pallent repentè timentes: trepidat illis cor: arrectæ stant comæ: vox faucibus hæret: deficit interdum vita, vel morbi diuersi sequuntur. Nonnunquam verò morbos quosdam curat metus, & singultum, & quartanam febrim. Hactenus ex Marsilio.

Erasistrati solertia.

A. Gellius lib. 3. cap. 15.

S. August.

Eôdem spectare videtur, quod à B. Augustino traditum est libro decimo quarto, capite vigesimo tertio de Ciuitate Dei, de quodam, qui quandocumque ei placebat, ad imitatas quasi lamentantis cuiuslibet hominis voces, ita se auferebat à sensibus, & iacebat simillimus mortuo, vt non solùm vellicantes, atque pungentes non sentiret, sed aliquando etiam §§

igne

igne vreretur admoto, sine vllo doloris sensu, nisi post modum ex vulnere. Hunc porrò non obnitẽdo, sed non sentiendo, non mouisse corpus suum, eo probabatur, quòd tãquam in defuncto, nullus inueniebatur anhelitus: hominum tamen voces si clariùs loquerentur, tanquam de longinquo inaudisse se, postea referebat. Sic Augustinus. Verisimile autem est, illum hominem per vehementem imaginationem, seipsum abstraxisse à sensu rerum præsentium.

Quatenus, & in quibus imaginatio vehemẽs possit commutare corpus. S. Thomas.

56 Sed quemadmodũ, & quatenus, anima possit corpus proprium immutare, docet S. Thomas in tertia parte Quæst. 13. art. 3. hũc in modum scribens: Imaginatoni, si fuerit fortis, naturaliter obedit corpus, quantum ad aliqua; puta quantum ad casum de trabe in alto posita, quia imaginatio nata est, esse principium motus localis, vt dicitur 3. de Anima. Similiter etiam quantum ad alterationem, quæ est secundùm calorem, ac frigus, & alia consequentia: eo quòd ex imaginatione consequẽter natæ sunt subsequi animæ passiones, secundùm quas mouetur cor, & sic per commotionem spirituum totũ corpus alteratur. Aliæ verò dispositiones corporales, quæ non habent naturalem ordinem ad imaginationem, non transmutantur ab imaginatione, quantumcumque sit fortis, putà figura manus, vel pedis, vel aliquid simile. Hæc S. Thomas. Et huc pertinet quod dixit Dominus in Euangelio: *Quis vestrum cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum?* *Matth. 6.*

57 Cæterum aperienda ratio, & causa est, ex qua fiat, vt qualis fuerit in ardore coitus, & sub ipso conceptu vehemens imaginatio generantium, talis fingatur in vtero fœtus. Thostatus super hoc caput, in tractatu quæstionis decimæ, rationem huius rei huiusmodi affert. Anima, quæ corpori iuncta est, principium est omnium actuum compositi: Et est principium quoddam superius, dirigens corpus secundùm suam naturam. Siquidem, vt ait Philosophus in libro secundo de anima, vnitur anima corpori tanquam forma, & vt finis, atque vt motor. Prout autem est motor corporis, mouet, & dirigit ipsum, assimilando id naturæ suæ quantum potest. Et habet se ad illud, sicut artifex ad opus artificiatum: sicut enim artifex per formam exemplaris, quod mente conceptum gerit, imprimit similitudinem eius in rem fabricatam: ita sensitiua anima imaginem sensibilem, quam concepit in ipso vltimo æstu, & ardore libidinis, & sub ipso conceptu, imprimit fœtui. Non quòd tunc actualiter talis forma semini imprimatur: color namque, vel crispitudo capillorum, quæ interdum fœtibus contingunt, propterea quòd matres, dum concipiunt, tales formas intento obtutu contemplantur, non possunt immediatè formari in semine, quod talium colorum, & capillorum non est capax: sed anima ipsa quæ principium est decidendi, atque infundendi in semen virtutem quandam formatiuam fœtus, est quoque principium decidendi virtutem quandam in semen, secundùm quam in fœtu iam formato talis color, talésve capilli procreantur. Nam vt scribit Augustinus 3. de Trinitate; sæpenumerò adhibentur extrinsecus quædam causæ, quæ etsi non sint naturales, tamen secundùm naturam adhibentur; vt ea quæ in secreto naturæ sinu abdita

Thostatus. Ratio, & causa cur vehemẽs imaginatio generãtis, fœtum imaginatæ rei similem faciat. Aristotel.

S. August.

continentur, erumpant, & forâs cernantur, explicando mensuras, & numeros suos, & pondera, quæ in occulto acceperunt ab eo, qui omnia in pondere, numero, & mensura disposuit. Hæc Thostatus.

Cap. 11.

Franciscus Vallesius.

58 Affert eiusdem rei duas rationes philosophicas minimè aspernabiles Franciscus Vallesius vir in ætate nostra, Medicinæ scientiâ, vsúque, & ingenij operibus clarissimus, & Philippi Secundi Regis Catholici, complures annos Archiatros. Is capite vndecimo eius libri, quem de sacra Philosophia conscripsit, priorem rationem eius rei ad hunc modum contexit, & exponit: Imaginari, non est animæ neque corporis, sed coniuncti: sicut odisse, amare, reminisci, vt tradit Aristoteles in primo libro de Anima. Deinde animal sentiens, vel imaginans quippiam, fit eius simile, quod imaginatur, & cognoscit, immò fit quasi illud ipsum, quia cognoscens recipit in se speciem, & similitudinem rei cognitæ: Quamobrem dixit Aristoteles, Animam esse quodammodo omnia, quòd omnia cognoscat. Ergo vehementer aliquid imaginans in concipiendo, & generando, fit eius rei simile, & quodammodo illud ipsum: ex quo efficitur, quod intendimus: nam generans facit sibi simile, hoc enim est generale; & quod actu imaginatur aliquid, est ei simile: ergo quod simul gignit, & vehementer aliquid imaginatur, gignit simile sui, non solùm secundùm naturam, sed etiam secundùm id quod imaginatur actu: non enim animal generat sibi simile secundùm id, quod fuit, aut erit, sed secundùm id quod actum est.

Aristot.

Mira vis genitalis seminis.

59 Posteriorem verò eius rei causam Auctor ille his verbis exponit: Semen habet à generante diuinam quandam vim fingendi omnia membra, & faciendi tale, quale est ipsum generans, non modò secundùm proprietates specificas, verùm etiam nonnunquam secundùm indiuiduales. Est enim semen potentiâ totum animal; & quia ex omnibus corporis partibus deciditur, omnes quoq; partes corporis similiter vt illæ erant, efficiédi potestatem habet. Talis porrò seminis potestas, data est à generante, non ratione corporis, sed ratione animæ: si quidem facere ac mouere, ad formam spectat; pati, & moueri, ad materiam, vt ait Aristot. in libris de Generatione & corruptione. Consentaneum igitur est, vt ea potius ex generante deferat semen, & conferat in fœtum, quem format, quæ generanti insunt secundùm animam, quàm quę illi insunt secundùm corpus, eáque potius in corpus rei generandæ trâsferat, quàm in animam: quocirca in corpore geniti, fiet corporaliter quod in generante quodammodo erat spiritualiter: Atque hinc fiet, vt animal album in ipso actu generandi, vehementer imaginãs nigrum quippiam, generet nigrum, potius quàm album.

Aristot.

Quando maximè imaginatio generantis, fœtum afficiat, & cur id rarò contingat.

Hoc autem tunc potissimùm continget, cum tam mari, quàm fœminæ, in ipso actu generandi, vehemens eiusdem rei imaginatio simul acciderit: quod non obscurè indicauit Scriptura Genes. 30. dicens Iacob posuisse virgas ante oculos arietum, & ouium, vt in earum contemplatione conciperent. Et hoc valdè congruit cum opinione Medicorum arbitrantium tam marem quàm fœminam, & vim efficientem & materiam conferre ad generationem prolis. Cur autem tam rara sint exempla eius quod fecit Iacob, duplex videtur esse causa. Altera, quòd vtrumq; parentem in eius-

dem rei imaginatione, dum sunt in actu generandi, vehementer hærere, nonnisi fortuitò, & rarò, vel diuina quadam ratione accidit. Altera causa est, quòd hoc in animalibus mutis potius quàm in hominibus aptum est fieri; animalia verò non possunt imaginationes suas, quas id temporis habent, indicare nobis. Hactenus ex Vallesio.

Igitur quando primo tempore ascendebatur oues, ponebat Iacob virgas in canalibus aquarum, ante oculos arietum, & ouium, vt in earum contemplatione conciperent; quando verò serotina admissura erat, & conceptus extremus, non ponebat eas. VERSV 14

60 LATINA lectio huius loci duas fœturas pecudum his verbis denotat: præcorem vocans primi temporis; posteriorem appellans serotinam admissuram. Nec quàtum ad sententiam, quidquam differt lectio Hebraica, & Chaldaica. Græca autem lectio non solùm ab illis diuersa est, sed valdè imperfectam & mutilam, neque subsistentem continet sententiam. Sic enim ad verbum habet: *Factum est autem in tempore, quo concipiebant oues in vtero accipientes, posuit Iacob virgas coram ouibus in canalibus, vt ipsæ conciperent secundùm virgas, cum verò peperissent oues; non ponebat.* De qua lectione audiat lector iudicium S. Hieronymi, is enim cùm lectionem huius loci ex Hebræo memorasset, subdit: Hoc in lxx. interpretibus non habetur, sed pro serotinis & temporaneis, aliud nescio quid, quod ad sensum non pertinet, transtulerunt. *S. Hieronym.*

61 Sed quid per temporaneum siue primitiuum conceptum ouium, quid item per serotinum intelligere oportet? Vallesius loco paulò suprà commemorato, interpretatur conceptum, qui fit tempore diei matutino, & qui fit vespertino: disputans illum esse fœcundiorem & meliorem, hunc deteriorem. Huius autem rei duplicem affert causam, vnam ex ratione victus animalium ductam, alteram ex natura ipsius temporis. Congressus enim maris, & fœminæ matutinus, fit post somnum, & ante cibum: manè autem concoctius est, & cerebrum, in quo præcipuè viget imaginatio, purius est à vaporibus cibi, & vegetum ad functiones sensuum. Si quidem somnus concoctionem cibi maximè adiuuat, & cerebri vapores consumit: vigoremque præstat animali ad functiones eius proprias, quæ sunt sentire, & mouere. Quamobrem semen ob meliorem concoctionem erit fœcundius: & imaginandi vis, ob recentem spirituum ex somno refectionem, purgationemque cerebri à vaporibus, ex ventre, multis & crassis ascendentibus, & grauantibus caput, efficacior erit ad imaginandum. In tempore autem vespertino prorsus contrà res se habet. Ex natura ipsius temporis idem patet. Etenim tempus diei matutinum, respondet tempori verno anni: meridianum æstiuo: vespertinum autumnali: nocturnum hyberno. Sicut ergo corpora salubriora sunt & valentiora, & ad generandum validiora in Vere, quàm in autumno; ita generatio *Quis dicatur primi temporis conceptus ouium, quis item Serotinus. Franciscus Vallesius.*

meliùs succedit matutino tempore inita, quàm vespertino. Sic ille. Cuius, vt vera sit sententia, non congruit tamen cum historia huius loci, in qua perspicuè indicantur duo anni tempora, in quibus pecora concipiebant, & pariebant: erant enim in illa regione, vt sunt in compluribus aliis, pecudes bis in anno fœtiferæ.

Communis igitur tam Hebræorum, quàm Christianorum expositorum sententia est, per temporaneam admissuram, siue conceptum, significari eum, qui fit verno tempore; tunc enim pecora robustiora sunt, & vividiora, & generandi cupidiora: ex quo fit, & numerosior, & melior fœtura. Optima igitur verborum Scripturæ huius loci expositio est, quam tradidit S. Hieronymus hisce verbis: Quod autem hoc loco dicit Scriptura, hoc est: Iacob prudens & callidus, iustitiam, & æquitatem, etiam in noua arte seruabat: Si enim omnes agnos & hœdos varios pecora procreassent, fuisset aliqua suspicio doli, & apertè huic rei Laban inuidus contrà isset. Ergo ita omnia temperauit, vt & ipse fructum sui laboris acciperet, & Laban non penitus spoliaretur. Si quando enim oues, & capræ primo tempore ascendebantur, quia melior vernus est fœtus, ante ipsas ponebat virgas, vt varia soboles nasceretur, quęcumque autem oues, & capræ serò quærebant marem, ante earum oculos non ponebat virgas, vt vnius coloris pecora nascerentur. Et quicquid primum nascebatur, suum erat, quia discolor, & varium erat; quicquid postea, quòd vnius esset tam in nigro, quàm in albo coloris pecus, ad Laban pertinebat. Sic Hieronymus.

S. Hieronym. in traditionibus Hebraicis in Genes.

Pulcherrimam huius historiæ allegoriam aperit, & explicat S. Gregorius in libro 21. Moralium in ipsa Præfatione eius libri: Quid est, inquit, virgas virides amygdalinas, & ex platanis ante gregum oculos ponere, nisi per Scripturæ sacræ seriem, antiquorum patrum vitas, atque sententias in exemplum populis præbere? quæ quia iuxta rationis examen rectæ sunt, virgæ nominantur, virgis autem ex parte cortex à Iacob subtrahitur, vt intimus candor appareat: & ex parte cortex seruatur, vt in viriditate permaneant; variusque virgarum color efficitur, partim subtracto cortice, & partim eo retento. Ante oculos enim considerationis nostræ præcedentium patrum sententiæ, quasi virgæ variæ ponuntur, in quibus dum plerumque intellectum litteræ fugimus, quasi corticem subtrahimus: & dum plerumque intellectum litteræ sequimur, quasi corticem reseruamus. Dúmque ab ipsis cortex litteræ subducitur, interior allegoriæ candor demonstratur: & dum cortex relinquitur, exterioris intelligentiæ virentia exempla monstrantur. Benè autem Iacob virgas in aquæ canalibus posuit, quia & Redemptor noster in libris eas sacræ scientiæ, quibus nos intrinsecus infundimur, fixit. Has virgas aspicientes arietes, cum ouibus coëunt, quia rationales nostri Spiritus cùm in Patrum vitis, & doctrinis contemplandis defixi sunt, singulis quibusque actionibus permiscentur, vt tales fœtus operum procreent, qualia exempla præcedentium in vocibus præceptorum vident, & diuersum colorem proles boni operis habeant, quia & nonnunquam subtracto litteræ cortice, acutiùs interna considerat; & seruato nonnunquam historiæ tegmine, bene sese in exterioribus

Allegoria huius historiæ ex S. Gregor.

bus format. Nam quia diuinæ sententiæ aliquando interiùs rimandæ sunt, aliquando exteriùs obseruandæ, propterea dictum est per Salomonem Prou. 30. *Qui fortiter premit vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum: & qui vehementer emungit, elicit sanguinem.* Vbera quippe fortiter premimus, cum verba sacri eloquij subtili intellectu pensamus: qua pressione, dum lac quærimus, butyrum inuenimus; quia dum nutriri vel tenui intellectu quærimus, vbertate internæ pinguedinis vngimur. Hoc tamen nec nimiè, nec semper agendum est: ne dum lac quærimus ab vberibus, sanguis sequatur. Plerique enim, dum verba sacri eloquij pluſquam debent, decorticant, in carnalem intellectum cadunt. Sanguinem quippe elicit, qui vehementer mungit; quia carnale efficitur, quod ex nimia spiritus discussione sentitur. Sic Gregorius. Cuius paulò supra hæc verba saluberrimum est documentum, omnibus, qui tractant sacras litteras obseruatu vtiliſſimum; Intellectus, inquit, sacri eloquij inter textum, & mysterium, tanta est libratione pensandus, vt moderata vtriusque partis lance, neque hunc nimiæ discussionis pondus deprimat, neque rursus torpor incuriæ vacuum relinquat. Multæ quippe sacri eloquij sententiæ tanta allegoriarum conceptione sunt grauidæ, vt quisquis eas ad solam tenere historiam nititur, earum notitia per suam incuriam priuetur. Nonnullæ verò ita exterioribus præceptis inseruiunt, vt si quis ea subtilius penetrare conetur, intus quidem nihil inueniat; quin etiam hoc sibi quod foris loquuntur, abscondat. Hactenus ex Gregorio.

Locus Prouerbiorum ca. 30.

Vtile documentum B. Gregor.

***

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA IN CAPVT TRIGESIMVM PRIMVM GENESIS.

Reuersio Iacob ex Mesopotamia in Chananitidem cum vniuersa familia sua; & pactum inter ipsum, & Laban.

1 POSTQVAM autem audiuit verba filiorum Laban dicẽtium: Tulit Iacob omnia, quæ fuerunt patris nostri, & de illius facultate ditatus, factus est inclytus: ani-
2 maduertit quoque faciem Laban, quòd non esset erga se sicut heri, & nudius tertius, maximè dicente sibi Domino, Re-
3 uertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam, eróque tecum. Misit, & vocauit Rachel, & Liam in
4 5 agrum, vbi pascebat greges, dixitque eis: Video faciem patris vestri quòd non sit erga me sicut heri, & nudius ter-
6 tius: Deus autem patris mei fuit mecũ. Et ipsæ nostis quòd to-
7 tis viribus meis seruierim patri vestro. Sed & pater vester circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus:
8 & tamen nõ dimisit eum Deus vt noceret mihi. Si quãdo dixit: Variæ erunt mercedes tuæ: pariebãt omnes oues varios fœtus.

quando

quando verò è contrario ait: Alba quæquæ accipies pro mercede:omnes greges alba pepererunt. Tulítque Deus ſubſtantiam patris veſtri,& dedit mihi. Poſtquã enim conceptus ouiũ tempus aduenerat,leuaui oculos meos, & vidi in ſomnis aſcẽdentes mares ſuper fœminas,varios,& maculoſos, & diuerſorum colorum.Dixitque Angelus Dei ad me in ſomnis:Iacob; & ego reſpondi:Adſum.Qui ait:Leua oculos tuos,& vide vniuerſos maſculos aſcendentes ſuper fœminas,varios,maculoſos atque reſperſos. Vidi enim omnia quæ fecit tibi Laban. Ego ſum Deus Bethel,vbi vnxiſti lapidem, & votum vouiſti mihi. Nunc ergo ſurge,& egredere de terra hac,reuertens in terram natiuitatis tuæ.Reſponderúntque Rachel & Lia:Nunquid habemus reſidui quicquam in facultatibus,& hæreditate domus patris noſtri? Nonne quaſi alienas reputauit nos, & vendidit, comedítque pretium noſtrum?Sed Deus tulit opes patris noſtri,& eas tradidit nobis,ac filijs noſtris:vnde omnia, quæ præcepit tibi Deus,fac.Surrexit itaque Iacob, & impoſitis liberis, ac coniugibus ſuis ſuper camelos,abijt.Tulítque omnem ſubſtantiam ſuam,& greges,& quicquid in Meſopotamia acquiſierat,pergens ad Iſaac patrem ſuum in terram Chanaan. Eo tempore ierat Laban ad tondendas oues, & Rachel furata eſt Idola patris ſui, Noluítque Iacob cõfiteri ſocero ſuo quòd fugeret.Cúmque abijſſet tam ipſe, quàm omnia quæ iuris ſui erant,& amne tranſmiſſo pergeret contra montem Galaad,nũciatum eſt Laban die tertio quòd fugeret Iacob. Qui aſſumptis fratribus ſuis,perſecutus eſt eum diebus ſeptem: Et comprehendit eum in Monte Galaad. Vidítque in ſomnis dicentem ſibi Deum;Caue ne quidquam aſperè loquaris contra Iacob.Iámque Iacob extenderat in eodem Monte tabernaculũ: cúmque ille conſecutus fuiſſet eum cum fratribus ſuis,in Mõte Galaad fixit tentorium. Et dixit ad Iacob: Quare ita egiſti, vt clam me abigeres filias meas quaſi captiuas gladio? Cur ignorante me fugere voluiſti,nec indicare mihi, vt proſequerer tecum gaudio,& canticis,& tympanis,& citharis;Non es paſſus,vt oſcularer filios meos,& filias:ſtultè operatus es:Et nunc quidem valet manus mea reddere tibi malum: Sed Deus patris veſtri heri dixit mihi; Caue ne loquaris contra Iacob quidquam durius.Eſto,ad tuos ire cupiebas, & deſiderio erat

9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30

31 tibi domus patris tui:cur furatus es Deos meos?Respondit Ia-
cob? Quòd inscio te profectus sum,timui ne violenter aufer-
32 res filiastuas.Quod autẽ furti me arguis:apud quẽcũque inue
neris deos tuos,necetur coram fratribus nostris:scrutare, quic
quid tuorum apud me inueneris,& aufer:hæc dicens, ignora-
33 bat quòd Rachel furata esset Idola. Ingressus itaque Labã ta-
34 bernaculum Iacob & Liæ, & vtriusque famulæ, non inuenit.
Cúmque intrasset tentorium Rachelis,illa festinans, abscon-
dit idola subter stramenta cameli,& sedit desuper, scrutantí-
35 que omne tentorium,& nihil inuenienti,ait: Ne irascatur do-
minus meus quòd coram te assurgere nequeo:quia iuxta con-
suetudinem fœminarum nunc accidit mihi. Sic delusa solici-
36 tudo quærẽtis est.Tuménsq; Iacob cũ iurgio ait:Quã ob cul-
pã meã,& ob quod peccatũ meũ sic exarsisti post me, & scru-
tatus es omnẽ supellectilẽ meã?Quid inuenisti de cuncta sub-
37 stantia domus tuæ?pone hîc corã fratribus meis, & fratribus
38 tnis,& iudicẽt inter me,& te.Idcirco viginti annis fui tecũ;O-
39 ues tuæ,& capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui nõ co-
40 medi:nec captũ à bestia ostendi tibi,ego dãnũ omne reddebã:
41 quidquid furto peribat,à me exigebas:die,noctúque æstu vre-
bar,& gelu,fugiebátque somnus ab oculis meis, sicque per vi-
ginti annos in domo tua seruiui tibi, quatuordecim pro filia-
bus,& sex pro gregibus tuis:immutasti quoque mercedẽ meã
42 decem vicibus. Nisi Deus patris mei Abrahã, & timor Isaac
affuisset mihi,forsitan modò nudũ me dimisisses:afflictionem
meã,& laborem manuũ mearũ respexit Deus,&arguit te heri.
43 Respondit ei Laban:Filiæ meæ,& filij, & greges tui,& omnia,
quæ cernis, mea sunt; quid possum facere filijs, & nepotibus
44 meis?Veni ergo,& ineamus fœdus: vt sit in testimonium in-
45 ter me & te.Tulit itaque Iacob lapidem, & erexit illum in ti-
46 tulum,dixítque fratribus suis:Afferte lapides.Qui congregan
47 tes fecerunt tumulum,comederúntque super eum: quem vo-
cauit Laban Tumulum testis, & Iacob Aceruum testimonij,
48 vterque iuxta proprietatem linguæ suæ.Dixítque Laban:Tu-
mulus iste erit testis inter me & te hodie, & idcirco appellatũ
49 est nomen eius Galaad,id est,Tumulus testis.Intueatur,& iu-
dicet Dominus inter nos,quando recesserimus à nobis,si affli-
50 xeris filias meas,&si introduxeris alias vxores super eas:nullus

sermo

sermonis nostri testis est absque Deo, qui præsens respicit. Dixítque rursus ad Iacob: En tumulus hic, & lapis quem erexi inter me & te, testis erit: tumulus, inquam, iste, & lapis sint in testimonium, si aut ego transiero illum pergens ad te, aut tu præterieris malum mihi cogitans. Deus Abrahã, & Deus Nachor iudicet inter nos, Deus patris eorum. Iurauit ergo Iacob per timorem patris sui Isaac: immolatísque victimis in monte, vocauit fratres suos vt ederent panẽ. Qui cùm comedissent, manserunt ibi. Laban verò de nocte consurgens, osculatus est filios & filias suas, & benedixit illis: reuersúsque est in locum suum.

51 52 53 54 55

VERS. 7.

Mutauit mercedem meam decem vicibus.

1 ILLVD, *decem vicibus*, tribus modis exponitur. Caietanus putat esse dictum hyperbolicè: non enim toties esse mutatam mercedem Iacob; sed quia non semel, sed aliquoties vulgari loquendi more dixit per hyperbolem, decies mutatam esse. Atenim cùm nihil absurdi sit fuisse mutatam decies, nec id repugnet narrationi huius loci, immò quàm maximè congruat; alienum videtur, posthabita propria verborum significatione, ad hyperbolicam, sine causa, confugere. Alij putant, positum esse numerum definitum pro indefinito, vt fit sæpe in Scriptura, & positum esse, decies, pro sæpissimè; siue fuerit decies, siue sæpius. Sic dixit Deus, vt scriptum est Numeror. 14. *Tentauerunt me iam per decem vices:* Et Iob capite decimo nono. *En*, inquit, *decies confunditis me.* Sedenim Hieronymus, & Augustinus, & hos secuti complures alij, propriè accipiunt illud, *decem vicibus*, ita vt verba sonant. Aiunt enim, in illis sex annis, quibus Iacob pro mercede curauit gregem Laban, decies factam ei mercedis immutationem à Laban. Audi Hieronymum in Traditionibus Hebraicis super hunc locum ita scribentem: Per singulos fœtus semper Laban conditionem mutabat. Si videbat varium nasci pecus, post fœtum dicebat: Volo vt in futurum mihi varia nascantur. Rursus cùm videlisset vnius coloris nasci pecora (Iacob quippe, hoc audito, virgas in canalibus non ponebat) dicebat, vt futuros fœtus vnius coloris sibi pecora procrearent. Quid plura? vsque ad decem vices semper à Laban pecoris sui, siue Iacob, mutata conditio est: Et quodcumque sibi proposuerat vt nasceretur, in colorem contrarium vertebatur. Ne cui autem in sex annis, decem pariendi vices incredibiles videantur, legat Virgilium, à quo dicitur, *Bis grauida pecudes*. Natura autem Italicarum ouium, & Mesopotamiæ vna esse traditur. Hactenus ex Hieronymo. Facit etiam ab hac interpretatione lectio huius loci secundùm lxx. Interpretes, de qua deinceps est dicendum.

Cietanus.

Locus numer. 14. & Iob. 19.

S. Hieron.

Virg. lib. 3. Georgic.

2 Pro illo, *decem vicibus*, lxx. Interpretes nimiùm quantum diuersa inter-

pretatione posuerunt, *decem agnis*: quam lectionem S. Hieronymus quasi mirabundus: Septuaginta, inquit, interpretes, pro *decem vicibus*, vt est in libro Hebræo, posuerunt *decem agnis*: nescio qua opinione ducti; cùm verbum Hebraicum *Monim*, numerum magis quàm agnos sonet, & hic sensus ex consequentibus magis probetur. Sic Hieronymus. Aquila vertit *decem numero*: Symmachus, *decies numero*. Sed S. Augustinus in quæ-

S. August. stione 95. in Genesim lectionem hanc septuaginta interpretum ad rectã, & probabilem sententiam exponit. Audiat Lector eius verba: Decem agnos, vel decem agnas, pro decem temporibus posuerũt, quibus oues, quas Iacob pascebat, per sexenniũ pepererũt: bis quippe pariebãt in anno. Cõtẽ erat autẽ vt primo anno, quo inter se pacti sunt, & ad pascendas oues accessit Iacob, semel parerẽt in fine anni; quia cùm accessit, iã semel pepererant. Reuersúsque sexto anno, id est, vltimo, cũ semel peperissent, exorta necessitate profectionis, priùs recederẽt, quàm iterũ parerent: ac per hoc cùm primus annus, atq; vltimus, duos tantùm ouiũ partus sub illo haberẽt; medij verò quatuor anni, binos, fiũt omnes decẽ. Nec mirũ quòd hæc de

Virg. Eclo. 1. cem tempora nomine agnorum appellarunt, qui ijsdem temporibus; micebantur veluti si quispiam dicat per tot vindemias, aut per tot messes, quibus numerus intelligatur annorum. Vnde quidam dixit,

Post aliquot mea regna videns mirabor aristas.

Per aristas videlicet, messes: per messes, annos significans. Pecudũ autẽ illius regionis fœcunditas, sicut Italorum, tanta fertur, vt bis in anno pariant. Tantum est quod ex Augustino memorandũ in hoc loco duximus.

PRIMA DISPVTATIO.

Super furto Idolorum Laban, facto à Rachele, Et super illis verbis.

VERSV 19 Et Rachel furata est Idola patris sui.

Prima quæstio Quid significet vox Teraphim.

HÆc verba tres habent quæstiones: quarum prior est super Hebræa voce *Teraphim*, quam Latinus Interpres, & hoc loco, & alibi, vertit *Idola*, vt in libro Iudicum capit. 17. & 18. In primo autẽ lib. Reg. 19. vertit statuã in cap. 3. Osee retinuit Hebræum ipsum nomen *Teraphim* præcisè, cùm in libro Iudicum, quibus dixi locis, posuerit vocem Teraphim, subiecta eius interpretatione Latina per vocem Idola. Significat autem *Teraphim*, imagines, siue simulacra, siue figuras qualescumque, & qualiumcumcumque rerum, sed plurimùm, vel hominum, vel deorum, quæ Idola vocantur: imagines dico, & figuras, vel per picturam, vel sculpturam, vel texturam expressas. Huius interpretationis probatorem, & au

& auctorem habeo S.Hieronymum, qui in Epist. 113. scripta ad Marcellam super voce *Teraphim* disserit hisce verbis: Scito *Theraphim* ab Aquila μορφώματα interpretari, quę nos figuras, siue figurationes possumus dicere. Nam 1.Reg.19. vbi dicitur Saul misisse nuncios, vt caperent Dauidem, lxx. sic verterunt: *Et venerunt nuntij, & ecce κενοτάφια in lecto*, pro cenotaphiis, in Hebręo est *teraphim* significãs puluinum de caprarum pelle consutum, qui intonsis pilis caput inuoluti in lectulo hominis mentiretur. Apud Oseam capite 3. sic est secundùm Septuaginta: *Diebus multis sedebunt filij Israel, sine Rege, & Principe, sine sacrificio, sine altari, & sine sacerdotio, & manifestationibus:* pro *sacerdotio, & manifestationibus*, in Hebræo est, sine ephod, & sine teraphim, sicut Theodotion, & Symmachus verterunt. Ex quo intelligimus, in Ephod iuxta septuaginta, qui sensum magis quàm verba interpretati sunt, sacerdotium interpretari: in *teraphim* verò, quæ figuras, vel figurationes dicimus; varia opera, quæ *teraphim* vocantur, intelligi. Nam & in Exodo, ceteríq; locis vbi describuntur vestes plumaria arte contextæ, opus Cherubim; id est, varium, atque depictum, dicitur esse factum: ita tamen, vt vox Cherubim, litteram *vau* non habeat; quia vbicumque cum hac littera scribitur, animalia potius quàm opera significat. Iuxta igitur hunc sensum, & in libro Iudicum cap. 17. Micha cum veste sacerdotali, cetera quoque, quæ ad sacerdotalia pertinent ornamenta, per *Teraphim* fecisse monstratur. Hæc S.Hieronymus. Quod autem simulacrum illud Dauidis in lecto positum à Michol, quod ibi dicitur Hebraicè *teraphim*, septuaginta interpretes appellauerint Cenotaphium, scitè factum ab illis puto. Est enim Cenotaphium, inane quoddam simulacrum, representans sepultum hominem, aut impositum tumulo, vt sepeliatur, cum tamen ibi corpus hominis mortui nullum sit. *Cenotphium.*

4 Cæterum videamus quidnam Hebræi, & de nostratibus qui vocantur Hebræizantes, super ista voce *Theraphim*, commentati sint. Aben Esra, quem secutus est Arias Montanus in Commentarijs suis in librum Iudicum super caput decimum septimum eius libri, arbitratur, voce *Teraphim* significari Imagines, cœli astrorúmque certa obseruatione confectas, & ritu sacratas ad augurandi & diuinandi abusum. Iuxta sententiam hanc est, quod tradidit Rabbi Chimhi in libro Radicum, *Teraphim* esse imagines, per quas futura prænoscebantur: consulentibus enim ipsas, Diaboli arte, responsa reddebantur. Hanc vocis eius interpretationẽ maximè probans Oleaster, huiusmodi facit notam super hoc loco: Non cõuenit, inquit, inter Hebręorum doctores, quid significet dictio *Teraphim*, quam Idola vertimus: hoc tamen certi de ista voce habemus, quod significet Imagines hominum, quæ loquebantur. Nam Ezechielis 21. dicitur, Regem Babylonis consuluisse Teraphim: quo significatur fuisse imagines, quæ consulentibus responderent. Et Zachariæ cap. 10. scriptum est: *Quia Teraphim locuta sunt mendacium.* Thostatus hoc loco narrat, quemadmodum istiusmodi simulacra per artem Astronomicam, & Necromanticam conficerentur idonea ad reddenda responsa. Sic enim ait: Erant quæ- *Aben Esra. Arias Montanus. Iab. Chimhi. Oleaster. Thostatus.*

dam capita ex metallo in quodã certo tempore, & ſub certis ſiderũ aſpectibus,& coniunctionibus planetarũ facta;vt inde virtus è cœlo deriuare tur in illud caput,fierétque potens reſpondendi conſulentibus,& interrogantibus ipſum:idque fiebat partim per Aſtrologiam, & partim per Necromantiam.Fecit huiuſmodi caput Albertus Magnus de Ordine Prædicatorum, quod diſcipulus eius S.Thomas quadam die confregit. Dicunt etiam Hebræi,fieri conſueuiſſe *Teraphim*,accipiendo caput alicuius pueri primogeniti,& ſacrificati in honorem Dęmonis;& iſtud caput abſciſſumi ſale,& aromatibus condiebatur,vt à putredine illæſum diu perduraret:& ſuper linguam eius lamina aurea ponebatur,Dæmonis cuiuſdam nomine inſignita, & ſic dabat reſponſa conſulentibus, & interrogantibus. Sed de veritate,& ratione iſtorum latè diſſeruimus ſuper cap.21.libri Num.Hactenus ex Thoſtato.

Albertus Magnus,& S.Thomas.

Hebræi.

Auctoris ſententia.

Licèt igitur negari non poſſit vocabulo *Teraphim* ſæpe ſignificati Idola Gentiũ,per quæ non rarò Diabolus dabat reſponſa;non tamen id perpetuũ eſt in Scriptura: nã in 1.Reg.ca.19.Simulacrũ illud Dauidis in lecto poſitum à Michol,appellatur ibi *Teraphim*; nec tamen per illud Dæmon dabat reſponſa:non enim tale ſimulacrũ domi ſuę habuiſſet Dauid;immò verò raptim fuiſſe tunc illud factum,hiſtoria ipſa loquitur. Illud certum eſt, Teraphim quæ furata eſt Rachel patri ſuo,fuiſſe Deorum ſimulacra: de iſtis enim paulò infrà loquens Laban,queribundus dixit Iacob:*Cur furatus es Deos meos?* Cui reſpondens Iacob, *Apud quemcumque*, inquit,*inueneris deos tuos,necetur coram fratribus noſtris.*

Secunda quæſtio.

Cur furta ſit Rachel idola patris ſui.

Aben Eſn.

Thoſtatus.

Altera quæſtio eſt,quo animo,& conſilio,& quam ob cauſam Rachel abſtulerit Idola patri.Quinq; cauſas eius rei afferre poſſumus.Prima cauſa; Ne pater Idola illa inſpiciendo, vel conſulendo, per quod iter Iacob abijſſet,cognoſcere poſſet. Et hæc placet Aben Eſræ,nec diſplicet Thoſtato.Cum primùm enim nunciatum eſt Labano,fugiſſe Iacob, protinus iuit conſultũ Idola ſua,de itinere quod ceperat Iacob;ſed ea non inuenit: ex quo purauit,ſurrepta ſibi fuiſſe à Iacob,vt ipſe dixit ſuper ea re cum eo expoſtulãs.Altera cauſa fuiſſe dicitur,vt ſi pater eos inſequeretur,& fortè comprehenderet,ad eius Deos confugientes,irã ipſius deprecarentur. Hanc rationem tradit Ioſephus lib.1.Antiquitarũ ita ſcribens:ſigilla verò Deorum ſuorum ferebat Rachel,non quòd Deos coleret, quorum contemptũ à marito didicerat,ſed vt ſi fortè pater fugientes aſſequeretur,haberet,quò confugeret,veniam impetratura. Sic Ioſephus. Tertia cauſa à multis hæc traditur,vt ita Rachel patrem deduceret ab idololatria;& hoc placet Rabbi Salomoni.Huius etiã ſententiæ ſunt Baſilius,Nazianzenus, & Theodoretus. Baſilius ſuper initio libri Prouerbiorũ diſputans,vocabulum aſtutiæ non ſemper malam in partem accipi,ſed eſſe,& malam,& bonam aſtutiam,inter alia ſic ait:Bona fuit aſtutia Hebræorum, quando Ægyptios decipiebant: tunc enim mercedem accipiebant ciuitatum à ſe conditarũ,& ſibi ipſis materiam ſuppeditabant ad conſtruendũ tabernaculũ. Laudabilis fuit aſtutia obſtetricũ Ægyptiarũ conſeruantiũ maſculos Hebræorũ. Pulchra fuit aſtutia Rebeccæ,cũ magnam illam benedi-

Rabbi Salomon.

Baſilius.

Nazianzenus.

Theodoretus.

Exod.1.

ctionem

ctionem filio minori acquireret: præclara fuit astutia Raab,& Rachelis: illius quidem exploratores saluos præstantis;huius verò,patrem decipiendo,ab idololatria illũ liberãtis. Sic Basilius. Nazianzenus in Oratione de Sancto Paschate: Si quæpiam, inquit, Rachel es anima patriarchalis,& magna patris tui cũ inueneris Idola,surripe, non vt conserues,sed vt deleas.Sic ille. Accedit etiam huic sententiæ Lyranus,idémque sentit Theodoretus,cuius verba paulò infrà memorabimus.

6 Quarta causa hæc fuisse traditur, quòd Rachel quoque studiosa esset Idololatriæ,vt quæ à puellari ætate,per educationem, & institutionẽ paternam,culturæ Idolorum assueuisset. Hæc est sententia B.Chrysostomi, & Ruperti,& Caietani,atque Oleastri. Verba Chrysostomi in homil.57. in Genes.hæc sunt: Non sine causa dictum est,nobísque propositum,furatam esse Rachel idola patris sui: Sed vt sciamus,mulieres illas adhuc paternam habentes consuetudinem, Idolorum cultui addictas fuisse. Animaduerte enim quantum in hoc studium impenderint, cum nihil aliud patri auferre voluerint, nisi Idola eius: id verò faciebant ignorante viro, neque enim ille fieri id permisisset. Hæc Chrysostomus. Rupertus autem lib.7.Commentariorum in Genes.cap.42. hunc in modum scribit: Hoc loco primùm Scripturæ auctoritas, idolorum nomen,vel cultũ commemorat,& repræsentat. Porrò Rachel, quæ Idola furata est, liquet,quia perfectæ fidei nondum erat: sed antequam obiret, opportunè admodum dictum est à Iacob,domesticis suis: *Abijcite deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini, & mutate vestimenta vestra. Dederunt ergo ei: at ille infodit eos subter terebinthum.* Nec multo post inibi scriptum est: *Mortua est Rachel, & sepulta est in via, quæ ducit Ephratam: hæc est Bethlehem.* Non igitur paruo bono suo Rachel virum fidelem sortita & secuta est, cuius nimirum fide saluata est: Sanctificata est quippe mulier infidelis per virum fidelem. Quocirca rectè,ac rationabiliter dictũ à Paulo est 1. ad Corinth.7. *Si quis frater habet vxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum eo,non dimittat eam: & si qua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum ea,non dimittat virum. Vnde enim scis mulier,si virum saluum facias? aut vnde scis vir,si mulierem saluam facias?* Hæc Rupertus.

S.Chrysostom. Rupertus. Caietanus. Oleaster.

7 Ad extremum nonnulli arbitrantur, Rachelem abstulisse Idola patri suo,quòd ea constarent ex pretiosa materia, vel auri, vel argenti,vel alia quapiam;tum pro mercede, qua maritum suum Iacob fraudauerat: tum pro dote sibi,& sorori suæ debita, qua ipsas priuauerat, tradens ferè nudas marito,& quasi seruas vendens,sicut indicat earum super ista re querimonia,quam in hoc capite versu 15.exposuit Moses. Ex his porrò quinq; causis mihi quidem postrema hæc præter ceteras probatur, vt planior, & historiæ congruentior. Ex quo item apparet,illud non fuisse furtũ: impropriè autem hoc loco sic appellari, non ad veritatem, sed ad externam speciem & opinionẽ hominũ. Solet enim Scriptura aliquid appellare tale, non quòd tale sit,sed quod tale vulgo putetur & appelletur. Exempli causa, post longam disceptationem vltrò citróque habitam inter Iob, & amicos eius, denique Scriptura sic ait: *Omiserunt autem tres viri isti respondere*

Scriptura nõ-nunquam aliquid esse dicit tale, non quia tale sit, sed quia videatur, & putetur tale.

respondere Iob, eo quòd iustus sibi videretur. Super quibus verbis B. Gregorius disserẽs: Hoc, inquit, quod de Iob dicitur, quòd Iustus sibi videretur, sacræ huius scriptor historiæ ad amicorum illorum iudicium retulit, non autem beatum Iob de elationis tumore reprobauit.

An Rachel coluerit idola. Theodoretus.

Tertia quæstio, an illud Rachelis furtum Idolorum, arguat fuisse Rachelem id temporis cultricem Ididolatriæ? Præter Iosephum, & Basiliũ, & Nazianzenum id negantes, quorum verba paulò suprà commemorata sunt; Theodoretus quæstione 89. in Genesim, diserta, & valida argumentatione probat, Rachelem non fuisse cultricem Idolorum. Ad hunc autẽ modum scribit: Quidam dixerunt Rachelem surripuisse Idola, quòd & ipsa Idololatriæ studio teneretur. Ego verò contra sentio, propterea patri abstulisse Idola, quòd sic vellet patrem ab impio Dæmonum cultu liberare: pietatem namque eius mulieris satis docuit Scriptura dicens Genes. 13. *Recordatus est Deus Rachelis, & exaudiuit eam, & aperuit eius vuluam.* Cùm enim audisset à Iacob: *Nunquid ego tibi sum pro Deo, qui te priuauit fructu ventris?* Vehementiores Deo preces obtulit, & adepta est quod poscebat. Quinetiam post partum, suam in Deum pietatem demonstrauit: nato enim filio Ioseph, dixit: *Abstulit à me Deus opprobrium, & vocauit nomen eius Ioseph, dicens; Addat mihi Deus alterum filium.* Quomodo igitur talis mulier in Deum affectu prædita, Idolis, quæ non sunt dij, inseruire potuisset? Verùm arbitror & aliud per hæc significari: Iacob typum Dei creatoris omnium gerebat: nam duos populos Deus habuit: seniorem quidem, habentem super cor velamen: iuniorem verò, decore fidei exornatum. Ita Iacob, duas vxores habebat, Liam videlicet, quæ oculis erat infirmis: Et Rachelem specie pulchram, & visu valdè formosam: & seniorem liberis abundantem: iuniorem verò sterilem. Ex Gentibus quippe congregata Ecclesia, sterilis antea fuerat: sed postea, liberis maximè fœcundata est, sicut prædixit Isaias 54. *Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe & clama, quæ non parturis, quoniam plures erunt filij deserta, quàm eius, quæ virum habet.* Quoniam igitur Ecclesia, quæ credidit Deo Saluatori, primitiuum Idololatriæ errorem radicitus extirpauit: Rachel typum eius gerens, furata est Idola patris; vt in eo quoque veritatem adumbraret. Hactenus ex Theodoreto. Cuius opinionem esse veram, non obscurum dat indicium, id quod Rachelem fecisse Idolis quæ abstulerat, narrat Moses in hoc capite, versu trigesimo quarto: *Cúmque*, inquit, *intrasset Laban tentorium Rachel, illa festinans, abscondit Idola subter stramenta cameli, & sedit desuper.* At si Rachel Idola illa, vt Deos suos, coluisset, non ita indecenter, neque irreuerenter, neque abiectè ea tractasset.

Chrysostom. Rupertus. Caietanus. Oleaster.

Verùm contraria est sententia Chrysostomi, & Ruperti, causam illius furti assignantium studio Idololatriæ, quod erat in Rachele; verba illorum paulò superiùs posuimus. Idem sentit Caietanus, cuius verba paulò infrà exponemus. Oleaster item hoc loco, verisimile id esse sic argumentatur. Fuisse Idola in domo Iacob, etiã post digressum à Laban, & discessum ex Mesopotamia, Scriptura ipsa indicat infrà, Genesis 35. vbi Iacob adm o

admonens domum suam, dicit: *Abycite deos alienos qui sunt in medio vestri: & mundate vos, & mutate vestimenta vestra; & dederũt ipsi Iacob omnes deos alienos qui erant in manu sua, & inaures quæ erant in auribus suis: & abscondit ea subter quercum, quæ erat apud Sichem.* Non est autem credibile fœminas, & seruos, aliósque comites Iacob Idolis assuetos, tam facilè omnia reliquisse, cultúmque deorum suorũ sic esse oblitos, vt nõ secum Idololatriæ aliquod vestigiũ deferrẽt; præsertim si Teraphim, id est, idola illa, futura prædicebant, quę sciẽdi omnes sumus auidissimi. Sic Oleaster.

9 Sed mihi prior sententia probabilior videtur. Nam quod obijcitur de idolis postea repertis in domo Iacob, nõ est necesse id referre ad Rachelem, sed ad seruos alios, qui erãt in domo Iacob, nec fortasse idola habuerunt colẽdi gratiâ, sed propter materiæ præstantiã. Et verisimile est, idola illa nõ fuisse allata ex Mesopotamia, sed in receẽti direptione, ac cæde Sichimitarum fuisse cũ cætera præda eis ablata. Verùm Iacob, vel cognito, aliquos de suis domesticis ea Idola colere, vel cauẽs ne quispiam suorum in eorum cultum delaberetur; abiecit ea ex domo sua, & sub terra penitus defodit. Quanquam autem, vt dixi, sententiam hanc propiorem vero esse iudicem, non tamen prorsus improbo, neque damno posteriorem opinionem. Immò verò non satis iustam, nec satis æquam cẽseo animaduersionem Catharini in Caietanum, impẽdio acerbiùs, quàm res merebatur, notationem quandam Caietani, super hoc loco exagitantis atque reprehendentis. Ascribam hîc primò verba Caietani, tum censuram Catharini. Verba Caietani, interpretantis illud: *Furata est Rachel idola patris sui*, huiusmodi sunt: Hinc apparet, partim D E V M verum, partim Idola coluisse Laban, domúmque eius: traditione siquidem aui sui Nachor colebat verum D E V M: exemplo autem Gentium, inter quas viuebat, simul etiam colebat Idola. Hinc quoque prudens Lector habes, quòd disparitas cultus, nõ est ex naturali iure impediens cõiugium: ex hoc enim quod Iacob vir fidelis & iustus coniugium iniuit cum idololatris, & quòd vxor eius in hoc loco idololatra scribitur, discimus connubia fidelium cum infidelibus fieri, non esse aduersus ius naturale. Iacob enim vir iustus non duxit vxorem contra ius naturæ. Hæc Caietanus.

Disceptatio Catharini cũ Caietano, An Rachel fuerit infidelis, & An cõiugium inter fidelem & infidelem sit vetitum iure naturæ. Caietan. Censura Catharini.

10 Audi nunc Catharini censuram. Sic enim scribit libro 5. Annotationum in Caietanum: Inter dispares cultu non esse illicitum naturali iure matrimonium asserit Caietanus. Quod vt impium dogma notaui, cum Apostolus id naturali ratione prohibeat, scribens 2. Corinth. 6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus: quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conuentio CHRISTI ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?* Deinde confirmat id Catharinus testimonio Ambrosij, & ipsiusmet Caietani super eo loco Pauli: posthæc subdit Catharinus: Rachelem porrò fuisse idololatram; quàm inefficaciter colligit Caietanus, ex eo quòd surripuerit idola patris sui Laban! Nam Hebræa vox *Teraphim*, non semper falsos deos significat, sed quælibet simulacra; vt notãt Hebræi: & credibilius est, Rachelẽ ea patri abstulisse, nõ quòd ea coleret ipsa, sed vt colẽdi ea, occasionẽ patri adimeret. Deniq; nõ

solùm fidelem,sed piam fœminam fuisse Rachelem, satis indicat historia capitis 30. Genesis,narrans eam & ante partum, & post partum, Deum esse precatã,eiúsque preces fuisse à Deo exauditas. Hæc Catharinus. Sed enim licet probabilius sit,vt nos suprà docuimus, Rachelem non fuisse cultricem Idolorum;contraria tamen opinio,non ita est improbabilis, vt facit eam Catharinus. Nam & auctoritas Chrysostomi ac Ruperti potest eam probabilem facere; & ratio,quam attulit Oleaster, non est planè aspernabilis.

Coniugia inter fideles & infideles in sacris litteris prodita.

Quod autem Catharinus impium esse arbitratur dicere, Coniugium 11
inter fidelem & infidelem non esse illicitum & prohibitum iure naturali; si præcisè & absolutè intelligat,vehementer fallitur. Talia quippe coniugia non pauca in sacris litteris memorantur à viris sanctis facta. Ioseph vxorem duxit Aseneth filiam Phutipharis Sacerdotis Æliopoleos. Genes. 41. Moyses accepit Sephoram vxorem,filiam Sacerdotis Madian, Exodi. 2. Samson Dalidam Philisthæam. Iudic. 14. Dauid Maacham filiam regis Gessur. 2. Reg. 3. Salomon filiam Pharaonis. 3. Reg. 11. Denique Esther nupsit Assuero. Isti autem viri cùm essent sanctissimi,talia matrimonia,si quidem essent contra ius naturæ,nullo modo iniuissent. Præterea,tale matrimonium esse prohibitum iure naturali, dupliciter potest intelligi: vno modo,vt etiam secluso omni iure positiuo, & tãtummodo secundùm ius naturale,si tale matrimonium fiat,esset irritum ac nullum. Sed hoc perspicuè falsum est. Sic enim si duorum coniugum infidelium alter conuerteretur ad Fidem,matrimonium dirimeretur,nec posset fidelis manere, quasi cum coniuge,cum infideli muliere: quod est tamen contra consiliũ B. Pauli,suadentis coniugi fideli,ne deserat coniugem infidelem,si tamen velit cum eo citra calumniam Dei,quem ipse colit,manere. Sin autem Catharinus intelligit,tale coniugium esse contra ius naturæ, quia sit inconueniens & indecens,& irrationabile, & periculosum, & idcirco mortali peccato, quâ tale est obnoxium, id libenter ego confiteor, & assentior ipsi:& ad hoc ostendendũ, & persuadendum pertinent verba illa Pauli, quæ ipse citauit. Id tamen non prohibet, quin remoto iure positiuo, & stando tantùm in iure naturali,posset tale matrimonium fieri, non modò licitè & honestè,sed etiam salubriter ac laudabiliter:tum nimirum, si vir fidelis contrahat cum infideli,securus omnino,sibi nihil ex eius societate & contubernio, mali, quantum ad religionem & mores, euenturum: immò permagnam spem habens, per tale coniugium infidelem mulierẽ ad Christi fidem conuersum iri: Verùm de hac inter Catharinum & Caietanum altercatione,quod hactenus dictum est,satis Lectori sit.

B. Gregorij allegerica huius historiæ expositio.

Restat vt scitam huius historiæ allegoricam expositionem à B. Gregorio traditam hoc loco adscribamus. Sic autem ait libro 30. Moralium super illa verba Iob 39. *Clamorem exactoris non audit.* Potest,inquit,per Laban mundus intelligi: qui cum furore persequitur Iacob, quia Electos quosque,qui Redemptoris nostri membra sunt,persequendo opprimere conatur. Iacob,filiam Laban abstulit,quia Christus Ecclesiam ex Gentilitate congregauit; & de domo paterna eam abstrahens,dicit ei per Prophetam: 12

Psal. 44.

phetam: *Obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui.* Quid verò per Idola quæ tulit Rachel, niſi auaritia deſignatur, teſte Paulo: *Et auaritia, quæ eſt idolorum ſeruitus?* Laban non inuenit Idola apud Iacob, quia oſtenſis mundi theſauris, Diabolus in Redemptore noſtro veſtigia concupiſcentiæ terrenæ non reperit. Per Rachel enim, quæ ouis interpretatur, Eccleſia figuratur: ſedere autem, eſt humilitatem pœnitentiæ appetere, ſicut ſcriptum eſt Pſalmo 126. *Surgite, poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.* Rachel ergo Idola ſedendo operuit; quia Eccleſia Chriſtũ ſequẽs, terrenæ concupiſcentiæ vitia pœnitendo texit. Quò ſpectat illud Pſalmi 31. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Nos igitur Rachel illa ſignauit; tunc enim Idola ſedendo premimus, quando culpas auaritiæ pœnitendo damnamus. Nec ſolet auaritia euenire his, qui in via Domini viriliter currunt; quibus dicitur, Pſalmo 30. *Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum.* Sed ijs maximè, qui effœminato greſſu gradientes, per blandimenta ſeculi reſoluuntur. Quod ſignificauit Rachel, cùm ſedens ſuper Idola, dixit patri ſuo ſcrutanti: *Iuxta conſuetudinem fœminarum nunc accidit mihi.* Sic Gregorius.

Apud quemcunque inueneris Deos tuos, necetur coram fratribus noſtris. VERS. 32.

13 CVM Iacob non haberet tunc alios in comitatu ſuo, niſi vxores, & filios, & ſeruos; quæritur, quóſnam hîc appellet fratres ſuos? Communis ſententia eſt, quæ nititur auctoritate B. Hieronymi, in hoc loco nomen fratrum eſſe poſitum pro cognatis, etiam arctiſſima neceſſitudine, qualis eſt inter auum & nepotẽ, & inter Patrem & Filium, inuicem iunctis. Ergo filij Iacob, qui erant nepotes Laban, vocantur hîc fratres vtriuſque. Ad eundem modum, quod ſupra dictum eſt Geneſ. 25. Iſmaëlem mortuum eſſe coram fratribus ſuis, de filijs & nepotibus eius interpretatur Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Geneſim ſuper eum locum. Idem porrò Hieronymus in eo libro, quem ſcribit in Heluidium, tradit, fratres dici in Scriptura quatuor modis, Naturâ, Gente, Affectu, Cognatione. Naturâ, vt Iacob & Eſau; Gente, vt omnes Iudæi inter ſe; Affectu, vel ſpirituali, vt omnes inter ſe Chriſtiani, vel naturali, vt omnes inter ſe homines, cùm eandem habeant omnes naturam, eundémque Patrem, & Creatorem Deum. Denique cognatione; quacunque enim ſanguinis coniunctione ſint inter ſe copulati, appellantur fratres; exempli causâ, auunculus, & filius fratris, vocantur fratres, vt Abraham & Lot, Geneſ. cap. decimo tertio Iacob, & Laban Geneſ. cap. 29. Quinetiam pater, & filius, auus, & nepos appellantur fratres. quod probat Hieronymus tum ex hoc loco Geneſ. cap. trigeſimo primo, tum ex illo Geneſ. cap. vigeſimo quinto. Atque hæc eſt & Beati Hieronymi, & communis expoſitorum ſententia. Quam ego vt non improbo, ita probabiliorem cenſeo Thoſtati opinionem. Qui nomine fratrum interpretatur cognatos Laban quos ipſe duxerat ſecum ad

Hieronymus. Nomẽ fratris quatuor modis vſurpari in Scriptura.

insequendum,& capiendum Iacob, isti enim,quia erant cognati Laban, erant item affines Iacob,& ex consuetudine illarum gentium dicebantur fratres. Omnino illud quod dixit Iacob: *Apud quemcunque inueneris Deos tuos, necetur coram fratribus nostris.* Significat voluisse Iacob, vt illi fratres essent arbitri & iudices,cum potestate inquirendi & cognoscẽdi, & damnandi quemcunque deprehendissent eius furti reum. Hoc autem minimè cõpetit in filios Iacob,tum quòd essent paruæ ætatis; maximus enim eorum natu Rubẽ, nondũ erat transgressus decimum tertiũ annũ, tum quòd omnes;qui erant in familia Iacob,suspecti habebãtur eius furti,& apud eos inquirendum,& scrutandum erat. Quapropter filij Iacob, tum propter ætatem,tum propter hanc,quam dixi,causam, minimè idonei fuissent,qui eius controuersiæ arbitri, & iudices constituerentur.

Versu 41.

Nisi Deus patris mei Abraham,& timor Isaac affuisset mihi,forsitan modò nudum me dimisisses.

INFRA quoque in hoc ipso capite Versu quinquagesimo quarto dicitur Iacob iurasse per timorem patris sui Isaac. Quæritur itaque hoc loco, quis fuerit ille timor Isaac, qui affuit ipsi Iacob,& per quem Iacob,tanquam per quid sanctum, & diuinum iurauit. Quinque sunt huius rei expositiones. Prima est expositio quorundam Hebræorum, referentium id ad timorem illum maximum, quem eo tempore habuit Isaac,cum ligatus à patre suo Abraham, & impositus super altare,vidit supra se districtum gladiũ, quo iugulandus erat. Verùm hoc sic refellitur: ille timor non fuit arbitrarius, & voluntarius; sed planè naturalis,& ideo minimè laudabilis, sicut nec vituperabilis: timor verò Isaac, per quem iurauit Iacob, & quem dixit affuisse sibi, erat quid laudabilissimum, Deóque gratissimum. Secunda expositio: significari timorem,& pietatem,qua ipse Iacob colebat & venerabatur patrem suum Isaac: insigni enim pietate eum colebat. DEVS autem benefacere solet filiis gratis,& pijs erga parentes;talémque se aduersus eos exhibere,quales filij sunt erga parentes. Quod autem iurauit per timorem Isaac, significat iurasse per ipsum Isaac, quem ipse timebat, timore scilicet, vt vocant,reuerentiali, & filiali. Similiter vulgo solent homines iurare,vel per vitam patris sui,vel per vitam Regis,vel alius cuiuspiã personæ,quam ipsi vnicè amant,& honorant. Non est mala hæc expositio,sed aliæ, quas subijciam,sunt aptiores,& meliores.

Quinque expositiones, quis fuerit iste timor Isaac.

Genes. 22.

Tertia expositio,significari timorem,id est, eximiam reuerentiam & pietatem,qua Isaac colebat,& venerabatur DEVM. Nam etsi omne genus virtutibus excellebat Isaac,inter omnes tamẽ religio,& pietas aduersus Deum,elucebat maximè,atque eminebat. Quanquam Hebræi,cur tacitis aliis virtutibus Isaac,solus eius timor,& pietas erga DEVM cõmemorata sit, hanc reddunt rationem, quòd Isaac adhuc viueret, & quoad viuit quisque mortalium, quia peccare potest, viuere eum in timore necesse est. Celebratur enim dictum illud Sapientum Hebræorum:

Sanctus,

Sanctus,& benedictus Deus non tribuit nomen suum iustis adhuc viuentibus. Quo significare voluerunt, Deum appellari, mortuorum Deum veriùs,quàm viuorum.Quarta expositio est Aben Esræ, est etiam Gaietani,qui significari putant,merito timoris Isaac,id est pietatis,& deuotionis,qua ille pro filio suo Iacob assiduè supplicabat Deo, fuisse Iacob seruatum,cùm ab alijs calamitatibus malisque, tum à fallacijs omnibus, & fraudibus, atque calumnijs soceri sui Laban, & insuper omnia ei, etiam supra votum, prosperè contigisse. Atque hæc melior prioribus est interpretatio. *Aben Esra. Caietanus*

15 Quinta, quæ omnium videtur optima interpretatio, huiusmodi est: Timor Isaac,significat ipsum Deum.Solet enim Scriptura Deum appellare timorem,& terrorem,quòd maximè timendus sit, summéque terribilis,non solùm propter omnipotentiam & iustitiam,atque ineuitabilem scelerum vindictam, quarum rerum pauore plerique mortalium ad colendum Deum impelluntur: Verùm maximè propter infinitam eius maiestatem,quæ reuerentiam,& venerationem exigit,quantam humanus animus maximam capere potest, immò verò infinitis partibus maiorem. Quòd autem dicatur Deus timor,clarissimum habes apud Isaiam locum in cap.8.vbi sic est:*Santificate Dominũ Deum Israel,ipse est pauor vester,ipse terror vester.* Ceterùm in huiusmodi locutione monendus Lector est,morem esse Scripturæ,Deum dicere esse hoc,vel illud, non quia propriè sit talis,sed quia talis est,vel effectiuè, vel obiectiuè (lubet enim ad præsens loqui more Scholastico)Effectiuè dicitur Deus esse aliquid, quòd sit efficiens eius rei:hoc modo in Psalmis frequenter dixit Dauid, Deum esse suam lucem,salutem,& fortitudinem,quòd esset illuminans ipsum,& saluum,& fortem faciens.Obiectiuè autem Deus dicitur esse aliquid,quòd in ipso Deo, vel circa ipsum Deum, illud versetur; quo significatu dixit Dauid: Dominus spes mea,patientia mea,expectatio mea,quòd ipse sperarem in Deo,ipsúmque expectarem,& sustinerem,propter ipsum custodiés vias duras, vt ipse dixit. Ad hunc quoque modũ dictus est hoc loco Deus timor Isaac,quòd Isaac Deum eximio,ac singulari timore,pleno videlicet reuerentiæ,ac pietatis vnicè coleret,ac veneraretur. *Auctoris expositio cur Deus dicatur timor, & terror.* *Obseruandus modus loquẽdi scripturæ.* *Psal. 16.*

Cúmque abijsset, & amne trasmisso pergeret contra montem Galaad; nunciatum est Laban die tertio, quòd fugeret Iacob. Qui assumptis fratribus suis, persecutus est eum diebus septem,& comprehendit eum in monte Galaad. VERS. 22. 23.

61 QVIS fuit ille amnis,hîc propriè innominatus,quem Iacob ex Mesopotamia iter faciens in Palæstinam traiecit? Haud dubiè fuit Euphrates:hic enim venientibus ex Mesopotamia in Palæstinam,necessariò traijciendus est. Euphrates porrò solet in Scriptura, ad denotandam eius præstantiam, dupliciter appellari, *Euphrates.*

vel fluuius magnus, vt Gen. 15. Et Ioſue 1. vel præcisè, & ſine vlla adiunctione, Fluuius, vt hoc loco & Exod. 23. & Ioſue 24. Vnde illud (trans Flumen) ſatis frequens in Scriptura, idem ſignificans, atq; trans Euphratem, vnde ſcilicet parens gẽtis Hebrææ Abraham vocatu & iuſſu Dei venit in Palæſtinam. Tali verò laude dignatus eſt Euphrates, quòd tribus nominibus ſit fluminum nobiliſſimus: primò quia eſt maximus omnium Aſiæ fluminum: quinetiam omniũ terræ fluminũ, quæ id temporis nota erant Iudæis, poſt Nilum, maximus habebatur. Deinde quia erat vnus de quatuor fluuijs ex Paradiſo emanãtibus. Denique quòd fuerat à Deo deſignatus, & conſtitutus quaſi terminus ampliſſimæ ditionis, & imperij quod promiſerat Deus Hebræis, ſic enim dixerat Abrahæ Geneſ. 15. *Semini tuo dabo terram hanc, à fluuio Ægypti, vſque ad fluuium magnum Euphratem.*

Geneſ. 2.

Conſideratio mõtis Galaad

S. Hieronym.

Ceterùm verba illa: *Et comprehendit eum in monte Galaad*: requirere videbatur à nobis, vt de monte hoc in ſacris litteris percelebri, & qui primùm in Scriptura hoc loco memoratur, pauca dicamus: & ante alia quid de eo prodiderit. S. Hieronymus in libro de locis Hebraicis. Hoc autem modo ille ſcribit; Galaad mons, ad quẽ ſeptimo die perfectionis è Charis, Iacob profugus venit, eſt ad tergum Phœnices & Arabiæ collibus Libani copulatus: extenditúrque per deſertum vſque ad eum locũ, vbi trãs Iordanem habitauit olim rex Sehon Amorrhæorum. Cecidit hic mons in ſortem filiorum Ruben, Gad, & dimidiæ tribus Manaſſe. Sed & Hieremias loquitur cap. 22. *Galaad tu mihi initium Libani*; à quo monte, & ciuitas in eo condita, ſortita eſt vocabulum, quam accepit de Amorrhæorum manu Galaad filius Machir, filij Manaſſe; Numerorum 26. Hæc Hieronymus. 17

Situs, & longitudo & initiũ atque finis Galaad. Ptolomæus.

At enimuerò ab ijs, qui poſt Hieronymum, de iſto monte diſtinctiùs & vberiùs ſcripſerunt, hæc fermè prodita ſunt: Mons Galaad, qui à Ptolomæo vocatur Hippus, montium omnium, qui trans Iordanem ſunt, altiſſimus eſt: & quinquaginta circiter milliaria longus: Ab Auſtro iuxta ciuitatem Iaer, rupéſque Arnon initium ſumit: & verſus Septentrionem, per duo regna, Amorrhæorum ſcilicet & Baſan: ad Orientem verò per deſerta loca, diuerſis cacuminibus vſque ab Libanum montem porrigitur, & in diuerſis locis diuerſa ſortitur nomina. Namque à rupibus Arnon vſque ad ciuitatem Cedar, vocatur Galaad, qua parte cæteris fertilior, & altior eſt, vt hîc ob loci eminentiam, reliquarum partium caput eſſe videatur. Deinde verò, quo vſque Boſram, ſiue Phialam fontem protenditur, Seir vocatur. Hinc porrò Trachonitidem regionem circumiens, Hermon appellatus eſt, & è regione Cæſareæ Philippi vſque Damaſcum excurrens, Libano monti iungitur: quam ob cauſam Hieremias ipſum vocauit caput Libani. Antecedit hic mons fertilitate, & vbertate alios omnes, qui vltra Iordanem ſunt montes: eſt enim arborũ, aromatum, & graminis feraciſſimus. Abundat pinis vbertim reſinam ſudantibus, quæ quidem optima, & laudatiſſima olim habebatur, vel teſte ipſo Hieremia cap. 8. & 46. *Numquid reſina*, inquit, *non eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi? quare* 18

Altitudo, & fertilitas.

quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei? & alio loco: *Ascende in Galaad, & tolle resinam, virgo filia Aegypti: frustrà multiplicas medicamina, sanitas non erit tibi.* Est enim resina humor ex arboribus, præsertim verò pinis distillans, cuius medicamine vulnera curantur.

Origo, & causa nominis.

19 Sed quæ fuerit causa cur isti monti positum fuerit nomen Galaad, narratur in hoc capite versu 48. Iacob enim fœdus percussurus cum socero suo Laban, strui iussit aceruum, siue tumulum lapidũ, super quo epulantes fœdus inuicem inierunt; & inde aceruum illum appellarunt aceruum testimonij: sed vterque secundùm proprietatem linguæ suæ. Nam Laban Syriacè vocauit Iegar Sahaduta, Iacob verò Hebræa lingua nominauit Galhed, siue Galaad, vtroque autem vocabulo tam Syro, quàm Hebræo idem significatur, nempe aceruus testimonij, quòd ille aceruus lapidum futurus esset in posterum percussi fœderis inter eos monumentum, ac velut testimonium. Ex eo verò factum est, vt etiam mons ipse, in quo id gestum erat, simili etiam nomine appellaretur: nec solùm mons, sed etiam ciuitas in eo condita, & regio ei adiacens.

Diuersitas lectionis Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ.

20 Monendus hoc loco est lector, quod scriptum est versu 47. *Vterque iuxta proprietatem linguæ suæ*, id non esse neque in Hebraicis, neque in Græcis codicibus, sed adiectum esse à Latino Interprete, quo distinctior, & dilucidior esset sententia. Quemadmodum contrà Latinus Interpres non habet, quod est in libris Græcis, & Hebraicis, in nostra enim translatione vnum duntaxat nomen legitur fuisse impositum: id autem fuit, Galaad, quod significat, vt diximus, aceruũ testimonij. At Hebraicè, & item Græcè duo nomina leguntur fuisse imposita, vnum quidem, illud quod dixi, Galaad, alterum verò Misipha, quod propriè significat speculam; vel, vt septuaginta verterunt, visionem. Nam quia dixerat Laban: *Intueatur, & iudicet Dominus inter nos*, siue vt ad verbum sonant Hebræa: *Speculetur Dominus inter me, & te*, inde appellatus est locus specula, siue visio. Lectio igitur eius loci Hebraica huiusmodi est: Et dixit Laban: *Cumulus iste sit testis inter me, & te hodie, idcirco vocauit nomen eius Galhed, & Misipha: quia dixit: Speculetur Dominus inter me, & te.* Græca verò eiusdem loci lectio huiusmodi reddit sententiam: *Propterea vocatum est nomen, Aceruus testatur, & visio quam dixit, Respiciat Deus inter me, & te*, quæ lectio perplexum habuit S. Augustinum in quæst. 98. in Genesim, ambigentem de qua visione id esset intelligendum: sed tandem refert ad visionem Dei, quam habuit Laban in itinere, cùm insequeretur Iacob, in qua visione Deus eum deterruit à malefaciendo, maléque loquendo ipsi Iacob.

BENE

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA IN CAPVT TRIGESIMVM SECVNDVM GENESIS.

ARGVMENTVM.

Iacob pertimescens fratrem suum Esau, placandi eius, conciliandique sibi gratiâ, legationem ad eum mittit, & duplici Angelorum visione confirmatur, & nouum ei nomen imponitur Israël.

1 IAcob quoque abijt itinere quo cœperat: fueruntque ei obuiam Angeli Dei.
2 Quos cùm vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc: & appellauit nomen loci illius Ma-
3 hanaim, id est, Castra. Misit autem, & nũcios ante se ad Esau fratrem suum in terram Seir, in regionem Edom, præcepitq;
4 eis dicens: Sic loquimini Domino meo Esau: Hæc dicit frater tuus Iacob: Apud Laban peregrinatus sum, & fui vsque in
5 præsentem diem: Habeo boues, & asinos, & oues, & seruos, & ancillas: mittóque nunc legationem ad dominum meum,
6 vt inueniam gratiam in conspectu tuo: Reuersíque sunt nuncij ad Iacob dicentes: Venimus ad Esau fratrem tuum, & ec-
7 ce properat tibi in occursum cum quadringentis viris. Timuit Iacob valdè, & perterritus diuisit populum, qui secum erat,

greges

greges quoque & oues, & boues, & camelos in duas turmas, 8
dicens: Si venerit Esau ad vnam turmam, & percusserit eam,
alia turma, quæ reliqua est, saluabitur. Dixítque Iacob; Deus 9
patris mei Abraham, & Deus patris mei Isaac: Domine qui di- 10
xisti mihi: Reuertere in terram tuam, & in locum natiuitatis
tuæ, & benefaciam tibi: minor sum cunctis miserationibus
tuis, & veritate tua quam expleuisti seruo tuo. In baculo meo
transiui Iordanem istum: Et nunc cum duabus turmis regre- 11
dior. Erue me de manu fratris mei Esau, quia valdè eum timeo:
ne fortè veniens, percutiat matrem cum filijs. Tu locutus es 12
quòd benefaceres mihi, & dilatares semẽ meum sicut arenam
maris, quæ præ multitudine numerari non potest. Cúmq; dor- 13
misset ibi nocte illa, separauit de his quæ habebat munera
Esau fratri suo, capras ducentas, hircos viginti, oues ducentas, 14
& arietes viginti, camelos fœtas cum pullis sui triginta, vaccas
quadraginta, tauros viginti, asinas viginti, & pullos earum de- 15
cem. Et misit per manum seruorum suorum singulos seorsum 16
greges, dixítq; pueris suis: Antecedite me, & sit spatium inter
gregem, & gregem. Et præcepit priori, dicens: Si obuium ha- 17
bueris fratrem meum Esau: & interrogauerit te: cuius es? aut,
quo vadis? aut cuius sunt ista, quæ sequeris? respondebis: serui 18
tui Iacob; munera misit domino meo Esau: ipse quoq; post nos
venit. Similiter dedit mandata secũdo, & tertio, & cunctis, qui 19
sequebãtur greges, dicens: Iisdẽ verbis loquimini ad Esau cum
inueneritis eum. Et addetis, Ipse quoque seruus tuus Iacob iter 20
nostrũ sequitur: dixit enim; placabo illũ muneribus, quæ præ-
cedunt, & postea videbo illum, forsitã propitiabitur mihi. Præ- 21
cesserunt itaq; munera ante eum, ipse verò mansit nocte illa in
castris. Cúmq; maturè surrexisset, tulit duas vxores suas & to- 22
tidem famulas cum vndecim filiis, & trãsiuit vadum Iaboch.
Traductísq; omnibus quæ ad se pertinebant, mansit solus: & 23 24
ecce vir luctabatur cum eo vsq; manè. Qui cùm videret quòd
eum superare non posset, tetigit neruũ fœmoris eius, & statim 25
emarcuit. Dixítq; ad eum: Dimitte me, iam enim ascendit au- 26
rora. Respondit; non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Ait er- 27
go: Quod nomẽ est tibi? Respõdit: Iacob. At ille: Nequaquam, 28
inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël: quoniam
si contra Deũ fortis fuisti, quanto magis contra homines præ-

29 ualebis? Interrogauit eum Iacob: Dic mihi, quo appellaris nomine? Respondit, cur quæris nomen meum? Et benedixit ei in eodem loco. Vocauítq; Iacob nomen loci illius Phanuel, dicēs;
30 Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Ortúsq; est ei statim sol, postquam transgressus est Phanuel: ipse verò claudicabat pede. Quam ob causam non comedunt neruum filij Israel, qui emarcuit in femore Iacob, vsq; in præsentem diē, eo quòd tetigerit neruū fœmoris eius, & obstupuerit.

VERSV 1. Iacob autem abijt in itinere, quod cœperat: fuerúntque ei obuiam Angeli Dei. Quos cùm vidisset, ait; Castra Dei sunt hæc: & appellauit nomē loci illius, Mahanaim, id est Castra

HÆc est tertia visio diuina, quæ cōtigit Iacob. Nam prima visio fuit admirādæ illius scalæ, Genesis 28. altera fuit, cùm Angelus in somno demonstrauit ei arietes ascendētes super oues, ad conspectum diuersicolorum virgarum, Genes. 31. Tertia verò hæc visio, qualisnam fuerit, & quemadmodum facta, vtrum sub specie visibili, an tantùm per visionem imaginariam: & vtrum in vigilia an in somno, incertum est. Mihi quidem Caietani non displicet coniectura, ait hunc modum super his verbis scribentis: Tertia hæc est visio diuina Iacob: Verùm de ea nihil scriptura dicit qualis fuerit, an in vigilia, an in somno, & vtrum in Ecstasi, an vtendo corporali visione. Librando tamen verba Hebraica, apparet non fuisse visionem corporalem, sed internam; sic enim Hebraicè legitur; *Et occurrerunt in eo Angeli Elohim*, dicendo, *In eo*, occursum significat internum. Ambiguum tamen restat, an id accidit vigilando, an dormiendo: sed quia nulla hactenus narrata est visio Iacob nisi in somnis, suspicor hanc quoque fuisse in somno. In cuius signum, nulla interceſſit locutio Angelica; sed sola apparitio per modum occurrentium cum intelligentia Iacob, quòd erant castra Dei. Hæc Caietanus. Hebræi, quia vox *Mahanaim*, est numeri dualis, putant fuisse bina castra Angelorum, vna anteriora, occurrentia Iacob ingredienti Palæstinam, & erant Angeli custodes, & præsides illius regionis, qui læti, & quasi gratulabundi excipiebant eum, parati ad eius custodiam, & defensionem. Altera erant Castra Angelorum, qui ex Mesopotamia deduxerunt eum in eum vsque locum. Hanc autem visionem obiecit Deus Iacob, vt omni eum timore, & angore liberaret, intelligentem sibi diuina custodia & tutela protecto, nihil esse à quodam metuendum.

Caietanus.

Hebræi.

Locus psa. 33. Ad hanc historiam spectasse videtur Dauid, cùm dixit in Psalmo 33. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Pro illo *Immittet*, Hebræum verbum propriè significat, *castrametabitur*: nec verbum Græcum, quod inibi est, ab ea significatione remotum est. Similis quodammodo visio accidit Heliſæo, vt narratur quarto Regum 6. cùm

ostendit

ostendit puero ministro suo ingentem multitudinem igneorum equorum & curruum in defensionem ipsius. Fuit igitur exercitus ille Angelorum quasi equestris; hic autem tanquam pedestris. Et in Psalmo nonagesimo in vniuersum de protectione virorum iustorum quam habet Deus singularem, atque eximiam, scriptum est: *Quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis, &c.* Atque hæc, quæ de Angelorum custodia, & tutela diximus, mirandum in modum viros iustos recreant, & confirmant, non dubitantes, quamuis vrgeantur & premantur grauissimis malis & calamitatibus, quarum nullum, ratione humana, & consilio, videant exitum, certum sibi tamen affore diuinum auxilium; in memoria, & in pectore perpetuo illud habentes, *Plures sunt pro nobis, quàm contra nos.*

2 Non est silentio prętereunda interpretatio huius loci, quę est apud Rupertum, scita profectò, & luculenta. Sic enim scribit ille libro octauo Commentariorum in Genesim cap. secundo & tertio, Locum hunc pertractans: Ad singularem & insignem B. Iacob laudem & gloriam pertinet, quòd non dicantur Angeli apparuisse ei, quod & multis accidit, sed dicatur quòd Angeli Dei fuerunt ei obuiam: id enim sonat quasi quoddam insigne victoris & emeriti viri, cui pro gloria triumphi, pompa cœlestis obuiam procedens, festina exceptione lætum obsequium præbuerit. Et rectè talem habuit occursum, qui sub obedientia patris sui peregrè militauerat, in fide certauerat, in spe victoriam perfecerat, in caritate dilatata eius anima, profundissimas beneficiis diuinis gratias agebat, dicens: *Minor sum cunctis miserationibus tuis, &c.* Peracta igitur patris sui obedientia, reuertenti ad patrem occurrerunt sancti Angeli: vt sciamus quia post obedientiæ laborem, cuique fideli datur supernis ipsum reuelationibus visitari, & cœlestium spirituum crebra visione, in hac etiam vita remunerari. Sic Dominus etiam ipse noster postquam tentationes Diaboli vicerat, exceptus est victor ab Angelis ministrantibus ei. Sic pro modulo suo electi, quanto superiores hominibus fiunt, tanto propinquiores Deo effecti, Angelorum præsidio, & solatio, atque etiam ministerio fruuntur: non enim Paulus dubitauit dicere, *Omnes esse administratorios Spiritus in ministerium missos, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Nec vacat mysterio, quòd locus ipse vbi visitatio ista angelica facta est, castra sunt appellata. Siquidē & ipsa Ecclesia in qua sunt electi, & in qua, & per quam tales visitationes angelicæ fiūt, terribilis dicitur, vt castrorum acies ordinata. Sic Rupertus.

Rupertus. *Matth. 4.* *Hebr 1.* *Cantiq. 6.*

3 Nec illud non est hîc adnotandum obiter, quod doctissimus inter Hebræos Rabbinus Moyses Ægyptius, de ministerio Angelorū apud homines obseruatè prodidit: Scias, inquit, Hebręa voce (sicut etiam gręca) Angelum significare nuncium. Non solùm autem hominum, sed etiam motus animalium irrationalium dicit Scriptura agi, & regi per manus Angelorum: cum illi videlicet motus fuerint prępparati per substantiam aliquam spiritualem, quæ dedit eiusmodi animalibus potentiam, vtsic mouerentur, sicut dixit Daniel: *Misit dominus Angelum suum, & concluſit ora Leonum, & non me contaminauerunt.* Motus etiam asinæ Balaam, fuerunt omnes

Rabbi Moyses Ægyptius. *Dan. 6. & 14.*

per manũ Angeli: Elementa quoq; vltima vocãtur Angeli, ſicut dixit Dauid: *Qui facit Angelos ſuos: ſpiritus; & miniſtros ſuos ignem vrentem.* Angelum quoque Scriptura appellat Prophetam, vt cùm dicit: *Miſit Angelum ſuum, & eduxit nos de Aegypto:* Angelum enim interpretantur Moſem. Sic ille. Vetus porrò omnium fermè patrum ſententia, cuiq; genti præfectum eſſe à Deo Angelum aliquem, proprium eius Gentis cuſtodem, ac præſidem, videtur, præter Scripturam Danielis cap. 10. deriuata ex Cantico Moſis in Deuteron. vbi ſecundùm tranſlationem lxx. ſic eſt: *Quando dtuidebat Altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum iuxta numerum Angelorum Dei:* pro quo legitur Hebraicè: *iuxta numerum filiorum Iſrael.* Et apud Danielem cap. vij. legimus de quatuor ventis cœli, qui pugnabant in mari magno, quos ventos, ſuper eo loco S. Hieronymus interpretatur quatuor Angelicas poteſtates, quibus principalia regna commiſſa fuerant, ſui quaque regni ſingularem, ac præcipuam gerente curam. Et in Apocalypſi non ſemel legitur de ſeptem ſpiritibus à Deo miſſis in terram, ad miniſteria diuinæ prouidentiæ potiſſimùm curanda, & adminiſtranda.

Num. 22. Pſal. 103. Exod. 23.

Vetus ſententia Patrum, quòd ſuum quæq; Gens Angelum habeat præſidẽ vnde ſit ducta.

S. Hieronym.

VERSV 10

Minor ſum cunctis miſerationibus tuis, & virtute tua quam expleuiſti ſeruo tuo.

S. Hieronym.

SANCTVS Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Geneſim ſic legit hunc locum: *Minor ſum omni miſericordia tua, & omni veritate tua, quam feciſti pro ſeruo tuo*: Et ſubdit: Pro eo, quod nos poſuimus, *Minor ſum*: aliud neſcio quid quod ſenſum turbet, in Græcis, & Latinis codicibus continetur. Videtur iſtis verbis Hieronymus innuere id, quod Græcè hoc loco ſic legitur: *Sufficiat mihi ab omni iuſtitia, & ab omni veritate, quam feciſti puero tuo.* Cuius lectionis hæc eſt ſententia: Satis mihi ſupérque eſſe deberet, quòd me tot tantíſque ad hanc vſque diem beneficiis proſecutus es. Hebraicè autem locus hic ad verbum reddit ſenſum hunc: *Minor ſum præ omnibus miſericordijs tuis, & præ omni veritate tua, quam feciſti ſeruo tuo.* Vt ſit ſenſus; Miſericordiæ tuæ, & veritates tuæ, longè præcellunt merita mea. Per miſericordias, intelligit gratuita eius dona, & beneficia: per veritates, denotat promiſſa Dei data ſibi, iam magna in parte impleta. Aduertendum autem eſt, Hebræis non eſſe vſum comparatiui, ſed eius loco vti eos præpoſitione, à, vel ab, adiuncta nomini poſitiuo, quæ præpoſitio Latinè conuerti debet in præpoſitionem præ, vel ſuper: non enim Hebraicè diceretur, Melior ſum te, ſed, Bonus ſum à te, id eſt, præ te. Quare illud, *Bonum eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine:* Hebraiſmus eſt, pro: Melius eſt confidere in Deo, quàm in homine. Sic etiam intelligitur illud Euangelicum de Publicano, & Phariſæo, *Diſceſſit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo*, id eſt, præ illo, vel, magis quàm ille. Sic hoc loco: *Paruus ſum à miſericordijs tuis*, id eſt, præ miſericordiis tuis, & vt bene vertit noſter interpres: *Minor ſum miſericordiis tuis:* Quaſi dicat, Nullo modo ego mereor tantam miſericordiam

Obſeruatio de vſu comparatini apud Hebræos. Pſalm. 117. Luc 18.

diam tuam erga me. Hebræum autem vocabulum *Haſed* non tantùm miſericordiam, quæ compaſſionem animi ſonat, ſed plerunque beneficia, & gratuita dona gratiarum, quæ largitur Deus hominibus, ſignificare ſolet. Eximia verò eſt animi gratitudo, quam iſtis verbis declarauit Iacob, agnoſcere indignum ſe diuinis beneficiis, & immerentem: neque enim accipiendis beneficiis eſt idoneus, qui non eſt gratus acceptis. Et illud ſanè documentum Caietani verum, & obſeruatu dignum eſt: Veræ, inquit, humilitatis theologicæ profeſſio eſt, quòd homo ſoleat reddere ſe ipſum minorem, quàm exigunt diuina beneficia: ſumus enim impares diuinis beneficiis; & ipſam imparitatem nos ipſi efficimus, tum minùs præparando, & diſponendo nos ad ſuſcipienda Dei beneficia, tum minùs gratè reſpondendo iam acceptis. *Caietanus.*

In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum, & nunc cum duabus turmis regredior. VERSV 10

VIDE in hac oratione Iacob gratiſſimi erga Deũ animi excellentem virtutem. Memorat ille priorem paupertatem ſuam, ſimulque præſentem opulentiam, quo mirabiliorem videlicet, & prædicabiliorem oſtendat ex vtriuſque inter ſe comparatione Dei erga ſe beneficentiam. Dicens igitur Iacob, ſe in baculo ſuo tranſiſſe Iordanem, ſignificare voluit, ſe iter ex Chananitide in Meſopotamiam feciſſe ſine vllo cultu, paratúque rerum ac familiæ, ſine vectabulo, ſine ſeruitio aliquo, & comitatu, ſed ſolitarium, rerúmque omnium inopem, ſibiq; baculum ſuum fuiſſe pro comite, ac vehiculo. Vocat porrò duas turmas, cum quibus regreditur, vnam quidem gregum, alteram verò armentorum, vel vnam animalium, alteram verò ſeruorum, & ancillarum.

Cæterum illud: *In baculo*, non eſt in præteritis reliquendum: illa enim præpoſitio *in* varias admodum habet in ſacris litteris ſignificationes, accuratè animaduertendas lectori, ne in lectione Scripturæ, earum ignarus paſſim hærea. Equidẽ videor mihi aſſidua lectione ſacrarum litterarum duodecim eius præpoſitionis vſurpationes obſeruaſſe. Primò, *in*, ſæpe ponitur pro, cum, & ſignificat inſtrumentum, quo aliquid fit, vt cum dicitur: Percutere in gladio, vel in ore gladij; & illud in Cantico Zachariæ: *Seruiamus ei in ſanctitate, & iuſtitia.* Sic, & hoc loco dixit Iacob: *In baculo meo*, pro, cum baculo meo. Secundò *in*, pro, per, vt pſalmo 62. *Laudabuntur omnes, qui iurant in eo*, id eſt, per eum; & in Pſalmo 88. *Iuraui in ſancto meo*, id eſt, per ſanctum meum. Tertiò, *in*, pro, per, denotando tamen poteſtatem & opem, vt Pſalmo 17. *In te eripiar, à tentatione; & in Deo meo tranſgrediar murum*, id eſt per te, & tua potentia adiutus; Et apud Paulum: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*: Et Actorum 17. *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.* Quartò *in*, pro, vt, vel ad, vt Pſalmo 135. *Fecit ſolem in poteſtatem diei, & lunam in poteſtatem noctis.* Id eſt, vt ille præeſſet diei, & hæc nocti: & illum fecit ad illuminandum diem; hanc verò ad diſcutiendas noctis tenebras. Quintò, *in* pro, Propter, vel pro, vt pſalmo 30.

12. Variæ ſignificationes præpoſitionis in.

Luc. 1.

Philip. 4.

discutiendas noctis tenebras. Quintò, *in*, pro; Propter, vel pro, vt Psal. 30. *In iustitia tua libera me*, id est, propter iustitiam tuam: Vox autem Hebræa, quæ ibi Latinè redditur, iustitia, significat bonitatem, & benignitatem, & misericordiam. Et apud Oseã cap. 5. *Ruent in iniquitate sua*, id est, propter iniquitatem suam. Et apud eundem cap. 21. dicitur Iacob seruisse in vxore, & in vxore, id est, seruisse pro duabus vxoribus. Sextò, *in*, pro, contra, in Psal. 43. *In nomine tuo spernemus insurgentes in nobis*, id est, contra nos. Septimò, esse in aliquid, vel in aliquem, pro esse illud, vel loco, & vice illius, vt Psal. 30. *Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij*, id est, Deus protector, & tanquam domus refugij: Et 2. Reg. cap. 7. *Ego ero illi in patrem, & ille erit mihi in filium.* Octauò, *in*, pro, inter, vt Ioan. 1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, pro, inter nos. Nonò, *in*, pro apud, vt 1. Petr. 5. *Pascite qui in vobis est gregem Dei*, pro, apud vos, vel curæ vestræ commissum. Decimò, pro, ex; Michææ 5. *Qui ædificãt Sion in sanguinibus.* Id est, ex sanguinibus, hoc autem est, ex rapinis pauperum, vnde sequitur eorum mors, præ paupertate, & miseria. Vndecimò pro coram, vel ante: *In nomine Iesu omne genu flectatur*, id est, Ante vel coram: Duodecimò, *in*, pro, sub: vt Psalm. 90. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur*, Id est, sub adiutorio, sub protectione.

Philip. 2.

VERS. 11. Erue me de manu fratris mei Esau, quia valdè eum timeo, ne fortè veniens percutiat matrem cum filijs.

Cur Iacob tantoperè timuerit fratrẽ suum Esau.

IRATV profectò, quæsitúq; dignum videri potest, cur Iacob tanto fratrem suum Esau opere metueret, cùm certissimam diuinæ custodiæ, ac protectionis sui promissionem accepisset. Etenim ante viginti annos ex Chananitide in Mesopotamiam eunti, visus per quietem Deus dixerat Geneseos vigesimo octauo: *Ero custos tuus quocunque perrexeris: nec dimittam te, nisi compleuero vniuersa quæ dixi tibi.* Quinetiam ipsemet Deus iusserat abire eum ex Mesopotamia, & regredi in terram Chanaam, fretúmque diuino præsidio nihil timere. Immò verò proxima ante eum ipsum diem nocte viderat Angelorum castra, qui ad custodiam & defensionem eius præstò erant.

S. August.

Sanctus Augustinus ait, Iacob non omnino timuisse, verùm illud modò esse veritum, ne sine magna suorum clade non posset manus fratris effugere. Sciebat enim ferociam animi eius, sæuumque, & ad cædes hominum propensum ingenium, nec ignorabat eum sibi esse infensissimum, ob paternam benedictionem præreptam, ablatámque primogenituræ dignitatem. Quæ Augustini sententia satis congruere videtur cum verbis Scripturæ, quæ sunt hoc loco. *Erue me*, inquit Iacob, *de manu Esau: quia valdè eum timeo, ne fortè veniens percutiat matrem cum filiis.* Augustini verba ex quæst. 102. in Genesim, hæc sunt; Quæri potest, quomodo Iacob fidem habuerit promissis Dei, dicens. *Si venerit ad castra prima: & exciderit ea, erunt secũda in salutem.* Sed fieri potuit, vt Esau euerteret castra eius

eius,& tamen Deus post illam afflictionem adesset, & liberaret eum, & quæ promisit, impleret. Et admonendi sumus hoc exemplo, vt quamuis credamus in Deum, faciamus tamen quæ facienda sunt ab hominibus in præsidium salutis,ne prætermittentes ea, Deum tentare videamur. Denique post hæc verba, Iacob loquitur ea, quibus se fidem & spem habere promissus Dei apertè demonstrat. Quare satis hinc, & humana viri infirmitas,& fides pietatis apparet. Sic Augustinus.

7 Lyranus super hunc ipsum locum, quæstionem hanc dupliciter dissoluit. Ac primò ait, causam timoris fuisse Iacob, quòd iter facturus esset per montem Seir, & regionem quam habitabat, & obtinebat Esau, vbi nulla difficultate circumueniri ab eo, atque omnibus bonis, vitaque ipsa spoliari poterat;præsertim cùm putaret,eum acceptam iniuriã,alta mente repositam tenere, sibique necem, quoquo modo posset machinaturum. Ob hanc igitur causam ingenti metu,vt homo, correptus est; licèt fuisset & diuinis oraculis, & Angelicis visitationibus confirmatus. Sic Lyranus. Verùm quod ait Lyranus,Iacob transiturum fuisse tunc terram Esau,proculdubio falsum est:siquidẽ Iacob ex Mesopotamia venienti in Chanānitidem,valdè alienum,& remotum,& deuium erat iter per Idumæam:præsertim verò cùm iam ipse tunc transgressus montem Galaad,& appropinquans Iordani,intrasset terram Chanaam, extra quam est Idumæa. Altera Lyrani solutio eiusdem quæstionis, huiusmodi est:Quia Iacob per viginti annos versatus fuerat in domo Laban & filiorum eius, hominum nempe improborum, & Idola colentium; timuisse eum, ne quam ipse peccatorum labem ex tam diutina cum talibus hominibus domestica consuetudine contraxisset, & in Dei offensam aliquam incurrisset; quam ob causam indignum se fecisset diuinæ promissionis effectu: non enim ignorabat multas Dei promissiones esse conditionales, nec nisi seruata conditione, qua datæ sunt efficaces. Sedenim nec Iacob de diuinis promissis, sine vlla prorsus conditione, sed absolutè,præciséque sibi datis,dubitare poterat;nec vereri debebat,ne fortè esset in gratia Dei:cùm talem metum, tot Angelorum ad ipsius custodiam, & defensionem venientium occursus proximè ante factus,penitus ex animo eius eximere debuisset. *Lyranus.*

8 Verius igitur dictu fuerit,Causam timendi Iacob fuisse;quòd audisset, Esau, quem sibi putabat inimicissimum, venire ad se cum quadringentis equitibus. Quamuis Esau placato, & beneuolo animo tunc venisse ad Iacob, manifestum fecit indicium, id quod egit Esau erga Iacob. Namq; amplexatus est eum, stringénsq; collum, & osculatus eum fleuit, voluisséq; eum ipse comitari, aut partem sui equitatus ad eius comitatum,& custodiam ei relinquere. Venit porrò Esau cum tanto equitatu in occursum Iacob ad ostendendam potentiam suam,simúlq; honorandum ipsum. Sed redeamus ad timorem Iacob. Qui etsi secundùm rationem superiorem, diuinis oraculis & promissis eruditam & confirmatam sciret nihil sibi esse metuendum: attamen secundùm partem inferiorem, & humani sensus, ac iudicij infirmitatem, obiecta specie tanti periculi,

non

non solùm ingruentis, sed propemodum præsentis; naturalis cuiusdam pauoris motu, ictúque quatiebatur, ac feriebatur. Tales quippe motus timoris naturalis sunt non solùm vehementes ac violenti, verùm sæpe rapidi & inconsulti, atque ipsius rationis imperium præuertentes, iudiciúmq; ad breue tempus, quasi cohibentes. Mox tamen vbi se animus collegit, quid in tali specie terroris insit veri, acutè dispiciens, timorem omnem penitus discutit, vigorémque animi, & constantiam retinet.

Epicteti præclara sententia quatenus sapienti timor accidere queat.

Sed quia Stoicorum decretum est, Sapienti, etsi certa ratione compertum sit, nihil sibi esse timendum, posse tamen citra vllam eius culpam, timorem accidere; Et Epictetus, probatissimus & nobilissimus in disciplina Stoica philosophus, in quinto libro suarum Dissertationum, quatenus, & quemadmodum cadat in sapientem timor, egregiè disputauit, non abs re fuerit, summam eius disputationis cum sacra doctrina mirificè congruentis, strictim in hoc loco apponere. Visiones, inquit ille, animi, quas phantasias philosophi appellant, quibus mens hominis prima statim specie accidentis ad animum rei pellitur, non voluntatis sunt, neque arbitrij, sed vi quadam sua inferunt sese hominibus. Probationes autem, & iudicia, quibus eadem visa noscuntur, & diiudicantur, voluntaria sunt, fiúntque hominum arbitratu. Propterea cùm sonus aliquis formidabilis aut è cœlo, aut ex ruina, aut repentinus nescio cuius periculi nuncius, vel quid aliud eiusmodi factum est, sapientis quoque animum paulisper moueri, & contrahi; atque ipsius os & vultum pallescere necessum est; non opinione alicuius mali præcepta, sed quibusdam motibus rapidis & inconsultis officium mentis atque rationis præuertentibus. Mox tamen sapiens ille, visa isthæc animi sui terrifica non approbat, sed abiicit, & respuit, nec ei metuendum esse in his quicquam videtur. Atque hoc inter sapientis, & insipientis animum differt, quòd insipiens, qualia sibi esse primo animi sui pulsu visa sunt, sæua nimirum & aspera, talia verè esse putat, & tanquam si verè metuenda sint, sua quoque assensione approbat. Sapiens autem, cùm breuiter & strictim colore, atque vultu motus est, mox sese reuocans, nequaquam eis cedit, sed statum, vigorémque sententiæ suæ retinet: Visa esse iudicans minimè metuenda, sed fronte falsa, & formidine inani terrentia. Sic Epictetus.

9

VERSV 23 Transiuit Iacob vadum Iaboch, traductísque omnibus quæ ad se pertinebant, mansit solus: & ecce vir luctabatur cum eo vsque manè.

Fluuius, vel torrens Iaboch.

S. Hieronym.

IABOCH, fluuius erat paruus, ex sinistris Galaaditidis montibus profluens, & in Iordanem influens: Qui & torrens in Scriptura vocatur, quòd statis anni temporibus, aduentitiis aquis in modum torrentis exuberet, ac nisi reperto vado, pedibus transiri nequeat. Quocirca hîc dicitur Iaboch trãsiuisse vadú eius, Iaboch (ait Hieronymus libro de locis Hebraicis) fluuius est, quo transmisso, luctatus est Iacob aduersus eum qui sibi apparuerat: vocatúsque

10

est

est Israël. Fluit autem inter Philadelphiam, & Gerasam, in quarto milliario eius, & vltrà procedens Iordani fluuio commiscetur.

Verùm historiam huius luctæ Angelicæ cum Iacob, scito, & breui cõmentario totam enarrat Theodoretus. Nam cùm posuisset hanc quæstionem, quæ est inter quæstiones eius in Genesim nonagesima prima: Quãobrem Angelus luctatus sit cum Iacob, quæstioni hunc in modum respondit. Voluit illum fiducia roborare, qui fratrem timebat: quam etiam ob causam victoriam illi concessit, dicens: *Si fortis fuisti cum Deo, quanto magis aduersus homines eris?* Verùm ne superbiret, quòd sibi Deum superasse videretur, attactu fœmoris, se volentem esse victum indicauit, solo enim tactu ei torporem induxit. Atenim Iacob sentiens virtutem eius qui sibi apparuerat, postulauit ab eo benedictionem, quam ille dedit, simúlque nomen eius mutauit ex Iacob in Israël, dicens: *Quia prævaluisti contra Deum, etiam contra homines potens eris.* Cùm verò expergefactus esset, fœmur remansit stupidum, & claudicabat, ne putaret id quod viderat, esse nudam imaginationem, sed exactiùs nosset mysterij veritatem. Sciscitanti autem Iacob nomen ipsius, non solùm non indicauit, sed etiam obiurgauit eum, tanquam excedentem naturæ metas. *Quid enim, quæris, ait, nomẽ meum cum hoc sit admirabile?* Notandum etiam est, quòd eundem & hominem, & Deum vocauit Scriptura dicens; *Prævaluisti contra Deum:* Et item Iacob: *Vidi Deum facie ad faciem.* Per hæc autem omnia docemur, quòd etiam hoc loco vnigenitus Dei Filius, idémque verus Deus, apparuit ipsi Iacob. Hactenus ex Theodoreto. *Theodore.*

PRIMA DISPVTATIO.

An qui luctatus est cum Iacob, fuerit Angelus, an Filius Dei.

11 OBSERVANDA porrò sunt extrema istius Commentarij Theodoreti verba, quibus ait, eum, qui sub specie humana luctatus est cum Iacob, fuisse Filium Dei. Nimirum in hac opinione secutus est Theodoretus complures veterum Patrum, qui censuerunt, diuinas visiones, & apparitiones factas in veteri Testamento Patriarchis, & Prophetis, in quibus dicitur vel Deus, vel etiam Angelus apparuisse hominibus, fuisse apparitiones Dei, sed propriè non Patris (is enim nunquam hominibus apparuit in veteri Testamento) sed fuisse Filij Dei. Quocirca eum qui apparuit Mosi in flãma ignis, de medio rubi, licèt Scriptura secundùm lectionem Græcam, appellet Angelum, Theodoretus tamen dupliciter argumentatur fuisse Filium Dei, & non Angelum propriè dictum: Tum quia ipsemet dicit se esse Deum Abraham, & Isaac, & Iacob: tum quòd declarãs nomen suum, ait: *Ego sum, qui sum*: ista verò conuenire in Angelum, nullo modo queũt. Nec mirum appellari Filium Dei Angelum, cum Isaias capite nono secũdùm translationem septuaginta, apertè vocet eum magni consilij Angelũ: *Theodoret. An qui apparuerunt Sãctis in veteri Testamento, fuerint Angeli, an Filius Dei.* *Exod. 3.*

Et Malachias capite tertio, nominet eum Angelum Testamenti à Iudæis desideratum. Nempè quia Filius à Deo Patre missus est in mundum, vt enunciaret hominibus voluntatẽ, & consilia, & decreta Patris; sicut ipse dixit Ioã. 17. *Omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis*, idcirco nomẽ Angeli, in eum optimè congruit. Et Theodoreti quidem super ista re disputatio, paucis verbis à nobis comprehensa, huiusmodi est.

Iustinus Martyr.

Tertullian.
Hilarius.
Ambrosius
Chrysostomus
Augustin.

Sedenim cupiet fortasse lector nosse, quinam veterum, & nobiliorũ Auctorum istius sententiæ probatores & sectatores fuerint. Sciat igitur in ista sententia fuisse Iustinum Martyrem, vt disputat ipse in eo sermone quẽ habitũ à se cũ Tryphone Iudæo mandauit ipse litteris: isti quoque opinioni accessit Tertullianus libro secundo contra Marcionem, & in libro contra Praxeam, & Hilarius libro quarto & duodecimo de Trinitate, Ambrosius item libro primo de Fide, capite quinto, necnon & Chrysostomus super caput septimum Actorum Apostolicorum. Augustinus porrò anceps super ista re, ac dubius fuisse videtur. Disputans enim in vtramque partem, nihil certi statuit ac decernit, vt apud eum videre est libro secundo de Trinitate, capite xiij. & fusiùs in tractatu illorum verborum: Ego sum qui sum, qui ponitur in Sexto Tomo Operum eius, quẽ si quis fortè neget esse Augustini, scriptoris certè prudentis, & docti esse, inficias non ibit.

Exod 3

Auctoris contraria sententia.

AT ego contrariam sententiam censeo probabiliorem esse. Nã quod ij ab istis Auctoribus proditum est, Deum Patrem nunquam in veteri Testamento per visionem vllam, siue imaginariã, siue sensibilem apparuisse hominibus, videtur id manifestariæ falsitatis argui posse auctoritate Danielis: is enim capite septimo narrat apparuisse sibi in visione Antiquum dierum sedentem in throno, quem circumstabant millia millium ministrantium, & decies centena millia assistentium ei, & postea quasi Filium hominis in nubibus cœli venientem vsque ad Antiquum dierum peruenisse, & accepisse ab eo regnum æternum, & potestatem super omnẽ terram, & vt ei seruiant omnes gentes. Palam est, in hac visione Antiquum illum dierum, repræsentasse Deum Patrem, & illum Filium hominis, fuisse Christum, qui per passionem suam meruit exaltari super omnia, atque omnium rerum dominatum, & imperium accipere. Nimirũ quod in ista visione patefactum est Danieli, id ipsum multis antè seculis prophetico spiritu afflatus præcinuerat Dauid, in psalmo secundo: *Filius meus es tu, ego hodie genui te: Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ:* Et in Psalmo 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

Eum, qui luctatus est cũ Iacob fuisse Angelum, nõ autem Filium Dei.

Quod autem in apparitionibus quæ Patriarchis, & Mosi, & Prophetis factæ narrantur in Scriptura, is qui tunc illis apparuit, immediatè, & secũdùm personam propriam non fuerit Filius Dei, sed Angelus quispiam, possum multis, & firmis rationibus probare. Verùm ne longior sim, eligã aliquot apertiores, & firmiores. Principio, eum qui luctatus est cũ Iacob fuisse Angelum, apertè nos docet Oseas capite duodecimo ita loquens de Iacob

de Iacob. *In vtero supplantauit fratrem suum, & in fortitudine sua directus est cum Angelo, & inualuit ad Angelum, & confortatus est, fleuit, & rogauit eum, in Bethel inuenit eum, & ibi locutus est nobiscum.* Ecce tibi luctatorem illum appellat Oseas simpliciter, & præcisè Angelum, quomodo nusquam reperire est in sacris litteris appellari Filium Dei: Nam vbi vocatur Angelus, ibi semper adiungitur aliquid, quo significetur non vocari eum Angelum quantum ad personam, sed quantum ad similitudinem quandam muneris angelici; & ideo dicitur, *Magni consilij Angelus, & Angelus Testamenti.* Idem dici potest de eo, qui apparuit in rubo, & in flamma ignis Mosi: istum enim Beatus Stephanus Actorum 7. præcisè, & simpliciter appellat Angelum. Ac licèt in Latina translatione præcisè, & simpliciter appelletur in illo Exodi loco, Dominus, Hebraica tamen Scriptura, & Paraphrasis Chaldaica, & Græca translatio, Angelum nominat: Et verò vtroque nomine appellari potuit: quantum enim ad personam, Angelus erat; quantum autem ad repræsentationem & auctoritatem, Deus erat: Angelus enim vocem illam, & verba formabat, sed verba illa non Angelum, sed eum à quo missus fuerat, Deum significabant. Dicam itaque breuiter, & apertè more Scholastico: Personaliter erat Angelus, repræsentatiuè; auctoritatiuéque erat Deus.

Isai 9. Malac. 3.

Qui apparuit in rubo Moysi, non Deus, sed Angelus proprie fuit.

15 Audi egregiam super ista re Sancti Gregorij sententiam in Præfatione sua super librum Iob, ad hunc modum scribentis: Angelus, inquit, qui Moysi apparuisse describitur, modò Angelus, modò Dominus memoratur. Angelus videlicet propter hoc, quòd exteriùs loquendo seruiebat: Dominus autem dicitur, quia interiùs præsidens loquendi efficaciã ministrabat. Cùm ergo loquens exteriùs ab interiori regitur, & per obsequium Angelus, & per inspirationem Dominus nominatur. Hinc Dauid ait Psalmo septuagesimo septimo: *Attendite populo meus legem meam:* Atqui nec lex illa, nec populus erat Dauidis, sed Dei: attamen personam eius ex quo loquebatur, assumens, ipsius auctoritate loquitur, cuius inspiratione replebatur. Hoc fieri quotidie cernimus in Ecclesia. Nam stans in medio populi lector clamat: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob.* Et quòd Deus ipse sit, verè profectò non dicit, nec tamen per hoc quod dicit, veritatis regulam deserit, quia cui ministerium lectione exhibet, eius dominium voce prætendit. Sic Gregorius.

S Gregor.

16 Si qua porrò in Apparitione, is qui apparuit, existimari deberet Dei Filius, id maximè putandum esset de eo, qui apparuit in monte Sina, & dedit legem Hebræis: fuit enim apparitio illa omnium nobilissima, & celebratissima, & non vno loco Scriptura dicit descendisse Deum in monte Sina, & dedisse legem. Immò verò ille ipse qui apparuit, apertè Deum se appellat, & sui amorem super omnia, & cultum, & obsequium, & suæ legis obseruantiam ab Hebræis deposcit. Non fuisse tamen Deum, qui apparuit immediatè Mosi, & per quem lex illa data est, manifestum faciũt verba S. Pauli, & B. Stephani. Ille quippe in cap. 3. epistolæ ad Galatas scribit, legem illam per Angelos fuisse ordinatam. Hic autem Actorum 7.

Exod 19 & 20.

Qui apparuit in monte Sina fuit Angelus.

dixit, Iudæos legem accepisse per dispositionem Angelorum. Signanter verò dictum est pluratiuo numero, per Angelos datam esse legem, id est, per vnum quempiam de numero Angelorum; ne si numero singulari dictum esset, per Angelum, supradictæ opinionis assertores id de Filio Dei, qui nonnunquam appellari solet Angelus, interpretarentur. Sed lubet ad huius rei confirmationem adscribere in hoc loco verba B. Hieronymi explanantis locum illum Pauli ad Galatas: Sic autem ille scribit, Quod ait Paulus, legem fuisse ordinatam per Angelos, hoc vult intelligi, quòd in omni veteri Testamento, vbi Angelus primùm visus refertur, & postea quasi Deus loquens inducitur, Angelum quidem verè fuisse vnum de ministris plurimis Dei, eum qui visus sit, sed in illo mediatorem locutũ esse, qui dixerit; *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob.* Nec mirum si Deus loquatur in Angelis, cum etiam per Angelos, qui in hominibus sunt, loquatur Deus in Prophetis, dicente Zacharia: *Et ait Angelus, qui loquebatur in me*; ac deinceps inferente: *Hæc dicit Dominus Omnipotens*, Sic Hieronymus. Ad hoc, si Deus immediatè apparuisset in visionibus & Reuelationibus propheticis, cum primis fuisset conueniens immediatè sanctam esse Deo Deiparæ semper Virginis Mariæ reuelationem Incarnationis Filij Dei, ptopter summam videlicet tum reuelati mysterij, tum personæ cui reuelabatur dignitatem: atqui reuelationem illam factam esse per Gabrielem Archangelum, loquitur apertè Historia Euangelica, cuius rei exemplo, & argumento confirmat S. Dionysius Areopagita sententiam hanc nostram, vt mox dicturi sumus.

B. Hieronym.

Zach. 1.

Postremò generalis illa sententia Beati Dionysij iampridem recepta, & probata Scholasticis Theologis, videtur item probanda esse omnibus. Affirmar ille, omnes diuinas visiones, apparitiones, & reuelationes ante Christi aduentum, siue in Lege, siue ante Legem factas, qualescúque fuerint, & qualiumcumque rerum, & quibuscumque personis contigerint, eas non esse à Deo immediatè profectas, sed operâ, & ministerio Angelorum peractas. Verba Dionysij in capite quarto eius libri, qui est de cœlesti hierarchia, ita se habent: Idcirco, & præ omnibus, Angelicum cognomen meruerunt cœlestes Spiritus, quòd cum in eos primò diuinæ claritatis fulgor emanet, ipsi postmodum in nos enunciationes illas sublimiores supernè traijciant. Sic enim & Lex, vt Scriptura diuina testatur, per Angelos nobis indulta est; Inclytósque illos Patres nostros, qui ante Legem, quíque fuerunt post Legem, Angeli ad Deum subuexêre, siue quid agendum esset, admonentes, & ab errore sacrilego, vitáque profana ad rectum veritatis iter traducentes: siue sacra quæuis instituta, seu cœlestium Sacramentorum occultas visiones, siue diuinas aliquas prædictiones docendo pandentes. Et nonnullis interpositis subdit: Huiusmodi verò diuinas visiones celeberrimi illi Patres nostri, ministerio cœlestium virtutũ ediscebant, opponit autẽ sibi Dionysius, quòd Lex nõ semel in Scriptura dicatur data esse à Deo: An, inquit, non ipsam quoque Legis sanctionem vt ex Deõ Mosi traditam Scripturæ sacræ traditio loquitur? At id quidé nos veriùs instituit, diuinæ illam fuisse, sacratioríque Legis effigiem,

Notabilis sententia, & doctrina S. Dionysij Areopagitæ.

Actor. 7.

Ad Gal. 9.

Ex quo

Ex quo,& illud sapientissima Theologia videtur inuenire, quòd scilicet idcirco illa Lex per Angelos ad nos quoque manauerit,vt id sanctissimæ, ac diuinæ Legis institutione caueretur, priora sequentibus iter ad Deum sternere.Hactenus ex Dionysio.

Solutio rationis. Theodoretus.

18 Restat vt duas suprapositas Theodoreti rationes huic sententiæ contrarias,breuissimè diluamus.Obijcit ille,eum qui luctatus est cum Iacob, vocari Deũ : dixit enim ille:*Si fortis contra Deum fuisti,quanto magis contra homines?* Quinetiam interroganti Iacob de nomine ipsius, respondit, *Quid quæris nomen meum,quod est admirabile?* Verùm difficultas huius obiectionis,per ea quæ docuimus,penitus discussa est. Nam qui apparuit, etsi secundùm personam erat Angelus,tamen Dei maiestatem,& auctoritatem repræsentabat : quocirca mirandum non est, eum vocari Deum, & nomen eius dici admirabile.Quanquam verba illa,*quod est admirabile:* licet in multis exemplaribus Latinis,& in vetustioribus Græcis legantur: ea tamen nec Hebraica scriptura,nec Paraphrasis Chaldaïca, nec Græca translatio correcta nuper,& Romæ edita,nec Latina Biblia iussu Sixti V. emendata,& publicata, habent in eo loco. Altera ratio Theodoreti fuit, quod Iacob flagrantissimè concupiuit, & flagitauit benedictionem eius, qui sibi apparuit,eáq; accepta,lætabundus,& gloriabundus dicebat,*Vidi Deum facie ad faciem,& salua facta est anima mea.* Nec talem ille benedictionem ab Angelo postulasset, cùm eam dare proprium sit Dei: nempe de quo cecinit Dauid; *Gratiam, & gloriam dabit Dominus :* Sed leuis est ista ratio : benedicere enim,non tantùm Dei est,sed & Angeli, & hominis;diuerso tamen modo.Idem certè Iacob infrà cap.48.benedicens filijs Ioseph,precatus est illis primùm benedictionem Dei, tum etiam Angeli. Ita enim locutus est:*Deus qui pascit me ab adolescentia mea,& Angelus,qui eripuit me de cunctis malis,benedicat pueris istis :* Nec solùm ab Angelo benedictio optari & peti potest, sed etiam gratia, & pax ; non tanquam ab auctore, & largitore eius, sed tanquam à gratiosissimo apud Deum deprecatore,& procuratore,& administro.

91 Audiat,quæso,Lector,pensitétque verba B. Ioannis,quæ sunt in 1.ca. Apocalypsis : magnã enim opinioni nostræ fidem adiungunt.Sic ille ait: *Gratia vobis,& pax ab eo,Qui est,& Qui erat,& Qui venturus est; & à septẽ Spiritibus,qui in conspectu throni eius sunt.* Ecce Ioannes,non solùm benedictionem,sed etiam quod est maximè diuinum Dei donum, gratiam,& pacem à septem spiritibus dari optat,& precatur. Non me fugit, Victorinum,Primasium,Bedam,aliósque complures interpretatos esse ista verba de Spiritu Sancto, ea ratione, vt est septiformis gratiæ largitor : Septem enim dona Spiritus Sancti Isaias capite vndecimo appellat Spiritus: *Requiescet,* inquit,*super eum Spiritus sapientiæ,& intellectus,& c.* Volunt igitur sensum istorum verborum esse istiusmodi,Gratia vobis,& pax sit à Spiritu Sancto,cuius sunt septem Spiritus,id est,septem dona ; vt persona Spiritus sancti per septiformem eius effectum in Scriptura celebratum, denotata sit hoc loco.Sedenim duæ res istam expositionem faciunt improbabilem.Durum enim est,atque inusitatum in sacris litteris, vt gratia di-

catur prouenire à septem donis Spiritus sancti, gratia quippe gratum faciens, cùm sit quasi fundamentum istorum donorum, ea præcepit ordine naturæ. Deinde illud: *Qui in conspectu throni eius sunt*, non potest aptè cõpetere, nisi in personam quampiam, eámque ministrantem, & inseruientem Deo: quare nec Spiritui sancto, nec septem donis eius verè potest attribui. Verior igitur sententia est, septé Spiritus dici, multitudinem ipsam & vniuersitatem Angelorum, ex consuetudine Scripturæ, tali numero significantis non rarò, vel vniversitatè aliquarũ rerũ, vel magnam quampiam multitudinem. Quanquam satis probabile est quod tradunt Aretas, & Lyranus, & ante ipsos Andreas Cæsariensis Archiepiscopus, veterum fuisse Patrum sententiam, & in primis B. Irenæi, septem esse principales Angelos, qui primarij sint inter cæteros diuinæ prouidentiæ super gubernatione Mundi, vel Ecclesiæ, ministri: Quos haud dubiè significauit Raphaël, cùm dixit se esse vnum de septem Spiritibus, qui sunt ante conspectũ Dei, vt legitur Tobiæ 12. Et in ipso libro Apocalypsis, non semel nominantur septem Spiritus, & Angeli missi à Deo in omnem terram, & inducuntur vel tubis canentes, vel habentes phialas plenas iræ Dei. Sed reuertamur ad historiam luctæ Angelicæ cum Iacob.

Quinam sint septem spiritus stantes in conspectu Dei.

Aretas. Lyranus. Andreas Cæsariensis.

SECVNDA DISPVTATIO.

Qualis fuerit lucta illa Angelica cum Iacob, corporalísne an spiritualis: & vtrum cum bono Angelo, an cum Diabolo.

Super illis verbis,

VERS. 24. 25. Ecce vir luctabatur cum eo vsq; manè; qui cùm videret quòd eum superare non posset, &c.

DISCVRSVM est, qua ex occasione, quóve modo lucta illa inter Angelũ & Iacob inita & incepta fuerit. Quapropter Caietanus exponens hunc locum: In specie, inquit, viri, apparuit Angelus, assumpto corpore & figura humana: fuitque ista apparitio quarta earum, quæ factæ sunt Iacob, & fuit sensibilis, vigilante Iacob, & corporeis vtente sensibus, vt quæ in ea, & gesta, & dicta sunt, apertè demonstrant. Qualiter autem & qua ratione præuia fuerit inita hæc lucta, Scriptura non memorat: vtrúmne Angelus priùs ad luctandum prouocauerit Iacob, an ex improuiso apparens, nõ verbis sed factis ipsius corpus inuadens, atque complectens prouocauerit ad luctandum.

Inter varia certamina ad exercitationẽ corporũ antiquitus in diuersis locis apud varias gentes instituta, peruetustũ & percelebre fuit certamẽ luctæ, de quo Argiui, Græciæ principes, atq; egregij bellatores, valdè laudati sunt. Mos autem erant luctantiũ, vt corpora puluere siue arena conspergerent; certè locũ in quo luctabantur, arenâ sternebant, quo scilicet si con

De certamine luctæ, atque in eo de vsu arenæ Nili.

cõtingeret eos cadere,aut in terrã prouolui,mollior esset casus,minúsque noxius: In cuius rei vsum præcipuè commendabatur arena Nili, vtpotè tenuissima. Suetonius in Nerone scribit; Cùm publica fame Vrbs vehementer afflictaretur,Alexandrinam nauem,Niloticam arenam luctatoribus aulicis aduexisse;cùm omnes eam, tanquam frumento onustam auidissimè expectarent.Nec istius luctatorij pulueris,in hac lucta Iacob,non est latenter data significatio.Nam verbum Hebræum *Abach*,quod Latinè redditum est luctari, quidam putant significare puluerem; quia luctantes pedibus multum puluerem ciere soleant,vt ad verbum sic exponi locus hic possit: Et vir aspersus cũ eo est puluere, vel more Latino,descendit cum eo in arenam:& ad hoc quidem probandum,adducunt locũ illum Deuteronomij cap. 28.*Dabit Dominus pluuiam terræ tuæ, puluerem*, Hebraicè *Abach*.Verùm Oleaster cum istis dissentit,contendens nomen *Abach*,in Scriptura significare potiùs exhalationem,siue nebulam tenuẽ, quàm puluerem:& ipsum verbũ significare primò ac propriè idem quod exhalare,& flatum emittere;consequenter autem etiam luctari,ab euentu scilicet luctæ,quòd qui luctantur, propter multum laborem corporis, & anxietatem animi,frequenter multúmque anhelent,& flatum exhalẽt. Hoc autem ille productis aliquot scripturæ testimonijs confirmare nititur,nec tamen negat, non aptè positum esse à Latino interprete verbum luctandi; sed quòd ratio significationis verbi Hebræi,non ducatur à puluere,sed ab anhelitu,siue exhalatione luctantium.

Suetonius.

Oleaster.

21 Cæterùm existit quæstio; An lucta illa fuerit corporalis & externa,an interna & spiritualis, tanquam Iacob visus sibi sit luctari cum aliquo; & an luctatus sit cum Angelo bono,an verò cum malo & cacodæmone,aduersus quem ei opem & auxilium tulerit bonus Angelus, vt nonnullis grauissimis Ecclesiæ doctoribus visum est.B.certè Hieronymus,huius videtur opinionis fuisse,si quis attendat animum ad ea quæ scribit in Cõmentarijs suis in Epistolam ad Ephesios,explanans verba illa Pauli, quæ sunt in cap. 6. eius Epistolæ: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem,sed aduersus Principes,& potestates,&c.*Sic enim ait:Dicat quispiam: Hoc quod ait Paulus de lucta aduersus inuisibiles hostes, ideo dici,vt doceamur,ne ea quidem,quę nobis ministrari vitia putamus ex carne,carnis esse vel sanguinis, sed à quibusdam spiritualibus nequitijs suggeri. Sunt enim quidam Dæmones amoribus & amatorijs canticis seruientes, quos significauit Hoseas, capite 4. dicens: *Spiritu fornicationis seducti sunt*.Nam & barbara quædam nomina eorum esse dicuntur,vt sępe confessi sunt hi,quos verè vulgus maleficos vocat;& incantationes,& colores varij,& diuersa vel metallorum genera,vel ciborum, ad quæ inuocati assistere Dæmones, & infelices animas capere memorantur. Alij verò iras,& furores & bella cõmouere:alij præesse inimicitijs,& inter homines odia concitare. Quoniã igitur Paulus docere nos vult,non ex natura corporũ,neque ex materia carnis & sanguinis hæc vitiorũ genera procreari, sed ex instinctu Dæmonum, propterea dixit: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem,& sanguinem,sed aduersus Principatus,& Potestates,*

An illa lucta fuerit corporalis & cum Angelo bono necne.

S. Hieronym.

Nota hoc.

Ideo

Ideo autem nunc eorum, qui magicis artibus seruiunt, in medium exempla protulimus; vt retundamus eorum opinionem, qui putant omnia vitia esse carnis & sanguinis, & nullam habere Dæmones potestatem, vt nos incitent ad peccata. Talem luctationem & Iacob Patriarchæ putamus fuisse, quando remansit solus, & luctabatur cum eo homo, adiuuans eũ, & corroborans aduersus alium, nimio sudore dimicantem. Et simul vide, ne fortè ridiculi sint, qui arbitrantur in ritum luctantiũ, tota nocte Iacob esse luctatum. Quid enim grande, si, vt illi aiunt, luctans, aut superauerit, aut victus sit? Sed iuxta rationabilem, & conuenientem tanto Patriarchæ luctam, talem illi colluctationem fuisse credendum est, qualem hi habẽt, qui possunt dicere: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, &c.* Sic Hieronymus.

Origenes. Hæc proculdubio sententia ex 3. lib. Periarchon Origenis deprompta est, vbi sic ille scribit: Angelus luctatus dicitur cum Iacob: quod nos non ita intelligimus, quasi luctatus fuerit Angelus contra Iacob, sed quòd is, qui ei salutis causâ aderat, atque ei nomen Israel imponebat, ille idem cũ ipso luctatus, id est, cùm in agone & in certamine adiuuit eum, cùm sine dubio alius quidam esset aduersus quem Iacob dimicaret; denique Paulus non dixit, nobis esse luctamen cum Principatibus, & Potestatibus, sed aduersus Principatus, & Potestates. Vnde, etsi Iacob luctatus est, sine dubio aduersus aliquam harum virtutum luctatus est, quas humano generi, & Sanctis præcipuè aduersari, & mouere certamina Paulus affirmat. Sic Origenes. Procopius Gazæus in Commentario huius loci refert, accepisse se ex docto quodam viro, proditum esse à nonnullis, cum Iacob certasse Diabolum in specie Esau, conantem vincere eum. Cæterũ à Iacobo stetisse Angelum auxiliarem, & idcirco Diabolum prævalere non potuisse: ne autem Iacob putaret suis viribus à se profligatum aduersarium, sed boni Angeli, tactus est ei neruus, & claudicatio subsecuta. Sic ille. Hanc ipsam opinionem Lyranus assignat Hebræis.

Procopius Gazæus.

Lyranus.

Auctoris sententia. At enimuerò luctam illam, & fuisse corporalem, & cum bono Angelo actam, præter communem Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum expositorum sententiam, historia ipsa, quæ narratur hoc loco, perspicuè ostendit. Nempe peracta est lucta vigilante Iacob, & vtente sensibus externis, & inter luctandũ adeo violentè percussus ei neruus fœmoris est, vt is obtorpuerit, & emarcuerit, ob idque Iacob claudicare coactus est. Quinetiam id ipsum demonstrat continuatio luctæ per totam noctẽ vsq; ad auroram, & laudata est Iacob fortitudo, dicente Angelo: *Si fortis fuisti contra Deum, quanto magis contra homines?* & ex eo inditũ ei nomen Israelis. Hoc præterea confirmat Hoseas cap. 12. hanc ipsam historiam commemorans, & de Iacob dicens: *Inualuit ad Angelum, & infortitudine sua directus est cum Angelo: & confortatus est, flenit, & rogauit eum.* Quæ omnia corporalem, & sensibilem actionem apertè declarant. Quòd autem Iacob non cũ Dæmone, sed cũ bono Angelo luctatus sit, manifestũ ex multis fit, quæ in hac ipsa historia dicuntur: veluti quòd dictus est fuisse fortis contra Deũ: ergo contendebat cum Deo, siue Angelo, sub specie viri.

Dein

Deinde quia is, quicum luctabatur, volens discedere ab eo, dixit: *Dimitte me*: at Iacob renitens, & retinere eum volens, dicebat: *Non dimittam te nisi benedixeris mihi*: à bono autem Angelo, non à malo benedictionem petebat. Id quoque liquet ex ipso nomine Israël, quod accepit Iacob ab eo, quicum luctabatur. Denique in hanc sententiam conueniunt, & consentiunt omnes expositores.

24 Ceterum Thomas Anglicus super hoc loco, putat non fuisse illam veram luctam, quasi se inuicem Angelus & Iacob sint complexi, & inuicem constringendo atque coagitando in terram prosternere conarentur: sed fuisse in modum violentæ cuiusdam tractionis & retentionis, Iacobo videlicet Angelum abire volentem trahere ad se, & retinere conante, vt diutius eius aspectu, & colloquio frueretur, & ab eo benedictionem quam optabat, consequi posset. Talis videtur fuisse lucta inter Mosem, & Deũ, quasi Moses Deum constringeret ad deponendam iram aduersus Hebræum populum, eique parcendum. Nam quasi Moses constrictum tenere Deum, dixit Deus, *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos.* Moses verò contrà, tanquam obnitens Deo, dicebat: *Cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum?* & cetera, quæ leguntur in capite trigesimo secundo Exodi. Verba porrò Thomæ ex Commentarijs eius super hũc locum, hæc sunt: Non puto quòd Iacob eo modo luctaretur cum Angelo, quo solent communiter luctantes: sed potius quòd Angelus, siue Deus in specie hominis ei apparens, precibus, & attractiuis manibus, atque amplexibus tenebatur à Iacob. Cúmq; ille fingeret se omnino velle discedere, tunc eum vehementiùs & firmiùs Iacob retinebat, & ad se retrahebat, quasi nitens ipsum apud se retinere, quousque preces, quas pro conseruatione sui & suorum, & liberatione à manibus Esau, ipsi offerebat, exaudiret. Et hoc sonant verba, quæ Deus subdidit, dicens: *Dimitte me*: & quod dixit Iacob; *Non dimittam te nisi benedixeris mihi*. Sic Thomas. *Thomas Anglicus refellitur.*

25 Cui videtur etiam Rupertus suffragari. Ponam hoc loco eius verba, ex quibus manifestum erit consimilem eius de illa lucta fuisse opinionem; simúlque palàm erit cuiusnam rei luctam illam fuisse figuram, & præsagium, Rupertus arbitretur. Sic autem ille scribit libro octauo Commentariorum in Genesim cap. 6. Famosa lucta, & totius ore Ecclesiæ per orbẽ vniuersum celebrata, qua homo cum Deo luctatus est, & tam diu tenuit, donec à victo benediceretur ille qui vicit, & accepta benedictione, victor claudicare cœpit. Res, cuius hoc præsagium est, ab exitu Hebræorum ex Ægypto, vsque ad incarnationem, & Passionem Christi protracta est: Tã longa colluctatio fuit fortissimi victoris Iacob, & Dei victi, qui tamen fortissimus prædicatur spirituum vniuersæ carnis. Sed primò sciendum est, luctam fuisse eiusmodi, vt Deus abire contenderet ab Iacob, & Iacob certaret abeuntem Dominum retinere: Sic enim ille discedere volens, ait: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora.* Sed renitens Iacob, & retinere eum contendens: *Non dimittam te*, inquit, *nisi benedixeris mihi.* Igitur Iacob cum Deo luctatur, & victor benedictionem extorquet, quasi inuito, & nolenti videlicet sic futurum erat, vt comminaretur Deus recessurum *Rupertus.* *Num. 16.*

se à semine eius, propter peccata eius gentis rebellis, & incredulæ, quod vbi primùm locutus est, dicens Exod. 32. *Cerno quòd populus iste duræ cervicis sit, dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciámque te in gentem magnam.* Moysés magnitudine periculi percitus, & quodammodo brachijs illum, more luctantium, arctiùs stringens, & tãquam dicens: Non dimittam te, nisi peperceris populo isti: *Cur*, inquit, *Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum?* Et cætera, quæ ibi leguntur. Tunc igitur in conflatione & adoratione vituli vehemens colluctatio inchoata est. Ex eo namque tempore Deus ab Iacob discedere conatus est; & quoties peccauerunt Hebræi seruiendo Dijs alienis, toties iratus Dominus, & auersus ab illis, quasi luctando se excussit, vt dimissus abiret. Sed nihilominus perseuerauit omni tempore fortitudo Iacob: nunquã enim defuerunt fideles in illo populo, qui Deum placarent, & abire volentem retinerent. Itaque cùm solum se esse putaret Elias relictum veri Dei cultorem, dicens: *Domine altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam:* dixit ei Dominus: *Reliqui mihi septem millia virorum in Israel, quorum genua non sunt curuata ante Baal.* Longo igitur luctamine detentus est Deus in illo populo, nec ante dimissus, donec benediceret Iacob, id est, completet promissionem eius seminis, in quo benedicendæ erant omnes gentes: tũc enim Deus reuera benedixit Iacob, quando de semine eius Christus carnem assumpsit, tunc antiquam maledictionem soluit, & vtramque benedictionem, id est, gratiam Spiritus sancti per suam passionem effudit. Sic Rupertus.

3. Reg. 19.

SED profectò, non videtur negari posse, quin illa verè ac propriè fuerit lucta: hoc enim significat Latinum verbum *luctari*, quod hîc simpliciter ponitur: & Græcum παλαίω, & Hebræum, *abbac*, de quo suprà dictum est, necnon quod verterunt Aquilã, & Symmachus, qui pro *luctabatur* posuerunt ἐπαλαίετο, id est versabat se, & iactabat cum illo: Sic enim luctantes facere solent: atque hunc in modum interpretati sunt Hebræi, Græcique, & Latini expositores; vt à tam probabili, acceptáq; interpretatione, sensúque temerè recedendũ non sit. Fletus autem, & preces Iacob, quas memorat Hoseas ca. 12. contentiosam aliquanti temporis corporalem luctam subsecutæ sunt: nempè postquam Iacob aduertit augustius quiddã homine, & cœlestẽ referés virtutẽ in eo esse, quicũ luctabatur. Quoniã autem ex ea lucta Iacob consecutus est benedictionẽ Dei, & tantam fortitudinem, vt sine dubitatione speraret prævaliturum se omnibus aduersarijs suis; idcirco dixit Hoseas, Iacob fuisse directum Angelo, id est prosperè ipsi luctam cum Angelo successisse. Etenim verbum dirigendi ponitur sæpe in Scriptura pro eo, quod est, quò quisque intendit, eò directò tendere, ac feliciter peruenire, & prosperos, & à se optatos habere successus. Vt Psalmo 5. *Dirige in conspectu tuo viam meam*: id est, Fac vt via mea prosperum exitum habeat, & Psal. 100. *Qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum*, id est, loquentibus iniqua non benè erit apud me, nec in domo mea. Et Prouerb. 28. *Qui abscondit scelera*

Verbum diri gendi. *quid significet in scriptura.*

scelera sua, non dirigetur. Sed luculentissimum huius rei exemplum in hoc ipso libro, capite 39. extat, vbi de Ioseph ita scriptum est: *Fuit Dominus cum Ioseph, & erat in cunctis prosperè agens: habitauitque in domo Domini sui, qui optimè nouerat Dominum esse cum eo, omnia quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius:* Et paulò infra; *Fuit Dominus cum Ioseph, & dedit ei gratiã in conspectu principis carceris, & Dominus erat cum illo, & omnia opera eius dirigebat.*

Explicantur varij loci scripturæ.

TERTIA DISPVTATIO.

Quomodo intelligendum sit, Angelum non potuisse luctando superare Iacob; & de neruo Iacob, qui tactus ab Angelo emarcuit.

Super illis verbis,

VERS. 25.

Qui cùm videret, quòd eum superare non posset, tetigit neruum fœmoris eius, & statim emarcuit.

27 SVPER istis verbis duæ quęstiones tractandæ sunt; quarum prior est huiusmodi: Cùm minimus omnium Angelorum nimio valentior & potentior sit, quàm quivis hominum, quæri dignum est, quî factum sit, vt Angelus luctans cum Iacob, superare eum non potuerit. Tres huius quæstionis exsoluendæ rationes apud Auctores reperio, Ac primò quidem, Thomas Anglicus, & Thostatus aiunt, facilè Angelum potuisse superare Iacob, sed noluisse; quinetiam simulasse se superare eum non posse. Itaque secundùm istos, non fuit vera in Angelo impotentia superandi Iacob, sed simulata, & volũtas cedendi ei in illa lucta, vt per hoc audacior fieret Iacob ad reluctandũ & fidẽtior, atq; animosior factus, nec fratris sui Esau, nec cuiusquam hominũ iras, odia, minas, insidias, viréque pertimesceret. Verba Thomæ sunt hæc: Cùm viderer quòd eum superare non posset, id est, non vellet bono modo; & loquitur, sicut cùm dicimus: Deus non potest seipsum denegare suis amicis. Dixit autem non posse superare, pro, non posse à manibus illius diuelli. Thostatus autem ita scribit: Angelus fingebat se nõ posse superare Iacob, qui tamen facilè potuisset eum vel breuissimo tempore redigere in puluerem. Verùmtamen talem se ostendebat Angelus, quo magis animus, & audacia cresceret Iacob, tanquam potenti resistere Angelo Dei. Hæc Thostatus. At enim ista expositio manifestè discrepat à sacra historia, quæ hoc loco narratur, si quis attendat verba Scripturæ secundùm eum sensum, quem illa planissimè reddunt. Non enim, ait Scriptura, quod Angelus non volebat superare, sed quod

Refellitur Thomas, & Thostatus.

non poterat ſuperare. aliud autem eſt non velle, & aliud non poſſe: nec iſta duo vſpiam in Scriptura pro eodem ſumi, poteſt oſtẽdi. Deinde ſi fuit ſimulatio rei, & non veritas; ergo leuis, & futilis, & ridicula fuit laudatio Angeli, prædicantis fortitudinem Iacob, & dicentis: *Si fortis fuiſti contra Deum, quanto magis contra homines præualebis?* Ergo ſplendidum illud nomen Iſraël ab Angelo inditum Iacob, ſignificans Fortem cum Deo, inane fuiſſet, ac nihili. Dicam verbo, quæ in hac hiſtoria, & acta, & dicta ſimpliciter memorãtur; Ea non vera, non ſolida, non ſincera fuiſſent, ſed adũbrata, & ſimulata, & ficta; quod ſanè reſpuit animus credere, ac ſentire.

28 Altera diſſoluendæ huius quæſtionis ratio ab Hebræis, vt refert Thoſtatus, traditur, aientibus ideo Angelum nõ potuiſſe ſuperare Iacob, quia Deus maiorem vim, & robur tribuit Iacob ad reluctandum, & repugnandum Angelo, quàm erat vis, & poteſtas Angeli ad eum proſternendum & ſuperandum. Si autem illud obijcias, hominem ex corpore mortali concretum, non eſſe capacem maioris virtutis, quàm ſit virtus Angeli: Reſpondebunt, Deum ſimul auxiſſe capacitatem Iacob, ſimúlque tantæ virturis incrementum dediſſe: Non diſplicet mihi hac interpretatio.

Hebræi.

29 Tertiam rationem profligandæ huius quæſtionis à Caietano traditam, proprijs eius verbis hîc exponam. Sed quæſtione non caret (inquit Caietanus) quo pacto verificetur, quòd Angelus non potuit vincere Iacob luctando. Solutio eſt quòd Angelus vtitur potentia ſua non ex neceſſitate, ſed ſecundùm arbitrium, & præſcriptum, præcipuè diuinæ voluntatis; & quod diſpoſitione diuina decretum, factúmque eſt, vt Angelus aſſumeret corpus in tanta menſura virium, quòd non poſſet, ſecundùm eam luctando ſuperare vires Iacob: & ſic verificatur quod Angelus experimento vidit, quòd non potuit ſuperare Iacob luctando. Sic Caiet. Ad huius rei cõfirmationem valet quod legitur Ge. 19. Angelum dixiſſe Loth: *Feſtina: & ſaluare ibi: quia non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc.* Cur non poterat Angelus facere quicquam? prohibitus videlicet à Deo fuerat, non antè, gentem & regionem illam euertere, quàm ex illo exitio ſeruatus eſſet Loth. Poſſet etiam dici, Deum hactenus concurriſſe cum virtute Angeli ad luctandum cum Iacob, vt eum vehementer quidem in illa lucta iactare & fatigare poſſet; non autem vt ſuperare eum poſſet.

Caietanus.

30 Sequitur altera quæſtio ſuper illis verbis: *Tetigit neruum fœmoris eius; & ſtatim emarcuit.* Iſte eſt neruus, ait Thoſtatus, inter duas fœmoris cauitates latens in parte ſuperiori, vbi crura terminantur, multáque carne crurum operta ſunt: atque inibi duo ſunt oſſa ſe inuicem cõnectentia, & vnũ eſt concauum, alterum autem conuexum: capútque vnius rotundum intra concauitatem alterius recipitur, atque ei connectitur: in quibus oſſibus tota corporis moles innititur. Et quia os alligari oſſi non poteſt, cum ſint dura, niſi medio aliquo vinculo, & retinaculo, enaſcitur inter ea, de cartilaginoſa vtriuſque ſubſtantia, quidam neruus, vtrumque os connectens, & continens: qui quoniam eſt in concauitate vnius illorum oſſium, eſt inuiſibilis, nec apparet niſi in dilaniato, & dilacerato animali. Hæc Thoſtatus.

Secunda quæſtio de neruo fœmoris Iacob quem percuſſit Angelus. Thoſtatus.

Sed

Sedenim propter obscuritatem vocis Hebrææ (Caph) quam noster interpres vertit (neruũ fœmoris) varias hic locus capit expositiones. Septuaginta transtulerunt, *latitudinem fœmoris*, itémque Paraphrastes Chaldeus. Oleaster reddit, *curuitatem fœmoris*: Est enim, inquit, locus, vbi genu curuatur ad similitudinem volæ manus: Et ideo Vatabili noua translatio habet hoc loco: *Volam fœmoris eius*. Nec sanè discrepat Caietanus ita scribẽs: Iuxta Hebræũ habetur: *Tetigit in femine coxæ eius*. Hebraica dictio, quam interpretati sumus Femen, non significat neruũ, aut latitudinem, propriè loquendo: Si quidem est illa eadem vox, quæ significat plantam pedis, & plantam manus, & similiter plantam coxæ, si vsus admitteret plantæ nomen in coxa. Hanc enim coxæ partem supremam ex parte interiori, hoc est, è regione alterius coxæ, Angelus tetigit tactu violento. Sic Caietanus. Rabbi Kimhi in Radicibus suis, scribens super hunc locum Geneseos, ad verbum sic habet: Os illud, in quod os fœmoris ingreditur, *Caph* vocatur, eo quòd recuruatum est. Alij verò sentiunt sic vocari, eo quòd caro, quæ est circa os cotylæ superioris formam habeat manus recuruatæ. Sic ille. Nec dissimile est quod alij dicunt, Hebræa voce *Caph* significari ossis concauitatem, in qua absconditur, & innititur illa pars feminis, quod Ischion Græcis dicitur, & etiã caput illud fœmoris, quod in ipsum Ischion inseritur. Videtur igitur Angelus violento quodam ictu percussisse inter luctandum, in Iacob locũ illum fœmoris ex parte interiori, vbi supremũ cruris iungitur cum imo feminis: quo factum est vt & ossa illa, de quibus paulo ante dictum est, luxata sint, & musculus, atque neruus motum localem ministrans, resolutus, atque debilitatus sit, atque inde claudicandi necessitas extiterit.

Caietanus.

Rabbi Kimhi.

31 Sed cur ita percussit Angelus neruum Iacob? Ne videlicet (vt Theodoretus ait) videns Iacob se fortiter reluctari, & quodammodo præualere Angelo, sibi de suo robore nimiùm placens, & præfidens, superbiret; sed agnosceret victoriam suam, & fortitudinem, Deo acceptam ferri oportere: sensit enim manifestè, facilè potuisse ab eo, quicum luctabatur, non modò vinci se, sed etiam occidi, nisi Deo aliter visum, & placitũ fuisset. Thostatus aliam addit rationem. Percussit, inquit, Angelus neruum Iacob, vt ei maiorem faceret animum, & audaciam, quòd quamuis violenter percussus, & grauiter dolens, non cessisset aduersario, sed nihilominus in luctando fortiter perseuerasset. Vel id fecit, ostendens, se quia non posset eum superare, velle ista ratione ex manibus eius auelli, & ab eo discedere. Sic enim in lucta facere solent impotentes superare aduersarium: conantur enim quomodocumque eum lædere, vt illum à se repellere, & diuellere possint. Thomas Anglicus huiusmodi rationem affert: Hoc inquit, fecit Deus, vt efficaciam suæ virtutis, per quam facillimè potest omnibus præualere, sensibiliter experiretur Iacob, etiam tunc cùm Deo præualere videbatur. Deinde, id factum est, vt visionis illius memoria vehementiùs animo eius infigeretur, & postea in posterorum eius notitia, & memoria perduraret: ne putari à quopiam posset, non fuisse verã illam luctam, sed inanem quampiam visionem, & fallacem imaginationem ipsius

Cur Angelus percusserit neruum Iacob. Theodoretus.

Thostatus.

Thom. Anglic.

Iacob. Factum est id præterea in figuram, & mysterium. Nimirum carnalis concupiscentia hominis, quæ viget in fœmore, si diuina virtute tangatur, protinus torpescit, & languescit. Et item quòd caro Iudæorũ, & carnalis sensus Legis, & litteræ, per luctam, seu pugnam Christi cum eis, erat resoluendus & exsiccandus: ex quo claudicare cœpit Iudaïsmus, quia vna eius pars iuit sursum ad Christum, & est benedicta ab eo, altera verò iuit deorsum, & ideo est ab humore gratiæ exsiccata. Quapropter veri filij Israel non comedunt neruum carnalis litteræ, & intelligentiæ, quæ occidit. Sic ille.

Et statim emarcuit. Paulo infrà vertit, *obstupuit*. Septuaginta verterunt, 32
Obtorpuit. Oleaster, *extendit se*: Nam verbum Hebræum *Iachac* propriè significare ait, idem quod extendere se, & recedere à loco suo: licèt enim interdum significet suspendere, ideo est, quod suspensi extendantur penduli. Plerique vertunt: *Mota est*, scilicet loco suo, Latinè diceretur, luxata est. Hebraicè (inquit Caietanus) pro illo *emarcuit*, sic est: *Fuit motum femur coxæ eius*, proculdubio à dispositione sua naturali, & quia motus localis insinuatur; soluta illa pars à naturali vinculo loci sui intelligitur. Ita igitur marcedo, vel torpor, vel stupor nerui accipiendus est, non quantũ ad substantiam, sed quantum ad naturalem eius dispositionem, & quantum ad virtutem mouendi localiter. Nec tamen iste defectus, & vitium claudicationis perpetuum fuit in Iacob, aut etiam diuturnum, sed breui sublatum est. Immò secundùm Thostatũ, die proximè sequenti iam erat sanatus Iacob: sic enim scribit: Iacob post solis ortum sanatus est ab illa claudicatione: siquidem illa ipsa die occurrit fratri suo Esau: nec tamen tunc claudicabat, sed rectè ambulabat, alioqui, ob vitium illud, & fœditatem claudicationis, irrisui & contemptui esse potuisset fratri suo: & ille occasionem habuisset interrogandi, vnde talis claudicatio ei contigisset, cum tamen indignus esset, vt ei mysterium visionis, & luctæ, quam habuit Iacob cum Angelo, reuelaretur.

Caietanus

Quãdiu claudicatio illa Iacob duraverit secundùm Thostatum.

QVARTA DISPVTATIO.

De allegorico, & tropologico illius luctæ Iacob cum Angelo tractatu, & intellectu.

Philo. PHILO in libro de præmijs, & pœnis, allegoricè tractat 33
quadamtenus historiã istius luctæ, disputans, duo non exigua bona tunc adeptum esse Iacob: quorũ vnum fuit magnificum illud nomen Israelis tunc ei inditum, id est, supremus gradus contemplationis & cognitionis Dei: Israel quippe Dei visionem denotat. Alterum fuit, quantum ad res humanas & terrenas, torpor quidam, & contractio, atque claudicatio, & tanquam impedimentum, quo ab istiusmodi rerũ consectatione retardabatur: & quoniam diserta est, & erudita disputatio Philonis, placet hîc eam, circumcisis qui

sis quibusdam apponere. Facit autem Philo, & distinguit tres gradus hominum cognoscentium, & colentium Deum, infimum, medium, & supremum, ita scribens: Sunt quidam, inquit, qui esse diuinum numen, aut negant, aut ambigunt. Alij secuti Maiorum suorum ritus, & instituta potius quàm certam rationem aliquam, talem Deum cogitant, qualem dicerunt à suis educatoribus, atque ita se egregiè pios existimant, si superstitionem pro pietate amplectantur. Quòd si qui adiuti scientiâ, valuerũt imaginari rectorem, atque conditorem huius vniuersitatis, ab inferis, vt aiunt, promouerunt ad supera. Ingressi enim hunc mundum, veluti pulchrè constitutam Rempublicam, & conspicati eorum quæ in eo sunt admirabilem varietatem, pulchritudinem, potentiam, & ordinem, tracti admiratione, cœperunt cogitare tam bene ornatas, ordinatásq; res non moueri temerè: vnde necessariò colligebant, eas ab aliquo Mundi opifice regi magnâ prouidentiâ. Nimirum lex naturæ iubet, opificem, sui operis curam gerere. Cæterùm isti diuiniores ceteris, vt dixi, ab inferis progressi sunt ad supera, quasi per quasdam cœlestes scalas, rationibus probabilibus tendentes ad ipsum opificem. Quòd si qui absque vllo externo auxilio peruerunt ad hoc spectaculũ euadere; hi profectò inter sanctos, veréque pios Dei cultores referendi sunt. Inter hos fuit, qui Chaldaicè nominatus est Israel: quæ vox interpretatur, Videns Deum, non sanè qualis Deus est, id enim impossibile est, sed quia eũ esse à nullo didicit vel terrestriũ, vel mortaliũ, vel immortaliũ, sed ab ipso solo attactus, nec tamen dignato aperire suam essentiam. Id verò quemadmodũ contigerit, operæ pretiũ fuerit contemplari per quandam similitudinem. Solem hunc visibilé, num alia re, quàm sole ipso adiuti cernimus? quid stellas? ánnon sola stellarũ ope aspicimus? denique lucis aspectũ nónne ipsi luci debemus? Ad eũdem sanè modũ etiam Deus per se ipsum illustrat sui notitiam cooperante nemine, quòd ea res excedat vires omniũ. Sed enim coniectores isti, qui per creaturas peruenire contendunt ad Creatoris cognitionem, perinde faciunt, ac si cognito binario, scrutentur naturam vnitatis: cùm contra potiùs ab vnitate procedere debuissent ad considerationem binarij. Eximij autem Dei cultores, & contemplatores, Deũ, adiuti Deo, quærunt, & lumen ope luminis. Atque hoc præstantissimũ Dei cognitionis genus, quasi maximũ virtutis præmiũ adeptus est Iacob, & ad illustrẽ eius rei significationem, mutato nomine, appellatus est Israel. Sed & aliud accepit Iacob, apud non intelligentes, ominosum quidem dictu; Si tamen rectè intelligatur, optimũ maximéq; expetendũ: id nominatur figuratè in Scriptura torpor: tactus enim in latitudine fœmoris, obstupuit, & claudicabar. Nẽpe arrogantia & superbia per latitudinem significatur, dum se anima diffundit, & dilatat. Per torporem verò significatur fastus, & tumentis animi, ac magnificè de se sentientis contractio. Nihil autem vtilius, quàm effusos impetus, & animosas contentiones, torpore quodam retundere, vt immodicum affectuum robur debilitatum, latius præbeat spatium potiori partri animi. Hactenus ex Philone.

Tria genera hominũ cognoscentiũ Deum, vel triplex ratio cognoscendi Deum.

Pulchra similitudo.

Sanctus

S. Augustinus allegoria.

Sanctus Augustinus historiam istius luctæ, per allegoricam interpretationem conuertit ad Christũ, & gentem Iudaïcam; vt Angelus ille præfigurauerit Christũ; Iacob autem, populum Iudaicum. Hic enim luctatus est cũ Christo peruicaciter ei repugnando, & hostiliter eum insectando. Visus est autem prævalere ei, quia mortem ei attulit: veruntamen neruus Iacob percussus est, & factus est ipse claudicans, quia post passionẽ Christi, per Apostolorum prædicationem tacta & commota gens Hebraïca; partim eius iustificata est credens in Christũ; partim reprobata, obstinato animo in sua infidelitate perseuerans: sicut Patriarchæ Iacob alter pes sanus erat, alter verò claudicãs. Et illa quidem pars Hebrææ gentis electa & sanata, quæ ad Christum conuersa est, benedictionem accepit ab ipso Christo, quem antea oderat, & vsque ad necem insectata fuerat. Augustini verba ex lib. 16. de Ciuitate Dei, cap. 39. hæc sunt: Iacob nomen Israelis accepit ab Angelo qui fuit cum eo in itinere de Mesopotamia redeunte luctatus: quæ res typũ Christi euidentissimè gessit. Nam quòd ei prævaluit Iacob, vtique volenti, vt mystẽrium figuraret, significat passionem Christi, vbi visi sunt ei prævalere Iudæi, & tamen benedictionem ab eodem Angelo, quem superauerat, impetrauit: ac sic huius nominis impositio, benedictio fuit. Interpretatur enim Israel, videns Deum, quod erit in fine præmiũ omnium Sanctorũ. Tetigit porrò Angelus ipsi Iacob, velut prævalenti, latitudinem femoris, eúmque isto modo claudum reddidit. Erat itaque vnus, atque idem Iacob, & benedictus & claudus. Nimirum benedictus in his, qui in Christo ex eodem populo crediderunt: claudus verò in his, qui in sua infidelitate manserunt. Fœmoris quippe latitudo, generis, siue posteritatis est multitudo: plures quippe sunt in ea stirpe, de quibus propheticè dictũ est: *Et claudicauerunt à semitis suis.* Sic ibi Aug. *Psal. 17.* 34

Veruntamen distinctiùs, expressiúsque super eadem re idem differuit sermone 80. de Tempore: Iacob, inquit, in prima colluctatione cum Angelo Iudæorum populum figurabat: Angelus autem, qui cum illo luctabatur, typum Saluatoris nostri præferebat. Luctatus est populus Iudaicus cum Christo, & quodammodo vicit; quia non destitit eum persequi, donec morti tradidit. Et quia non totus populus Iudæorũ fidem Christi repudiauit, sed non parua eius multitudo in eum credidit; ideo in eius rei figuram, Angelus tetigit fœmur Iacob, & claudicare cœpit: pes enim ille in quo claudicabat, Iudæos non credentes in Christũ significabat: alter verò pes, qui sanus remanserat, figurabat eos qui Christi fidem receperant. Denique diligenter attendendum est, quòd Iacob in illa colluctatione & vincebat, & tamen benedictionem victor à victo petebat, dicens: *Non dimittam te nisi benedixeris mihi.* Iacob enim vincens, Iudæos persecutores, & occisores Christi futuros præmonstrabat, idem petens benedictionem ab Angelo, Iudæos qui Christum adoraturi, & veneraturi erant, eiúsque cœlestibus donis cumulandi, ostendebat. Denique dixit Angelus ei: *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis?* Hoc tunc impletum est, quando populus Iudæorum Christum Dominum crucifixit: *Dimitte me,* inquit Angelus, *iam enim ascendit aurora:* hoc iam 35

resurre-

resurrectionem Domini figurauit,quem constat ante auroram resurrexisse à mortuis. Nec illud non pertinet ad eandem allegoriam, quod idem Iacob dixit: *In baculo meo transiui Iordanem, & ecce cum duabus turmis regredior.* Sic profectò est;Baculo crucis Christus apprehendit mundum, & cum duabus turmis,id est,cùm duobus populis, Iudaico & Gentili,ad patrem rediit cum triumpho.Hactenus ex Augustino.

S. Gregor.

36 S.Gregorius eandem historiam secundùm Tropologicam intelligentiam tractans, docet quòd in exercitio vitæ contemplatiuæ, per diuinas vsitationes,& visiones, quanto Spiritus humanus magis extollitur, & vegetatur,ac roboratur,tanto magis caro deprimitur atq; debilitatur; ídque fit,tum propter vehementẽ Spiritus à carnis societate abstractionem. *Spiritus enim promptus est,caro autem infirma*,tum ad custodiendam humilitatem animi, arcendamque mentis elationem. Nam & Paulus de se dixit: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ.* &c. Cumque, vt ea molestia liberaretur, obnixè rogasset Deum,tale responsum ab eo accepit:*Sufficit tibi gratia mea:nam virtus in infirmitate perficitur.* Ponam hîc verba Gregorij ex libro eius 4. Moralium super illis verbis Iob.cap.3.*Ibi cessauerunt impij à tumultu, & ibi requieuerunt fessi robore.*Humana mens(inquit Gregorius) dum occultæ locutionis diuina aspiratione tangitur, à statu suæ fortitudinis infirmata, ipso quo absorbetur desiderio liquatur: & inde se apud semetipsam fessam inuenit, vnde vltra se esse conspicit fortitudinem quam conscendit. Hinc Propheta Daniel cap.8 cùm visionem Dei se conspexisse diceret,adiungit:*Elanguí,& ægrotaui per dies plurimos*:quia cùm ad virtutem Dei mens adstringitur,à propria fortitudine caro laxatur. Hinc Iacob, qui Angelum tenuit, vno mox pede claudicauit: quia qui vero Dei amore sublimia respicit, is iam in hoc mũdo duplicibus incedere desiderijs nescit. Vno enim pede innititur,qui solo Dei amore roboratur:Cui necesse est,vt alter pes marcescat,quia mẽtis virtute crescente,necesse est vt carnis fortitudo torpescat.Sic Gregor.

Matth. 26. In exercitio vitæ contemplatiuæ,quanto magis spiritus eleuatur, & vegetatur,tanto magis caro deprimitur & debilitatur. 2.Cor.12.

37 Nec est prætermittenda altera eiusdem Gregorij in alio loco, & ad historiam huius luctæ pertinẽs tropologica disputatio. Disputat enim in decima quarta homilia supet Ezechielem, viros sanctos eximiè deditos studio contemplationis, in ipso exercitio contemplationis magnam sentire vicissitudinem,& velut quandam luctam,& concertationem experiri. Interdum enim vigore spiritus, & singularis cuiusdã diuini luminis, & gratiæ participatione præualere,ac seipsos superare videntur,id est,transcendere cuncta visibilia,& temporalia ad quendam vsque velut prospectum æternitatis euecti. Sæpe verò aliâs infirmitate carnis grauati, ac deficientes, quasi succumbentes in lucta, deprimuntur,& prosternuntur ad ima. Scribit autem Greg. eo quem dixi loco,ad hunc modum:Est in contemplatiua vita magna quædam lucta, & contentio; cùm sese mens ad cœlestia erigit, cùm in rebus spiritualibus animus extenditur, cùm transgredi nititur omne quod corporaliter videtur, cùm sese angustat, vt dilatet. Et aliquando quidem vincit, & reluctantes tenebras suæ cæcitatis exuperat, vnde ex incircumscripto lumine quiddam furtim, & tenuiter attingat.

Mirabilis vicissitudo proficiendi & deficiẽdi, quæ sentitur in exercitio contemplationis.

Sed tamen ad ſemetipſam protinus mens quaſi reuerberata reuertitur, atque ab ea luce, ad quam reſpiciendo tranſijt, ad ſuæ cæcitatis tenebras ſuſpirando atque lamentando redit.

Hoc bene ſacra hiſtoria deſignat, cùm Iacob luctatum eſſe cum Angelo narrat. Reuertens enim Iacob ad proprios parentes, in via Angelum inuenit, cùm quo per luctam magnum certamẽ habuit: is autem, qui luctando certat, aliquando ſe aduerſario ſuo ſuperiorem, aliquando inferiorem inuenit. Iacob porrò & Angeli lucta, cuiuſlibet perfecti viri, & in contemplatione verſantis exercitium denotat. Cuius quippe anima, dum contemplari Deum nititur, tanquam in certamine quodam poſita, modò quaſi exuperat, quia intelligendo, & ſentiendo de diuino lumine aliquid deguſtat: modò ſuccumbit, quia & deguſtando iterum deficit. Quaſi ergo vincitur Angelus quando intellectu intimo apprehenditur Deus. Sed notandum, quòd idem victus Angelus neruum fœmoris Iacob tetigit, & marceſcere ſtatim fecit; & ex eo tempore Iacob altero claudicauit pede. Videlicet Omnipotens Deus, cùm iam per deſiderium & intellectum cognoſcitur, omnem in nobis voluptatem carnis arefacit: & qui priùs, quaſi duobus pedibus nitentes, & Deum videbamur quærere, & mundum tenere; poſt agnitionem ſuauitatis diuinæ, vnus in nobis pes ſanus remanet, & alter claudicat: quia neceſſe eſt, vt quiſque debilitato amore mundi, conualeſcat ad amorem Dei. Si ergo tenemus Angelum, vno tantum claudicamus pede: quia dum creſcit in nobis fortitudo amoris intimi, pariter infirmatur fortitudo carnis. Omnis quippe, qui vno pede claudicat, illo ſolùm pede nititur, quem ſanum habet: ſimiliter & is, cui iam deſiderium terrenum arefactum fuit, in ſolo pede amoris Dei tota virtute ſe ſuſtinet, & in ipſo ſtat; quia pedem amoris ſeculi, quem ponere in terra conſueuerat, iam à terra ſuſpenſum portat. Et nos ergo, ſi ad parentes proprios, id eſt, ad ſpiritales patres noſtro tendimus, teneamus in via Angelum, vt ſuauitate intima apprehendamus Deum. Contemplatiua namq; vita, amabilis valdè dulcedo eſt, quæ ſuper ſemetipſam animam rapit, cœleſtia aperit, terrena omnia contemptui eſſe debere oſtendit, ſpiritalia mentis oculis patefacit, corporalia abſcondit. Vnde bene ſancta Eccleſia Cantic. 4. dicit: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Vigilanti enim corde dormit, qui per hoc, quod interius contemplando proficit, ab inquieto foris opere quieſcit. Atque hæc ſunt melliflui Gregorij verba dulciſſima.

Contemplationis dulcedo, & efficacitas.

VERS. 26. 27. Dixit ad eum, Dimitte me, iam enim aſcendit aurora. Reſpondit: Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. Et interrogauit eum Iacob, Dic mihi, quo appellaris nomine? Reſpondit quid quæris nomen meum, quod eſt mirabile? Et benedixit ei in eodem loco.

Ioſephus. HISTORIAM huius loci breuiter enarrans Ioſephus primo Antiquitatum: Cùm trãſiſſet, inquit, torrentem Iaboch, & relictus ab agmine manſiſſet Iacob ſolitarius, incidit in ſpectrum, prior ipſe 38

ipse ab eo lacessitus, & erat in lucta superior. Exclamat illud, Macte virtute, qui non quemuis aduersarium, sed Angelum Dei viceris: idque esse illi prænunciat magnæ felicitatis præsagium: genus namque eius nullo tempore defuturum, neque vllis viribus hominum oppressum iri. Iussitque illum post id temporis vocari Israelem, quod Hebræis, Angelo reluctantem significat. Hæc sunt prædicta Iacobo id ipsum roganti. Cùm enim sensisset Angelum esse Dei, precatus est: vt ex eo fatum suum cognoscere sibi liceret. His dictis spectrum illud euanuit. Iacob autem lætus auditis, imposuit ei loco nomen Phanuel; id significat Dei faciem. Sed quia latum neruum inter luctandum læsit, & ipse pòst eo cibo abstinuit, & nobis eo cibo propter ipsum vesci non licet. Hæc Iosephus. In cuius breui narratione nonnulla sunt aduertenda. Primò Angelum visum Iacob, vocat spectrum, Græcè dicitur Phantasma, vel Idolum, quòd Angelus videretur esse id, quod non erat, videbatur enim esse corporeus, & naturæ humanæ compos, cùm secus esset. Deinde nomen Israëlis interpretatur, Reluctantem Angelo. Adhæc benedictionem, quam Iacob petiit ab Angelo, appellat Fatum, dicens Iacob precatum esse, vt sibi fatum suum aperiret, Fatum appellans, diuinam dispositionem eorum, quæ ventura erant Iacobo; præsertim circa fratrem suum Esau, cuius ille tunc aduentum valdè formidabat. Prætera dicit Iacobum cognouisse eum, cum quo luctabatur, Angelum fuisse Dei: & idcirco preces ei adhibuisse, & futuros euentus, & casus suos ab eo scire voluisse. Illud autem videtur sacræ historiæ minimè consonum, quod significat Iacobum, sibi ipsi inter luctandum læsisse neruum fœmoris, quod tamen factum esse ab Angelo perspicuè tradit Scriptura. Ad extremum significat, etiam vsque ad sua tempora, illicitum fuisse Iudæis tali neruo fœmoris vesci.

Hebræorum commentum.

36 Sed quid illud est, *Iam enim ascendit aurora?* Meritò enim quæritur, cur Angelus tam sollicitus fuerit discedendi ante auroram. Ridiculum est, quod nugantur hoc loco Hebræi: aiunt enim, propterea voluisse Angelum discedere ante auroram, quòd illud tempus sit, in quo Angeli consueuerint cantare diuinas laudes, iuxta illud quod dictum est à Deo ipsi Iob cap. 38. *Vbi eras cùm me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* Tanquam Angelus diceret: Sine, vt hinc discedens, possim in tempore choris Angelorum manè laudantium Deum, interesse. Quasi verò habeant Angeli certa diei tempora, & alia canendi laudes Dei, aliáque ab eo cantu vacandi: ac si non, qui semper vident faciem Dei, etiam dum sunt in terris, & iniuncta sibi à Deo munia exequuntur apud homines, in perpetua Dei laudatione versentur; & vt scriptum est in Apocalypsi cap. 4. nullam requiem habentes, id est, sine vlla cessatione, aut intermissione trisagium illud canant Deo: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Hic profectò cœlestis est ille dulcissimus concentus, in quem verè dici queat, quod apud Iob 38. scriptum est: *Concentum cœli quis dormire faciet?* Glossa interlinearis sit exponit hunc locum: Dixit Angelus: *Dimitte me, quia iam ascendit aurora.* Quasi diceret; Iam tibi tempus est ab inuisibilibus & diuinis, ad corporalia & humana negocia tractanda, descendēdi: tanquam

Glossa interlinearis.

nocturnum tempus vsque ad exorientem Solem conueniens sit contemplationi rerum diuinarum, & spiritualium rerum tractationi: diurnum verò, temporalium negotiorũ functionibus & officijs, quæ proximo, vel ex obligatione, vel ex caritate præstanda sunt. Conuenienter sanè iis, quę cecinit Dauid Psalm. 103. *Ortus est Sol, & congregati sunt: & in cubilibus suis collocabuntur. Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam*; Oleaster putat, idcirco Angelum discedere voluisse ante ortum Solis, ne quantum ad effigiem cognosceretur: nolunt enim Angeli vulgo sui videndi, aut alloquendi copiam facere, nec familiariùs cognosci, sed rarò admodum & parcè: quam etiam ob causam scisciranti Iacob nomen suum indicare noluit. Præcipuè autem nolebat Angelus videri ab aliis, qui illucescente die venturi erant ad Iacob: huiuscemodi enim mysteria non sunt publicanda, & inuulganda; sed idoneis tantùm, dignísq; secretò tradenda. Thomas verò Anglicus hanc reddit rationem: Loquitur, inquit, Angelus more alicuius domini, grauis & honorati viri, qui erubescit videri ab aliis, agere quæ parum condigna sunt, vti erat lucta. Vel loquitur ad similitudinem alicuius, qui festinat ire aliò; & causam citò discedendi, obtendit festinationem suam. Et quia iste modus loquendi, humanitatem quandam, & affabilitatem, atque familiaritatem sapit, idcirco Deus cum eximiis, & intimis amicis suis tali solet nonnunquam vti locutione, quo penetrabiliùs, & familiariùs, & suauiùs in eorum se corda insinuet, atque ingerat.

Locus Psal. 103

Oleaster.

Thomas Anglicus.

Quod autem dixit Angelus Iacob quærenti nomen eius: *Cur quaris nomen meum?* Thostatus sic interpretatur: Voluit Angelus docere Iacob, non (vt fit in hominibus) ita esse Angelorum propria nomina, per quæ alij ab aliis cognoscantur. Nam cùm Angeli se inuicem secundùm substantiam distinctè, ac propriè cognoscant, non indigent significatione nominum quorum tunc est vsus, cùm circa rem quampiam accidere dubitatio, vel æquiuocatio potest. Sunt autem Angelis imposita nomina non secundùm naturas ipsorum, sed secundùm ministeria, & officia. Et quia contingit, eundem Angelum in diuersis temporibus diuersa exequi officia, possunt ei similiter diuersa nomina imponi: cùm igitur quispiam nouerit tale nomen Angeli, & ista notitia nec fixa sit; nec stabilis mutabitur in aliud, & non cognoscetur. Quod autem in multis libris sequitur: *Quod est mirabile*, cùm nec legatur, nec reperiatur in Græcis, nec Latinis libris emendatioribus, licèt Theodoretus id legat in Quæstione 91. in Genesim, non est ex ipso textu huius scripturæ, sed ex cap. decimo tertio tertio libri Iudicum vbi hoc legitur, transpositum est in hunc locum. 40

Thostatus.

Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Senserat vtique Iacob, in eo, cum quo luctabatur, esse quid maius homine, ac diuinum, vel ex aliis rebus eius, quæ hîc non memorantur, vel ex notabili percussione nerui fœmoris sui, qua non modò corpus eius vehementer commotum est, sed animus etiam fuit mirabiliter affectus: vel interiori quodam sensu, & instinctu sibi diuinitus indito, atq; illustratione mentis cognouit eum esse Angelum Dei. Benedictionem porrò istam Angeli hîc tãtùm dicitur petiisse Iacob. 41

Verùm

Verùum quàm ardenter eam concupierit, quàm obnixè, & instanter flagitauerit, & quàm piè ac religiosè pro ea supplicauerit, multis & precibus fusis, & lacrymis; reticuit hoc loco Moses, sed enarrauit Hoseas propheta cap. 12. ita scribens de Iacob: *In vtero supplantauit fratrem suum, & in fortitudine sua directus est cum Angelo, & inualuit aduersus Angelũ, & cõfortatus est: flenit, & rogauit eum.* S. Hilarius lib. 5. de Trinitate, arbitratur cognouisse Iacob, eum, qui luctabatur, fuisse Filium Dei, eúmq; pro salute hominum aliquando factum iri hominem, & humiliandum, atq; infirmandum per passionem, & mortem. Sic enim scribit: Adesto nunc mecum fidei tuæ spiritu, aduersus venenata infidelitatis sibila, Sancte Patriarcha Iacob, qui in lucta hominis inualescens, benedici te ab eo fortiter deprecaris. Quid istud est, quòd imbecillum oras, quòd ab infirmo benedictionem expetis? hunc cuius benedictionem rogas, amplexu tuo validior elidis. Agestis corporis tui, mentis tuæ opus dissidet: aliud profectò agis, quàm sentis. Tenes in lucta tua hominem infirmum: Sed hic tibi homo, Deus verus est, non ex nuncupatione, sed ex natura: non enim adoptiuis benedictionibus benedici te postulas, Patriarcha, sed veris. Cum homine luctaris, sed Deum facie ad faciem te vidisse testaris, non hoc oculis tui corporis cernis, quod visu fidei tuæ sentis. Infirmus secundùm te homo est, sed anima tua secundùm visum Deum saluata est. Iacob in lucta es, post fidem postulatæ benedictionis, Israel es. Subditur tibi secundùm carnem homo ad mysterium passionis in carne, Deum in carnis infirmitate non nescis, ad sacramentum benedictionis in Spiritu. Nec aspectus impedit quin fides maneat; nec infirmitas auocat quin benedictio postuletur; nec homo efficit qui quin homo est, Deus sit. Nec qui Deus est, non Deus verus est, quia non potest non Deus verus esse, qui Deus est, & ita benedixit. Sic Hilarius.

S. Hilarius putauit Angelum fuisse Filium Dei.

Vocauítque Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens, Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Ortúsque est ei statim Sol, postquam transgressus est Phanuel: ipse verò claudicabat pede. Quambrem non comedunt neruum filij Israel, quia emarcuit in fœmore Iacob vsque in præsentem diem, eo quòd tetigerit neruum fœmoris eius, & obstupuerit. VERS. 30. 31. 32.

42 MOs fuit illorum veterum, & Sanctorum Patrum, insignem sanè erga Deum pietatem eorum, atq; animi grati eximiam virtutem declarans, vbicumque insigniter aliquid memorabile contigisset ipsis, ei loco, ex tali casu, euentúque nomen imponere, vt perpetuum videlicet apud posteros monumentum esset, tum pietatis ipsorum erga Deum, tum Dei erga ipsos singularis beneuolentiæ, ac munificentiæ; vt & ipsi tali spectaculo, & recordatione, ad colendum Deum, & suam in eo spem omnem collocandam incitarentur. Hoc nẽpe

secutus Iacob, ei loco vbi ab Angelo, cùm quo luctatus fuerat, fauſtum Iſraëlis nomen, & optatam benedictionem acceperat, indidit nomen Phanuelis. Quo in loco poſtea eiuſdem nominis eſt ædificata ciuitas: quæ Gedeonis exercitui (vt legitur Iudicum 8. panes denegaſſet, parta victoria, Gedeon turrim Phanuel ſubuertit, habitatoréſque occidit, ſed eam multis pòſt ſeculis Ieroboam ædificijs reparauit. Iſta ciuitas poſterioribus temporibus ex vocabulo Hebræo ab Iacob indito, appellabatur, Facies Dei: meminit Strabo lib 16. in deſcriptione vrbium Phœniciæ, cuiuſdam loci, qui ſuo etiam tempore appellabatur Facies Dei: Sic enim ſcribit: Tripoli coniuncta eſt ea quæ Dei facies appellatur, in qua Libanus mons deſinit. Inter hæc eſt locus quidam nomine Trieris. Hi duo montes ſunt, qui eum faciunt, qui concauus Angulus dicitur, quaſi inter ſeſe pares. Libanus, & Antilibanus paulò vltra mare incipientes: Libanus vltra Tripolitanũ mare circa Dei Faciem: Antilibanus vltra mare Sidoniũ, deſinunt. Hæc Strabo.

3. Reg. 12.

Strabo.

Quomodo intelligendum ſit quod dixit Iacob ſe vidiſſe Deum facie ad faciem.

Sed quomodo verè dicere potuit Iacob illud: *Vidi Dominum facie ad faciem*: cùm Deus ipſe dixerit Moſi Exodi 33. *Faciem meam videre non poteris, non enim videbit me homo, & viuet*: Et ſanè quem viderat Iacob, non erat Deus, ſed Angelus Dei, vt ſuprà dictum eſt. ac ne ipſum quidem Angelum propriè viderat, ſed tantùm corpus ab eo acceptum, & in ſimilitudinem hominis figuratum, quod nihil profectò pertinebat ad naturam Angeli. Hanc quæſtionem S. Thomas prima parte Quæſt. xij. art. 11. ad prim. ita ſoluit: Secundùm Dionyſium, inquit, in 4. capite de Cœleſti Hierarchia dicitur aliquis in Scriptura Deum videre, in quantum formatæ ſunt, & obiectæ illi aliquæ figuræ, vel ſenſibiles, vel imaginariæ ſecundùm aliquam ſimilitudinem, Diuinum aliquod repræſentantes. Quod ergo dicit Iacob: *Vidi Deum facie ad faciem*, referendum eſt non ad ipſam diuinam Eſſentiam, ſed ad figuram in qua repræſentabatur Deus. Et hoc ipſum ad quandam prophetiæ eminentiam pertinet, vt videatur perſona Dei loquentis, vel Deus ipſe loquens, licèt per imaginariam viſionem, vt infra patebit, cum de gradibus prophetiæ loquemur, ſecunda ſecundæ Quæſt. clxxiiij. Vel hoc dicit Iacob ad deſignandam quandam eminentiam intelligibilem contemplationis ſupra communem ſtatum. Sic Sanctus Thomas. Verùm ſciat lector, phraſim eſſe linguæ Hebrææ peculiarem, & frequentem in Scriptura, videre aliquem facie ad faciem, pro, videre preſentem, & clarè, ac diſtinctè; non per obſcuras imagines, aut ſimilitudines: ſimiliter loqui cum aliquo facie ad faciem, eſt præſentis vocem & verba diſtinctè & expreſsè audire, licèt nulla eius figura, & forma videatur. Nam Deuteronomij 5. dicitur Deus eſſe in monte Sina locutus Hebræis facie ad faciem, nec tamen illi tunc vllam ſpeciem eius aut figuram viderunt, vt ait Moſes Deuter. 4. Sed quia clarè & expreſsè audierunt vocem, & verba Dei loquentis, idcirco dicuntur audiſſe loquẽtem Deum facie ad faciem. Similem habet ſententiam, & intellectum, Loqui ore ad os cum aliquo, quomodo dicitur Numerorum 12. Locutus Deus cum Moſe: *Ore*, inquit, *ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt*. Similiter negociari cum aliquo facie ad faciem, vel ore ad os, eſt

43

Quid ſit in Scriptura videre, vel loqui facie ad faciẽ.

Locus Deut. cap. 5.

os, est agere non cum absente per litteras, vel nuncios, vel procuratores, sed immediatè cum præsenti. B. Paulus primæ ad Corinth. 13. Visionem Dei facie ad faciem, vocauit claram diuinæ Essentiæ ac beatificam visionem, nimirum Dei sicut est; opponens eam obscuræ visioni, seu cognitioni, quam per fidem habemus in hac vita. *Videmus*, inquit, *nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem*: Iacob igitur quia viderat Angelum sub aspectabili specie, ac figura hominis, ipsumque familiariter secum loquentem audierat, dixit se vidisse eum facie ad faciem. *Locus Pauli 1. Cor. 13.*

44 Sequitur, *Et salua facta est anima mea*. Dupliciter hoc exponi potest: Primò quidem vt sic hic sensus: Vidi Dominum, nec tamen mortuus sum, sed saluus, & incolumis euasi. Vetus enim, & communis erat illorum hominum opinio, nemini mortalium visionem Dei, citra mortem eius contingere. Dixit enim Deus Moysi: *Faciem meam videre non poteris; non enim videbit me homo, & viuet*. Quocirca de Gedeone in libro Iudicum cap. 6. ita scriptum est: *Videns Gedeon quòd esset Angelus Domini, ait, Heu mi Domine Deus, quia vidit Angelum Domini facie ad faciem. Dixitque ei Dominus, Pax tecum, ne timeas, non morieris*. Et in eodem libro cap. 13. de Manue patre Samsonis sic est proditum: *Statim intellexit Manue Angelum Domini esse, & dixit ad vxorem suam, Morte moriemur, quia vidimus Dominum*. Et in Deuteronomio cap. 5. traditur, Hebræos dixisse Mosi: *Vocem Domini audiuimus de medio ignis, & probauimus hodie: quòd loquente Deo cum homine, vixerit homo. Cur ergo moriemur? Si enim audierimus vltra vocem Domini Dei nostri, moriemur. Quid est omnis caro, vt audiat vocem Dei viuentis, qui de medio ignis loquitur, sicut nos audiuimus, & possit viuere?* Altero modo: illud *Salua facta est anima mea*: licet interpretari ad hunc modum: *Vidi Dominum, & salua facta est anima mea*, id est, vehementer recreatus, & confirmatus sum, tam præclarum, & prosperum Israëlis nomen accipiens, & optata eius benedictione affectus: vel liberatus sum omni solicitudine, ac timore, quo aduentum fratris mei Esau formidabam. Itaque quod hîc dicitur: *Salua facta est anima mea*, idem esse videtur, quod dixit Hoseas cap. 12. de Iacob. *Et confortatus est*.

45 Restat illud: *Ob quam causam, non comedunt neruum filij Israel, qui emarcuit in fœmore Iacob*. Non negatur (ait Caietanus) esus cuiuslibet nerui, sed nerui duntaxat illius, qui est in femine coxæ: cuius nerui in coxa Iacob abstractio, hoc est, motio ex naturalis loci dispositione, causa ei fuit claudicandi. Hinc porrò clarè apparet, quòd quemadmodum non quamcunq; coxæ partem, sed illam quæ femen dicitur, ita cùm etiam ipsum femen distinguatur in plures partes, carnem scilicet, neruum, venas, & ossa, non quamcunque feminis partem, sed neruum feminis violento tactu læsit Angelus, remouendo eum à naturali vinculo loci sui. Vbi clarè vides, quòd nullus est sermo de membro generationis, sicut putarunt quidam Hebræi, vocabulo nerui interpretantes membrum generationis, nimium profectò inscitè ac stupidè: non enim ob læsionem talis membri, necesse fuisset pedibus claudicare Iacob. Hinc quoque liquet, falsum esse quod scripsit Rupertus. lib. 8. Commentariorum in Genes. cap. 7. Iudæos nullum *Caietanus. Iudæorũ abstinentia ab esu nerui quàlis fuerit.* *Rupertus.*

nullum neruum comedere, propter illum vnum fœmoris neruum, qui caput, & quoddam principium est omnium corporis neruorum, cùm ſignatè, & apertè Scriptura de neruo tantùm fœmoris id tradat. Nec verò iſtiuſmodi ab eſu nerui abſtinentia, fuit Hebræis lege aliqua, aut præcepto, vel ex voto, ſed religione & reuerentia quadam vltrò ſuſcepta primùm, vt credibile dictu eſt, ab ipſo Iacob, tum a poſteris eius, propterea nempè quòd talis neruus fuiſſet in Iacob percuſſus ab Angelo: & vt tali obſeruantia, & memoriam illius luctæ, & noui nominis Iſraëlis impoſitionis, & benedictionis Angelicæ perpetuò cuſtodirent: eam verò obſeruantiam ad ſuam vſque ætatem perduraſſe Ioſephus ſignificat, affirmans talem cibum apud Hebræos haberi pro illicito, vt ſuprà dictum eſt.

Ioſephus.

QVINTA DISPVTATIO.

De germana & propria ſignificatione nominis Iſrael, quod Patriarchæ Iacob impoſitum eſt ab Angelo.

Super illis verbis,

VERSV 28 Ait ergo, Quod nomen eſt tibi? reſpondit; Iacob. At ille Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael, quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines præualebis?

S. Hironym.

SVPER vera interpretatione nominis Iſraël diſputat Sanctus Hieronymus in Traditionibus Hebraicis ſuper hunc locum Geneſis, cuius diſputationis, è re fuerit, vt hoc loco per partes ſententiam ponamus, ſimul, & quamque partem ſeparatim excutiamus. Primo loco refert Hieronymus interpretationem nominis Iſraël traditam à Ioſepho: Ioſephus, ait Hieronymus in primo Antiquitatum, Iſraël ideo appellatum putat, quòd aduerſus Angelum ſteterit; quod ego diligenter excutiens, in Hebræo penitus inuenire non potui. Sic Hieronymus. Verba Ioſephi ſunt hæc: Iuſſitq; eum (Angelus ſcilicet ipſum Iacob) poſt id temporis vocari Iſraëlem, quod Hebræis, Reluctantem Angelo ſignificat. Hęc Ioſephus. Equidem neſcio, cur interpretatio Ioſephi diſplicuerit Hieronymo; cum eadem ipſa ſit ei, quam tradidit Angelus, quid enim aliud eſt, validè reluctatum eſſe Angelo, quod ait Ioſephus, niſi quod dixit Angelus, fortem fuiſſe cum Deo ſiue cum Angelo?

Secundo loco aperit Hieronymus, quam putet ipſe veram eſſe nominis Iſrael interpretationem, docens, ea voce ſignificari, *Princeps cum Deo.* Ecquid me neceſſe eſt, ait Hieronymus, opiniones quærere ſingulorum, cùm etymologiã nominis exponat ipſe, qui poſuit, *Non vocabitur*, inquit, *nomen tuum Iacob; ſed Iſrael erit nomen tuum.* quod autem ſequitur: *quia inua-*

*inualuisti cum Deo,& cum hominibus inualebis:*Sic interpretatus est Aquila: ὅτι ἤρξας μετὰ Θεοῦ. Symmachus autē: ὅτι ἤρξω ἰσχύι Θεόν. lxx. verò & Theodotion ὅτι ἐνίσχυσας μετὰ Θεοῦ. *Sarith* enim,quod ab Israel vocabulo deriuatur,principem sonat. Sensus itaq; est,non vocabitur nomen tuum Iacob, hoc est,supplantator;sed vocabitur nomen tuum Israel, hoc est princeps cū Deo:quomodo enim Princeps ego sum,sic & tu, qui mecum luctari potuisti,princeps vocaberis.Si autē mecum, qui Deus sum, siue Angelus (quoniam plerique variè interpretantur) pugnare potuisti,quanto magis cum hominibus,hoc est,cum Esau,quem formidare non debes? Sic ibi Hieronymus.Verùm ipse paulò pòst ait,significari eo nomine idē quod, Rectus Dei,siue Rectissimus Dei, & hoc idem scribit in Commentarijs suis in Esaiam super caput 44.Propriè,inquit,iuxta Hebræos,& literarum fidem,Israël rectus interpretatur:vir autem videns Deum, vt multi exponunt,non in elementis,sed in sono vocis est. Vnde & liber Geneseos appellatur liber εὐθίων: id est,rectorum,siue iustorum, Abraham nimirū, & Isaac,& Iacob.Et in c.xij.Hoseæ super illis verbis:*Et in fortitudine suæ directus est cum Angelo*:Quia,inquit,directus est cū Angelo,ideo εὐθυτάτη, hoc est,dirigentis,vel directi nomen accepit. Et in primum caput Malachiæ:Israël,inquit,interpretatur vir,siue mens cernens Deum; siue,vt ego meliùs puto,rectissimus Dei.Hactenus ex Hieronymo.

S. Hieronymi opinio de interpretatione vocis Israel *varia.*

Pagninus.

48 Atenim Pagnino,vt prior Hieronymi interpretatio perplacet,quòd Israël sit idem,atque Princeps cum Deo:ita posterior,quòd sit idem,atque rectus,siue rectissimus Dei,minimè placet. Sic enim ille scribit in libro de Interpretatione nominum Hebraicorum,Israël,secundùm D.Hieronymum in libro Hebraicarum quæstionum,interpretatur, Princeps cum Deo.Et cùm posuisset verba Hieronymi, quæ paulo suprà sunt à nobis commemorata,subdit:Hæc ad verbum D.Hieronymus. Dicitur ergo Israël à *Sara*,cum puncto in siniſtro cornu ipsius,*sin*, quod est principatum habere.Vnde Gen.32.dicitur:*Nequaquam Iacob appellabitur nomē tuum, sed Israel,quia Sarith,id est,princeps fuisti cum Deo,vel Angelo.* Et Hoseæ 12.de Iacob dicitur,Sarah cum Angelo,id est,Princeps fuit cum Angelo. Vnde subditur,*vaisar elmalach*,id est, & inualuit ad Angelum, sicut ibi vertit Hieronymus. Idem tamen ipse super caput 44. Esaiæ ait, Israël significare rectum Dei:Et ita,*sin*,habet punctum in dextro cornu, & dicitur à *iacar*,quod est,rectus, vt psalmo 7.(qui saluos facit ire,id est, rectos corde.) Ego autem tenendum censeo, quod ipse dicit in libro Hebraicarum quæstionum, motus auctoritate libri Geneseos, capite 32. & Hoseæ 12.Israël namque scribitur vbique cum puncto in siniſtro cornu. Sic Pagninus.

Auctoris iudicium.

49 Ego assentior Pagnino. Nam licèt vox Israel pro varietate Scripturæ eius accommodari possit ad significandum rectum,vel rectissimum Dei, istiusmodi tamen significatio nullum hîc locum habet. Quid enim,appellari Rectum Dei,conuenit cum eo quod est fortiter luctatum esse cū Deo,atque ob eam causam vocatum esse Israel? quid item appellatio ista congruit cum vocis Israelis interpretatione,quam tradidit Angelus,*quia*,

inquit, *si fortis fuisti contra Deum, quanto magis contra homines prævalebis?* Immò & illud, quod priore loco dixit Hieronymus, si probari debet, ad hoc ipsum adaptandũ videtur, vt reddat hunc sensum; Animosè, ac generosè restitisti, & quodam modo prævaluisti Deo. Germana igitur, & propria nominis *Israël* interpretatio ea profectò est, quam habet in hoc loco Latina trãslatio: *fortem esse cum Deo*: præsertim verò cum ad eundem modum eam vocẽ interpretati sint hoc loco lxx. Interpretes, & Symmachus, & Theodotion. Hebræus ille, qui doctor Caietano, & dictator fuit eorũ, quæ passim ille in suis Commentarijs hebraizat, de vocis *Israël* etymologia ita loquitur: Pro eo quòd Latina translatio habet: *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis?* in Hebræo sic est: *quia dominatus es cum Elohim, & cum hominibus potuisti:* his verbis ratio nominis Israel redditur à dominatione, & posse, Vbi scito, quòd *Israel* est dictio cõposita ex *Isra*, quod est dominari, & EL, quod est Deus, & ex vtraque dictione conflatũ nomen significat, Dominabitur Deus. Et ex hoc quod tu dominatus es luctando cum Angelo; prævalere enim, species quædam dominationis est, & quia etiam certando cum hominibus, videlicet cũ Laban & consanguineis potuisti, siue prẽualuisti, ideo Israel appellaberis: hoc est, Deus dominabitur: ad significandũ, quòd quia Deus pugnat pro te aduersus omnes, ideo tu prævalebis. Sic ille. Sed enim vox Israel nõ significat dominantem Deum, sed dominantem Deo, vel cum Deo, secundùm primam expositionem B. Hieronymi. Nã quia in luctando ex æquo luctatus est cum Deo, siue Angelo: immò & quadamtenus visus est prævalere, ideirco dictus est, Princeps vel Dominator cum Deo.

Hebræus doctor Caietani.

Tertio loco S. Hieronymus improbat opinionem eorum qui vocem Israel interpretantur, *vir*, siue *Mens videns Deum*, Illud, inquit, quod in libro nominum Hebraicorum interpretatur *Israel, vir*, siue *Mens videns Deum*, & omnium penè sermone detritum est, non tam verè, quàm violenter mihi interpretatum videtur. Hîc enim *Israel* per has litteras scribitur, *Iod, sin, res, aleph, lamed*, quod interpretatur Princeps Dei, siue directus Dei. Vir autem videns Deum, his litteris scribitur, vt vir ex tribus litteris scribatur, *aleph, iod, sin*, vt dicatur *Is*: videns verò ex tribus item litteris *rese, aleph, & he*. Et dicatur *rahe*; denique EL, id est Deum, ex duabus *aleph, & Lamed*. Quamuis igitur grandis auctoritatis sint, & eloquentiæ, & ipsorum vmbra nos opprimat, qui Israel, virum, siue Mentem Deum videntem transtulerunt; nos magis Scripturæ & Angeli, vel Dei, qui ipsũ Israel vocauit, auctoritate ducimur, quàm cuiuslibet eloquentiæ secularis. Hæc Hieronymus Auctores porrò quos innominatim significat Hieronymus, sunt complures, veterum, atque in primis nobilium Scriptorum: horum princeps est Philo, qui sic interpretatur nomen Israel in libro *de Temulentia*, & in libro *De congressu quærendæ eruditionis gratia*, & in libro, qui inscribitur, *Quisnam sit rerum diuinarum hæres*, & in libro *de Præmijs, & pœnis*. Eandem tradidit etymologiam Origenes homilia 2. in lib. Numerorum & in Prologo in Cantica Canticorum, & Basilius super primum caput Isaiæ; Nazianzenus oratione secunda de Theologia; Chryso

Auctores, qui interpretati sunt Israel, vir videns Deum, *sunt Philo, Origenes, Basilius, Nazianzen.*

Chryſoſtomus homilia 58.in Geneſim & 14.in Ioannem, Auguſtinus lib.16.de Ciuit.Dei cap.39. Gregorius lib. 3. Expoſitionis in caput vij. libri 1. Reg.& libro 4.in cap.ix.eiuſdem libri. Quinetiam Hieronymus ipſe cõmunem videlicet ac permulgatam ſequens opinionem,eandẽ ponit interpretationẽ ſuper cap.xij.Hoſeæ ſuper illis verbis: *fugit Iacob*:& in cap. 3,Ioelis,& in libro de interpretatione nominũ Hebraicorũ ſuper librũ Exodi.Quanquã ibi lectorem mittit ad librũ ſuum Hebraicarũ quæſtionum,quẽ tunc moliebatur,vt indicat ipſe in Præfatione eiuſdẽ libri. *Chryſoſto. Auguſtinus Gregorius & ipſemet. Hieronym.*

51 Iuxta iſtam Hieronymi ſententiam, eſt adnotamentũ quoddã Eugubini in ſua Recognitione veteris Teſtamenti ad Hebraicam veritatẽ ſuper hunc locum Geneſis: Patet hoc loco, inquit ille,verum eſſe quod ait Hieronymus,quoſdam argutè magis,quam verè interpretari voluiſſe nomen *Iſraelis,virum* ſiue *mentem videntem Deum*: quam eſſe falſam interpretationem,manifeſtum eſt ex litteris Hebraicis:nam Hebraicè *Sara*:dominari ſonat, à quo *Sar*, princeps ac dominator dicitur, idem verbum in futuro profertur *Iſra*, huic futuro adiungitur EL, id eſt Deus, atque inde nomen *Iſrael* conflatur, quod ſonat dominator Dei, vel princeps cum Deo,quemadmodum ipſe Angelus hoc loco appellauit Iacob.Quare qui putarunt *Iſrael* ſignificare virum videntem Deum,decepti ſunt vocum ſimilitudine.Nã cum *Iſra*,ſit futurum à *Sara*, vt vidimus, & vt ipſe litteræ indicant,arbitrati ſunt iſti eam vocem è duobus eſſe conflatam,ſcilicet ex *raa*, quod eſt vidit,& *Is*, quod eſt vir:quod certè commentũ eſt. Fallitur quoque Nicolaus de Lyra,qui nomen Iſraelis aſſerit poſſe interpretari directum cum Deo:ſiquidem *Ishar*, hoc eſt, rectus,ſcribitur per *ſcin* craſſum: at Iſrael per *ſin* exile: eo quòd ducitur à *Sara*.Sic Eugubinus. *Eugubinus.*

52 Sed tres hoc loco exiſtunt quæſtiunculæ, quarum prima eſt hæc; Non videtur Angelus optatis, & poſtulatis Iacob ſatisfeciſſe. Nimirum ille optauerat,& petierat ab Angelo benedictionem eius,ipſe autem non benedixit ei,ſed nouum ei nomen Iſraelis impoſuit, nihil pertinens ad optatam benedictionem:ſiquidem nomen Iſraelis, quod ſignificat Fortem eſſe cum Deo,non aliquod ei bonum contulit,aut promiſit, ſed bonum,& virtutem fortitudinis quæ fuerat in Iacob,declarauit. Ad hoc ſic reſpondet Thomas Anglicus; Impoſitio eius nominis, fuit benedictio commendans,& confirmans donum gratiæ prioris datum, & ſic animũ Iacob ampliùs lætificans, & confirmans; & hoc amplius,inuictum fore Iacob,ſempérque victorem non modò reſpectu fratris ſui Eſau,quẽ tũc magnoperè timebat,ſed omnium etiam aduerſariorum, impoſitio illius nominis promittebat. Atque in hoc ipſo includitur collatio efficaciæ,& promiſſio auxilij contra omnes hoſtes:perinde quaſi dixiſſet ei Angelus: Ne paueas Iacob,ſed eſto ſecurus,quippe qui tuis violẽtis precibus apud Deũ,quanquam renitentẽ,obſtinuiſti,vt aduerſus hoſtes tuos ſis inſuperabilis,& victor. Poſſet etiam dici,Angelum, poſt impoſitionẽ nominis Iſrael,ſeparatim,ac propriè benedixiſſe ei:nam de Angelo ſubdit Scriptura: *Et benedixit ei in eodem loco*:Sic Thomas.Iſtã porrò benedictionẽ *Quæſtio,quænam fuerit benedictio,quam Angelus dedit Iacob.* *Thomas Anglicus.*

exponens Caietanus, Qualis, inquit, fuerit ista benedictio, non est scriptum: dubium tamen non est sub ista benedictione comprehendi confortationem Iacob, & excussionē ex eius animo, timoris fratris sui Esau. Vnde & Hoseas ca. 12. ait, *Inualuit ad Angelum, & confortatus est.* Quanquam istud, *Confortatus est*, non ad effectum benedictionis Angelicæ referendum videtur, sed ad magnitudinem fortitudinis Iacob luctātis cum Angelo, quo visus est quodammodo valentior & fortior fuisse.

Caietanus.

Altera quæstio est, an impositio nominis Israël fuerit hoc loco facta; 53
an tantummodò prænunciatum & promissum sit, fore vt ei postea tale nomen imponeretur: sicut videtur post cædem Sichimitarum, & aduentum Iacob in locum Bethel fuisse istud nomen impositum Iacob: sic enim legimus infra Genes. 35. *Venit Iacob Luzam cognomento Bethel, & apparuit ei Deus iterum, postquam reuersus est de Mesopotamia, & benedixit ei dicens, Non vocaberis vltra Iacob, sed Israel erit nomen tuum, & appellauit eum Israel.* Tertia quæstio est, quomodo verum fuerit quod dictum est Iacob, ipsum non vltra vocatum iri Iacob, sed Israëlem: cùm post id temporis, & per omnem vitam eius, non alio fermè nomine, quàm Iacob sit appellatus, & post mortem ipsius per omnes ferè libros veteris, & noui Testamenti, frequentiùs nomine Iacob, quàm Israëlis appelletur.

Verùm duas posteriores istas quæstiones opportuniùs, & commodiùs tractaturi sumus infrà, cùm ad expositionem cap. 35. ventum erit: earum igitur quæstionum tractatum, explicatúmq; illic à nobis, si Deo placuerit, lector expectet.

***

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA IN CAPVT TRIGESIMVM TERTIVM GENESIS.

ARGVMENTVM.

Iacob multiplici demissione corporis, & verborum, fratrem suum Esau honorans, non modò placatum eum; sed beneuolum, & perhumanum expertus est: à quo digressus, iuxta Salem vrbem Sichimorum habitauit.

ELEVANS autem Iacob oculos suos, vidit venientem Esau, & cum eo quadringentos viros: diuisítque filios Liæ & Rachel, ambarúmq; famularum: & posuit vtramque ancillam, & liberos earum in principio: Liã verò, & filios eius in secundo loco: Rachel autẽ, & Ioseph nouissimos. Et ipse progrediens adorauit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater eius. Currens itaque Esau obuiam fratri suo amplexatus est eum, stringénsq; collum eius, & osculans fleuit. Leuatísq; oculis vidit mulieres, & paruulos earũ, & ait: Quid sibi volunt isti? & si ad te pertinent? Respondit; Paruuli sunt, quos donauit mihi Deus seruo tuo. Et appropinquantes ancillæ, & filij earum, incuruati sunt. Accessit quoque Lia cũ pueris suis: & cùm similiter adorassent, extremi Ioseph, & Ra-

8 chel adorauerunt. Dixítq; Esau: Quænam sunt istæ turmæ,
quas obuiam habui? Respondit: Vt inuenirem gratiam coram
9 domino meo. At ille ait: Habeo plurima, frater mi, sint tua tibi.
10 Dixítq; Iacob: Noli ita, obsecro: sed si inueni gratiã in oculis
tuis, accipe munusculum de manibus meis: Sic enim vidi faciẽ
11 tuam, quasi viderim vultum Dei. Esto mihi propitius, & susci-
pe benedictionem, quã attuli tibi, & quã donauit mihi Deus
12 tribuens omnia. Vix fratre cõpellente, suscipiens, ait: Gradia-
13 mur simul, eróq; socius itineris tui. Dixítq; Iacob, Nosti domi-
ne mi, quòd paruulos habeam teneros, & oues, & boues fœtas
mecum: quas si plus, in ambulando fecero laborare, morien-
14 tur vna die cuncti greges. Præcedat dominus meus ante seruũ
suũ: & ego sequar paulatim vestigia eius, sicut videro paruulos
meos posse, donec veniam ad dominum meũ in Seir. Respon-
15 dit Esau: Oro te, vt de populo, qui mecum est, saltem socij re-
maneant vitę tuæ. Non est, inquit, necesse: hoc vno tantùm in-
16 digeo, vt inueniam gratiam in conspectu tuo, domine mi. Re-
17 uersus est itaq; in illo die Esau itinere quo venerat in Seir. Et
Iacob venit in Socoth: vbi ædificata domo, & fixis tentorijs
18 appellauit nomen loci illius Socoth, id est, tabernacula. Tran-
siuítq; in Salem vrbẽ Sichimorum, quæ est in terra Chanaan,
postquã reuersus est de Mesopotamia Syriæ, & habitauit iux-
19 ta oppidũ. Emítque partem agri in qua fixerat tabernacula, à
20 filijs Hemor patris Sichem centum agnis. Et erecto ibi altari,
inuocauit super illud fortissimum Deum Israel.

PRÆFATIO.

Quibus rebus & placãtur irati, & a heni conciliantur.

HISTORIA huius capitis planè docet nos exẽplo Iacob, 1
artem & rationem placandi, atque adeo demerendi & cõciliandi animos hominum, tametsi alieni nobis, aut etiam irati atque infensi fuerint. Hæc ars & ratio his maximè rebus continetur, Demissione animi per verba externósque corporis motus declarata: Affabilitate item, & comitate atque dulcedine quadam sermonis: Demonstrando præterea quanti faciamus eorum erga nos beneuolentiam, & gratiam: Denique multis atque amplis muneribus largiendis. Talibus profecto rebus etiã agrestes & barbari, & feri homines demulcentur, alliciuntur, capiuntur, vinciuntur. Hæc autem omnia exactè

Iacob

Iacob & cumulatè perfeciſſe oſtendit Moſes in hoc capite: Principio ait, legatos miſiſſe Iacob ad fratrem ſuum Eſau, qui de ſuo eum aduẽtu certiorem facerent: Miſit, *inquit Geneſ. 32.* nuncios ante ſe ad Eſau: præcepítque eis dicens, Sic loquimini domino meo Eſau, &c. *Deinde varia præmiſit ad eum munera. nam paulò poſt ſupradicta verba ſubdit Moſes:* Separauit, *Iacob,* de his, quæ habebat, munera fratri ſuo, capras ducentas, & arietes viginti, camelos fœtas cũ pullis ſuis triginta, vaccas quadraginta, & tauros viginti, aſinas viginti, & pullos earum decẽ; & miſit per manum ſeruorum ſuorum ſingulos ſeorſim greges. *Ad hæc obuiam procedens fratri, ſepties, antequam ad eum perueniret, pronus in terram adorauit:* Et ipſe Iacob progrediens, adorauit pronus in terram ſepties, donec appropinquaret frater eius. *Ingenti præterea eum cum reuerentia allocutus eſt, ſemper ſe nominans eius ſeruum, atque ipſum appellans dominum ſuum. Poſtremò, quanti faceret, quantoq; opere beneuolentiam & gratiam eius ſibi optaret, ſatis declarauit illis verbis:* Si inueni gratiam in oculis tuis, accipe munuſculum de manibus meis: Sic enim vidi faciem tuam, quaſi viderim vultum Dei. Eſto mihi propitius, & accipe benedictionem, quam attuli tibi. *Et infrà,* hoc vno tantùm indigeo, vt inueniã gratiam in conſpectu tuo domine mi. *Hac porrò arte, atque hiſce rebus, Iacob adeo fratris animum demitigauit, molliuit, permulſit, & ex veteri odio in amorem conuertit vt de ipſo Eſau Scriptura dixerit Gen. 33.* Currẽs Eſau obuiam fratri ſuo, amplexatus eſt eum, ſtringénſq; collũ eius, & oſculans fleuit. *Partem quoque ſui equitatus, quinetiam ſeipſum comitem, & ſocium itineris Iacob obtulit.*

Et ipſe progrediens, adorauit pronus in terram ſepties, donec appropinquaret frater eius. VERS. 3.

2 LAtinũ verbũ adorandi, ferè non eſt in vſu neq; apud Theologos, neq; in vulgari Chriſtianorũ ſermone, niſi in veri, ſoliúſque Dei cultu. At verbũ Hebræũ, *Sahah,* ſignificat in Scriptura reuereri, & honorare cũ declinatione aliqua corporis perſonam quampiam dignitate aut poteſtate excellentem, ſiue diuinam, ſiue Angelicam, ſiue humanã. Verùm ea de re pleniùs diſſeruimus in 3. Tomo Comment. noſtrorum in Gen. ſuper cap. 18. Gen. Num. 7. & ſuper ca. 23. Nu. 25. Iſtiuſmodi porrò adorationẽ per externa ſigna corporis & verborum exhibitã quinque modis fieri ſolitam legimus. Primò fieri ſolebat corpore prono, & proſtrato ad terrã: Sic Nathã Propheta dicitur 3. Reg. c. 1. *Venit ad Regẽ Dauid, & adorauit pronus in terram:* atq; itidem Iacob dicitur

Quinque modi exteriores adorationis.

dicitur hoc loco honorasse, & adorasse fratrem suum Esau. Alter modus adorationis fiebat per incuruationem corporis, declinando scilicet caput cum modica corporis demissione. Tertius modus fiebat per genuflexionem, de qua Dominus per Isaiam 45. inquit, *Mihi curuabitur omne genu*, & 3. Regum 19. Dixit Eliæ Deus, reliquisse sibi septem millia virorum qui non curuauerunt genua sua ante Baal: & Paulus ad Philippenses 2. scripsit, Christum ita exaltatum fuisse à Deo, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum. Quartus modus adorandi fiebat olim, eo, qui adorabat quempiam, propriam dexteram ad os suum referente, & osculante coram illo, quem adorabat: de qua consuetudine sic Plinius scribit libro 26. cap. 2. In adorando, dexteram ad osculum referimus, totúmque corpus circumagimus; quod in læuum fecisse, Gallia religiosius credunt. Ad quem modum haud dubiè spectans Iob capite trigesimo primo dixit de se: *Si vidi Solem cum fulgeret; & Lunam incedentem clarè; & lætatum est*, siue vt eo loco sonant Hebræa, & Græca, *lactatum*, id est, deceptum, *in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.* Quia (inquit Hieronymus in primo libro Apologiæ aduersus Ruffinum) qui adorant, solent deosculari manum, & capita submittere; quod se Beatus Iob elementis, & idolis fecisse negat. Quocirca & in psalmo 2. pro illo: *Apprehendite disciplinam*: Hebræa sonant *osculamini filium*, id est, adorate. Et in tertio Regũ cap. 19. cùm dixisset Deus relicta sibi esse septem millia virorum, qui non curuauerant genua sua ante Baal, posthæc proximè subiungit, *Et omẽ os quod non adorauerit eum, osculans manum.* Quintus & postremus modus, cum adoratione quadam supplicandi fiebat, attingendo genua, & mentum apprehendendo: quem morem repræsentauit Homerus inducens Thetidem Achillis matrem, adorabundam supplicasse Ioui; læuâ genua attingendo, dextráque mentũ apprehendendo. Meminit & huius moris Plinius lib. 11. cap. 45. Hominis genibus quædã, inquit, religio ineſt obseruatione gentium. hæc supplices attingunt: ad hæc manus tendunt: hæc, vt aras adorant: fortasse, quia ineſt his vitalitas: namque in ipsa genu vtriusque commissura, dextrâ, læuâque à priori parte, gemina quædam buccarum inanitas ineſt; quâ perfossa, ceu iugulo, spiritus fugit. Ineſt & alijs partibus quædam religio, sicut dextra osculis aduersa appetitur, in fide porrigitur. Antiquis Græciæ, in supplicando mentum attingere mos erat.

Plinius.

Locus Iob ca 31 & libr 3. Reg. cap. 19.

S. Hieronym.

Homerus.

Plinius.

VERS. 10. Sic vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei.

An Iacob adulatus sit fratri suo Esau.

VIDETVR Iacob ista verba dicens, non solùm mentitus, verùm etiam effusus in adulationem, tanto viro planè indignã. S. Augustinus disputans super istis verbis in Quæst. 105. in Genesim, conatur vindicare Iacob à peccato adulationis. Sic autem ipse locũ hunc legit: *Sic vidi faciem tuam, quemadmodum videt aliquis faciem Dei.* Súma eius disputationis, & sententiæ, huiusmodi videtur: Nomen

men Dei in hoc loco non sumi propriè pro vero Deo, sed more Gẽtium, pro ijs quos tanquã Deos, siue cœlestes, siue terrestres colebant, & quorum beneuolentiã, & gratiam summoperè ambiebant. Talia sunt verba Augustini: Quid sibi vult quod Iacob dixit fratri suo: *Vidi faciem tuam, quemadmodum cum videt aliquis faciem Dei*? Vtrum pauentis, & perturbati animi verba vsq; in adulationem proruperunt? An secundùm aliquẽ intellectum sine peccato dicta accipi possunt? fortasse enim, quia dicti sunt & Gentium dij, quæ sunt Dæmonia, non præiudicatur ex his verbis honori Dei, non enim dixit, Quemadmodum si viderem faciem Dei, sed *quemadmodum cuius videt aliquis faciem Dei*. Ipse enim *aliquis*, quem significare possit, incertum est, atque ita fortasse temperata sunt verba, vt & ipse Esau sibi delatum tantum honorem gratè acciperet; & qui hæc etiam aliter intelligere possunt, eum, à quo dicta sunt, nullo crimine impietatis arguerẽt. Quod (etsi benigno animo dicta hæc verba fraterna sunt) quoniam & post bonam susceptionem metus ipse transierat; potuit sic dici, Quemadmodum & Moyses Pharaonis Deus dictus est, secũdùm id quod dicit Paulus 1. ad Corinth. 8. *Etsi sunt qui dicuntur dij, siue in cœlo, siue in terra; sunt enim dij multi, & domini multi*: maximè quia sine articulo hîc positum est in Græco nomen Dei: quo articulo euidentissimè solet veri & vnius Dei fieri significatio, non enim dicit πρόσωπον τῦ Θεοῦ, sed πρόσωπον Θεοῦ. Facilè hoc intelligunt, qua distantia dicatur, qui Græcum eloquium audire atque intelligere solent. Sic Augustinus. *S. Augusti.* *Exod. 7.*

4 Thostatus ait, ista verba esse dicta per modum adulationis cuiusdam licitæ. Nam quia Iacob valdè timebat Esau, vt eum placaret, dicit se ita gauisum esse aspectu eius, quasi vidisset Angelum Dei. Vel potest intelligi, id dixisse Iacob ex animo, ac sincerè: Verum enim erat, cùm Iacob vehementer paueret aduentum Esau, postea expertus eius beneuolentiam, & humanitatem, perinde lætatum esse, ac si aspectu Angeli exhilaratus, & confirmatus fuisset. Non enim tantùm liberatus est metu mortis, quam valdè formidabat, sed etiam perhumaniter, ac peramanter acceptus est ab Esau, præter omnem eius expectationẽ. Hactenus ex Thostato. Sedenim mihi breuis expedita, planáque responsio hæc esse videtur; locutionem esse hyperbolicam, & in communi sermone, & in sacris litteris. Significatur enim abundantia, & exuperantia quædam gaudij ac lætitiæ, vt sit hîc sensus, Maiorem in modum lætatus sum aspectu tuo, maximóque affectus sum gaudio. *Thostatus.*

Præcedat quæso dominus meus ante seruum suum, & ego sequar paulatim vestigia eius sicut videro paruulos meos posse, donec veniam ad dominum meum in Seir. VERS. 14.

5 QVÆRITVR an ista verba dicens Iacob, mentitus sit: nam nec postea iuisse Iacob in terram Seir, subsequens historia huius libri ostendit: ac ne tum quidem cùm ista dixit, cogitasse, & voluisse illucire, simillimum vero est. Nimirum magnæ *Quæstio an Iacob hoc loco mentitus sit.*

imprudentiæ ac temeritatis, fluxæ atque inſtabilis fratris beneuolentiæ, ac fidei, qui diu antea, multúmque infenſus ei fuerat, ſuam ſuorúmque ſalutem credere. Ex aduerſo autem, quemadmodum ſupra cap. 27. Iacob à mendacio vindicatus eſt, cum eius tamen verba multo apertius mendacium, quàm quæ ſunt in hoc loco, viderentur continere, ita videtur etiam nunc à mendacio excuſari eum oportere. B. Auguſtinus ait in Quæſtione 106. in Geneſim, Iacob cùm iſta dixit, cogitaſſe ire in terram Seir ad fratrem ſuum Eſau, ſed poſtea mutaſſe ſententiam. Sic enim ſcribit: Quæritur, vtrum mendaciter promiſerit Iacob fratri ſuo quòd venturus eſſet ad eum in Seir: hoc enim ſicut Scriptura deinde narrat, non fecit: ſed eò perrexit ex itinere, quò dirigebat ad ſuos. An fortè veraci animo promiſerat, ſed aliud poſtea cogitando delegit? Sic Auguſtinus.

S. Auguſt.

Thoſtatus.

Thoſtatus duas eiuſdē quæſtionis affert ſolutiones: quarum vnam, ſub quorundam nomine memorat, ſed eadem eſt, atque ea quam tradit Auguſtinus. Ad alteram ſolutionem videtur ipſe propenſior, quòd Iacob mentitus fuerit: ſed quia mendacium fuit officioſum, fuiſſe veniale ac leue peccatū, à quo peccati genere non eſt neceſſe Patriarchas excuſare, cum ne ipſos quidem Apoſtolos vindicemus. Hæc autem ſunt verba Thoſtati: De Iacob fortè meliùs dicetur, ipſum nunquam intendiſſe, & voluiſſe ire in terram Seir ad fratrem ſuum Eſau, ne tum quidem cū id promiſit. Quare mentitus eſt: fuit tamen mendacium officioſum, quod non eſt negandum fuiſſe in Patriarchis. Quidam tamen aiunt, Iacob cùm iſta verba dixit, non eſſe mentitum, quia tunc intendebat ire, ſed poſtea meliori conſilio capto, quòd ſibi talem profectionem periculoſam fore proſpexit, mutaſſe ſententiam: Falſum itaque dixit, ſed non eſt mentitus. Et afferūt exemplum de B. Paulo, qui promiſit ſe iturum in Hiſpaniam, vt ſcribit ipſe ad Romanos 15. poſtea tamen non iuit, Deo propoſitum eius, & voluntatem impediente. Ego iſtam opinionem, quantum ad Iacob non improbo; quantum verò ad Paulum, quod non iuerit in Hiſpaniam, falſam puto. Nam licet id aſſerat Gratianus, vt patet in decretis xxij. Quæſt. 2. cap. Beatus. Maiores tamen noſtri Chronographi, & Hiſtorici, oppoſitum tenent, quibus magis quàm Gratiano credendum eſt. Hoc enim tradit Iſidorus, & Lucas Tudenſis in Chronicis & Ioannes Ægidij Zamorenſis in libro de laudibus Hiſpaniæ. Sic Thoſtatus.

Apoſtolum Paulum iuiſſe in Hiſpaniam tradiderunt Hippolytus. Athanaſius. Cyrillus Epiphan' Chryſoſt' Hieronym' Theodore' Gregorius Sophron.'

6

Verùm enimuerò, quod ſentit Thoſtatus de itione B. Pauli in Hiſpaniam, & verum eſt, & potuiſſet ab ipſo plurium multo, & nobiliorū Scriptorum auctoritate confirmari: hoc nempe ſcriptis prodiderunt, Hippolytus in libro de Septuaginta duobus Diſcipulis: Athanaſius ad Dracontium: Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi xvij. Epiphanius in Hæreſi 27. Chryſoſtomus hom. 77. in Matthæum, & de laudibus Pauli homil. 7. & in Præfatione in Epiſtolam Pauli ad Hebræos S. Hieronymus in ca. xj. Iſaiæ: & in caput 5. Amos, & in epiſt. 28. Theodoretus in cap. vltimo Epiſt. 2. ad Timotheum, Et in pſalmum 116. & in caput primū epiſtolæ ad Philippenſes. Sophronius præterea Epiſcopus Hieroſolymitanus in ſermone de die Natali Apoſtolorum Petri, & Pauli: & S. Gregorius lib.

3. Mora

3. Moralium cap. 22. vt omittam Isidorum, Bedam, Metaphrastem, & omnia Martyrologia. quanquam istis contraria sensisse videntur duo summi Pontifices, Gelasius, vt refertur in decretis xxij. Quæst. 2. cap. Beatus. Gelasium sequitur S. Thomas in cap. 15. epist. ad Romanos, & Innocentius primus ad Decentium. Sed istorum Pontificum verba, quam ad sententiam interpretanda sint, ne tot, tantorúmque patrum auctoritati videantur aduersari prudenter, & scitè docet illustrissimus Baronius, hoc ipso anno, quo hæc scribimus, ad Cardinalatus dignitatem, maiore suo merito quàm gaudio, sublatus.

Gelasius. Innocent. Cardinalis Baronius 1. Tomo Annalium in anno Domini 61. & in Notationibus in Martyrol. die 22. Martij.

VERSV 18.

Transiuit Iacob in Salem, vrbem Sichimorum, quæ est in terra Chanaan.

7 QVONIAM vox *Salem* potest esse nomen proprium vrbis, cuius nimirum vrbis regem fuisse Melchisedec, supra Gen. 14. scriptum est: potest etiam esse nomen appellatiuum, significans pacem, vel integritatem, atque incolumitatem: idcirco dupliciter potest hic locus exponi: primò vt significetur venisse Iacob in vrbem, quæ appellabatur Salem, quæ erat in terra Sichimorum; & hoc modo tam Latinus Interpres, quàm lxx. Interpretes locum hunc intellexerunt, & verterunt. potest etiam accipi vox Salem, prout significat integrum, saluum, incolumen, ita vt reddat hanc sententiam, Iacob saluus, & incolumis, ac nullo sui, suorúmq; accepto detrimẽto, venit ad vrbem Sichem. Atque hoc intellectu interpretatus est locum hunc Paraphrastes Chaldæus, & Pagninus: & quicunque in hac nostra ætate nominantur Hebraizantes, sic vertendum esse censuerunt, quorum sententiam paulò infrà exponam. Neque hoc fugit B. Hieronymũ, in Hebraicis quippe Traditionibus super hunc ipsum locum Geneseos, scribit in hunc modum: Quæstio oboritur quomodo Salem appelletur Sichem ciuitas, cùm Hierusalem, in qua regnauit Melchisedec, Salẽ antè sit dicta. Aut igitur vnius vtraque vrbs nominis est, quod etiam de pluribus Iudææ locis possumus inuenire, vt idem vrbis & loci nomen in alia atque alia tribu sit: aut certè istam Salem, quæ nunc pro Sichem nominatur, dicitur hîc interpretari consummatam, atque perfectam, & illam, quæ postea Hierusalem dicta est, pacificam nostro sermone transferri: vtrumque enim accentu paululùm declinato hoc verbum sonat. Tradunt Hebræi quòd claudicantis fœmur Iacob ibi conualuerit, & sanatum sit, propterea eandẽ ciuitatem, curati atque perfecti vocabulum consecutam. Sic Hieronymus. Verùm germanam eius sententiam, quam prodidit ipse, cùm super ista vrbe Salem seriò, ac presse disseruit, infrà ostendemus.

Quæstio An Salem hoc loco sit nomen propriũ vrbis.

S. Hieron.

8 Hebræi, atque huius seculi Hebraizantes, negant vocem Salẽ hoc loco esse nomen propriũ vrbis, sed arbitrãtur esse nomen appellatiuum, significans saluum, incolumẽ, perfectum: & ideo sic vertendũ fuisse: *Veni*

Caietanus. *Iacob ſaluus, ſiue integer in Sichem.* Audi Caietanum hoc loco; Ambiguitas, inquit, vndique conſurgit, tum ex æquiuocatione vocis Salem, quæ interdum eſt nomẽ proprium vrbis, & interdum eſt nomen appellatiuũ, ſignificans integrum, ſiue cõpletum: tum ex defectu præpoſitionis, cùm nulla ſit hoc loco antecedens vocem Salem, vel ciuitatem. Subiuncta tamen manſio Iacob ante ciuitatem, teſtatur quòd Salem hoc loco eſt nomen appellatiuum, ſignificans integrum. Narratur enim, quòd cum manſiſſet Iacob in Socoth aliquandiu, nempè ſecundùm Hebræos, per annũ & dimidium, venit inde incolumis quoad coxam, propter quam claudicabat, & quantum ad omnem familiam & ſubſtantiã ſuam: venit, inquã, in vrbem Sichem, quæ eſt in terra Chanaan: Nam Socoth nõ eſt in terra Chanaam, ſed vltra Iordanem, verſus montẽ Galaad. ſic Caietanus. Nec

Oleaſter. diſſimilia horum ſcribit Oleaſter ſuper hoc loco Geneſis: Sic enim legit hunc locum, *Venit Iacob integer in ciuitatem Sichem.* Et ſubdit, Significatur iſtis verbis, veniſſe eum cum omnibus, quæ ſua erant, & ſine alicuius rei defectu. Vox autem, Salem, non ſignificat pacificum eſſe, vt *multi* tam ex noſtris, quàm ex Hebræis arbitrantur, ſed integrum eſſe, & cui nihil deſit. Quare quod noſtri interpretantur: *Eſt ne pax?* tu verte: *Eſt ne integritas?* & ſic alias ſimiles locutiones: ad quod probandum valet hic locus, vbi Salem non ſignificat pacem, ſed integritatem. Scio quoſdã voluiſſe vocem Salem hîc eſſe nomen proprium vrbis, de qua dictũ eſt ſuprà Gen. 14. Sed iſtorum ego ſententiã non approbo. Hæc Oleaſter.

Thoſtatus. Thoſtatus, quãuis opinionis iſtorum nõ eſſet inſcius, vt quam ipſe hoc 9
loco indicauit, aſſentiri tamen maluit B. Hieronymo, qui nomen Salem hoc loco pro nomine proprio vrbis poſuit. Scribit autẽ ille ad hunc modum: Quidam ex noſtris Doctoribus volunt, iſtam vrbem Salem, eſſe eã,

S. Hieron. quæ Ioan. 3. vocatur Salim, in qua Ioannes baptizabat in Iordane, vt ſcriptum eſt Ioan. 3. At iſta Salem, vel eſt vrbs Sichem, vel iuxta eam: quare diſtat à Iordane. Nec poteſt dici iſtam Salem eſſe eam, quæ dicta eſt Hieruſalem. Siquidem hæc erat ad partem Occidentalem terræ promiſſionis, illa verò ad partem Orientalẽ: & inter iſtas erat diſtantia triginta mille paſſuũ. Putant autẽ Hebræi iſtud nomen Salem, nõ eſſe hîc proprium nomen ciuitatis, ſed eſſe nomen cõmune ſignificans Pacẽ; vt ſit hæc ſententia: *Venit Iacob in pace Sichem,* id eſt nullo, in itinere, affectus detrimẽto. Verùm quãuis hoc non ſit improbabile, potiùs tamen credendum eſt B. Hieronymo quàm Iudæis, quippe qui totam illam regionẽ, omniáque loca eius, quæ in ſacris libris memorantur, adhibitis Hebræorum peritiſſimis, peragrauit, atque obſeruauit diligẽtiſſimè, vt ſcriptum ipſe reliquit in Prologo librorũ Paralipomenon. Mihi quidẽ videtur iſta ciuitas Salẽ, eſſe eadem ipſa, quæ appellata eſt Sichem, vt illa vrbs fuerit binomia, ſicut etiã Bethel dicta eſt Luza, & Segor appellata eſt Bala. Hæc Thoſtatus.

Locus Ioan. Cęterum nomẽ Salem in hoc loco debere accipi pro nomine proprio 10
vrbis non ſolùm B. Hieronymus indicauit in trãſlatione huius loci Geneſis, ſecutus nimirum lxx. Interpretes, verùmetiam, & multo quidem apertiùs id oſtendit in Epiſt. 126. quam ſcripſit ad Euagriũ, vbi ad hũc modũ

ſcribit:

scribit: Salem, non vt Iosephus, & nostri omnes arbitrantur, est Hierusalem, nomen ex Græco, & Hebraico compositum: quod absurdum esse, peregrinæ linguæ mixtura demonstrat. Sed est Salem oppidũ, iuxta Scythopolim, quod vsque hodie appellatur Salem; & ostenditur ibi palatium Melchisedech, ea magitudine ruinarum antiqui operis ostendens magnificentiam. De quo Genes. 33. scriptum est, *Transiuit Iacob in Salem ciuitatem regionis Sichem, quæ est in terra Chanaan*, de quo etiam legitur in Euangelio Ioan. 3. *Erat Ioannes baptizans in Aenon, iuxta Salim, quia aquæ erãt multæ ibi.* Nec refert vtrum dicatnr Salem, vel Salim, cùm vocalibus in medio litteris perrarò vtantur Hebræi, & pro voluntate lectorum, atque varietate regionum, eadem verba diuersis sonis atque accentibus proferantur. Sic Hieronymus: Super illis autem verbis, *Quæ est in terra Chanaã*: Sciendum est, terram Chanaan, si propriè accipiatur, fuisse tantùm eam, quæ erat citra Iordanem ad Orientem, vt patet Num. 34. vbi ponuntur termini terræ promissionis, quæ non transiuit Iordanem, vt est in cap. 3. Deuter. Verùm amplè terram Chanaan accipiendo, vbicumque videlicet habitabant Chananæi, nonnulla regio trans Iordanem ad Orientem dicebatur terra Chanaan, nimirum illa, quam tenuerunt duo illi Reges, Og, & Seon, qui erant Amorrhæi, ac proinde etiam Chananæi.

Tẽpore S. Hie non vtebantur Hebræi vocalibus litteris. Terram Chanaan dupliciter accip.

Emítque partem agri, in quo fixerat tabernacula, à filijs Hemor patris Sichem centum agnis. VERS. 19.

11 PRIMVS Iacob Sanctorum Patriarcharum legitur emisse partem terræ in regione Chanaan, in vsum habitationis, & in pastum animalium: Abraham namque, licèt emisse agrum cum duplici spelunca dictum sit suprà Genes. 23. non tamen ad habitandum, sed in vsum sepulturæ. Nec verò quia perexiguum videtur fuisse pretium centum agnorum, existimare conuenit paruum fuisse agrum illum: amplo namque loco indigebat Iacob ob amplitudinem familiæ, & copiam animalium quæ habebat. Sed id temporis, cùm terra nõ multùm esset habitata, & frequentata hominibus, multum terræ paruo vendebatur. Illud, *à filijs Hemor patris Sichem*, dupliciter intelligi potest: Aut enim filij Hemor erant fratres Sichem, sed quia hic erat primogenitus, & princeps ciuitatis, ideirco propriè appellatur Hemor, pater Sichem: & quoniam ager possidebatur ab alijs filijs Hemor, propterea dicitur emptus ab illis: vel filij Hemor, vocatur populus ei subditus, prisco videlicet more, quo reges, principes, & domini, appellabantur patres; subditi autem, & famuli, dicebantur filij. Legimus enim in lib. 4. Reg. cap. 5. seruos Naaman, principis militiæ regis Syriæ, appellasse dominum suum, nomine patris.

12 Cæterum verba illa, *centum agnis*, litigiosam hoc loco habent quæstionem. Etenim pro voce illa, *agnis*, Hebraicè est *Chesitâ*, quam vocem Hebræi, & Hebraizantes contendunt significare hoc loco, non agnos, sed ge-

Quæst. super voce Hebræa Chesitâ.

nus quoddã monetæ,ac pecuniæ,& ideo vertendũ fuisse centum nũmis, vel denarijs,vel obolis : Sic Caietanus, & alij. Sed nemo quisquam erectiori supercilio, ac seueriori censura Latinam lectionem huius loci improbat ac damnat,quàm Eugubinus. Audiat lector eius verba super hoc loco: Non centum agnis,inquit,sed centum denarijs, aut obolis vertendum fuit.Sed noster Hierony. ex lect. 70. hausit errorem: quæ vt nunc, ita tẽpore ipsius corrupta erat: ipsi enim reddiderunt ἑκατὸν ἀμνῶν, id est, centum agnis:quanquam puto non sic vertisse Septuaginta, sed μνῶν pro ἀμνῶν, id est,centum mnis,ponendo mnas pro quolibet numismate, siue pro eo numo,cuius hîc fit mentio. Verùm postea,vel incuria librariorũ, vel iniuria temporum,pro μνῶν positum esse ἀμνῶν.Hoc mendum,iam pridem inolitum secutus est Hieronymus, in voce præsertim ambigua. Emendanda igitur nostra editio hoc loco est,vt pro agnis legatur numis. Sic enim interpretandum esse hîc vocabulum Hebræum censent doctores Hebræorum,atque huic sententiæ fidem facit auctoritas B.Stephani, qui Actorum 7. ait, istum agrum esse emptum pretio argenti. Sic Eugubinus.

Eugubini insolentia.

At enimuerò,& Paraphrasis Chaldaica, & Septuaginta, & Pagninus, 13
similiter verterunt,atque Latinus Interpres:& Iob vltimo capite eandem vocem,quę ibi est,*& vnusquisque dedit ei ouem*,significare,vt Latinus vertit,ouem,affirmant Hebræorũ doctissimi Rabbi Abraham,& Aben Esra. In extremis verbis libri Iosue eandem vocẽ transtulit Latinus Interpres, nouellas oues.Sed audi Oleastrum super hoc loco Genesis:Ignota est,inquit, propria significatio nominis *Chesitâ*. Probat autem Rabbi Achibac significari ea voce numum,quoniam obseruauit ipse Arabes numum vocare *Chesita*. Ex quo cognosce Lector, quemadmodum Iudæi significationes nominum mendicent ab Arabibus. Mihi verò magis probatur,significari ea voce agnam,aut pecudem : nam Iob 42.vbi ponitur ista vox, aptiùs vertitur per ouem,quàm per numum : mox enim subditur,benedixisse Deum nouissimis Iob,magis quàm primis, & fuisse ei quatuordecim millia ouium.Quasi oues illæ paucæ datæ Iob ab amicis,propter Dei benedictionem, in tantum creuerint numerum : deinde quia tunc temporis rarus erat numorum vsus.Concordat etiam Chaldæus Paraphrastes cum vulgato interprete in hac sententia.Sic Oleaster.Lippomanus in catena ait, Hebræam vocem esse homonymam,& tam pecuniam, quàm agnam siue ouem significare, & vtrâ potius significatione in hoc loco ea vox accipienda sit,ipsorum etiam Hebræorum variare sententias.Sed cõiectare se ait,fuisse genus pecuniæ,quod nomine agnæ,vel ouis appellaretur:sicut apud Basileenses,denarius vocatur coruus.

Rab. Abrahã Rabbi Aben Esra.
Oleaster.
Lippoman.

Argumentum porrò,quod putant nonnulli,& in primis Andreas Ma- 14
sius in extrema verba libri Iosue,esse firmissimum ad probandum vocem Hebræam significare hoc loco pecuniam,non agnam vel ouem,quòd B. Stephanus Actor. 7. dixerit istum agrum emptum fuisse pretio argenti: hoc,inquam,argumentum leuissimum est,immò nihili : non enim ibi locutus est B. Stephanus de emptione agri facta à Iacob, quæ narratur hoc loco,

loco, sed de ea, quæ facta est ab Abraham, & commemorata fuit suprà Genes. 23. Id autem liquet, tum quia Stephanus factam esse dicit emptionem ab Abraham, non à Iacob: tum quia factam ait in vsum sepulturæ: Iacob autem non emit agrum ad vsum sepulturæ, sed ad habitationem, & in vsum prædij, & pascuorum: quam etiam ob causam Ioan. 4. vocatur prædium Iacob. Verùm super isto loco Stephani amplissimè disseruimus in Tertio Tomo nostrorum Commentariorum in Genesim super ca. 23. in disputatione 2. & numero 33. & sequentibus. Sedenim quæstionem affert, quod dixit infrà Gen. 48. Iacob filio suo Ioseph, se istum agrum tulisse de manu Amorrhæi in gladio, & arcu suo: verba eius sunt hæc: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* Sed istius quæstionis tractatum & explicationem in eum vsque locum differamus.

***

BENE

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA IN CAPVT TRIGESIMVM QVARTVM GENESIS.

ARGVMENTVM.

Dina filia Iacob, rapta, & vitiata est à Sichem principe Sichimitarum, quam ob causam filij Iacob, Sichimitas dolo circumuentos interfecerunt, vrbémque vastarunt.

1 EGRESSA est autem Dina filia Liæ, vt vi-
2 deret mulieres regionis illius. Quam cũ vidisset Sichẽ filius Hemor Heuæi, princeps terræ illius, adamauit eam: & rapuit, & dormiuit cum illa, vi opprimens virginem. Et conglutinata est anima eius cum
3 ea, tristémque deliniuit blanditijs. Et per-
4 gens ad Hemor patrem suum. Accipe, inquit, mihi puellam
5 hanc coniugem. Quod cùm audisset Iacob, absentibus filijs,
6 & in pastu pecorum occupatis, siluit donec redirent. Egresso autem Hemor patrẽ Sichem, vt loqueretur ad Iacob, ec-
7 ce filij eius veniebant de agro: auditóque quod acciderat, irati sunt valdè, eo quòd fœdam rem operatus esset in Israel, &
8 violata filiâ Iacob, rem illicitam perpetrasset. Locutus est itaque Hemor ad eos: Sichẽ filij mei adhæsit anima filiæ vestræ:

date

date eam illi vxorem:& iungamus vicissim connubia:filias ve- 9
stras tradite nobis,& filias nostras accipite. Et habitate nobis- 10
cum:terra in potestate vestra est,exercete,negotiamini,& pos-
sidete eam. Sed & Sichem ad patrē, & ad fratres eius ait:Inue- 11 12
niam gratiam corā vobis: & quæcūq; statueritis, dabo:augete
dotem,& munera postulate,& libenter tribuā quod petieritis:
tantùm date mihi puellam hanc vxorem.Responderūt filij Ia- 13
cob Sichē, & patri eius in dolo, sæuientes ob stuprum sororis:
Non possumus facere quod petitis, nec dare sororem nostram 14
homini incircūciso: quod illicitum, & nefarium est apud nos.
Sed in hoc valebimus fœderari,si volueritis esse similes nostri, 15
& circūcidatur in vobis omne masculini sexus; tunc dabimus, 16
& accipiemus mutuò filias vestras, ac nostras:& habitabimus
vobiscū, erimúsq; vnus populus: Si autē circuncdi noiueritis,
tollemus filiam nostram,& recedemus. Placuit oblatio eorum 17
Hemor, & Sichē filio eius;nec distulit adolescens, quin statim 18
quod petebatur,expleret:amabat enim puellam valdè, & ipse 19
erat inclytus in omni domo patris sui.Ingressiq; portam vrbis, 20
locuti sunt ad populū:Viri isti pacifici sunt, & volunt habitare 21
nobiscū:negotientur in terra,vt exerceāt eam,quæ spatiosa, &
lata cultoribus indiget:filias eorum accipiemus vxores,& no-
stras illis dabimus. Vnum est, quo differtur tantum bonum:
Si circuncidamus masculos nostros, ritum gentis imitantes. 22
Et substantia eorum, & pecora, & cuncta quæ possident, no- 23
stra erunt: tantùm in hoc acquiescamus: & habitantes simul,
vnum efficiemus populum. Assensiq́ue sunt omnes, circunci- 24
sis cunctis maribus. Et ecce die tertio quando grauissimus 25
vulnerum dolor est: arreptis duo filij Iacob, Simeon, & Leui
fratres Dinæ, gladijs, ingressi sunt vrbem confidenter: inter-
fectisq́ue omnibus masculis, Hemor & Sichem, pariter neca- 26
uerunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam.
Quibus egressis, irruerunt super occisos cęteri filij Iacob: & 27
depopulati sunt vrbem in vltionem stupri. Oues eorum, & 28
armenta & asinos, cunctaq́ue vastantes, quæ in domibus, &
in agris erant,paruulos quoque eorum,& vxores duxerunt ca-
ptiuas. Quibus patratis audacter,Iacob dixit ad Simeon: Tur- 29 30
bastis me,& odiosum fecistis me Chananæis & Pherezæis ha-
bitatoribus terræ huius:nos pauci sumus: illi congregati per-

cutient me, & delebor ego, & domus mea. Responderunt: Nunquid vt scorto abuti debuêre sorore nostra?

PRÆFATIO.

Disputatio de tempore quo accidit raptus Dinæ, & cædes Sichimitarum.

QVOD *in hoc cap. narratur, id quo tempore acciderit, ante alia declarandũ est. hoc autem manifestum fiet, si ostensum fuerit cuius ætatis tunc Dina fuerit, & item fratres eius Simeon, & Leui, qui tanquam principes faciendi cædem Sichimitarum hîc memorantur: simúlque, quanto tempore id euenerit post reuersionem Iacob ex Mesopotamia, & inceptam habitationem eius apud Sichimitas. Alexander Polyhistor, apud Eusebium lib. 9. de Præparatione Euangelica cap. vltimo, tria prodidit ad præsentem quæstionem pertinentia. Primò enim ait, Iacob post reuersionem suam ex Mesopotamia, mansisse apud Hemor principem Sichimitarum, decem annis. Deinde facit Dinam fuisse 10. annorum, & quatuor mensium cùm rapta est, & violata à Sichem. Affirmat praterea, Simeon fuisse tunc vnius, & viginti annorum, supérque quatuor mensium: Leui autem viginti annorum, & sex mensium. Sed auctor iste, proculdubio falsus est in ætate Dinæ: idque dupliciter ostendi potest. Tunc enim Dina per ætatem iam nubilis erat, vt quæ à Sichem, in coniugem tantopere expetita, & flagitata fuerit: ætas autem decem annorum, præsertim in illo tempore, immatura erat, minimèque idonea coniugio. Ad hoc, si raptus Dinæ contigit post decem annos mansionis apud Hemor, vt iste ait; cum antea mansisset Iacob aliquandiu in eo loco qui dictus est Socoth, & quidem secundùm Hebræos, per annum & dimidium post reuersionem suam ex Mesopotamia; hinc necessariò efficeretur, Dinam fuisse natam in Socoth, non autem in Mesopotamia; quod tamen apertissimis verbis tradit Scriptura Genes. 30.*

Alexander Polyhistor refellitur.

Excutitur opinio Caietani.

Propiùs verò accessisse videtur Caietanus, cuius sententia, vt eam distinctè exponam, bipartita est. Primùm enim ait, Dinam, cùm Iacob reuersus est ex Mesopotamia in terram Chanaam, vix fuisse quadriennem. Id verò argumentatur ille ad hunc modum: Iacob mansit in Mesopotamia viginti annis, vt ipse dixit socero suo Laban Genes. 31. Primis septem annis, quibus seruiuit pro Rachel, non cognouit vxorem, sed initio secundi septennij cæpit cognoscere vxores, & primùm genuit ex Lia filios. Deinde, statim octauo anno genuisse Ruben, & nono Simeon, &

decimo

decimo Leui, & vndecimo Iudam: hos enim quatuor continenti serie, ac successione genitos memorat Scriptura Genes. 29. Hinc apparet, Simeonem fuisse genitum duodecimo anno ante discessum Iacob ex Mesopotamia, Leui autem vndecimo: erat igitur Simeon duodecim annorum, & Leui vndecim, cum reuersus est Iacob ex Mesopotamia in terram Chanaam. Post genitos porrò quatuor prædicto: filios, Lia desijt parere: idque tempus non fuisse paruum, sed minimum, trium aut quatuor annorum, eo patet, quòd Lia putans se non amplius parituram, dedit in coniugium Iacob ancillam suam Zelpham, vt ex ea saltem filios susciperet. Deinde tamen Lia genuit duos alios filios Issachar & Zabulon: & denique post hos, peperisse dicitur Dinam. Dina igitur nata est decimo septimo anno mansionis Iacob in Mesopotamia. Si quidem Iacob octauo anno, quam venerat in Mesopotamiam, cœpit generare: & octauo, nono, decimo, & vndecimo genuit continenti successione quatuor filios ex Lia, Ruben, Simeõ, Leui, Iudam. Deinde non paruo tempore cessauit à pariendo, ita vt putaret se non amplius parituram, quod vtique tempus minus quàm quatuor vel trium annorum esse non potuit. Posthæc decimo quinto anno genuit Issachar, & decimo sexto Zabulon. Et post hos, decimo septimo anno Dinam. Quocirca expletis viginti annis mansionis Iacob, cùm ex Mesopotamia reuersus est in terram Chanaam, Dina vix erat quadriennis. Atque hæc prior est pars sententiæ Caietani.

Posterior eiusdem sententiæ pars, hæc est. Quod narratur in hoc capite de raptu Dinæ, id contigisse multis annis post reditum Iacob ex Mesopotamia, & vt minimum, decem iam exactis. Etenim Dina tunc erat nubilis: quare minor decimo quarto anno esse non potuit: erat autem fermè quadriennis cùm venit ex Mesopotamia. Similiter Simeon, & Leui minores vigesimo primo anno esse non poterant: quippe qui fuisse dicantur primarij effectores cædis Sichimitarũ; minor verò ætas tanto facinori designando, patrandoq; satis idonea minimè fuisset: atqui cùm Iacob rediit ex Mesopotamia, Simeonem fuisse duodecim, & Leui vndecim annorum suprà ostensum est. Decem itaque annis post reditum Iacob ex Mesopotamia euenit quod narratur hoc capite. Verba Caietani si fortè cupit ea Lector cognoscere, in Comment. eius super verba illa huius capitis: Et ecce die tertio quãdo grauissimus vulnerũ dolor est, &c. vers. 25. huiusmodi sunt: Confer, prudens Lector, tẽpus natiuitatis Dinæ, & item Simeonis, ac Leui, cum tempore egressus Iacob ex Mesopotamia, & inuenies, Dinam vix quatuor annorũ, ad summũ fuisse tunc, Simeonẽ autem, & Leui duodecim annorum. Nam Iacob, vt dixit ipse socero suo Laban,

viginti annis mansit in Mesopotamia: quorum primis septem nullũ genuit filium. Sed esto, quòd statim octauo anno genuerit Ruben, nono Simeon, decimo Leui; clarè patet, quòd neuter duodecim erat annorũ tempore egressus ex Mesopotamia. Dina porrò cùm post sex filios Liæ genita fuerit, & multum temporis interceſſerit inter quartum & quintum filium Liæ, vsque adeo vt ipsa putaret se non amplius parituram; rationabile est, vt ipsa genita fuerit decimo, aut potius vndecimo anno à connubio matris, ac per hoc in egressu ex Mesopotamia non erat quadriennis. Multis igitur annis post reditum ex Mesopotamia peractis, accidit quod memoratur in hoc capite. Et ad minus videtur, quòd anni fluxerint decem: vt & Dina esset tunc nubilis, & Simeon, ac Leui ad bellum dispositi essent. Sic Caietanus.

Auctoris opinio.

Ego sententiam Caietani, quantum ad posteriorem hanc eius partem, non improbo: sed quia ille dicit Dinam, in reditu Iacob ex Mesopotamia in Chananitidem, fuisse trium annorum, id quidem minimè probo. Satis enim liquet ex ordine ac serie narrationis Mosaicæ, generationis filiorum Iacob, quæ suprà in cap. 30. posita est, Dinam fuisse genitam paulò ante Ioseph, aut certè eodem fermè tempore. nam cùm memorasset generationem Dinæ Moses, mox subdidit, recordatum quoque Deum fuisse Rachelis, & aperuisse vuluam eius, & peperisse filium, quem vocauit Ioseph. Ioseph porrò natum esse sex annis ante discessum Iacob ex Mesopotamia, cùm sit ex narratione Scripturæ manifestum, extra controuersiam est: quare Dina, cùm Iacob discesſit ex Mesopotamia, minimum, sex annorum erat. Nam quod argumentatur Caietanus, tempus illud interiectum inter generationem Iudæ, & Issachar, quo tempore cessauit Lia à pariendo, fuisse longum, id est, vel quatuor, vel trium annorum: id creditu neq; necessarium est, nec probabile: satis enim est, fuisse tempus vnius anni. Nam quia viderat Lia, se prioribus quatuor annis genuisse continenti successione quatuor filios; cùm eo anno nullum filium concepisset, putauit iam se factam effœtam, nec amplius parituram. Hanc opinionem nostram adiuuat etiam Hebræorum Traditio, quæ legitur in Maiori eorum Chronologia, quam vocant illi sua lingua Seder Olam Rabba, & Latinè redditam, superioribus annis edidit in publicum, suæ Chronologiæ adiunctam, egregius catholica doctrina, & pietate vir Genebrardus. Tradunt enim Hebræi, omnes filios Iacob, & item filiam eius Dinam, præter vnum Benjamin, esse generatos intra secundum septennium seruitutis Iacob, & sex annis ante discessum eius ex Mesopotamia. Quin etiam tradunt, singulos filiorum Iacob septimestri partu generatos

Hebræorum Traditio.

neratos esse. Sciat prætera Lector, Dinam, quo tempore raptus eius contigit, grandiorem natu esse non potuisse decimosexto anno. Suprà enim ostensum est, Dinam esse natam eodem propemodum tempore, quo Ioseph, aut certè paulo antè: at Ioseph aliquanto tempore post raptum Dinæ, & cædem Sichimitarum, legitur infra cap. 37. fuisse sexdecim annorum, cum venditus est à fratribus suis. Verisimile igitur est, Dinam, cum est rapta, fuisse quindecim circiter annorum, vt iam matura viro: & idonea coniugio ritè iudicari potuerit. Simeon porrò: qui sex annis natus fuerat ante Dinam, fuit id temporis, vnius, & viginti annorum; Leui autem, viginti. Quare subit animum meum vehementer mirari præferocem istorum animum, qui vix dum adolescentiam egressi, tam atrox facinus, & animo conceperint, & audacissimè exequentes perfecerint.

Restat vt indicemus, quanto tempore id contigerit post reditum Iacob ex Mesopotamia, & incæptam eius habitationem apud Sichimitas. Verùm id paucis expediri potest. Si Dina fuit sex annorum, cum egressus ex Mesopotamia est Iacob, & quindecim annorũ, cum est rapta, & violata: apertè concluditur, fuisse id gestum nouem annis post reditum Iacob ex Mesopotamia. Iacob autem ex Mesopotamia reuersus, primùm mansit in Socoth, postea verò habitauit iuxta Salem vrbem Sichimorum, vt dictum est suprà Genes. 33. In Socoth porrò aliquandiu mansisse eum, non obscurè significat impositio eius nominis: Certè secundùm Hæbræos in supradicta Chronologia, mansit ibi per vnum annum, & dimidium. Reliquum igitur tempus, ex quo habitare cœpit apud Sichimitas, vsque ad raptum Dinæ, & cædem Sichimitarum, fuisse apparet septem annorum, & sex mensium. Verùm de his satis: & nos aggrediamur ad explanandam historiam huius capitis planè tragicam.

Egressa est autem Dina filia Liæ, vt videret mulieres illius Regionis, &c. VERS. 1.

4 INDICAT Moses his verbis occasionem raptus Dinæ, & cædis Sichimitarũ: quòd Dina egressa paterno domicilio quod extra vrbem erat, visum iuit ciuitatem, & mulieres eius regionis, & otiosè, curioséque versata in publico, multorum patuit oculis, & libidini, ingentísque mali, quodmox & ipsi contigit, & plurimis aliis, saris magnam dedit occasionem. O Dina (inquit Bernardus) quid necesse est vt videas mulieres alienigenas? qua necessitate? qua vtilitate? an sola curiositate? quod si tu otiosè vides, sed non otiosè videris. Tu curiosè spectas, sed curiosiùs spectaris. Quis crederet, tunc illam tuam curiosam

Bernardus in Tract. de Gradibus Humilitatis, & superbiæ, qui est curiositas.

otiosítatem,vel otiosam curiosítatem fore paulò pòst non otiosam,sed tibi,tuis, hostibúsque tam pernicioſam ? Sic Bernardus. Mulier igitur extra paternam, vel mariti domum in publico vagabunda, & corpore, oculis, animóque errabunda,quantum sibi,& alijs sæpenumero accersat,& asciscat mali,vel vnius huius Dinæ liquet exemplo.Salutare igitur est illud sapientis documentum:*Filiæ tibi sunt,serua corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.* Nempè, nulla parentum in custodiendo filiarum corpore,ac pudore,cura,& vigilantia satis magna censeri debet Præsertim verò inter tot Pharaones,Abimelechos, Sichemos, atque inter tot Theseos, Parides, & Iasones, quot in omni tempore & vbique terrarum reperiuntur, muliebris pulchritudinis,& pudicitiæ acerrimos exploratores, insidiatores, raptores, corruptores. Cur autem eo potissimùm tempore incesserit Dinam cupido videndi res vrbanas, & mulieres illius regionis,causam aperuit Iosephus,scribens, tunc festum diem, magno illius regionis hominum conuentu, luxúque celebratum fuisse apud Sichimitas.Et cùm esset celebritas, inquit Iosephus,apud Sichimitas, Dina virgo Iacobi filia venit in vrbem ad visendum cultum mulierum illius regionis; & paulo infrà ait, filios Iacob, Sichimitas in die festo,voluptati, & conuiuiis deditos,facilè opprimere potuisse.Pro eo,quod nos legimus:*Vt videret mulieres illius regionis*,apud Septuaginta Græcè est καταμαθεῖν, id est,vt condisceret. Sic enim Latinè reddit legit Augustinus quæst. 140. in Genesim. Sed quid voluit Dina condiscere? Ingenia videlicet, & mores, & studia, & instituta, & victum, & habitum, atque cultum illarum mulierum, & quemadmodum se in consuetudinem, & amicitiam earum insinuare,ac penetrare posset.

Eccles 7.

Iosephus. lib. 1. Ant.

Et conglutinata est anima eius cum ea,tristémque deliniuit blanditijs.

VERS. 3.

QVIBVS blanditiis? exaggerabat ille videlicet flagrantissimũ erga puellam amorem suum: amor enim efficax illecebras est amoris:simul & ostentabat, & magnificabat suam nobilitatem, opulentiam, & potentiam;promittebat,si sua esset coniux,fore eam instar reginæ, maximo in honore,& gloria, omniúmque bonorum affluentia. Deniq; tantùm non aureos montes pollicebatur. Talibus nimirum blanditiis puellas stultè credulas,vesani,& fallacióſi amatores permulcere, lactare,& ad suæ libidinis assensum trahere solent. Atque hoc etiam in suis amatorijs documentis posuit poëta ille, malæ artis pessimus magister, tales enim eius feruntur illi versus:

Ouidius.

Blanditias molles,auréſque iuuantia verba
Affer,vt aduentu læta sit illa tuo.

Cæterùm sciat Lector pro illo, *deliniuit blanditiis*, sic esse ad verbum Hebraicè, *Locutus est ad cor puellæ.* Loqui porrò ad cor cuiuspiam, est Hebraismus non infrequens in Scriptura, significans,blãdis & dulcibus verbis consolari quempiam, læta ei ac prospera nunciando, & promittendo, omnẽm

Loqui ad cor.

Locus Isa. & Osee.

omnémque mœrorem ac metum ei adimendo. Ad hanc nempe sententiam, intelligendum est illud Isaiæ cap. 40. *Consolamini, consolamini populo meus, dicit Dominus, loquimini ad cor Hierusalem.* Id est, læta ac prospera ei nunciando, mœrorem, & dolorem eius in gaudium, & lætitiam conuertite. Simile illud etiam est apud Hoseam cap. 2. *Lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Hebraicæ huius lectionis affine est, quod septuaginta Interpretes, prædictum exprimentes Hebraismum, hoc loco posuerunt: Sic enim habent Græcè: Ελάλησε κατὰ τὴν διάνοιαν τῆς παρθένου αὐτῆς; id autem est: Locutus est secundùm sensum virginis ipsi: Sic enim Latinè citat hunc locum S. Augustinus Quæst. 103. in Genesim. Sensus verò istius lectionis, hic est, Ea locutus puellę est, quæ delectabilia, & iucunda ei acciderent, animúmque eius, atque intimos sensus permulcerent; & mœrorem, dolorémque ex accepta iniuria, & dedecore penitus abstergerent, & voluntatem puellæ ad cupiditatem coniugij Sichem vehementer allicerent.

6 Tropologicum historiæ huius tractatum breuem, pulchrúmque fecit S. Gregorius in Tertia parte pastoralis curę, & in Admonitione trigesima, hunc in modum scribens: Plerumque hostis callidus, mentem quam peccato suppeditat, cùm de ruina sua afflictam respicit, securitatis pestiferæ blanditiis seducit. Quod figuratè exprimitur, cùm factum Dinæ memoratur. Scriptum quippe est: *Egressa est Dina vt videret mulieres regionis illius: quam cùm vidisset Sichem filius Hemor Heuai, princeps terræ illius, adamauit, & rapuit, & dormiuit cum illa, vi opprimens virginem, & conglutinata est anima eius cum ea, tristémque blanditiis deliniuit.* Dina quippe vt mulieres videat extraneæ regionis, egreditur; quando vnaquæque mens, sua studia negligens, actiones alienas curans extra habitum, atque extra ordinem proprium vagatur. Quam Sichem princeps terræ illius opprimit: quia videlicet inuentam in curis exterioribus diabolus corrumpit. *Et conglutinata est anima eius cum ea*: quia vnitam sibi per iniquitatem respicit. Et quia cum mens à culpa respiscit, ad se ducitur, atque admissum flere conatur; corruptor autem spes, & securitates vacuas ante oculos reuocat, quatenus vtilitatem tristitiæ subtrahat, rectè illic subiungitur: *Tristémque blanditiis deliniuit.* Modò enim aliorum facta grauiora, modò nihil esse quod perpetratum est, modò misercordem Deum loquitur, modò adhuc tempus subsequens ad pœnitentiam pollicetur. Vt dum per hæc, decepta mens ducitur, ab intentione pœnitentiæ suspendatur, quatenus tunc bona nulla percipiat, quam nunc mala non contristant; & tunc pleniùs obruatur suppliciis, quæ nunc etiam gaudet in delictis. Hæc Sanctus Gregorius.

Tropologica expositio Sancti Gregorij.

Genes. 34.

***

Augete

VERS. 12. Augete dotem,& munera postulate, & libenter tribuam quod petieritis:tantùm date mihi puellam hanc vxorem.

SVPRA,cùm explanaremus verba illa cap. 29. *Seruiam tibi pro Rachele filia tua minore septem annis:* latè disputauimus, moris fuisse apud Antiquos,vt quemadmodum mulier nuptura viro, afferebat ei dotem; ita vicissim ducturus vir vxorem, pro ea quasi dotem quandam,daret parentibus eius pecuniam, vel alia quæpiam bona,vel si aliud non haberet,operam suam,& laborem, & seruitium offerret:Sicut Iacob, qui pauper erat, pro coniugio Rachelis, obtulit patri eius septennem seruitutem. Potest igitur quæri hoc loco, cùm dixit Sichem: *Augete dotem*,de vtra dote sit locutus,muliebrine, an virili. Et primo quidem specie,videtur locutus de virili,id est de eo quod vir,instar dotis, dare solebat parentibus vxoris, quæ propriè appellantur dona, & munera;nonnunquam tamen improprie vocantur nomine dotis;in primo autem libro Regum cap.18.nominantur sponsalia. Quare, quod hîc proximè subditur, *Et munera postulate*, videtur expositio prioris illius dicti, *Augete dotem*: Veruntamen probabilius fortasse dictu fuerit, si dicamus, Sichem esse locutum de muliebri dote, quam Dina, si voluntate parentum ei nupsisset, afferre ipsi debuisset. Significat igitur Sichem istis verbis,se non modò velle accipere Dinam prorsus indotatã à parentibus,sed insuper velle dotem ei dare,quæ propria ipsius esset, & hanc, quantumlibet ipsi postulassent. Quinetiam,præter istam dotem, daturum se munera parentibus, & cognatis eius,vt mos erat tunc facere viros, cùm ducerent vxores. Nimirum quia Sichem insigni affecerat iniuria & dedecore tum puellam, tum parentes,& fratres eius, per vim rapiendo, & vitiando ingenuam & nobilem virginem;idcirco voluit ista ratione talem iniuriam compensare,damnúmque famæ resarcire.Certè postea per legem Mosaicam in populo Hebræo institutum & præceptum fuit, vt si quis puellam seduxisset, & pudicitiam eius violasset; daret ei dotem, & vxorem duceret;quòd si pater virginis dare eam nollet vxorem;nihilominus tamen ille dotem puellæ daret; quantum nupturæ virgines accipere consueuerant. Verba Scripturæ super ista re in 22.cap.Exodi hæc sunt: *Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cùm ea: dotabit eam, & habebit eam vxorem. Si pater virginis dare noluerit: reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere consueuerunt.* Verisimile itaque est, & hoc ipsum ante legem Mosis,fuisse in more & instituto apud illas gentes.

Respondérunt filij Iacob Sichem,& patri eius in dolo, VERS. 13. sæuientes ob stuprum sororis.

Dolum quo filij Iacob vsi sunt cum Sichimitis fuisse.

NVGANTVR hoc loco, vt sæpe aliâs, Hebræi. Aiunt enim istum dolum, quo vsi sunt filij Iacob, non fuisse improbum & culpabilem, sed honestum ac laudabilem. Voluerunt illi videlicet ista ratione, Sichimitas per sacramentum

Circum

Circũcisionis,ab impia superstitione Idololatriæ, ad vni⁹ veri Dei cultum,& religionem traducere. Cur igitur postea Sichimitas interfecerunt? Quia, inquiunt, Hemor, & Sichem fregerunt pactum,quod percussum erat cum Hebræis, habentes in animo spoliare Hebræos omnibus suis bonis.Hoc enim affirmatè dixerunt populo Sichimitarum illis verbis,quæ paulò infrà memorantur:*Substantia eorum,& pecora,& cuncta quæ possident nostra erunt:*Tam perfidiosam itaque pacti violationem, vlciscendam esse censuerunt filij Iacob , & occupandum scelus , quod illi iam animo designauerant.Sic Hebræi.Sed nugæ sunt ista, & friuola commenta,quæ Scriptura in hoc ipso loco apertè confutat. Ait enim, filios Iacob per dolum fecisse pactum cum Sichimitis , *Sæuientes*, inquit,*ob stuprum sororis.* Non igitur zelo salutis Sichimitarum, & conuertendi eos ad cultum veri Dei, verba illa dixerunt; sed quòd indignissimum facinus videretur illis, nec sine vltione prætermittendum, quod fecerat Sichem tanto cum dedecore sororis, & totius familiæ. Quo igitur facilius vltionem exequi possent, dolum istum de necessitate Circumcisionis prius inuicem,communicato consilio, machinati sunt. Non enim putandum est,statim respondisse eos petitioni Sichẽ: quomodo enim poterat idem ipsum consilium subitò venire omnibus in mentem?Sed sumpto aliquanto ad deliberandum tempore, inter se consultantes concorditer in illum dolum consenserunt. Deinde cum Iacob increparet filios suos de cæde Sichimitarũ,illi ad excusãdũ illud facinus non sunt causati violationem pacti,& perfidiam Hemor, ac Sichẽ;sed iniuriam,& dedecus sororis, qua tanquam scorto abusi fuerãt.

se malum, & culpandum cõtra opinionem Hebræorum.

Falsum præterea est quod aiunt Hebræi , Hemor & Sichem dixisse populo Sichimitarum,promisisse Hebræos,& pactos esse,si fieret illud coniugium , tradituros se bona omnia sua Sichimitis. Namque in his verbis, quæ dixisse eos refert Scriptura,nihil tale est. Hæc enim fuêre verba illorum:*Substantia eorum, & pecora, & cuncta quæ possident, nostra erunt.* Quorum tamen verborum non est is sensus , quem fingunt Hebræi,sed germana eorum sententia hæc est:Hebræorum bona, propter eorum negociaciones,& commercia , & commutationes rerum factas cum Sichimitis,communicatum iri cum ipsis, & fore ipsos eorum bonorum participes,& quodammodo compotes,& quod ex diligentia,& industria, & peritia Hebræorum colentium terram illam desertam , & incultam , & fertilem pecoris , & tritici, & vini, rerúmque aliarum sua cultura reddentium, plurimum emolumenti peruenturum ad Sichimitas. Quoniam igitur bona Hebræorum magno futura erant bono Sichimitis , idcirco dixerunt illi , bona Hebræorum fore Sichimitarum. Ad hæc,licèt illi dixissent istud Sichimitis, nequaquam tamen eis persuasissent.quis enim induceret in animum credere,Hebræos suis se bonis spoliaturos, eáque tradituros Sichimitis pro vnius mulieris coniugio?Quòd si causa interficiendi Sichimitas fuisset violatio illius pacti, filij Iacob duos illos tantùm pacti violatores,Sichem,& Hemor,interfecissent.Nam Sichimitas,qui talis in pacti violationem minimè con-

senserant, nulla ratio erat interficere. Explosa igitur ista opinione Hebræorum, proculdubio censendum est, dolũ quo filij Iacob locuti sunt Sichimitis, fuisse malum, immò sacrilegum, atque impium: quippe, qui abusi fuerint sacramento circumcisionis, ad celandum dolum, scelúsque patrandum.

VERS. 14. Non possumus facere quod petitis, nec dare sororem nostram homini incircumciso: hoc enim illicitum & nefarium est apud nos.

Vtrum ante legem Mosis, illicitum esset Hebræis inire matrimoniũ cum incircumcisis.

Caietanus. Genes. 17.

VIDETVR his verbis significari, fuisse interdictũ Hebræis cõnubia facere cum hominibus incircumcisis. Id certè putat Caietanus clarè istis verbis ostendi. Exponẽs enim hũc locum, ita scribit: Hinc habetur, quòd decreta à DEO Abrahæ circumcisione masculorum, decretũ simul est, vt fœminæ seminis Abrahæ non nuberent, nisi circumcisis. Hæc Caietanus. Verùm id fortasse posset non temerè in dubium vocari. Principio, supra in cap. 17. Genesis, vbi primùm data est Abrahæ, & posteris eius Lex Circumcisionis, & quæ circa eam obseruanda essent, distinctè & expresse præcepta sunt, nullum de tali prohibitione verbum ibi factum est. Deinde, isti sententiæ non pauca illorum Patriarcharum exempla videntur esse contraria: quippe qui matrimonia contraxerunt cum gentibus incircumcisis. Immò verò ipsemet Abraham, qui primus legem istam accepit, auctor fuit coniugij filij sui Isaac cum Rebecca, quæ erat de genere incircumcisorum hominum Gen. 24. & Iacob vxores duxit duas filias Laban, hominis incircumcisi: & Iudas vxorem accepit mulierem Chananæam, Gen. 38. & Ioseph mulierem Aegyptiam Gen. 41. & Moses Madianitem atque Aethiopissam Exod. 2. & Numerorũ 12. Sed enim forsitan quispiam diceret, fuisse tunc in ista re apud Hebræos diuersam rationem fœminarum, atque virorum: fuisse enim illicitum, fœminas Hebræas in matrimonium tradere viris incircumcisis: non similiter autem fuisse illicitum viros Hebræos coniugio iungere sibi filias hominũ incircumcisorum: quod solùm probatur supradictis exemplis. Verùm ego rationem aliquam probabilẽ istiusmodi diuersitatis adhuc quæro.

Illud creditu probabilius posset videri, filios Iacob, non simpliciter locutos esse de ineundo coniugio cum incircũcisis, sed præter hoc, adiunxisse, habitare simul cũ illis & fieri vnũ populũ cũ illis. Hac enim ratione, permutua cõiugia sociari, miscerique cũ incircũcisis, facilè crediderim fuisse illicitũ tũc ab Hebræis habitũ, nõ ex aliquo diuino præcepto expresè illis tradito, sed ex Traditione Maiorũ suorũ, quę vel ex inspiratione diuina, vel etiã ex reuelatione quapiã originẽ habuerit. Et enim consociatio, & coadunatio hominum in vnum populum, requirit vnitatem legis, & religionis, quæ si diuersa fuerit, malè coalescet populus in vnum corpus, pacificè, & quietè viuens. Hebræi verò, etiam tunc temporis suas habebant peculiares cæremonias & leges, & institutas,

pro

propriósque ritus à Maioribus suis acceptos, in primis autem Sacramentum Circumcisionis, quo tanquam insigni quodam discernebātur à ceteris gentibus,& in vnum Dei populum coadunabantur. Enimuerò de sancto Patriarcha Abraham,dixit Deus Gen. vigesimo sexto filio eius Isaac:*Eo quòd Abraham obedierit voci meæ,& custodierit præcepta, & mandata mea,& cæremonias,legésque seruauerit.* Hæc verò quæ custodiuit Abraham, etiam custodienda tradidit posteris suis: id nāque factum eum,prædixit ipsemet Deus,vt legitur Genesis decimo octauo illis verbis:*Scio quia præcepturus sit filiis suis,& domui suæ post se,vt custodiāt viam Domini,& faciant iudicium,& iustitiam.*

Hebræos etiā ante legē Mosis, habuisse proprias quasdam leges, & cæremonias, ritúsque à Deo traditos, licèt literis,& scriptis minime consignatos.

10 Verùm non sunt silentio prætereunda verba illa huius capitis in versu 17. *Si autem circumcîdi nolueritis, tollemus filiam nostram, & recedemus.* Mirum enim valdè lectori videri potest,quomodo filij Iacob(quorum hæc sunt verba)appellent hoc loco Dinam filiam suam,cùm ea filia esset patris eorum Iacob,& germana soror ipsorum;& in hoc ipso Capite non semel nomine sororis appelletur.Quid est igitur illud, *Tollemus filiam nostram*? Potest id (quātum ad præsens mihi succurrit)tribus modis exponi.Vel enim illud, *filiam nostram* idem significat, atque filiam patris nostri,siue vnicam filiam, quæ est in domo,& in familia nostra. Vel sicut nomen patris & nomen fratris, secundùm proprietatem, & vsum linguæ Hebrææ,latè patet, & ad alios quoque gradus cognationis applicatur,itidem nomen filij vel filiæ,etiam pro fratre, vel sorore, præsertim si minor ætate sit vsurpatur.Vel denique,nomē *filiæ* positum sit hìc,pro *puellæ*,vt sensus sit; Tollemus puellam nostram.Vocabulum enim *filij*, nonnunquam poni pro puerulo, non obscurè indicat quod de Saule scriptum est in primo libro Regum cap.13.*Filius*,inquit,*vnius anni erat Saul,cùm regnare cœpisset*:id autem est,vt plerique interpretantur,erat Saul cum regnare cœpit, tanquam puer innocens vnius anni. Atque hæc sibi Lector habeat,quoad melius aliud repererit.

Quomodo filii Iacob sororem suam Dinam appellauerint filiam suam.

Et ecce die tertia,quando grauissimus vulnerum dolor,&c. VERS. 25.

11 IOSEPHVS in primo libro Antiquitatum infideliter admodum historiam huius loci enarrat: quod fecisse eum non rarò alibi, monui aliàs Lectorem.Id verò fecisse eũ existimo, vel obliuione,& incuriâ tunc legendi sacras literas, vel vt grauiora suæ gentis scelera,& errata silentio celaret Lectores Ethnicos suorum Scriptorum: vel vt probabiliora illis, & plausibiliora faceret, quæ de sua gente narrabat,additis de suo nōnullis. Atque id sanā in hoc loco videre est.Primò enim Iosephus historiam hanc referens,dissimulat dolum filiorum Iacob, & pactum perfidiosè factum ab illis cum Hemor,& Sichem,& perfidiosiùs violatum,nullum verbum faciens de Circumcisione, quam exegerunt filij Iacob à Sichimitis, vt Dinam vxorem darent Sichem. Deinde, rationem, qua factum est, vt filij Iacob, cùm pauci essent, tanta felicitate Sichimitarum populum

Iosephus arguitur infidelitatis, in referendo sacras historias.

trucidare potuerint, non refert ad recentis Circumcisionis vulnus, & dolorem, quo Sichimitæ præpediti, & quasi vinculis quibusdam constricti, inuadentibus se filijs Iacob repugnare non quiuerunt, sicut tradit hoc loco sacra Scriptura. At ille rationem eius rei confert in diem quendam festum, quem magno luxu in conuiuijs, & delicijs agitabant Sichimitæ, in quo tempore Sichimitas prorsus inopinantes, atque incautos, & insuper vino, somnóque captos, & grauatos, non fuerit difficile à filijs Iacob, & seruis, & socijs eorum armatis, subita irruptione opprimi, atque interfici. Verba Iosephi (vt quod diximus, planiùs cognoscat Lector) hæc sunt: & cùm esset celebritas apud Sichimitas, Dina vnica Iacobi filia venit in vrbem, ad visendum cultum mulierum eius regionis: qua visa Sichemus Hemoris regis filius, raptæ stuprum obtulit: Et correptus amore, patrem suum rogauit, vt puellam vxorem habere liceret. Ille morem ei gerens, venit ad Iacobum, rogans, vt filio suo Dinam in matrimonium collocaret. Iacobus verò, qui neque negare poterat propter maiestatem rogantis, neque fas putabat alienigenæ filiam nuptum tradere, deliberandi spatium popposcit. Rex *sperans* Iacobum assensurum, abijt. Ille verò indicata filijs iniuria sororis, & Hemoris petitione, iussit eos consultare, quid factos opus esset. Maior pars hærebat, incerti quid esset agendum. Simeon verò, & Leui vterini puellæ fratres, tale consilium inter se capiunt. Obseruato festo die, quo Sichimitæ voluptati, & conuiuijs operam dabant, inuasis noctu custodibus, sopitos contrucidant: atque ita facilè vrbe potiti, mares vniuersos interimunt, vnà cum rege, ac filio, solis parcentes fœminis. Quo facinore citra consensum patris perpetrato, sororem reducunt. Hæc Iosephus. Nimirum Iosephus, filiorum Iacob, id est Principum suæ gentis, inprobum dolum, & sacrilegum obtentum, atque abusum Circumcisionis, & perfidiam violati pacti, & ferinã rabiem, atque crudelitatẽ in tali, ac tanta cæde Sichimitarum, infamare apud Ethnicos noluit.

PRIMA DISPVTATIO.

Quæ sit physica, & propria ratio, & causa, cur ijs qui circumcidebantur, tertio die post factam circumcisionem grauissimus dolor accideret.

Super illis ipsis verbis,

VERS. 25. Et ecce die tertio, quo grauissimus vulnerum est dolor.

QVOD Sichimitæ tertio die, quàm circumcisi fuerãt, grauissimo affecti sint dolore, non id fuit extraordinarium, & aliâs insolitum, quódque casu aliquo, vel ex singulari quapiam causa ipsis cõtigerit: sed fuisse id solemne atque vsitatum in omnibus, qui circũcidebantur, satis indicant verba

verba illa Scripturæ: *Quando grauissimus vulnerum est dolor*; quasi eo die semper circumcisionis vulnus grauiùs doleret. Atque hoc verum esse, præter auctoritatem diuinæ Scripturæ, & quotidiana Hebræorum experimenta, testantur etiam auctores Aethnici: in primis verò medicorũ princeps Hippocrates id ipsum affirmat, non sanè propriè ac nomina tim de circumcisione, sed in vniuersum de omni genere vulnerũ, atque vlcerum. Is enim in libello de fracturis hunc in modum scribit: Tertio, & quarto die omnia vulnera minimè sunt exagitanda: & vt in summa dicam, specilli quoque omnes admotiones vitãdæ sunt, omniáque alia quibus vulnera irritantur. In totum enim, tertius & quartus dies in plerisque vulneribus exacerbationes parit, & quæ in inflammationes & sordes incitantur, & quæcunque in febres tendunt. Vnde magni admodum momenti, si quod aliud, documentum hoc est: non enim pertinet ad vlcera tantùm, sed ad alios quoque morbos complures. Sic Hippocrates: qui apertis verbis ostendit, in omni genere vulnerum, atque vlcerum, tertio, & quarto die grauiores fieri dolores solere. Atque eius rei causam significare visus est illis verbis: (& quæ in inflammationes & sordes incitantur, & quæcunque in febres tendunt) nam quia inflammationes, & fluxiones, & febres, solent tertio & quarto die vulneratis partibus superuenire, idcirco dolor tunc maximè ingrauescit. Etenim prima die, qua quis vulneratus est, dolor tantùm accidere solet ex ipsa carnis per vulnerationem diuisione, dum actu vulneratur, aut cùm vulnus ipsum manu chirurgi tractatur; post curationem verò statim conquiescit, cessante videlicet doloris causa. Cùm enim dolor sit sensus rei corruptis, moueat autem sensum passio nõ quæ facta est, sed quæ actu fit, nõ accidit dolor cùm secta iã pars corporis est, sed cũ actu secatur.

Hippocra.

13 Verum cur nõ ante tertium diem, aut post eum diem, sed ipso potiùs tertio die istiusmodi causa granioris doloris aduenire soleat, nõ declarauit apertè Hippocrates; subindicasse tamẽ visus est extremis illis verbis, quibus dixit, quod de grauiori dolore vulnerum in tertio, & quarto die dixerat, id non solùm ad vlcera & vulnera, verùm etiam ad complures alios morbos pertinere; quasi causa eius rei communis sit vulneribus & vlceribus cum alijs etiam morbis, qui pendent ex materia & humorum agitatione, & fluxione. Hæc enim est natura humorum, qui cõmoti & exagitati morbos faciunt; habent enim certos & statos circuitus suos, vel quotidianos, vel tertianos, vel quartanos: eo quòd sunt in corpore humano partes quædam paratæ recipere huiusmodi fluxiones humorum, aliæ verò eas mittere. Et præparatio quidem partium ad recipiendum, est debilitas earum, & dolor mittentium verò partium, est copia succorum, aut vitiosa qualitas. Vulnerata ergo siue vlcerata particula parata est recipere; siquidem necessariò debilis est, nec doloris expers: nisi ergo corpus reliquum purgatissimum esse contingat, nihil deerit ad humorum influxus. Cùm autem naturalis quidam sit ordo in humorum influxu, influet die secundo pituita, succus nimirum mitis, & moderatus, miniméque irritans: tertio die, bilis flaua, succus acer, mor-

Cur tertio die quàm facta sunt vulnera, grauior exi stat dolor.

dax,& impensè calidus;cum quo,propter dolorem quem infert, & calorẽ,necessariò concurrit sanguis,paritque febres. Quæ cùm mitescere intra diem vnum non possint,sed,cùm citissimè, intra viginti quatuor horas;necessariò incidunt in diem sequentẽ,qui est quartus ab accepto vulnere. Hæc itaque est causa cur vulnerum dolores die tertio grauiùs acerbari solent. Quam etiam ob causam Chirurgi,vt supradictis verbis monuit Hippocrates,non debent post primam,siue admotionẽ labiorũ vulneris,siue consuturam,siue vt res exiget, vsque ad quartum diẽ vulnera irritare,neque aliter tãgere,quàm leuiter;quæ inflammationes arceant admouẽdo. Verùm super huiusmodi disputatione,quæ planè me-
Valesius. dica est,consulat Lector doctissimũ artis medicinæ Valesium, ea de re differentẽ in 13.cap.suæ sacræ Philosophiæ:ex cuius pleniori tractatu, pauca hæc delibata exponere hoc loco Lectori cognoscenda,& considerãda,nec fore iniucundum ipsi, nec alienũ instituto nostro visũ est.

SECVNDA DISPVTATIO.

An filij Iacob in tam atroci facienda cæde Sichimitarum,peccauerint, necne.

Super illis verbis,

VERS. 26. Arreptis,duo filij Iacob,Simeon & Leui,fratres Dinæ,gladiis, ingressi sunt vrbem confidenter: interfectísque omnibus masculis;Hemor & Sichem pariter necauerunt.

VIDETVR diuina Scriptura occasionem dedisse tractatoribus sacrarum litterarum, super ista re vtramque in partem disputandi; quinetiam contrarias in sentẽtias discendendi. Ea quippe quodam in loco cædem istorum Sichimitarum improbat,& damnat:in alio autem loco eandem laudat,& vt auctore,& adiutore Deo factam celebrat. Etenim Sãctus Patriarcha Iacob,cùm iam proximus morti,& prophetico afflatus spiritu,quę filiis suis atque eorum posteris ventura erant,prænunciaret, cædem istam,præcipuè factam à Simeone,& Leui, nõ solùm vituperat, accusat,damnat;verùm etiã grauissimis maledictis, & detestationibus suis defigit. Verba eius infrà cap.49.à Mose perscripta,hæc sunt: *Simeõ & Leui fratres,vasa iniquitatis bellantia: in consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea:quia in furore suo occiderunt virum,& in voluntate sua suffoderunt murum:maledictus furor eorum,quia pertinax:& indignatio eorum,quia dura.* Quorum verborum sententiam nos diligenter explanauimus in eo libro, quem superioribus annis de Benedictionibus Patriarcharum, vnà cum secundo Tomo Commentariorum nostrorũ in Gen. edidimus. Iacob igitur Simeonem & Leui,auctores illius cædis dãnat iniquitatis,furoris,pertinaciæ,& crudelitatis.

Ex

Ex aduerſo autem, admirabilis illa fœmina Iudith magnam in laudem Simeonis cædem illam interpretata eſt. Sic enim cùm Deo ſupplicaret, de iſta cæde locuta eſt, vt legimus in libro eius capite nono: *Deus patris mei Simeon, qui dediſti illi gladium in defenſionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione ſua, & denudauerũt fœmur virginis in confuſionem: & dediſti mulieres eorum in prædam, & filios illorum in captiuitatem, & omnem prædam in diuiſionem ſeruis tuis qui zelauerunt zelum tuũ.* Apertè his verbis tria Iudith dixit, quæ faciũt ad illius facinoris approbationem & commendationem. Primò enim ait, Deũ dediſſe illis gladium in vltionem patrati ſceleris, id eſt, Deum incitaſſe eos ad vlciſcendum illud ſcelus, & adiuuiſſe. Deinde ait, Deum bona Sichimitarũ, & mulieres earum tradidiſſe in prædam & captiuitatem filiis Iacob. Dicit denique eos in facienda illa cæde zelauiſſe zelum Dei. Ex his videtur rectè concludi, cædem illam iuſte factam eſſe à filiis Iacob.

Locus Iudith cap. 9.

In verbis ſupradictis Iacob aduertat Lector, illud, *in defenſionem alienigenarum*, dictum eſſe à Latino interprete, pro, in vltionem & vindictã alienigenarum, id eſt, Sichimitarum. Solet enim Latinus interpres verbum *defendere*, ponere pro eo, quod eſt, vlciſci, aut vindicare. Hac ſignificatione legitur extremis verbis capitis primi libri Iudith: *Iurauit* (Nabuchodonoſor) *per thronum, & regnum ſuum, quòd defenderet ſe de omnibus his regionibus*, id eſt, quòd vlciſceretur eas gentes, quæ eum recipere regem & Dominum noluerãt. Et in cap. 12. epiſtolæ ad Romanos ſic eſt: *Non nos defendentes cariſſimi*, id eſt, vlciſcentes, & vindicantes à quibus læſi eſtis: Pro illo *defendentes*, Græcè eſt ἐκδικοῦντες, cuius participij nomẽ ἐκδίκους, proximè pòſt Latinus Interpres vertit vindictam, illis verbis: *Mihi vindictã, & ego retribuam*, quæ verba ita citat Tertullianus libro 2. contra Marcionem, *Mihi defenſam, & ego defendam.* Atque hæc ſignificatio verbi defendere ſatis videtur cõgruere, cum ea ſignificatione verbi, qua vſos eſſe veteres, & cumprimis elegantes in Latina lingua ſcriptores, tradit Gellius lib. 9. cap. 1. vſurparunt enim illi verbum, *defendere*, pro eo quod eſt, Arcere, vel repellere: vt, defendere hoſtes à mœnibus, & defendere vim & iniuriam ab aliquo, id eſt, arcere, propulſare. Similiter defendere ſe ab aliquo, dixit Latinus Interpres, pro, Iniuriam ſibi ab aliquo factam vlciſcẽdo repellere à ſe. ſed redeo ad propoſitam quæſtionem de cæde Sichimitarũ: cuius difficultas ex duobus ſupradictis Scripturæ locis, qui videntur in ſpeciem contrarias ſuper ea cæde ſententias cõtinere, ſatis demonſtrata eſt. Deinceps igitur varias eas de re Auctorum ſententias exponamus; noſtrum denique iudicium etiam, atque ſententiam indicemus.

Defendere, *nonnumquã ponitur pro vindicare.*

Locus Iudith capite 1 & ad Roma. cap. 12.

Deut. 32.

Gellius.

Auctor hiſtoriæ Scholaſticæ, & Crathuſianus ſuper locum ſupra memoratũ ex lib. Iudith, breuiter præſentem quæſtionem ita explicarunt: Tripliciter, inquiunt, cõſiderari poteſt cædes Sichimitarũ; vel ex parte Dei, & ſic proculdubio iuſta fuit: decuit enim Deũ tã fœdum, & turpe flagitium eorum non inultum dimittere. Vel cõſiderari poteſt ex parte Sichimitarum, quorum vel aſſenſu, vel etiam cooperatione, flagitium

Prima opinio. Hiſtoria Scholaſtic & Carthuſianus.

gitium illud admissum est,nec postea de eo pœnitentiam egerũt; & idcirco digni tali supplicio fuerunt. Et has quidem duas ob causas,cædes illa laudari potest,& laudata fuit à Iudith. Vel deniq; spectari cædes illa potest ex parte Simeonis, & Leui auctorum eius ; & sic planè iniusta fuit;quia cum dolo,& contra datam fidem facta est,qua quidem ratione accusatur,& damnatur à patriarcha Iacob. Sic isti. At enim siquis verba illa Iudith pensiculatè consideret,facilè aduertet istiusmodi respõso minimè propositam difficultatem exhauriri. Iudith namque laudat Simeonem,quòd in ea cæde facienda,zelum Dei zelauerit:significat igitur,etiã ex parte Simeonis,iustã fuisse cædem illã,atq; laudandã.

Secunda opinio. Caietanus.

Caietanus in Commentarijs suis in Genesim,super illis verbis huius capitis: *Et depopulati sunt vrbem in vltionem stupri:* propositam quæstionẽ attingens;huiusmodi tradit solutionem eius. Aduerte,inquit,quòd tam clades,quàm præda Sichimitarum,potest æstimari,& iudicari dupliciter,vel secundùm rem,vel secundùm modum. Et quidem si libretur secundùm modum dolosum,manifesta est iniustitia modi:qui tamen excusatur à tanto,si non à toto. Si verò libretur secundùm rei veritatem, iusta fuit tã cædes, quàm præda:eo quòd ciuitas erat in culpa tanti sceleris:nec in veritate filij Iacob pacem cum eis fecerat, sed fictè,ad hoc vt possent vindictam exercere. Quapropter modus, vt dictum est, fuit iniquus valdè.nam fides etiam hosti seruanda est. Sic Caietanus. Cuius, & illud dictum satis dubium, & incertum est, omnem populum Sichimitarum in culpa fuisse illius stupri. Et item quod ait, filios Iacob non verè,sed fictè, pacem fecisse cum Sichimitis ; id enim non minuit peccatum,quinetiam auget propter mendacium,& dolum,& sacrilegium Circumcisionis,illic admixtum. 16

Tertia opinio.

Thomas Anglicus refert tres opiniones super hac quæstione.

Thomas Anglicus in Commentarijs suis in Genesim tractat super hunc locum eandem ipsam,quæ nunc agitatur,quęstionem. Tres refert opiniones,quas omnes satis probabiles ratus (licèt in tertiam aliquanto propensior videatur) melioris,ac probabilioris iudiciũ,electionémque permittit Lectori. Cuius ego disputationem eruditè variam,atque omnia propemodum attingentem, quæ in huius tractatum quæstionis aptè competũt,adscribam hoc loco breuibus,sed proprijs fermè ipsius auctoris verbis comprehensam. Prima,inquit ille,opinio est, peccasse filios Iacob,sic interficiẽdo Sichimitas. Primò quidem,ratione immoderatæ iræ,& furoris quo vsi sunt. Secũdò,propter dolum, quo pactum fecerunt cum illis,qui dolus præterquàm quòd in omni pacto & fœdere illicitus & proditorius est,insuper fuit illic sacrilegus,nempe ad eum celandum interposito Circumcisionis Sacramento. Tertiò, quia pœna excessit culpam; non tantùm interficiendo illius stupri reum, sed alios etiam insontes,atque adeo omnem populum:atque in eo tempore,quo maximè erant miserandi, videlicet cùm ob recẽtis circumcisionis vulnus,acriori dolore vrgebãtur. Ad illam verò auctoritatem Iudith, respondetur, non quia Deus adiuuit illos in faciendo cædem, ex eo sequitur eos non peccasse;quia Deus multis ex causis iuuat temporaliter

pec

peccatores. Et zelus ille, quo bene moti fuerãt, propter exceſſum modi vindicandi, in nimiam crudelitatem vitiatus & deprauatus eſt.

Altera opinio eſt, cædem illam ſine crimine factam eſſe à filijs Iacob, nec eos vſos eſſe malo dolo, ſed bona cautione, prudentíque conſilio. Sichimitæ namque illius patrati facinoris participes fuerant, ideóque digni erant ſupplicio. Non enim credibile ſit, filios Iacob in vniuerſam plebem propter vnius hominis crimen vſque adeo ira exarſiſſe, & tam atrociter vindicaſſe. Nam quòd Sichem & Sichimitæ conſenſerunt accipere circumciſionem, potiùs id fecerunt propter carnalem amorem puellæ, & vt gratificarentur Principi, & Domino ſuo, quàm propter amorem diuini cultus, & religionis, & inſuper eo adducti ſunt ſtudio auaritiæ, ſpe nimirum promiſſi eis lucri ex bonis Hebræorum ad ipſos deuoluendis. Adhæc, ſi filij Iacob iſtud dolosè atque impiè feciſſent, fuiſſent vtique apud Deum & homines maxima digni pœna: neque ſufficiens fuiſſet increpatio eorum ob illud factum, qua vſus eſt Iacob dicens, *Turbaſtis me, & odioſum feciſtis me Chananæis, &c.* Præterea hîc dicitur, poſt cædem filios Iacob deprędatos eſſe bona Sichimitarum, & mulieres earum duxiſſe captiuas, hoc autem iniquiſſimum fuiſſet ſi cædes illa fuiſſet iniuſta, & Iacob iuſſiſſet ea omnia reſtitui, quod tamen feciſſe eum non legitur. Poſtremò infra capite quadrageſimo octauo Iacob iſtum agrum Sichimiticum in hæreditariam poſſeſſionem tradidit filio ſuo Ioſeph, quẽ ait acquiſiuiſſe ſe in arcu, & gladio, ſcilicet per filios ſuos. Iure igitur iuſti belli id factum eſt. Et hæc quidem opinio ducta videtur ex veteri quodã libro apocrypho, cui titulus erat Teſtamentum duodecim Patriarcharum, vbi Simeon & Leui dicũt ſe feciſſe id bono animo, nec de eo ſe accuſant, ſed commendant potiùs. Illã portò contra Simeon & Leui reprehenſionẽ, & maledictionẽ Iacob, cenſent fuiſſe prophetiam de Chriſti morte, quã procurarunt imprimis ſacerdotes, qui erant ex tribu Leui: & Scribæ, quorum plurimi erant ex tribu Simeon. Hanc mortẽ Chriſti prophetico Spiritu prævidens Iacob, ſub nomine Simeonis, & Leui, poſteros eorũ, Scribas & ſacerdotes præcipuos eius mortis auctores accuſat, & damnat.

Tertia opinio inter duas ſuperiores media eſt, vtramq; tẽperans ac moderans. Eſt autem Ricardi, affirmantis filios Iacob primùm à Deo motos fuiſſe ad faciendã eam cædem: ſed eos poſtea furioſo quodã impetu zeli ſui vindictę modũ exceſſiſſe. Illud ſanè dixerim, ait Ricardus, flagitium illud meritò diſplicuiſſe filiis Iacob, nec propter ſuſceptam Circũciſionẽ placari potuiſſe, vt quæ nõ propter Deũ, ſed propter Dinam facta fuiſſet. Culpabile tamen in illis fuit, ſeueritatis modum exceſſiſſe, & in vlciſcenda iniuria, æquitatis menſuram non ſeruaſſe. Meritò igitur Iacob inconſultam eorũ audaciam redarguit, ſeueritatémq; indiſcretam reprehẽdit. Nec mirandum, idem opus aliqua ex parte rectum, & ex zelo procedens eſſe, alia verò ex parte eſſe temerarium, inordinatum, atque immoderatũ: cùm etiam dictum Caiphæ, quâ fuit ab occulto Dei inſtinctu, propheticum fuerit: quâ verò à malo eius animo & intentione proceſſit, impium cenſeatur. Si autem quiſpiam obijciat, zelum illum filiorum Iacob bo-

Ricardus.

Ioan. 11.

num esse non potuisse, quippe qui impulerit eos ad faciendum dolosè pactum, ipsúmque violandum sub spe amicitiæ & religionis: Ad hoc responderi posset: quia Deus videbat cor Sichimitarum in eo pacto nõ esse rectum, sed prauum, & ad carnalem concupiscentiam, & temporalẽ auaritiam conuersum, potiùs quàm ad ipsius Dei cultum, & religionem spectans; iccirco non cessauit mouere cor filiorum Iacob ad zelum vltionis. Quanquam quòd id inconsulto, atque inscio patre fecerint, excusari à peccato non potest. Quòd si quis dicat, quemadmodum Iudith diuino instinctu iustè potuit simulare, velle se vti matrimonio cum Holoferne, vt sic opportunitatem haberet eum occidendi: Et sicut Hebræi petierunt mutuò ab Ægyptijs, quod non intendebant reddere ipsis; ita fieri potuisse in isto facto filiorum Iacob: Ego isti sententiæ, inquit Thomas, non contradico: quamuis non ita mihi clara sit in hoc casu, sicut in illis. Hactenus ex Thoma Anglico, paucis aliquot verbis commutatis, quo plenior, & breuior esset, gratiórque Lectori hæc nostra disputationis eius commemoratio.

Iudith. 13.
Exod. 12.

Auctoris sententia.

Ego non abnuo filios Iacob à primo bonum zelum habuisse: nempe 18
odium stupri sororis, desideriúmque vindictæ tanti flagitij, vt qui eius auctores fuerant, meritas luerent pœnas: dolor item & indignatio ob tam insignem sororis iniuriam, atque infamiam, totiúsque dedecus familiæ: hæc, inquam, omnia, non solùm non improba, miniméque culpanda fuerunt; verùm etiam honesta, rationíque & iustitiæ consentanea, meritóque laudanda, sicut laudata sunt à fœmina sancta Iudith. Sed nihilominus tamen sine vlla dubitatione dixerim, filios Iacob, in eo quod egerunt cum Sichimitis, multa peccasse grauissimè. Ac si quis attentè, consideratéque pensitet Mosaïcam istius historiæ narrationem, quæ posita est in hoc capite, octo, vel nouem peccata filiorum Iacob fuisse comperiet. Horũ tria præcesserunt cædem Sichimitarum: alia tria circa ipsam cædem admissa sunt; tria item alia cædem factam sunt consecuta. Primum eorum peccatum fuit, quòd inconsulto, atque inscio patre suo Iacob, proprio iudicio, & auctoritate, cæcóque impetu animi, & furioso consilio, ac temerario ausu, facinus illud aggressi sunt. Cùm tamen iniuria, ac damnum acceptum, propiùs, magísque attingeret patrem eorum Iacob, quàm ipsos: & paternæ auctoritatis atque officij interesset prouidere & decernere quid in ea re facto esset opus: ipsósque oporteret ex patris iudicio & sententia, & decreto instituere quæ agenda erant, & regere, & moderari, & exequi. Et hoc quidem minimè dissimulauit Iacob: Siquidem facinus eorum reprehendens, dixit: *In consiliũ eorum non veniat anima mea, & in cœtu eorum non sit gloria mea*: Quorum verborum hæc est sententia; Absit vt ego, vel auctor, vel approbator, vel etiam conscius fuerim tam atrocis eorum consilij de cæde Sichimitarum: absit item, vt istud eorum facinus ego ad honorem, & gloriam meam pertinuisse existimem, quod prorsus auersor, & detestor. Alterum peccatum eorum, fuit mendacium perniciosissimum, & cum pessimo dolo coiunctum: ea quippe locuti, & pacti sunt cum Sichimitis, quæ non solum ipsi seruare

Octo, vel nouẽ peccata filiorũ Iacob circa cædem Sichimitarum.

Tria peccata ante cædem.

nole

nolebant, sed illis contraria iam animo designauerant: Volentes eiusmodi fallacibus promissis, & pactis suis Sichimitas deceptos trucidare. Et hoc Scriptura non tacuit, dicens in hoc ipso capite: *Responderunt filij Iacob Sichem, & patri eius in dolo, sauientes ob stuprum sororis.* Dolosè autem pactũ facere, etiam cum hoste, factúmq; perfidiosè violare in eius perniciem, nefarium apud barbaras etiam gentes semper est habitum. Tertium peccatum fuit tanquam sacrilegium. Sacramento namque Circumcisionis, quo nihil habebant illi religiosius & sanctius inter cæremonias diuini cultus, impiè abusi sunt ad celandum dolum suũ, & machinandum exitiũ Sichimitis: & quod in salutem hominum comparatum erat, ipsi conuerterunt in exitium.

Tria peccata circa eadem.

19 Iam verò circa ipsam cædem Sichimitarum tria eroum fuêre peccata. Primum fuit peccatum extremæ inhumanitatis, immò ferinæ crudelitatis. Sichimitas enim promissis & pactis eorum circumuentos, atque ipsorum suasu & impulsu accepto Circumcisionis Sacramento, in eorum leges, & religionem traductos; in eo ipso tempore, quo maximè miserandi erant, nempe cùm propter recentis circũcisionis vulnus grauissimo cruciarentur dolore; inermes, incautos, inopinantes, & ad resistendũ prorsus inualidos, furiosè inuaserunt, sæuissimé que occiderunt. Neque hoc in eorum facti accusatione prætermisit Iacob Gen. 49. cùm dixit: *In furore suo occiderunt virum.* Et item, *Maledictus furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura.* Si fortè autem putetur hoc non fuisse peccatũ specie diuersũ ab homicidio, certè fuit circũstantia maiorẽ in modũ cædis crudelitatẽ exaggerans, & prægrauans. Alterũ peccatũ, fuit notabilis admodũ & culpabilis vindictæ excessus: nimio enim maior pœna fuit, quã de Sichem illi sumpserunt quàm fuerat peccati eius meritũ, & culpa.

Quãuis enim Sichem grauissimè peccauerat, per vim rapiendo & vitiando virginem ingenuam & nobilem, is tamen postea turpitudinem flagitij multùm diluerat, factámque iniuriam multis modis compensauerat. Primùm enim voluit puellam à se vitiatam ducere vxorem: quod matrimonium, cùm esset ille princeps eius ciuitatis, & gentis, perhonestum & honorificum filijs Iacob videri debebat. Deinde voluit puellam à parentibus accipere indotatam: quin etiam dotem ei daturum se promisit, quantamlibet illi postulassent. Adhæc cùm negassent illi, fas esse sibi sororem dare vxorem homini incircumciso; daturum autem se promisissent ei, si secundùm morem ritúmque suum, circumcîdi vellet: ille lubẽter & confestim eam conditionem accepit. Nec solùm ipse circumcisus est; verùm etiam vt itidem circumciderentur, persuasit omnibus Sichimitis. Ex hac igitur conditione & pacto à filijs Iacob oblato, & à Sichem accepto & firmato, liquidò cernitur, filios Iacob promisisse, non solùm condonaturos se Sichem iniuriam ab eo acceptam; sed etiam sororem ei tradituros in coniugem. Quare his rebus inter eos iam transactis, Sichem, aut nullã ampliùs merebatur pœnam, aut certè non talem, tantámque, quanta punitus ab illis est. Quòd autẽ inter filios Iacob & Sichẽ promissio & pactum intercesserit, quòd dixi, apertè narrat Scriptura in hoc

capite: hæc enim sunt verba filiorum Iacob ad Sichem, & Hemor: *In hoc valebimus fœderari vobiscum, si volueritis esse similes nostri, & circumcidatur in vobis omnis masculini sexus. Tunc dabimus, & accipiemus mutuò filias vestras & nostras: & habitabimus vobiscum, erimúsque vnus populus. Placuit oblatio eorum Hemor, & Sichem filio eius: nec distulit adolescens quin statim quod petebatur expleret.* Cúmque istam conditionem Sichem, & Hemor proposuissent Sichimitis, eam quoque ipsi protinus acceperunt, & impleuerunt. Subdit enim Scriptura: *Assensique sunt omnes, circumcisis cunctis maribus*: Tertium peccatum fuit, quòd filij Iacob non contenti tã atroci cæde Sichem, qui flagitij auctor fuerat, in omnes præterea Sichimitas crudelissima nece sæuierunt, homines quantum ad illud flagitium, planè insontes, & innocentes.

Nã quod dici solet, eos fuisse assensores, & approbatores patrandi eius flagitij, id profectò videtur sine ratione dici. Siquidem nec id Scriptura significat, nec est verisimile. Illud tantùm dicit Scriptura, eos pactum de suscipienda circumcisione sibi proposita, suo omnes assensu approbasse, & fideliter seruasse. Quòd autem ad raptum, & stuprũ Dinæ perpetrandũ, operas illi suas contulerint, nec dicit, nec vllo modo significat. Immò verò istud nõ sit credibile. Neq; enim Sichem ad vnam puellam, quæ intra vrbem ipsius vagabatur, rapiendam, domúmque suã deducendam, opus habuit viribus omnium Sichimitarum: sed ad id efficiendum satis superque famulorum suorum opera & ministerium esse poterat.

Peccata post cædem.

Postremò filij Iacob post immanitatem patratæ iam cædis, nondum satiata exsaturata ira, tanto tot hominum exitio, in omnia bona Sichimitarum hostili furore grassati sunt: depopulantes eorum agros, deprædantes cunctos greges, & armenta, diruentes mœnia vrbis, vel, vt Iacob dixit Genes. 49. suffodientes murum, diripientes vrbem, cunctáque vastantes, quę in domibus erant, & in agris. His accessit alterum peccatum, quòd tali prædа, tantóque excidio non contenti, etiam paruulos, & fœminas subiugantes captiuitati, in seruitutem abstraxerunt. Audi Scripturam hæc omnia breuiter enarrantem; *Quibus egressis, irruerunt super occisos cæteri filij Iacob: & depopulati sunt vrbem in vltionem stupri, oues eorum, & armenta, & asinas, cunctáque vastantes, quæ in domibus & in agris erant, paruulos quoque eorum, & vxores duxerunt captiuas.* Tertium peccatum fuit, quòd istiusmodi facinore, tanta temeritate, furoréque patrato, in summum discrimen, & patris sui, suámque vitam, & fortunas omnes, cunctámque familiam præcipitarunt. Si quidem haud dubiè futurum erat, nisi Deus mirabiliter auertisset vt ab illius terræ habitatoribus, finitimísque gentibus Iacob cum filiis omníque familia trucidaretur, ac deleretur. Hoc ipsum benè prospiciens Iacob, cùm Simeon, & Leui de tali facinore increparet, dixit verba illa: *Turbastis me, & odiosum me fecistis Chananæis, & Pherezæis habitatoribus terræ huius. Nos pauci sumus: illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea.*

Egregia Platonis sentẽtia de modo, & mensura in vlciscendo seruanda.

Plato tale genus vindictæ, quali aduersus Sichimitas vsi sunt filij Iacob, non solùm improbat, verùm etiam cum detestatione reijcit à sua

Republi

Republica. Facit enim li. 5. de Repub. duplex genus belli; alterũ propriè dictum bellũ, quod geritur cum gentibus prorsus extraneis, & barbaris; qualia erant Græcorum bella cum alijs gentibus quas ipsi vocabant barbaras: alterum verò bellum quod inter eos geritur, qui sunt eiusdem nationis & gentis, vt cùm inter se belligerebant Græci, quod negat propriè dici debere bellum, sed potiùs seditionem. Atque in hoc genere belli, siue potiùs, vt dixit, seditione, iniquum atque impium esse censet, promiscuè in omnes sæuire: cùm sæuire tantùm oporteat in eos qui fontes sunt, aut etiam tantùm in eos qui præcipui factæ iniuriæ & damni auctores sunt. Depopulari autem agros, omniúmq; bona deprædari, subruere mœnia, incendere, aut euertere domos, vastare vrbes, & rapinis, cædibus, incendiísque grassari, inhumanum, crudele atque impiũ iudicat: latíssq; grauissimis legibus in optima Republica, quam informat, vetandũ esse affirmat. Ergo Platoni, vindicta quam filij Iacob in Sichimitas exercuerunt, minimè placuisset. Nam etsi priùs fuerant Sichimitæ Hebræis extranei & alienigenæ: post factum tamen cum ipsis pactum, & post susceptam circumcisionem iam fuerant confœderati cum illis; & in vnum populum, tum habitatione, tũ mutuis inuicem matrimonijs contrahendis, rerúmq; omnium commercijs, & legum, atque consuetudinũ communione congregandi atque consociandi. Verba Platonis, in eo quem dixi loco huiusmodi sunt: Videtur mihi, sicut nomina hæc duo sunt, bellum, & seditio: ita duo quędã duabus subesse differentijs. Dico autem duo hæc, aliud quidẽ proprium, & cognatum; & aliud alienum, atque extraneũ: & inimicitiam quæ inter nos est, seditionem; quæ inter extraneos, bellum vocari. Talia sunt, & quæ Græci inter se, tanquam propinquos genere & cognatione; & quæ cum barbaris, taquam diuersis & extraneis gentibus dimicando gerunt. Itaque contentionem sibi aduersus alios Græcos exortam, tanquã cum suis geri putabunt, seditionémque vocabunt, non bellum. Pia quoq; sententiâ, & temperato animo rem agent, non ad seruitutẽ aut necem respicientes, tanquam qui hostes minimè sint. Non ergo Græciam, cùm Græci sint, destruent, neque domos incendent: neque putabunt in singulis ciuitatibus omnes sibi aduersarios esse, & viros, & mulieres, & pueros: sed paucos admodum inimicos ducent, eos, duntaxat, qui fuerint discordiæ causa. Quamobrem neque regionem vastabunt eorũ, neque domos subuertent, sed eatenus decertabunt, quatenus qui discordiæ causam dederunt, insontibus pœnas soluant. Ponamus itaque legem hanc custodibus vt neque populentur agros, neque igne ædes absumant. Hactenus ex Platone.

Tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam. VERS. 6.

22 NOVVM, & mirum accidit mihi, quod legi apud Rupertum de ista Dina filia Iacob. Ait enim, post tragicũ illũ & funestũ stupri Dinæ, & cædis Sichimitarũ casum, eã fœminam nupsisse sãcto viro Iob, & ex eo genuisse eos filios, & filias, qui in libro Iob memorantur; atque hanc ipsam historiam, siue traditionem

Philonis auctoritate confirmat. Sic enim Rupertus scribit lib. 8. Comm. suorum in Gen. cap. 11. Hanc Dinam, vxorem fuisse Iob, Philo asserit: Et hanc esse ex qua quatuordecim filios, & sex filias genuerit, septem videlicet filios, & tres filias ante percussionem, totidémque filios, ac totidem filias post percussionem. Hæc Rupertus.

Opinio Ruperti, Dinã fuisse vxorem Iob excutitur.

Verùm ista Ruperti opinio, siue Traditio, mihi quidem falsitatis admodum suspecta est. Primùm, ægrè possum inducere in animum, vt credam, sanctum Iob, virum vtique diuitiis, potentiâ, nobilitate, auctoritate, sanctitatéque, ac sapientiæ famâ inter omnes illos Orientales præcellentem, & quem alij omnes quasi regem quendam eximiè reuererentur, atque honorarent, vt scriptum est in principio libri eius, & fusiùs in ca. 29. eiusdem libri, talem dico, tantúmque virum, vxorem ducere voluisse fœminam tam fœdi stupri flagitio contaminatam, & famosam & cuius caussâ, tam atrox; & immanis fuerat cædes tot hominum facta. Deinde istam opinationem suam siue aliorum traditionem Rupertus Philonis firmat auctoritate. At si celeberrimi nominis Philonem illum Hebræum *intelligat*, cuius nunc extant opera, equidem nusquam istud de coniugio Dinę & Iob in scriptis eius reperi. Nec aliud de ista Dina inuenire potui, nisi quòd ipse mystico quodam intellectu, & tractatu de historia huius capitis disputat in extremo libro, quem de migratione Abrahã inscripsit: quo in loco hæc sunt eius verba: Viden' vt & quercus procera in Sichem excreuit? per quam subindicatur firmum, solidum, nulla vi flectendum fatigãdúmve robur, quod viro ad perfectionem tendenti necessarium est ferendis laboribus: ne animæ tribunal, nominatum Dina (vox hæc *iudicium* interpretatur) in potestatem veniat ærumnosi laboris, insidiatoris prudẽtiæ. Nam Sichem, qui nomen huic loco dedit, filius est Hemoris, brutæ videlicet naturæ; Hemor enim *asinum* significat, qui deditus impudentię, & alumnus temeritatis, iudicium mentis violare sceleſtus, & corrumpere ausus est. Verùm celeriter prudentiæ familiares & discipuli, Simeon & Leui, munitis priùs rebus domesticis, expeditionem fecerunt, & occupatos adhuc voluptuario labore, nec circumcisos ab affectibus, repentè oppresserunt. Propter oraculum enim quod vetat meretricem esse inter filios Israel, hi virginem animam eripuerunt, fortiter contempto periculo. Videbatur enim defore vltores violati fœderis. Sed error ille mox euanuit: mox enim res ipsa falsam opinionem coarguit. Est profectò seuera scelerum vltrix, & iniuriam patientium auxiliatrix iustitia: quæ frustratur illudentes virtuti: quibus pessumdatis, in virgineam integritatem restituitur quæ videbatur constuprata anima. Videbatur enim; nunquã enim corrupta fuit: nam vbi deest assensio, nec qui patitur, verè patitur, nec qui præter animi sui sententiam lædit alium, reus est patrati facinoris. Hactenus ex Philone. An verò tempora, quibus Dina, & quibus Iob vixêre, cõgruant inter se, ita vt verè synchroni fuerint, diligenter disputabitur paulò infrà, cùm ad expositionem 36. capit. ventum erit: atque inibi de genere, atque ætate Beati Iob disputabitur.

Philonis mystologica disputatio super historia huius capitis.

Deut. 3.

BENE

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA IN CAPVT

TRIGESIMVM QVINTVM GENESIS.

ARGVMENTVM.

Iacob Dei iussu ascendit Bethel: Idola apud domesticos suos reperta defodit subter terebinthum: Moritur ibi, & sepelitur Debbora nutrix Rebeccæ. Apparet Dominus Iacob, benedicens ei, mutans nomen eius Iacob in nomen Israelis. Rachel moriens parit Beniamin; & sepelitur iuxta Bethlehem. Ruben dormit cum Bala vxore patris sui. Iacob venit Hebron; & ibi moritur Isaac centum octoginta natus annos.

INTEREA locutus est Deus ad Iacob: 1
Surge, & ascende Bethel, & habita ibi,
facque altare Deo qui apparuit tibi quã-
do fugiebas Esau fratrem tuum. Iacob 2
verò cõuocata omni domo sua, ait: Abij-
cite deos alienos qui in medio vestri sũt,
& mundamini, ac mutate vestimenta ve-
stra. Surgite, & ascendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare 3
Deo, qui exaudiuit me in die tribulationis meæ, & socius fuit
itineris mei. Dederunt ergo ei omnes deos alienos, quos ha- 4
bebant, & inaures quæ erant in auribus eorum: at ille in-
fodit ea subter terebinthum, quæ est post vrbem Sichem.
Cúmque profecti essent, terror Dei inuasit omnes per 5

cir

6 circuitum ciuitates,& non ſunt auſi perſequi recedentes. Ve-
nit igitur Iacob Luzam,quę eſt in terra Chanaan,cognomen-
7 to Bethel:ipſe, & omnis populus cum eo:ædificauítq; ibi alta-
re,& appellauit nomen loci illius,Domus Dei:ibi enim appa-
8 ruit ei Deus cùm fugeret fratrem ſuum.Eodem tempore mor
tua eſt Debbora nutrix Rebeccæ,& ſepulta eſt ad radices Be-
thel ſuper quercum:vocatúmque eſt nomen loci illius,Quer-
9 cus fletus. Apparuit autem iterum Deus Iacob poſtquam re-
10 uerſus eſt de Meſopotamia Syriæ,benedixítq; ei,dicens. Non
11 vocaberis vltrà Iacob,ſed Iſrael erit nomen tuum. Et appella-
uit eum Iſrael,dixítq; ei,Ego Deus omnipotẽs ; creſce,& mul-
tiplicare:gentes,& populi nationum ex te erunt,Reges de lũ-
12 bis tuis egredientur.Terrámq; quam dedi Abraham,& Iſaac,
13 14 dabo tibi,& ſemini tuo poſt te.Et receſſit ab eo. Ille verò ere-
15 xit titulum lapideum in loco,quo locutus fuerat ei Deus:Li-
bans ſuper eum libamina,& effundẽs oleum : Vocánſq; nomẽ
16 loci illius, Bethel. Egreſſus autem inde,venit verno tẽpore ad
terram quæ ducit Ephratam , in qua cùm parturiret Rachel,
17 ob difficultatem partus periclitari cœpit.Dixítq; ei obſtetrix:
18 Noli timere,quia & hunc habebis filium.Egrediente autẽ ani
ma præ dolore,& imminente iam morte , vocauit nomen filij
ſui Benoni,id eſt,filius doloris mei:pater verò appellauit Ben-
19 iamin,id eſt,filius dextræ. Mortua eſt ergo Rachel,& ſepulta
20 eſt in via quæ ducit Ephratam,hæc eſt Bethleem. Erexítq; Ia-
cob titulum ſuper ſepulcrum eius:Hic eſt titulus monumenti
21 Rachel,vſque in prę ſentem diem.Egreſſus inde,fixit taberna-
22 culum trans Turrem gregis. Cúmq; habitaret in illa regione,
abijt Ruben, dormiuit cũ Bala concubina patris ſui:quod illũ
23 minimè latuit.Erant autem filij Iacob duodecim.Filij Liæ:pri
mogenitus Ruben,& Simeon , & Leui,& Iudas,& Iſſachar,&
24 Zabulon.Filij Rachel : Ioſeph,& Beniamin. Filij Balæ ancillæ
25 Rachelis:Dan & Nephthali.Filij Zelphæ ancillæ Liæ : Gad &
26 Aſer.Hi ſunt filij Iacob , qui nati ſunt ei in Meſopotamia Sy-
27 riæ. Venit etiam ad Iſaac patrem ſuũ in Mambre , Ciuitatem
Arbee,hæc eſt Hebron : in qua peregrinatus eſt Abraham,&
28 Iſaac. Et completi ſunt dies Iſaac,centum octoginta annorũ.
29 Conſumptúſq; ætate mortuus eſt:& appoſitus eſt populo ſuo
ſenex,& plenus dierũ : & ſepelierunt eũ Eſau,& Iacob filij ſui.

PRÆ

PRÆFATIO.

Ioseph⁹.

1 EORVM quæ narrantur hoc capite trigesimo quinto, quasi plenum quoddam argumentum, & instar breuis Commẽtarij esse possunt, quæ scripsit Iosephus lib. 1. Antiquitatũ, paraphrastica breuitate hanc ipsam historiam enarrans, Scribit autẽ ille hunc in modum: Iacobũ obstupefactum tanta filiorum suorum audacia, atque eorum facinus indignè ferentem, Deus, per quietem ei visus, bono animo esse iussit, & lustrare præcepit domum, & familiam, sacrificiúmque, quod olim, post somnium illud proficiscenti sibi in Mesopotamiam oblatum, vouerat, persoluere. Dum igitur lustrat familiam, reperit Labani deos: nesciuerat enim eos furatam esse Rachelẽ. His apud Sicyma defossis in terra sub quadam quercu, profectus inde, sacrificauit apud vrbem Bethel, vbi quondam diuinum somnium viderat, proficiscens in Mesopotamiã. Progressus deinde in agrum Ephratanum, Rachelem ex partu mortuam ibi sepelit: solam monumento cognatorum in Hebrone non illatam. Quam cum vehementer lugeret, editum infantem nominauit Beniamin, eo quòd doloris causa matri fuisset. Atque hic est filiorum Iacob numerus: mares duodecim, femina vna. Ex his, octo legitimi: sex è Lia, duo è Rachele: quatuor verò è pedissequis, è singulis duo. Inde venit Hebronem in Chananæa sitam, vbi Isaac habitabat: nec diuturnus fuit eorum conuictus. Non enim multo post reditum Iacob mortuus est Isaac, & sepultus à filijs, iuxta vxorem Rebeccam in Hebrone, in monumento parentum suorum: exactis cum virtute annis octoginta quinque supra centum. Vir profectò carus Deo, & magna prouidentia dignatus ab eo, post Abrahamum patrem ipsius. Hactenus ex Iosepho.

Animaduersio in Iosephum.

2 Sed in istis Iosephi verbis, quinque sunt animaduersione & correctione digna. Principio ait, idola, quæ apud suos reperit Iacob, fuisse ea, quæ Rachel furata fuerat patri suo Laban, vt dictum est suprà Genes. 30. quod non esse vero simile, paulo infrà ostendemus. Deinde scribit, Iacob filio suo imposuisse nomen Beniamin, quòd causa doloris, & mortis fuisset matri suæ: cum Scriptura dicat apertè in hoc ipso capite, appellatum quidem fuisse eum à matre Benoni, id est, filium doloris: à patre verò Iacob, nominatum esse Beniamin, id est filium dexteræ: Ex quo appareret, quàm confusè, & mendosè Iosephus hanc historiam retulerit. Præterea, solos filios Iacob ex Lia, & Rachele susceptos, dicit fuisse legiti-

mos,cùm perſpicuum ſit etiam filios ancillarum legitimos fuiſſe: tum quia matres eorum,legitimæ fuerunt vxores Iacob:tum quòd & ipſi, ſiue poſteri eorum,non ſecus ac filij,ſiue poſteri Rachelis,& Liæ, hæreditariam poſſeſſionẽ iuſſu Dei acceperint in terra promiſsionis. Adhæc, cenſet Ioſephus,Iacobum,vbi ex Meſopotamia rediit ad patrem ſuum Iſaac,paruo tempore fuiſſe cum eo,mox videlicet ſubſecuta eius morte: atenim manſiſſe apud eum per annos tredecim, oſtendemus ſub finem huius capitis trigeſimi quinti. Illud denique apud Ioſephum manifeſtũ habet mendam tam in Latinis,quàm Græcis eius libris: ſed quæ librario, vel typographo videatur aſsignanda: dicitur enim vixiſſe Iſaac centum octoginta quinque annis. Verùm iſti ſummæ annorum ſupereſt illud,quinque,vt in fine huius ca.35.traditur:quamquam hiſtoria Scholaſtica in hiſtoria libri Gen.ca.85.iſtum eundem numerũ attribuit Ioſepho:fuit autem ille auctor ante annos 450. Atque hiſce breuiter in Ioſephum diſputatis,ad expoſitionem capitis 35.aggrediamur.

Hiſtoria Scholaſtica.

VERS. 1. Interea locutus eſt Deus ad Iacob,Surge,& aſcẽde Bethel, & habita ibi,facque altare Deo,qui apparuit tibi,quando fugiebas Eſau fratrem tuum.

POST horrendam illam cædem Sichimitarum, & agrorum depopulationem, vaſtationémque regionis,poſt direptionẽ & excidium vrbis,puerorúmque,ac mulierum captiuitatem, non ignarus erat Iacob,ſe ac ſuos factos eſſe finitimorum populorum implacabili odio,& iræ vehementer obnoxios:foréque proſpiciebat,vt illi tam atrox gentis, & vrbis Sichimitarum exitium vlturi, in ſuam, & ſuorum necem quamprimùm hoſtili animo & armata manu ruerent:quibus tamen ipſe,longè ſcilicet viribus impar,propulſare eorũ impetum,aut ſuſtinere non poſſet. Quapropter cùm maximo conflictaretur metu & angore animi,inſtantis periculi magnitudine;cúmque humanis omnibus deſtitueretur præſidiis,toto animo ſibi ad diuinum præſidium opémque confugiendum eſſe cenſuit. Nec ſanè Deus æquum iudicauit,vt pius & ſapiens pater filiorum temeritatis & crudelitatis pœnas lueret,quam illi inconſulto, & prorſus inſcio patre deſignauerant: ſed contrà potiùs.vt(quemadmodum Deo dignum, & ſolenne eſt) filiorum peccata patris pietati,& ſanctimoniæ condonarentur, & quod ab illis iuuenili furore peccatum fuerat,eximia patris innocentiâ, & pietate expiaretur. Deus itaque Iacobum iamiam hoſtium impetum ſummo animi pauore expectãtem,iubet in locum Bethel ſecedere; vbi nempe olim fratrem ſuum Eſau,fugitabundus,diuinum ſibi adfuiſſe præſidium meminerat. Magnum ergo hîc præiudicium diuini auxilij Iacob acceperit, vt

vbi iam

vbi iam semel diuinam opem expertus fuerat, ibi eandem sibi non defuturam minimè dubitaret.

An mysterium Trinitatis significatum fuerit hoc loco. S. Hilarius.

3 Obseruatè considerandа sunt illa verba: *Fac altare Deo, qui apparuit tibi quando fugiebas Esau.* Videtur enim his verbis non obscurè significari distinctio duarũ diuinarum personarum; vnius, quæ nunc apparuit, & locuta est Iacob, iubens eum ire Bethel, alterius verò, cui iubet eum sacrificare, & quæ apparuit illi olim, cum iret in Mesopotamiam. Deus igitur iubet sacrificari alteri personæ, quam tamen simpliciter appellat Deum. Beatus certè Hilarius lib. 4. de Trinitate, ex hoc loco argumentatur Filiũ Dei esse verum Deum, quippe cùm Deus pater iubeat Iacob sacrificare Deo qui apparuerat sibi; vt enim hoc significaretur, nõ dixit Deus qui apparuit Iacob, Sacrifica mihi, sed Deo, qui olim apparuit tibi; significans personam quæ & distincta esset, & tamen Deus esset. Hilarij verba, hæc sunt: Deus honorem Deo postulat, & postulat cum alterius significatione personæ, *qui apparuit*, inquit, *tibi cùm fugeres Esau*; ne qua personæ eiusdem confusio nasceretur. Deus ergo, & qui loquitur cum Iacob, dicitur Deus, & de quo is loquitur; honoris confessio naturæ nomen non discernit quos significatio subsistentes esse distinguit. Sic Hilarius: idémque ipsum pluribus refert proximè sequenti libro quinto. S. Augustinus & idem tradit quod Hilarius, & monet fortasse istam locutionem esse Hebraismum. Sic enim scribit quæst. 110. in Genesim: Quid est, quòd non dixit, Fac ibi aram mihi, qui apparui tibi? sed dixit Deus quasi de alio loquens, *Fac ibi aram Deo, qui apparuit tibi?* Vtrùm Filius ibi apparuit, & Deus Pater hoc dixit? an hoc in aliquo genere locutionis annumerandum est? Sic Augustinus.

S. August.

Locus Num. cap. 12.

4 Sciat porrò Lector, locutionem esse peculiarem Hebrææ linguæ, & admodum frequentatam in sacris litteris, inducere personam quampiã, siue diuinam, siue angelicam, siue humanam loquentem de se in tertia persona, quasi de alia quapiam persona loqueretur: verbi gratiâ: Dixit Deus illis: *Timete Deum, & mandata eius seruate*: pro eo quod est, *Timete me, & mandata mea seruate.* Proferam vnum, & alterum Scripturæ locũ, vt id perspicuè cernat Lector. In libro Numerorum capite duodecimo inducitur Deus sic loquens: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini*, id est, propheta meus, *in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses: ore enim ad os loquar ei, & palàm, & non per ænigmata, ac figuras Dominum videt.* id est, me videt. Similem locutionem reperiet Lector bis in eodem fermè loco vsurpatã apud Hieremiã cap. 2. Inducitur enim Deus ita loquens in Iudæos: *Nunquid non istud factũ est tibi quia dereliquisti Dominum Deum tuũ eo tempore quo ducebat te per viã?* Et paulò pòst: *Scito, & vide quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem eius apud te,* Similiter igitur hoc loco dixit Deus Iacob: *Fac ibi aram Deo, qui apparuit tibi*, id est, mihi, qui apparui tibi. Quanquã cupio Lectorẽ meminisse eius documenti, valdè profectò obseruandi, quod tradidimus in tertio Tomo Commentariorum nostrorum in Genesim, super cap. 19. numero 42. esse in diuina Scriptura

Locus Hieremiæ cap. 2.

multas locutiones,quæ ſecundùm proprietatem linguæ Hebrææ ſint hebraiſmi,& elegantię orationis,ſecundùm tamen diuinam ordinationem, latere in illis maximarum rerum myſteria:quæ non vulgo paterent, ſed illi ſolùm perſpicerent,& intelligerent,qui ſingulariter à Deo illuminati eſſent,quales fuere in veteri Teſtamento Sancti Patriarchæ, & Prophetæ. Hæc igitur locutio,de qua diximus, hebraiſmus eſt; & nihilominus tamen myſtologica eſt,diuinarum perſonarum diſtinctionem illuminatis à Deo viris ſignificans, cùm alij tantùm per eam, diuinæ ſubſtantiæ vnitatem intelligerent.

VERS. 2. Iacob verò conuocata omni domo ſua,ait; Abijcite deos alienos,qui in medio veſtri ſunt:& mundamiui ac mutate veſtimenta veſtra. Surgite, & aſcendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare.

Quid nobis agẽdum in rebus aduerſis.

ECCE tibi,quemadmodum exemplo ſancti Iacob,cùm grauiſſimis vrgemur periculis, imminentia mala propulſanda & auertenda ſint. Iacob iuſſit domeſticos ſuos, Idola quæ penes ipſos erant,abijcere,& ſeipſos mundare, ac veſtimenta mutare,& ſecum ire Bethel ad ſacrificandum Deo. Similiter faciendum nobis eſt:nempe idola peccatorum, errorúmque,ac malarum cupiditatũ ex animo penitus abijcienda ſunt:munditia item ac ſinceritas, non interior ſolùm animi coram Deo,ſed exterior quoq; in verbis & factis apud homines conſeruanda eſt;Deúmque in Spiritu & veritate condignè adorando,& colendo,eius nobis auxilium implorandum eſt. Sic autem præparatis,& affectis nobis,vel nihil mali accidet;vel,ſi quid contingat, nihil ſanè nocebit,quinetiam magno erit bono,materiam ſcilicet præbens augendæ virtutis,cœleſtiſque amplificandi præmij: verúmque in nobis ipſis experiemur eſſe,quod in quadam oratione ſua canit Eccleſia,dicés: Tuere Domine populum tuum,& ab omnibus peccatis clementer emũda:quia ei nulla nocebit aduerſitas, ſi nulla ei dominetur iniquitas. Sed qua ratione cognouit Iacob, Idola eſſe penes domeſticos ſuos? Rupertus putat,id reſciuiſſe eum per diuinam viſionem proximè habitam,Deo ipſum ea de re docente,ac monente. Sic enim ſcribit libro octauo in Geneſim capite duodecimo. Hac eadem viſione Iacob tandem perdoceri potuit,eſſe in domo ſua ſcelus Idololatriæ:nec poſſe ſtare ſe coram inimicis ſuis.eóſque fugare,quandiu domus ſua illo contaminata eſſet ſcelere. Quemadmodum Deus dixit Ioſue capite ſeptimo: *Non poterit*, inquit, *Iſrael ſtare ante hoſtes ſuos,eóſque fugare: quia pollutus eſt anathemate: non ero vltra vobiſcum,donec conteratis eum, qui huius ſceleris reus eſt. Dic eis: Sanctificamini in craſtinum. hæc enim dicit Dominus, Anathema in medio tui eſt Iſrael;non poteris ſtare coram hoſtibus tuis,donec deleatur ex te,qui hoc contaminatus eſt ſcelere.*

Ioan.4.

Oratio Eccleſiæ in veſperis ſer.6.poſt Cineres.

Rupertus.

Quæ fuerint Idola quæ re-

Ceterum ſuper iſtis verbis locus quæſtioni eſt, Quęnam fuerint Idola illa, 6

illa, quæ Iacob reperit apud domesticos suos? Iosephus lib. 3. Antiquitatum (quæ communis est multorum sententia) scribit fuisse Idola quæ furata Rachel fuerat patri suo Laban, vt suprà scriptum est Genes. 31. Atenim Iacob non apud vnam tantùm Rachelem, sed apud alios complures domesticos reperisse Idola satis indicat pluralis numerus, quo vtitur hîc Scriptura: Sic enim dixit Iacob: *Abijcite deos alienos, qui in medio vestri sunt*. Et paulò infrà: *Dederunt ei omnes deos alienos, quos habebant*. Immò verò, non fit mihi verisimile eo tempore fuisse Idola Labani apud Rachelem: neque enim tanto tempore Rachel ea Idola celare potuisset virum suum Iacob, neque si Iacob resciuisset, passus esset ea domi suæ, & apud vxores, & filios esse: vir vtique religiosissimus, & sanctissimus, diuiníque cultus obseruandissimus. Ab eo autem tempore, quo Rachel furata est Idola patri suo, vsque ad id temporis, quo Iacob locutus est cum suis de abiiciendis Idolis, anni præterierant non minùs decem; vt tanto tempore fuisse apud Rachelem Idola, Iacobo prorsus inscio, nequaquam credibile sit. Erant igitur Idola illa penes famulos ipsius Iacob; habebat enim numerosissimam familiam, atque ea potissimùm Idola fuisse reor, quæ in direptione vrbis repererant apud Sichimitas: & cum cetera præda propter magnificentiam & pretiũ operis, abstulerant.

perit Iacob apud suos. Iosephus.

7 Sed cur illa vocauit Iacob deos alienos? An quia cùm Iacob, & sui verũ Deũ colerent, alios deos suæ religioni alienos & extraneos vocabant? An potiùs quòd alienigenæ, & gentes extraneæ sanguini Hebræo istiusmodi deos colerent, soláque gens Hebræa veri Dei cultum teneret? An quia, cùm reuera essent Dæmones, mentes atque animos hominum à veri Dei cognitione, cultúque abalienabant? An quia simulabant se beneuolos, & beneficos esse homini, cùm essent humano generi alienissimi, inimicissimi, & hostes accerrimi? An denique, quia nomen Dei prorsus alienum illis, & nullo modo conueniens erat? Etenim verus Deus est, vt sæpenumero prædicat Scriptura, qui fecit cœlum, & terram; isti autem erant huius Dei creaturæ, & inter eas pessimi, abiectissimi, & detestatissimi. Audi Hieremiam cap. 10. *Dominus noster, vnus Deus est: ipse est Deus viuens, & rex sempiternus: ab indignatione eius commouebitur terra, & non sustinebunt gentes comminationem eius. Qui facit terram in fortitudine sua, & prudentia suâ extendit cœlos. Sic ergo dicetis eis: Dij, qui cœlos & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his quæ sub cœlo sunt.*

Cur Idola Iacob appellauerit deos alienos.

8 Illis porrò verbis, *Mundamini, & mutate vestimenta vestra*: Iacob duplicem imperauit munditiam: alterã interiorem ipsius animi ab immunditia idololatriæ, aliorúmque omnium flagitiorum: alteram verò exteriorem, quæ in lotione vel mutatione vestium posita erat, sed priorem illam, nimirum quantum præferat huic posteriori diuina Scriptura, videre est apud Isaiam cap. 1. verbis illis: *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis*. Sed Iudæi potissimùm in posteriore munditia toti versabantur, & occupabantur. Deus legẽ daturus Hebræis in monte Sina, iussit eos sanctificari & lauare vestimenta sua: Sic enim scriptũ est Exod. c. 19. *Vade ad populũ, & sãctifica illos hodie & cras, lauẽtq́*

Cur Iacob iusserit mutari vestimenta.

veſtimenta ſua, & ſint parati in diem tertium: quæ verba aptè reſpondent etiam verbis Iacob; nam illud *ſanctificari* reſpondet illi quod dixit Iacob *mundamini:* & illud *lauare veſtimenta ſua*, reſpondet ei quod dixit Iacob, *mutate veſtimenta veſtra*. Sed cur Iacob iuſſit mutari veſtimẽta? An quòd eſſent, tum propter idololatriæ immunditiã, tum propter cædem Sichimitarũ polluta? An potius vt mundiori, & decentiori habitu atque cultu corporis, ad ritè ſacrificandum Deo, paratiores accederent? An vt tali cæremonia exteriori, ſingulari quadam religione mentes eorum imbueret, & interio rem aduerſus Deum in animis eorum pietatem excitaret?

VERS. 5. At ille infodit ea ſubter terebinthum, quæ eſt poſt vrbem Sichem.

Oleaſter. ANNOTAT ſuper hoc loco Oleaſter, quia doctores Hebræorum ignorant proprias ſignificationes nominum Hebræorũ ſignificantium certas arborum ſpecies, idcirco cùm nomen quodpiam eiuſmodi occurrit, videre eſt diuerſas admodum de ſignificatione eius ſententias, alijs ad aliam ſpeciem arboris nomen illud referentibus. Hoc igitur loco nomen Hebræum, *Elah*, quidam ſignificare aiunt quercum, alij terebinthum, alij caſtaneam. Si tamen inſpiciatur radix eius nominis, quæ eſt, *alah*, quæ ſignificat execrari, ſiue malum imprecari; exiſtimari non temerè poſſet, eo nomine ſignificatam eſſe arborem execrabilem, & funeſtam, id eſt talem, quales erant arbores, quæ iuxta Idolorum delubra plurimùm plantari ſolebant: atque ob eam cauſam Iacob ſub tali arbore execranda, illa Idola defodere voluerit. Terebinthus porrò eſt arbor lentæ materiæ, & nigra, lauri folio, oleæ flore, ſed puniceo: baccis primùm herbaceis, mox rubris; & cùm maturuerint nigricantibus, magnitudine fabæ, reſinoſis, & ſulphuroſis, radice valida, & in profundum acta. Eſt vterque ſexus; ſed mas, Theophraſto teſte, ſterilis. præcipua commendatio reſinæ, ſuper omnes laudatiſſimæ, propter odoris atque leuitatis excellentiam. Cuius arboris inſignis eſt in Syria, tum copia, tum proceritas. Vide Plinium lib. 25.

Terebinthi deſcriptio.

Theophr.

Sed quæritur an iſtiuſmodi Idola Iacob defoderit integra, & ſolida; An priùs liquefacta & fuſa, vel reſoluta & contrita. Rationabile eſt, ait Caietanus, vt accelerans diſceſſum, caruerit Iacob commoditate conſumendi ſimulacra igne: & ideo abſconderit ea ſub terra, vbi erat quercus. Verùm ne materia ærea, vel argentea, vel aurea Idolorum, & ornamentorum, quæ in illis erant, remaneret apud domeſticos Iacob, demiſit ea ſub terra defoſſa, & abſcondita. Sic Caietanus. At verò Thoſtatus contrà ſentit: Fecit, inquit, Iacob magnam & profundam foſſam, & omnem Idolorum metallicam materiam priùs liquefactam, deiecit in illam foſſam: quæ penetrauit in profundum per viſcera terræ vt inde à nemine poſſet accipi. Noluit autem argentum & aurum illud transfiguratum in aliam formam, penes ſe ſuóſque haberi; ne quod ſemel fuerat dicatum cultui

Caietanus.

Thoſtatus.

cultui dæmonum, aliquando id ad vsus hominum applicaretur. Historia Scholastica in historia libri Genes. cap. 83. tria hunc ad locum pertinentia, minimè probabilia tradit. Primò ait, Idola quæ reperit Iacob, fuisse illa quæ Rachel furata est patri suo: ea verò Rachel propterea tandiu celauit virũ suũ Iacob, quòd ea condita in terra sub quadam arbore haberet. Subdit deinde, idola quæ defossa sunt à Iacob, multis post sæculis à Dauide fuisse reperta, & in vsum ędificandi templi Hierosolymitani collata. Tertio loco putat eandem fuisse arborem, sub qua sepulta fuit Debbora nutrix Rebeccæ, vt paulò infrà dicitur; licèt illa vocetur terebinthus à tino interprete, hæc autem quercus. Verùm & priora illa duo futilissima sunt Hebræorum commenta: & hoc tertium refellunt non solùm Latina nomina diuersarum arborum, vti sunt terebinthus & quercus; sed etiam Hebræa vocabula, *Elah*, ideſt, terebinthus, *& alon*, id est quercus, vt probat Oleaster.

Historia Scholastica.

Oleaster.

Cúmque profecti essent, terror Dei peruasit omnes per circuitum ciuitates, & non sunt ausæ persequi recedentes. VERS. 5.

11 HINC aduertere licet (ait quæst. 112. in Genes. Augustinus) quemadmodum Deus operetur quod vult in hominum mẽtibus. A quo enim terror Dei factus est in illis ciuitatibus, nisi ab illo, qui sua promissa in Iacob filiisque tuebatur? Et Chrysostomus homi. 59. in Ge. Vide, inquit, quanta prouidentia, & quàm euidens Dei tutela erat erga Iacob. Nam quia timuerat ille, ne ipse & sui, qui pauci erant comparatione illarum gentium, ab illis delerentur, idcirco Deus admirabili modo eum tutatus est, ingentem animis eorum terrorẽ immittens, vt quibus illi formidabiles videbantur, eos ipsi vehementer formidarent. Etenim quando Deus sua gratia quempiam dignatur; inualidos, fortiores potentibus; & paucos, potentiores plurimis facit: nihilque beatius est eo, qui supernam gratiam assecutus est. Sic Chrysostomus. Tali terrore Deus innumerabiles, & robustissimas gentes, quæ terram promissionis tenebant, ab Hæbræis, duce Iosue, debellari fecit: quemadmodum ipse in monte Sina promiserat, vt legitur Exodi 19. dicens: *Terrorem meum mittam in præcursum tuum, & occidam omnem populum, ad quẽ ingredieris: cunctorúmque inimicorum tuorum coram tẽ terga vertam, emittens crabrones prius, qui fugabunt Heuæum, & Chananæum, & Hethæum*: Et in Deuter. cap. 2. dixit Deus: *Hodie incipiam mittere terrorem, atque formidinem tuam in populis, qui habitant sub omni cœlo: vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium contremiscant, & dolore teneantur.* Hoc ipsum quoque confessa est Raab exploratoribus missis à Iosue, vt in libro eius scriptum est, cap. 2. *Noui* (dixit illa) *quòd Dominus tradiderit vobis terram istam: etenim irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores terræ. Audiuimus quòd siccauerit Dominus aquas maris rubri*

B. August.

S. Chrysost.

rubri ad vestrum introitum, & quæ feceritis duobus Amorrhæorum regibus, qui erant trans Iordanem, Seon, & Og, quos interfeciſtis. Et hæc audientes, pertimuimus, & elanguit cor noſtrum, nec remanſit in nobis ſpiritus ad introitum veſtrum. Dominus enim Deus veſter, ipſe eſt Deus in cœlo ſurſum, & in terra deorſum. Exod. 14.

Quàm mirabiliter Deus hoſtes populi ſui terrore immiſſo profligare ſolitus ſit.

Sed iſtiuſmodi terroris diuini illuſtre admodum legimus exemplum, & admirabilem effectum in lib. 2. Paral. cap. 14. Commemorabo id propriis Scripturę verbis. *Egreſſus eſt*, inquit, *cõtra eos*, (Iudęos) *Zara Aethiops cum exercitu ſuo decies centena millia, & curribus trecentis. Porrò Aſa* (rex Iuda) *perrexit obuiam ei, & inſtruxit aciem ad bellum, & inuocauit Dominum Deum, dicens, Domine, non eſt apud te vlla diſtantia, vtrũ in paucis auxilieris, an in pluribus: adiuua nos Domine Deus noſter: in te enim, & in tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem. Domine Deus noſter tu es, non præualeat contra te homo. Exterruit itaque Dominus Aethiopes coram Aſa, & Iuda, fugerúntque Aethiopes, & perſecutus eſt eos Aſa, & populus qui cum eo erat, & percuſſerunt ciuitates omnes per circuitum Gerare: Grandis quippe terror cunctos inuaſerat.* 12

Allegoria huius hiſtoriæ pulcherrima ex Ruperto.

Non eſt ſilentio ſupprimendus huius hiſtoriæ breuis, ſed pulcherrimus Ruperti tractatus allegoricus, qui eſt apud eum lib. 8. Commentar. in Geneſ. cap. 12. Verba eius ſunt huiuſmodi: Planè hoc ordine, & his profectibus aſcendendum eſt in Bethel, id eſt, in domum Dei, quæ non eſt alia, quàm Eccleſia Chriſti. Primùm eſt, priſtinos abdicare errores, & vnius veri Dei profiteri fidem, quod eſt auferre deos alienos de medio noſtri: deinde baptizari in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: quod eſt mundari: ac deinceps ambulare in nouitate vitæ, quod eſt veſtimenta mutare. Et Iacob datas ſibi inaures, quæ erant in auribus ſimulacrorum, infodit ſubter terebinthum, inaures enim habebant viri, more cęterorum orientalium populorum, quod mollis & effœminati animi erat inſtrumẽtum. Significant porrò inaures, falſæ doctrinæ phaleras, ſermone nitidas, ſed ſenſu veritatis vacuas: cuius nos fabuloſa dicacitas, cùm eſſemus gentes, ad ſimulacra muta, tanquam Sirenarum cantus pertrahebat. Terebinthus autem reſinam generans pretioſiſſimam, lignum crucis, quod virtutis eſt optimæ, ſignificat, ſubter quam omnia peccata noſtra ſepeliuntur, vt eorum vltra nullum veſtigium reperiatur. Cúmque id feciſſet Iacob, terror Domini inuaſit omnes gentes per circuitum, vt eum inſequi non auderent. Non igitur fruſtrà, ſed valdè vtiliter & neceſſariò ſuggeſtum diuinitus fuit beato Iacob vt auferri iuberet de domo ſua deos alienos: nam antea ipſe timidus, & periculosè incedens adorabat Eſau, & domus eius cædibus, ac ſanguine turbabatur: nunc autem terror Domini inuaſit omnes, & non ſunt auſi eum perſequi recedentem. 13

Hactenus ex Ruperto.

Eodem

Eodem tempore mortua est Debbora nutrix Rebeccæ, & sepulta est ad radices Bethel, subter quercum: vocatúmq; est nomen loci illius, Quercus fletus.

14 QVOMODO Debbora tunc erat in comitatu Iacob? Hanc dubitatiunculam tangit, & soluit Chrysost. sub finem homiliæ 59. in Genesim, ita scribens: Et quo modo, dixerit quispiam, ista Debbora nutrix Rebeccæ fuit, cùm Iacob tũc primùm venerit è Mesopotamia? Fortè hoc dicendum est, quòd quando à Laban discessit Iacob, hæc simul cum eo venire cupiuerit, vt post longum tempus Rebeccam reuiseret: sed priusquàm ad illam perueniret, defuncta sit. Hæc scribens Chrysostomus, significare videtur, Debboram, cùm ex Mesopotamia profecta est Rebecca in terram Chanaan, remansisse in Mesopotamia: & longissimo post tempore, cùm Iacob inde discessit, voluisse eam cum Iacob visum ire Rebeccam: quod tamen verum non est. Debboram enim vnà cum Rebecca ex Mesopotamia venisse in terram Chanaan, apertè Scriptura tradidit supra Gen. 24. Probabilior itaque sententia est Caietani: Si quæras, inquit Caietanus, qualiter Debbora erat cum Iacob, quam nunquam legimus recessisse à Rebecca, cum qua venerat ex Mesopotamia in terram Chanaan: Respondetur, quòd mortua Rebecca, cum audisset Debbora, Iacob dilectum filiũ Rebeccæ, redijsse ex Mesopotamia cum vxoribus, & habitare in terra Chanaan (multis enim iam annis ibi habitauerat) venit ad eum, cupiens vitam agere potiùs cum mulieribus Mesopotamiæ, vxoribus Iacob, quàm cum Chananæis, vxoribus Esau. Tempus enim mortis Rebeccæ, quamuis non sit scriptum, ex hac tamen absentia Debboræ à domo Isaac insinuatur: non enim fas est credere Debboram inde recessisse, viuâ Rebeccâ. Sic Caietanus Hebræi tradunt, Rebeccam misisse Debboram nutricem suam in Mesopotamiã ad filium suum Iacob, vt inde suo & patris nomine reuocaret ac duceret eum vnà cum familia in terram Chanaan, sicut ipsa promiserat ei, cum mitteret eum in Mesopotamiam. Sic enim suprà extremis penè verbis capitis vigesimi septimi scriptum est: *Nunc ergo fili mi* (dixit Rebecca filio suo Iacob) *audi vocem meam, & consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran, habitabísque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui, & cesset indignatio eius, obliuiscatúrque eorum, quæ feceris in eum: postea mittam, & adducam te inde huc.* Debboram porrò anum fuisse annosissimã, cùm est mortua, facile est cognoscere ex ipsa Scriptura. Ab eo nãque tempore quo illa venit cum Rebecca in terram Chanaan, vsque ad hoc tempus, quo dicitur esse mortua, præterierunt anni centum viginti septẽ: tunc autem credibile est non fuisse minorem quinquagesimo anno; quippe quæ nutrix fuerat Rebeccæ, quæ tunc nuptum tradebatur Isaac, nec minor erat vigesimo anno, Isaac verò tunc erat quadraginta annorũ, vt dicitur Gen. 25. & sexagenarius genuit ipsum Iacob, vt ibidem traditur. Hoc autem tempore quo Debbora obijt, Iacob fuisse annorum circiter septẽ & centum suprà ostensum est: erat itaque Debbora cùm excessit, annorum centum, & propè octoginta.

Chrysosto. Quomodo fuerit Debbora in comitatu Iacob, & quã fuerit annosa.

Hebræi.

SED perpendamus nomen illud *nutricis*, pro quo in Hebræo est *menechet*, de cuius vocis significatione breuiter hoc loco disputãs Oleaster, 15
Omnes, inquit, nostri hìc vertunt nutricem, quod non prohibeo: sed dictio Hebræa potest tam collactaneam, quàm nutricem significare. Verbum enim Hebræum propriè significat *sugere*; licet in *hiphil* significet lactare: cuius rei coniectura est magna illud quod legitur Canticorum 8. *Ionech*, id est, sugentem vbera matris meæ. In quarto tamen libro Regũ capite vndecimo ista vox Hebræa non potest habere significationẽ aliam nisi *nutricis*, cùm dicitur, Iosabam filiam Regis Ioram, & sororẽ Ochoziæ de medio filiorum regis qui interficiebantur, tulisse Ioam filium Ochoziæ, & nutricem eius de triclinio, & abscondisse eum à facie Athaliæ vt non interficeretur. Sic ex Oleastro. Nec sanè Latina vox *nutricis*, vel *nutricij* significat altricem tantùm, vel altorem infantis: verùm etiam primum educatorem, atque institutorem: qua significatione Plato libro tertio de Republica scribit Achillem fuisse nutritum à sapientissimo Chirone; à quo nimirum etiam doctrinâ medicinæ eruditus est. Et S. Hieronymus in epistola quam scripsit ad Lætam, hortando eam vt filiolã suam Paulam mitteret Bethleem, vt ibi Christianam disciplinam melius edoceretur, spondet se illi fore nutritium, & magistrum: Ipse, inquit Hieronymus, si Paulam miseris, & magistrum, & nutritium spoedeo, gestabo humeris, balbutientia senex verba formabo: multo glorioſior mundi Philosopho (significat Aristotelem) qui non regem Macedonum, Babylonio periturum veneno, sed ancillam & sponsam Christi erudiam regnis cœlestibus offerendam.

De nomine hebræo Menecher, *& Latino* nutrix. *Oleaster.*

Plato. Achilles alũnus, & in medicina discipulus Chironis. S. Hierony.

Cæterùm nutricem non idoneam solum ad bonam pueri nutricationem, verum etiam ad primam eius institutionem, bono ingenio, linguâ, & moribus esse oportere, rectè prœcipit Quintilianus. Ante omnia, Quintilianus inquit, ne sit vitiosus sermo nutricibus, quas si fieri posset, sapientes Chrysippus optauit, certè quantum res pateretur, optimas eligi voluit. Et morum quidem in illis sine dubio prior ratio est, rectè tamen etiam loquantur. Has enim primùm audiet puer, harum verba effingere imitando conabitur: &, natura ipsa, tenaciſſimi sumus eorum, quæ rudibus annis percepimus. Sic ille. Ingens porrò apud veteres semper fuit alumnorum erga nutrices amor, & obseruantia, & pietas, non secus profectò quàm erga matres. Docere hoc voluit Virgilius exemplo Æneæ, qui ex Troianæ vrbis excidio secum in Italiam duxit fortunę suæ comitẽ Caietam, nutricẽ suam: eam in Cãpano littore extinctã magnificè funerauit, exstructa etiam vrbe, quæ nomẽ eius ferret: vt illi eius versus indicãt:

Quintilianus lib. 1. Chrysip.

Magna olim pietas alumnorum erga nutrices. Virg. lib. 7. Aeneidos.

Tu quoque littoribus nostris Aeneïa nutrix,
Aeternam moriens famam Caieta dedisti.

RVPERTVS disputans hoc loco cur Moses mortem & sepulturam 16
Rebeccæ tacuerit, quę in domo Isaac erat materfamiliâs, & domina; mortem verò & sepulturam Debboræ, quæ nutrix & ancilla erat, tam accuratè cõmemorauerit: huiusmodi rationẽ allegoricam tradit lib. 8. Commentariorũ in Gen. c. 13. Quid hoc est, inquit Rupertus, quod Debboræ nutricis

Ruperti allegoria.

nutricis mors hîc memoriæ commendatur: & Rebeccæ, cuius illa nutrix fuerat, mors nusquã legitur? Num dignior existimata est nutrix, quàm alumna? Ergo hîc granum sub palea quærendum est. Nẽpe sicut Rebecca Spiritus sancti gratiam significauit, sic Debbora legem Mosis, & iustam & sanctam prẽsignauit: quod ex ipso eius vocabulo licet intelligere: *Debbora* namque, *apes* interpretatur. Scimus autem quòd apes & mel in ore dulcifluum, & molestum sub cauda gestat aculeum. Sic planè lex sancta, in facie sua, quæ Iudæis velata est, viuificantem Spiritum continet: in posterioribus autem suis, quæ Paulus obliuiscebatur, occidentem habet litteram. Igitur Debboræ quidem, quæ Rebeccam nutriuit, mors inuenitur: quia videlicet ascendentibus in Bethel, id est, domum Dei, occidens littera legis relinquitur; viuificans autem Spiritus perseuerat, & vbique glorificatur. Debbora sepelitur sub quercum: quia videlicet in principio surgentis Ecclesiæ, & in primordijs Christianæ religionis, quæ tota spiritualis est, carnalis sensus legis, & cunctæ carnales cæremoniæ sub ligno crucis obruuntur. Quod quia vsque ad hanc diem à Iudæis sine sacerdotio & sine templo sedentibus deploratur, rectè vocatum est nomen loci illius, Quercus fletus. Hæc Rupertus.

2. Cor. 3. *Ad Phil. 3.* 2. Cor. 3.

Apparuit iterum Deus Iacob postquam reuersus est de Mesopotamia Syriæ: benedixítque ei, dicens: Non vocaberis vltra Iacob, sed Israel erit nomen tuũ: & appellauit eum Israel.

17 ILLVD *Apparuit iterum*, non significat, istam fuisse secundã apparitionem diuinam factam Iacob, siquidem hæc septima fuit; Etenim primò apparuit ei Deus eunti in Mesopotamiã, in visione illius scalæ, Gen. 28. Secunda apparitio fuit in Mesopotamia cùm in somno vidit Angelum demonstrantem sibi fœcundã generationem suorum pecorum, Gen. 30. Tertia fuit etiam in Mesopotamia, cum Deus iussit eum abire ex Mesopotamia, & redire in terram Chanaan, Gene. 31. Quarta fuit, cùm ei iam ingresso Chanaan, & valdè formidanti aduentum fratris sui Esau, occurrerunt Angeli tanquam milites armati ad eius defensionem, & idcirco locum illum appellauit Castra Dei, Gene. 32. Quinta apparitio fuit sub specie illius viri, qui cum eo luctatus est, vt ibidem memoratur. Sexta fuit, cùm post cædem Sichimitarum, vehementer timentem finitimorum populorum hostilem in se vim & impetum, Deus iussit ire Bethel, & ibi sacrificare sibi, vt in exordio huius capitis trigesimi quinti dictum est. Septima fuit, quæ narratur hoc loco. Illud igitur, *Apparuit iterum* referri debet ad proximè antecedentem apparitionem, in qua iussit eum ire Bethel ad sacrificandum sibi, ne videlicet hæc eadem putaretur esse illi.

18 Benedixítque *ei dicens, &c.* Benedictio ista, fuit ea ipsa mutatio nominis Iacob in Israel, quam proximè subiungit. Et quia Benedicere Dei, est benefacere, & denotat magnam quãpiam gratiam ei, cui benedixit Deus, donari idcirco mutatio illa nominis significauit fuisse tunc vberiorem

gratiam datam Iacob,eúmque mutatum fuisse in virum meliorẽ,& proiectum ad præstantioris virtutis statum. Antea enim tanquam vir proficiens in studio virtutum,maxima ex parte versatus,& exercitatus est in vita actiua:nunc autem ampliori virtute,& gratia Dei auctus,ad excellẽtiorem vitæ contemplatiuæ statum præcipuè deinceps tuendum & colendum promotus est. Cui sententiæ,atque intelligentiæ mirificè respon-

Thostatus. dent & congruunt nomina Iacob,& Israel. Nam,vt ait Thostatus,Iacob interpretatur *luctator*, siue *supplantator*, talis autẽ est cultor vitæ actiuæ; quæ meritò vocari potest lucta, in qua pugnatur contra concupiscentias carnis,& concupiscentiam oculorum,& superbiam vitæ,& cõtra Dæmonem,mundum,& carnem. Nam quod Iob dixit ca.7. *Militia est vita hominis super terram*, id potissimùm competit in vitã actiuam. Cùm autem quis diu,multúmq; in actiua vita exercitatus, quasi pertransitis gradibus peruenit ad culmen vitæ contemplatiuæ,tunc omnis cura, & solicitudo

Luc.10. humani cordis in vno Deo conquiescit:sicut Magdalena quieta sedebat ad pedes Domini,fruens eius sermonibus,interea multùm sollicita & satagente Marthâ sorore circa frequens ministerium. Tunc felix anima cũ sponso suo Christo toto corde lætatur,eius contemplatione satiata,quem tamen adhuc in ænigmate videt,quia nondum corporis carcere exsoluta est,in quo dum manet,magis sibi amare Deum videtur,quàm cognoscere. Ergo sensus illorum verborum, *Non vocaberis vltra Iacob, sed Israel erit nomen tuum*, hic est:Antehac principaliter fuisti cultor vitæ actiuæ, & minùs principaliter vitæ cõtemplatiuæ,id quod denotat nomẽ Iacob, quovsque adhuc vocatus es;at verò posthac contrà fiet:nam potissimùm versaberis in vita contemplatiua:& idcirco tali statui respondens,& congruens nomen habebis. Vocaberis enim Israel,quod est nomen contemplantis Altissimum Deum;& gratiâ præpollentis, & prævalentis apud Deum. Sic fermè Thostatus.

PRIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis,

Non vocaberis vltra Iacob, sed Israel erit nomen tuum.

VERS.9. Quomodo dicatur hîc mutatum fuisse nomen Iacob in Israel,cùm id ante decem fermè annos factum fuerit ab Angelo,qui luctatus est cum Iacob,vt suprà Gen.32.proditum est.

Prima opinio Oleastri. PROPTER hanc difficultatem, ambigit Oleaster, vtrum 19 hæc apparitio diuersa fuerit ab illa, in qua luctatus est Angelus cum Iacob,quòd in ea mutatum fuisse nomen Iacob in Israel,apertis verbis scripserit Moses:Dubium mihi est, inquit Oleaster,an hæc noua sit apparitio, vel potiùs referatur illa quâ Deus antea illi apparuerat, quando cum eo in arenam

descen

descendit: non enim videtur necessaria noua impositio nominis, cùm ea ipsa fuerit antea à Deo facta. Nisi dicamus Deum confirmasse nominis impositionem factam priùs ab Angelo. Sic Oleaster. Sed profectò dubitari non potest, hanc apparitionem fuisse diuersam ab illa esse factam. Illa quippe contigit prius quàm Iacob veniret in Socoth, & habitaret iuxta Salem, quibus in locis propè decennium commoratus est, vt suprà ostensum est. Hæc autem apparitio facta est post cædem Sichimitarum, & discessum Iacob ex illa regione: Siquidem discedenti illinc Iacob, & finitimarum gentium in se impetum formidanti, apparuit Deus, & iussit ire Bethel, & ibi sacrificare sibi, vt in exordio huius cap. 35. scriptum est. Hoc autem Dei mandatum confestim executum fuisse Iacob, paulò pòst narrat Moses: venisse enim eũ Bethel scribit, & ædificasse ibi altare Deo; & mox subdit hanc ipsam apparitionem, de qua nunc agimus. Non itaq; in dubium vocari potest, an hæc apparitio diuersa fuerit ab ea, quæ commemorata fuit suprà Genesis 32.

20 Altera est fermè communis sententia, suprà Gen. 32. nomen Israëlis reuera non fuisse impositũ ipsi Iacob, sed tantummodò prænunciatũ, & promissum, nunc verò impositionem eius nominis verè factã esse, priorẽ promissionem explendo. Huius sententiæ primus, & principalis auctor videtur fuisse B. Hieronymus: cuius in traditionibus Hebraicis in Genesim super hunc locum, hæc sunt verba: Dudum nequaquam ei ab Angelo nomen impositum fuit; sed quod imponendum esset à Deo ab ipso prædictum: quod igitur ibi futurum promittebatur, hîc docetur expletũ. Sic Hieronymus. Idem sensit Auctor Historiæ Scholasticæ: nam in historia lib. Gen. c. 83. enarrans hunc locum ita scribit: Ecce patet quòd supra nomen Israelis promisit tantùm, hîc autem imposuit. Et Thomas Anglicus super hunc locum refert istam opinionem, minimè eam improbans. Suprà, inquit, priùs promiserat ipsum sic appellandum: hîc autem de facto ipsi nomen istud imposuit. Horum adstipulator est Lippomanus in Catena super his ipsis verbis: idque confirmat vel declarat exemplo B. Petri, cui Christus Dominus cùm primum venit ad se, dixit: *Tu es Simon filius Ionæ: Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Quibus verbis non imposuit ei tunc nomen Petri, sed promisit tantùm: imposuit autem postea, cùm dixit ei, vt refert Matthæus cap. 16. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Vel potius tunc nomen istud est impositum, cum Christus elegit duodecim Apostolos: de tali namque scribens electione Marcus cap. 3. *Et imposuit*, inquit, *Simoni nomen Petrus*, eandémque referens electionem Apostolorum Lucas in cap. 6. *Elegit*, inquit, *duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit, Simonem, quem cognominauit Petrum, &c.*

Secũda opinio.

S. Hieronym.

Hist. Scho.

Tho. Anglic.

Lippomanus.

Ioan. 1.

21 Cæterùm explicatiùs istam opinionem tractauit Caietanus, tum suprà super cap. 32. vbi talis impositio nominis Israelis memoratur, tum super hoc loco, in quo eadem impositio nominis traditur. Illic enim Caietanus ad hunc modum scribit: Pro illo. *Non vocaberis vltra Iacob, sed Israel*, in Hebræo est: *Non vocaberis vltra Iacob, quòd si Israel?* Non hoc loco mu-

Caietanus.

tauit Angelus nomen Iacob in Israel, sed postea facta est hæc mutatio in loco qui dicitur Bethel, vt clarè patet infrà capite trigesimo quinto. Sed hoc loco prænunciatur nomen istud imponendum ipsi, non quidem assertiuè, sed cum ambiguitate quadam tanti nominis spes datur, admirationem ingerendo, cùm dicitur, *Quod si Israel erit nomen tuum?* Oratio siquidem ambigua est, spem tamen magnam præbet, ex futura negatione nominis Iacob asserta. Sic ibi Caietanus. Super hoc autem loco ita scribit: Pro illo: *Sed Israel erit nomen tuum*, iuxta Hebræum habetur: *Quod si Israel erit nomen tuum?* Ijsdem verbis vtitur Deus, nunc quibus vsus fuerat antea Angelus luctator, sed alia ratione: quia ille ad inchoandam spem tanti nominis; hîc ad paulatim eleuandam mentem Iacob ad tantum donum accipiendum. Eleuata quippe mente ipsius Iacob ad tantum donũ, confertur ei nomen nouum; quod, vt dictũ est, sonat, *Dominabitur Deus.* Ex quo intelligere possent omnes, & ipsemet Iacob, significari eo nomine diuinum beneficium in Iacob, & in populo eius, videlicet non humanum, sed diuinum beneficium. Et sic verè impletum legimus: nam quando Deus dominatus est in cordibus eorum, habuerunt etiam humanum dominium à Deo: quando autem abiecerunt à seipsis dominium Dei, perdiderunt etiam dominium humanum: Sicut pluribus verbis dixit Holoferni Dux Ammonitarum Achior, vt scriptum est in libro Iudith. Hactenus ex Caietano.

Iudith cap. 5.

Refellitur secunda opinio.

Et hæc est secunda opinio multis probata. Quam tamen duæ res videntur improbabilem facere. Mutatio enim Iacob in Israel, vtroque in loco ijsdem omnino verbis exponitur, vt ex modo loquendi non possit elici priùs fuisse promissam, posteriùs autem collatam. Nam ibi dicit Angelus: *Nequaquam appellabitur nomen tuum Iacob, sed Israel*; hîc autem dicitur: *Non vocaberis vltrà Iacob, sed Israel erit nomen tuum*: Vtrobique igitur per verba futuri temporis exposita est noui nominis impositio. Deinde fuisse tunc ab Angelo luctatore verè impositum ei nomen Israel, videtur esse non leue argumentum, quòd ante secundam hanc impositionem iam bis nomine Israelis appellatus fuit Iacob; semel capite trigesimo tertio, illis verbis: *Et erecto ibi altari, inuocauit super ipsum fortissimum Deum Israel.* Et iterum capite trigesimo quarto ibi: *Auditóque quod acciderat, irati sunt valdè, eo quòd fœdam rem operatus esset in Israel.* 22

Tertia opinio Thostati.

Tertia opinio est Thostati. Hic arbitratur, bis fuisse B. Iacobo impositum nomen Israel; primum suprà cap. 32. deinde hîc cap. 35. Verùm binam istam impositionem ex diuersa ratione, & ad diuersum quid significandum esse factam. Etenim suprà est appellatus Israel, vt significaretur, cum omnibus suis inimicis præualiturum, foréque insuperabilem. Quocirca cùm Angelus dixisset ei: *Non vocaberis Iacob, sed Israel*; proximè rationem istius impositionis adiecit, dicens: *Quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis?* In hoc autem cap. 35. Idem nomen iterum est impositum ipsi Iacob, sed ob aliam quandam rationẽ. Nimirum voluit Deus talis nominis impositione, significare, Iacob ex 23

statu

ſtatu imperfectiori, actiuæ ſcilicet vitæ, promoueri debere, & eleuari per diuinam gratiam ad ſublimiorem, & perfectiorem ſtatum vitæ contemplatiuæ, & ideo nomen Iacob, quod ſignificat *Luctatorem*, vel *ſupplãtatorem*, ob idque denotat vitam actiuam, mutari in nomen *Iſrael*, quod ſignificat *eum qui videt Deum*, vel ſignificat *principem*, ſiue *fortem cum Deo*, quod haud dubiè vitam contemplatiuam adumbrat. Verba Thoſtati hæc ſunt: Quæritur quo modo dicatur hîc Deus mutaſſe nomen Iacob in Iſrael, cùm ea mutatio nominis iam antea eſſet facta ab Angelo, qui luctatus eſt cum Iacob, vt dictum eſt Geneſ. 32. Reſpondetur, iſtam mutationem nominis Iacob in Iſrael bis fuiſſe factam, ſed ob diuerſas rationes. Tunc enim Angelus fecit illam mutationem, vt oſtenderet Iacob per illam luctam, multo fortiorem fuiſſe factum quàm fuerat antea: nã antea dicebatur Iacob, quia ſupplantauerat fratrem ſuum in vtero, quòd erat paruæ fortitudinis, & dignitatis: Angelus verò appellauit eum Iſrael, quòd ſignificat fortem cum Deo, quæ appellatio longè maiorem proculdubio fortitudinem, & dignitatem ipſius arguebat. Itaque poſt illam luctã, nomen Iſraelis magis ei conueniebat, quàm nomen Iacob. Hoc autẽ in loco Deus mutauit illi nomen Iacob in Iſrael, ad ſignificandum ſtatũ perfectum vitæ, ad quem ille tunc euehebatur, nimirum ex imperfecto ſtatu vitæ actiuæ, ad perfectum ſtatum vitæ cõtemplatiuæ: nã illa ſignificatur per Iacob, id eſt, luctatorem, vel ſupplantatorem; hæc autem per Iſrael, id eſt, videntem Deum, quemadmodum in hac vita videri poteſt per contemplationem; vel, Principem cum Deo, quòd perfecti contemplatores magnæ ſint dignitatis apud Deum, vel fortem cum Deo, quòd fortiter in contemplatione Dei permanentes, nullis ab ea curis rerum temporalium abſtrahipoſſint, vel quòd ex tali contemplatione fortes euadant ad debellandos hoſtes inuiſibiles, & viſibiles. Et ad hanc fermè rationem Thoſtatus.

Thoſtati opinio refellitur.

24 Verùm opinionem hanc Thoſtati dupliciter quis refutare poſſet. Primùm enim nomen Iacob ſecundùm propriã eius vocis ſignificationem ſignificat ſupplantatorem, cultorem autem vitæ actiuæ non ſignificat propriè, ſed tantùm metaphoricè. Similiter nomen Iſraelis propriè ſignificat fortem cum Deo, cultorem verò contemplatiuæ vitæ, non niſi figuratè. Cùm igitur oratio Moſis de mutatione nominis Iacob in Iſrael in hoc loco ſit hiſtorica, palàm eſt opinionem Thoſtati (eadem autem videtur etiam fuiſſe Lyrani ſuper hoc loco) qui nomen Iacob, & Iſrael interpretatur vitam actiuam & contemplatiuam, non congruere cum narratione Moſis ſecundùm litteralem, & hiſtoricum ſenſum, ſed veram tantùm eſſe ſecundùm myſtologicum ſenſum: quo fit, vt ſecundùm iſtam opinionẽ quæſtio ſuperiùs poſita nequaquã benè ſolui, & explicari queat. Deinde quod Thoſtatus ait, impoſitionem nominis Iſrael bis eſſe factã, ſed ob diuerſas rationes ſuperiùs ab ipſo expoſitas, non videtur Sacræ hiſtoriæ conſentaneũ: immò videtur potiùs veritas ſacræ hiſtoriæ demonſtrare eandẽ fuiſſe rationẽ & cauſam, & tunc & nunc appellandi Iacob nomine Iſraelis. Tunc enim Deus propterea nomen Iſraelis impoſuit ei,

vt ex

vt ex animo ipsius demeret ingentem metum fratris sui Esau, venientis ad ipsum cum quadringentis equitibus: Et ideo appellauit eum Israel, quod significat fortem cum Deo, dicens, *Si contra Deum in lucta fortis fuisti, quanto magis apud homines prævalebis?* Non igitur metuendus tibi est frater tuus Esau. Consimili quoque ratione, & ob eandē causam nunc iterum appellauit eum Israelem: erat enim nunc Iacob in magno pauore & angore animi, maiorem in modum formidans finitimorum populorū contra se hostilem impetum propter Sichimitarum cædem à suis factam. Rursus igitur Deus reducit ei in memoriam nomen Israelis ipsi olim impositum; quasi diceret, Noli timere: propterea enim appellari te volui Israelem, qui significat fortem cum Deo, vt scires te, meo præsidio tectum & confisum, fortiorem omnibus aduersarijs tuis fore. Ex his aduertit, opinor, lector, eandem fuisse & tunc, & nunc imponendi nominis Israelis rationem, & causam.

Quarta opinio, quæ magis probatur Auctoris.

Quarta opinio, quæ prioribus videtur probabilior, huiusmodi est: impositionem nominis Israel hoc loco factam, non fuisse nouam, sed prioris, olim factæ renouationem quandam & confirmationem, quoscilicet diuinæ promissionis per nomen Israel significatæ, fides & fiducia certior in animo Iacob firmaretur. Suprà igitur Gen. 32. verè facta est impositio istius nominis, vt contra secundā opinionem paulò suprà disputauimus; nunc autem eiusdem impositionis renouatio & repetitio fit ob eā quam proximè antè causam diximus: ad eundem namque modum cùm suprà Geneseos vigesimo octauo, Locum, in quo Iacob viderat illam scalam, appellauit Bethel, id est, Domum Dei: eundem ipsum locum nunc, cùm in eo sacrificaret Deo, appellauit iterum Domum Dei, id est, Hebraicè Bethel. Non enim inusitatum aut rarum est in Scriptura, easdem promissiones, vel prædictiones, vel res alias semel iam datas, & commemoratas, postea diuersis temporibus tanquam nouas denuò tradere, & commemorare. Exempli gratiâ, promissiones de multiplicando semine, & de possidenda terra Chanaan, primùm datæ sunt Abrahæ, cum euocatus à Deo est ex terra Chaldæorum, vt suprà legimus Geneseos duodecimo. Easdem verò postea iterum atque iterum, perinde quasi nouæ essent, dedit ipsi Abrahæ, vt patet Geneseos 15. & 17. & 22. Easdémque dedit Isaac, & Iacob, quasi etiam nouas. Nec mea tantùm est opinio hæc, idem enim sentit B. Augustinus in quæstio. 114. in Genesim, cuius verba in proximè sequenti disputatione commemorabimus. Idem tradit Rupertus libro 8. in Genesim cap. 14. Nam exponens illud, *Et appellauit eum Israel*; sic ait: Vbi votum soluit Iacob, benedictionem percipit, qua & illud quod in somnis viderat, quando votum fecit fugiens Esau, & id quod nouissimè audiuit cum Deo luctatus, repetitione confirmatur: *Non*, inquit, *vocaberis Iacob, sed Israel erit nomen tuum*: Et adiecit Scriptura dicens ex ore suo, *Et appellauit eum Israel*, quo dicto firmissimam vocabuli auctoritatem tenendam expressit, quia profectò mutabilis non est vocatio Dei. Porrò quod addidit, *Ego sum Deus omnipotens, Cresce, & multiplicare, &c.* iam antè expositum est: multis enim vocibus idem promissum est,

Mox diuinæ Scripturæ.

Rupertus.

est; vnde rectè non iam promissiones, sed propter iterationem frequentem, dicere potiùs debemus repromissiones Dei. Sic Rupertus. Ad hanc ipsam opinionem propensior est Thomas Anglicus, qui cùm secundam opinionem paulò superiùs enarratam breuiter commemorasset, subdit, vel nomen Israelis sibi anteà impositũ, nunc pleniùs confirmauit Deus; fuitque id in signum perfectioris virtutis & amplioris principatus ipsius Iacob, & in signum maioris assistentiæ Dei ad ipsum, atque etiam in signum, quòd per supplantationem hostium spiritualium ascenditur ad visionem seu contemplationem Dei, & ad insuperabilem Dei principatum. Sic ille. *Tho. Anglic.*

SECVNDA DISPVTATIO.

Cum Iacob post impositionẽ nominis Israel, & dum vixit, & post mortem, frequentiùs appellatus sit nomine Iacob, quã Israelis, quomodo verè dictum est ei, Non vocaberis vltrà Iacob, sed Israel erit nomen tuum?

26 HANC disputationem, suprà super cap. 32. Gen. vbi primùm impositio nominis Israel commemoratur, proposuimus; sed eius tamen explicationem hunc in locum distulimus. Exponamus igitur breuiter Auctorum sententias, ac denique quid vero similius videatur nobis, indicemus. Prima est sententia B. Augustini, qui ponit & soluit hanc ipsam quæstionem: verùm solutio eius figurata potius quàm propria; & anagogica magis, quàm historica videtur. Ait enim ista mutatione nominis Iacob in Israel, magnum quoddam mysterium esse significatum. Etenim quia nomen Iacob significans *supplantatorem*, denotat labores & certamina præsentis vitæ; nomen autem *Israel* significans *eum qui videt Deum*, significat cœleste præmium beatæ visionis Dei, quod in præsenti vita promittitur, nec nisi exigua quadam in parte datur; sed planè dandum est post hanc vitam: idcirco huius rei significandæ gratiâ, promittitur Iacobo nomen Israel: quo tamen dum vixit, rariùs quàm nomine Iacob, appellatus est. Ponam hîc Augustini verba, quæ sunt in li. quæst. eius in Gen. in Tractatu quæst. 114. Scribit autem ad hunc modum: Iterũ Deus ei benedicit, & nomen Israelis iterum ei imponit: quæ repetitio confirmat magnum promissum hoc nomine. Nam hoc mirum est, quibus semel dictum est ampliùs eos non esse vocandos hoc nomine, quo vocabantur, sed nouo nomine quod eis imponebatur, eos non ampliùs veteri nomine, sed nouo esse appellatos: istũ autem Patriarcham, & per vitam suam, & deinceps post vitã suã appellatũ esse Iacob, cui tamen non semel Deus dixerat, *Nõ iã vocaberis Iacob, sed Israel erit nomen tuũ*. Nimirũ ergo nomẽ hoc ad illã rectè intelligitur pertinere promissionẽ, vbi sic videbitur Deus, quo modo nõ est antea Patribus visus, vbi nõ erit nomẽ vetus; quia nihil remane- *Prima opinio B. Augustini.*

bit vel in ipso corpore vetustatis, & Dei visio sui erit præmiũ. Sic Augustinus. Sed, vt dixi, liquidò apparet, hanc opinionem & interpretationem Augustini, non esse propriam, & historicam; sed figuratam, & anagogicã. Quapropter proposita quæstio per istam expositionem minimè soluitur; cùm & sermo ipsius Scripturæ in hoc loco sit historicus, & constet sanctum illum Patriarcham post id temporis, quo dictum est ei, *Non vltra vocaberis Iacob, sed Israel*, frequentiùs nomine Iacob, quàm Israelis esse appellatum.

Secunda opinio Lyrani, & Thostati.

27 Altera opinio est Lyrani, & Thostati super huius loci expositione; Quoniam illi putarunt per mutationem nominis Iacob in nomen Israel, quę narratur in hoc capite trigesimo quinto, significatum esse transitum, siue promotionem Iacob ex vitæ actiuæ studio, & exercitio, ad statum, & cultum vitæ contemplatiuæ, vt suprà nos ex istorum sententia exposuimus: iccirco nunc isti suæ opinioni videlicet conuenienter & consequenter respondentes propositæ quæstioni; dicunt, eum, qui ex vita actiua transit ad contemplatiuam, non omnino vacare ab exercitio vitæ actiuæ; sed propterea vocari contemplatiuum potiùs quàm actiuum, quòd principalius sit contemplatiuus, minus autem principaliter sit actiuus. Sicut post factam istam nominis mutationem ex Iacob in Israel, habuit quidem Iacob vtrumque nomen, verùm principalius nomen Israelis; minus autem principaliter nomen Iacob. Adscribam hoc loco verba Lyrani, ex quo sumpsit Thostatus quæ in eandem sententiam tradit super illis verbis: *Non vocaberis vltra Iacob*, sic ait, cùm postea in eodem capite vocatus sit pluries Iacob, quæritur quomodo illud accipiendum sit? Sed intelligendum est, non vocatum iri vltra nomine Iacob, tanquam nomine principali, non tamen excludi quin vocandus esset postea eo nomine, tanquam secundario. Et huius ratio est, quia ista nominis mutatio facta est ad designandum transitum Iacob ex vita actiua ad cõtemplatiuam; quia actiua vita imperfectior est; sed præcedere debet, & disponere hominem ad cõtemplatiuam, iuxta illud Gregorij in Moralibus: Qui contemplationis arcem tenere desiderant, necesse est, vt priùs se in actionis campo exerceant, & probent: pugnando videlicet contra passiones rationem perturbantes. Sic autem transit homo ad vitam contemplatiuam, quæ perfectior est tali actione, sicut finis respectu eius quod est ad finem. Homo autem, quando ex actiua vita transit prædicto modo ad contemplatiuam, non deserit simpliciter ipsam vitam actiuam; siquidem necesse est ipsum per actiuam vitam exerceri, ne propter cessationem ab actiua rursus insurgant passiones rationem perturbantes. Et ad hoc designãdum, Iacob, etiam postquam vocatus est Israel, nihilominus appellatus est etiam Iacob. Hæc Lyranus.

B. Gregor.

Lyranus, & Thostatus refelluntur.

28 At enim ista opinio tota nititur & sustentatur priore altera opinione istorum Auctorum, quam in Tractatu præcedentis disputationis confutauimus: quòd nimirum mutatio nominis Iacob in Israel, facta hoc loco, primò, & per se significauerit transitum, & promotionem Iacob ex vita actiua ad contemplatiuam. Hoc, quia falsum esse, suprà ostendimus; consequens

sequens est hanc quoque opinionem esse falsam. Deinde hæc sententia Lyrani & Thostati nequaquam cohæret cum veritate, miniméque subsistit. Si quidem, vt isti dicunt, qui ex vita actiua transit ad contemplatiuã, licèt non desinat vitam actiuam, propterea tamen est, ac dicitur contemplatiuus potiùs, quàm actiuus, quia frequẽtior est in cõtemplatione, quàm in actione. At contrà cernere est in illa mutatione nominis Iacob in nomen Israel: postea enim non solùm aliquando appellatus est Iacob, quo significabatur (vt placet istis) vita actiua, sed multo frequentiùs est appellatus Iacob, quàm Israel: cùm tamẽ nomine Israelis, vt isti dicũt, denotaretur vita contemplatiua, ad quã tum transibat & promouebatur Iacob, & quam frequentiùs & principaliùs exercere & colere debebat.

Tertia opinio Caietani Vatabli & Hebræorum.

29 Tertia sententia est Caietani, Vatabli, & aliorum. Isti aiunt cùm dicitur, *Non vocaberis Iacob, sed Israel*, sic esse accipiendum, vt subaudiatur aduerbium *tantum*, hoc scilicet intellectu: Posthac nõ vocaberis tantùm Iacob, sicut antehac vocatus es, sed etiam cum maiori, laude, & dignitate tua vocaberis Israel, quod est honorificentius nomen. Nõ igitur istis verbis declaratur negatio prioris nominis Iacob, sed additio noui & præstantioris Israel. Audi Caietanum: Iuxta Hebræum (inquit) habetur: *Nomen tuum Iacob* subaudi (est) *non vocabitur nomen tuum adhuc Iacob*, subaudi duntaxat) non enim prohibet Deus vocari ipsum Iacob, sed vult adijcere ei diuini nominis insignia. Sic iste.

Sedenim istam expositionem planè respuunt & excludunt verba ipsius Scripturæ, quibus dicitur: *Non vocaberis vltra Iacob*: illud enim aduerbium, *vltra*, apertè indicat negationem prioris nominis in posterum, & solam noui nominis *Israel*, quod imponebatur, appellationem esse futuram. Si dixisset, Tu vocaberis Iacob: & tu vocaberis Israel, nihil erat quæstionis: non enim istâ locutione tollebatur appellatio prioris nominis Iacob; sed promittebatur, vel prænuntiabatur simul etiam alterius nominis appellatio, sicut Dominus dixit Petro, Ioan. 1. *Tu es Simon filius, Iona, & tu vocaberis Cephas, quod interpretatur, Petrus*: nec tamen postea desijt appellari Simon, quanquam frequentiùs Petri nomine appellatus est. Mutare porrò aduerbium *vltra* (quo vtitur Scriptura) in aduerbium *tantùm*, vel *duntaxat* ab istis auctoribus adhibitum, non est Scripturam exponere, sed expositionem suam quoquomodo probare, & obtrudere velle.

Quarta opinio, quæ placet Auctori. Mos diuinæ Scripturæ valdè obseruandus.

30 Dicam ego breuiter quod mihi super ista quæstione nec semel, nec incuriosè cogitanti occurrit, & quod cum consuetudine loquendi Scripturæ valdè consentiens, atque adeo satis probabile visum est. Solet Scriptura dicere, rem quampiam, vel personam, hoc vel illo nomine vocatum iri, non quòd habitura sit illud nomen, aut tali nomine vulgo appellanda sit; sed quòd verè ac planè habitura sit rem tali nomine significatam: ita vt verè atque conuenienter tali nomine posset vocari. Multa sunt in sacris libris huius rei exempla. Ego vnum & alterum proferam quo res manifesta & certa sit Lectori. Isaias capite septimo dixit: Messiam vocatum iri Emanuelem: *Et vocabitur*, inquit, *nomen eius Emanuel*,

nec tamen legimus, vulgò appellatum esse isto nomine Dominum nostrum. Sed quia habiturus erat perfectè id quod eo nomine significabatur (Emanuel enim interpretatur, Nobiscum Deus) idcirco tale nomen ei conuenientissimum erat. Idem propheta capite octauo ait, loquens de Messia: *Et dixit Dominus ad me, voca nomen eius, Accelera, spolia detrahe, Festina prædari.* & capite nono: *Et vocabitur*, inquit, *nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis.* Et Hieremias cap. 23. *Et hoc est nomen*, inquit, *quo vocabunt eum, Dominus iustus noster.* Et apud Zachariam capite sexto. *Ecce vir, Oriens nomen eius.* Ad cõsimilem igitur sententiam & intelligentiam interpretandum est quod hîc dicitur, *Non vocaberis vltra Iacob, sed Israel erit nomen tuum*: hoc nẽpe intellectu: Tanta fortitudinis præstantia donatus & roboratus à Deo es, vt non sit conueniens & decens vocari te deinceps Iacob, id est, supplantatorem fratris, id enim paruam fortitudinem, & dignitatem significat, sed appellari debes Israel, id est, *Princeps*, vel *Fortis cum Deo*; quippe qui virtutem, & fortitudinem certandi cum Deo, & quodammodo præualendi habueris. Non eo inficias, Deum voluisse appellari eum deinceps nomine Israelis, sicut reuera appellatus est, sed aio, illud *Non vocaberis vltrà Iacob*, quo veram intelligentiam habeat, ad prædictam sententiam & interpretationem referendum esse.

Consuetudo Scripturæ circa verba futuri temporis. Franciscus Ribera Societatis Iesu.

Illud præterea lubet hîc monere Lectorem, consuetudinem esse Scri- 31
pturæ, secundùm proprietatem Hebrææ linguæ, verba futuri temporis sæpe vsurpare, ita vt significent debitum, siue, vt Latini loquuntur, officium, & conuenientiam quandam, & decentiam. Huius consuetudinis animaduersionem, ante me proditam, à nostro Francisco Ribera, viro in studio sacrarum litterarum peritè versato, hîc apponam, vt ab eo explicata est in primum caput Malachiæ super illis verbis: *Filius honorat patrem.* Futura, inquit ille, apud Hebræos sæpe debitum indicant, & decorum, vt Genesis vigesimo, *Quæ non debuisti facere, fecisti nobis*, Hebraicè est ad verbum, *Opera quæ non fient, fecisti nobis.* Latinus igitur Interpres prudenter Hebraismum, more Latino, interpretatus est: quemadmodũ etiam Chaldæus ita vertit: *Opera, quæ non erant digna fieri, fecisti mecum*: & in capite 18. eiusdem libri dixit Abraham Deo: *Non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram, nequaquam facies iudicium hoc.* id est, Non æquum est, nec decens, vt tu facias tale iudicium. Et Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam*: id est, Custodire debẽt, & Matth. 16. dixit Petrus Christo Domino: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc*; id est, Inconueniens est, & indecens, & iniquum, vt tu innocens ista patiaris. & Malach. 1. *Filius honorat patrem*, pro quo Hebraicè est, *Filius honorabit patrem*, quo significatur, filij esse officium, honorare patrem suum. Similiter igitur accipiẽdum est & hoc: *Non vocaberis vltra Iacob*: id est, non erit æquum, nec conueniens, ac decens: si spectetur fortitudo animi tui, vt posthac vocêris Iacob, sed vt appellêris Israel.

Ille ve

Ille verò erexit titulum lapideum in loco, quo locutus fuerat ei Deus; libans super eum libamina, & effundens oleum, vocánsque nomen loci illius Bethel. VERS. 14. & 15.

32 DISPVTAT super his verbis Thostatus, An iste locus, quem nunc Iacob nominauit Bethel, sit idē atque locus ille Bethel, de quo proximè ante locutus fuerat; & in quo, ex Dei mandato, ędificauit altare Deo, quo in loco mortua, & sepulta fuerat Debbora: hic autem locus appellabatur alio nomine Luza: vbi Iacob, cùm fugiens fratrem suum Esau iret in Mesopotamiam, vidit in somno scalam è terra vsque in cœsum erectam, vt suprà Genes. 28. traditum est. Censet autem Thostatus, licèt dici possit fuisse eundem locum bis eodē vocabulo Bethelis à Iacobo appellatum, propter binam Dei apparitionē inibi factam sibi; priorem quidem cùm iret in Mesopotaniam; posteriorē autem hoc tempore. Probabilius tamen esse, fuisse diuersa loca; & hunc locum fuisse Hierusalem, qui non solùm propter istam apparitionem, verùm etiam quòd ibi futurum esset Dei templum, fuisse à Iacob prophetico spiritu appellatum Bethel, id est Domum Dei. Ad hoc autem persuadendum, Thostatus affert duas rationes. Primò enim, inquit, quotiescumque fit mentio supradictæ Bethel, adiungitur alterum eius nomen Luza, quo priùs vocabatur, vt patet suprà Genes. 28. & in hoc ipso capite paulò superiùs. Et in libro Iudicum c. 1. & in compluribus aliis locis: nisi fortè cum Moses loquitur de Bethel per anticipationem, narrans historiam Abrahæ; vt supra Genes. 12. & 13. In hoc autem loco præcisè nominatur Bethel, non adiuncto altero nomine Luza, quod est signū non fuisse istius 4 Bethel, alterum nomen Luzam, & idcirco diuersum esse locum à priori Bethel. Ac mihi quidem videtur, Thostatus inquit, hîc accipi pro Hierusalem: Siquidem ex Bethel veniſſe Iacob in Bethlehem, & ibi in via sepeliisse Rachelem, narrat in hoc loco Moses. Distat porrò Bethlehem ab Hierusalem per duas leucas siue quatuor milliaria: At Bethel de qua suprà dictum est, distat ab Hierusalem per decem vel vndecim leucas. Adde quòd Rachel sepulta est in itinere quo venitur à Bethel in Bethlehem, vt hîc dicitur: sed non potest intelligi de itinere quo venitur à superiori Bethel in Bethlehem; Ergo, &c. quæ pluribus verbis persequitur Thostatus, & apud eum legi possunt.

An Bethel quæ hoc loco nominatur, fuerit Hierusalem.

33 At enimuerò probabilius videtur, eundem fuisse locum hîc & suprà nominatum Bethel: nec cuius hîc fit mentio, eum fuisse Hierusalem. Hoc sensisse Beatum Augustinum, declarant verba eius in quæstione 116. in Genesim super hunc ipsum locum, quem nunc tractamus. Ponit enim ibi tanquam certum, & manifestum fuisse eundem omnino locum hîc & suprà nominatum Bethel: sed in dubium vertit, vtrùm erectio tituli lapidei, & libatio, & effusio olei, quæ hîc memorantur, fuerint eadem illa quę suprà Ge. 28. commemorata sunt; an verò diuersa fuerint, & idem bis in eodem loco diuersis temporibus Iacob religiosè peregerit. Sic enim ait

Refellitur Thostatus.

Auguſt. Iterúmne factum eſt hoc loco, quod ſuprà factũ fuerat, an iterum cõmemoratum eſt? Sed vtrumlibet horum ſit, ſuper lapidẽ libauit Iacob, non lapidi libauit: non ergo ſicut Idololatræ ſolẽt aras ante lapides conſtituere; & tanquam dijs, libare lapidibus. Sic Auguſtinus. Idem arbitratur Caietanus: niſi quod eandem quidem fuiſſe putat regionem loci, ſed non eandem partem loci. Ad hunc enim modum ſcribit ſuper hoc loco Geneſis: Paulò ſuperiùs locum altaris appellauit Iacob, *Bethel*, propter antiquam ſcilicet ſcalæ angelicæ viſionem: nunc autem locum tituli à ſe erecti appellat *Bethel*. Quocirca *Bethel*, fuit nomen, à Iacob impoſitum duabus partibus illius loci, loci videlicet altaris, & loci tituli, ſecundùm diuerſas rationes: nam loco altaris, ratione ſcalæ viſæ: loco verò tituli, ratione diuinæ huius apparitionis & locutionis. Sic Caietanus. Ab iſtis auctoribus facit contextus narrationis Moſaicæ in hoc loco: talis enim eſt, vt non obſcurè ſignificet, poſtquam Iacob venit Luzam, cognomento Bethel, in eo ipſo loco contigiſſe omnia quæ ibi narrantur, vſque ad profectionem eius in Ephratam, ſiue Bethleem. Nullam enim interiſta ſignificat factam eſſe à Iacob mutationẽ loci, cùm tamen aliâs eius mutationes loci, & tranſmigrationes, diſtinctè & apertè, & nominatim in hoc capite exponat. His accedit, quod neque vſpiã in Scriptura legimus, neque tradidit vllus eorum qui ante Thoſtatum, vel pòſt de locis Terræ ſanctæ accuratè ſcripſerunt, Hieruſalem fuiſſe vllo tempore appellatam nomine Bethel.

Caietanus.

TERTIA DISPVTATIO.

Super illis verbis,

VERS. 16. vſq; ad 21. Egreſſus autem inde, venit verno tempore ad terrã, quæ ducit Ephratam: in qua cùm parturiret Rachel, ob difficultatem partus periclitari cœpit, &c.

HÆc verba nonnullas generant quæſtiones, ſtrictim à nobis hîc tractandas. Harũ prima eſt ſuper illis verbis, *verno tẽpore*, pro quo eſt Hebraicè *chibrath*, cuius vocis ambiguitas fecit, vt variè admodum hic locus exponeretur, & litigioſa eſſet inter hebraizantes diſceptatio. Pagninus ſic vertit: *Erat adhuc quaſi milliare terræ, ad veniendum in terram Ephrath.* Tranſlatio noua, quam habet Vatablus hoc modo: *Cùm abeſſent iugerum agri ab Ephrata*; Chaldaicè ſic ad verbum: *Fuitque quaſi ſtadium terræ, veniendi ad Ephratam.* Dauid Kimhi in libro radicum, tantum itineris ea voce ſignificari putat, quantum à mane vſque ad prandij tempus commodè poſſet confici. Hoc ſecutus Caietanus, cùm memoraſſet ſupradicta illa verba Latinæ tranſlationis: *Egreſſus inde verno tempore*: iuxta Hebræum, inquit, habetur, *Et*

Caietanus.

fuit adhuc ſicut prandium terræ ad veniendum in Ephrath. Nihil hîc dicitur de tempore, ſed de diſtantia locali à Bethleem, tanto videlicet ſpatio terræ, quantum peragi ſolet, donec prandeatur. A tempore itaque prandij quantitatem interualli menſurauit. Sic Caietanus. Oleaſter ita putat vertendum; *Et fuit adhuc multum terræ (id eſt, viæ) ad veniendum in Ephratã.* Lectio Græca hoc loco, oppidò quàm diuerſa eſt. Sic enim habet; *Profectus Iacob de Bethel; fixit tabernaculum ſuum vltra terrã Gader. Et factum, dum appropinquaret in Chabratha ad veniendum in Ephrata, peperit Rachel. &c.* Sed illud *vltra turrim Gader* refert S. Hieronymus non vt in hoc loco poſitum, ſed paulò inferiori, vbi etiam iſta verba habentur in vulgata, & in Hebræo, nimirum verſu 21. Illud autem Chabratha, poſitum eſt, pro voce Hebræa, *chibrath.* *Oleaſter.*

35 Cæterùm iuuat indicare Lectori quid ſuper hac re diſputet B. Hieronymus, quid item Eugubinus, & Lippomanus, atque Oleaſter, vt vel hinc appareat liquidò rectam eſſe hoc loco atque inculpabilem noſtram Trãſlationem Latinam. In Traditionibus Hebraicis in Geneſ. ſuper hoc ipſo loco ita ſcribit Hieronymus: Verbum Hebræum *chibrath* in conſequentibus vbi Iacob loquitur ad Ioſeph: *Ego autem cùm venirem de Meſopotamia Syriæ, mortua eſt mater tua Rachel in terra Chanaan, in via Hippodromi, vt venirem Ephrata,* neſcio quid volentes, Hippodromũ ſeptuaginta Interpretes tranſtulerunt; & ſtatim ibi, vbi in Hebræo dicitur: *Et ſepelierunt eam in via Ephratã, hoc eſt Bethleem.* Rurſus ſeptuaginta pro *Ephrata* poſuerunt, Hippodromum: cùm vtique ſi *Chabratha*, Hippodromus eſt, Ephrata, Hippodramus eſſe non poſſit. Aquila autẽ ita tranſtulit; Et factũ eſt, καὶ ὁδὸν τῆς γῆς, id eſt, in itinere terræ introiens in Ephrata. Sed melius eſt ſi transferatur, *In electo terræ tẽpore, cũ introiret Ephrata.* Porrò vernũ tempus ſignificat cùm in florem cuncta rumpuntur, & anni tempus electum eſt: vel cùm tranſeuntes per viam, carpunt, & eligunt ex vicinis agris quodcumque ad manus venerit, diuerſis floribus inuitati. Sic Hieronymus. Non ſolùm igitur ita vertit Hieronymus, vt habet Latina Tranſlatio, ſed ita Latinè verti oportere verba Hebraica, demonſtrauit expo- *S. Hieronym.*

36 ſita ratione.

Eugubinus in Recognitione Pentateuchi ſuper hoc loco, atque ipſum ſecutus etiam ad verbum Lippomanus in Catenà, cùm prænarraſſent varias expoſitorum interpretationes illius vocabuli Hebræi *Chibrath*, à nobis paulò ſuperiùs commemoratas; ſubdunt cauſam tantæ diuerſitatis interpretationum, fuiſſe ambiguitatem vocis *Chibrath*: quæ vel poteſt accipi tanquam ex duabus vocibus coniuncta, vel tanquam vnius duntaxat vocis rationem habens; quemadmodum apud nos dictio *ſuſtineamus* poteſt accipi tanquam vna vox à verbo Suſtinere, vel tanquam ex tribus vocibus compoſita, videlicet *ſu, tinea, mus.* Similiter *Chibrat*, ſi coniunctè legatur, ſignificat interuallum ſiue ſpatium, pura vel vnum milliare, vel aliud quid ſimile. Si autem legatur diſiunctè, vt littera *Caph* non ſit littera ſubſtantialis huius dictionis, videlicet *Chi, berath*, ſignificat, circa ver, vel circa viriditatem, cùm ager paſcuus eſt, & cibum dat terra, à *Eugubinus & Lippoman.*

terra, à verbo *barah* descendens, quod *cibare* significat. Prior opinio quibusdam non valdè placet, quia dicunt non habere simile, vnde *chibrath* significat spacium, nisi forrè ductum à *chabir* quod significat *multum*, vt significetur multum terræ, siue itineris fuisse vsque ad Ephratam. Aben-Esra vtramque lectionem & interpretationem eius vocis & refert & approbat.

Oleaster. Oleaster porrò similiter prænarratis eiusdem vocis Hebrææ variis interpretationibus, ex suo sensu subtexit verba, quæ hîc subieci: Non miror, quòd isti in tales inciderint expositiones, cùm noluerint significationem radicis eius vocis attendere. Constat autem *Chabar* esse per se radicem, & significare *multum esse*, vt patet Iob 8. & 15. & 31. & 34. & Isaiæ 16. Talis autem significatio optimè quadrat in vocem *Chibrath*, hoc loco positam. Moses enim rationem voluit reddere cur sepulta fuerit Rachel in via, & non potius intra vrbem Ephrata: dicit autem ideo factum esse, quoniam adhuc multum erat terræ, id est itineris ad veniendum in Ephrata. Quare sic vertendum fuit; *Et fuit adhuc multum terræ ad veniendum in Ephrata.* Et mirum est, istos vertisse milliare: cùm neque *Barach* neque *Chibir*, quæ radices eius nominis ab istis ponuntur, vspiam significare videantur, milliare. Sic Oleaster. Cuius interpretationem excludere videntur, quæ de

Borcardus. loco, & situ sepulcri Rachelis prodidit memorię Borcardus in Descriptione Terræ Sãctæ in Prima Parte, capite septimo, numero quinquagesimo sexto his verbis: Scias sepulcrum Rachelis non esse in ciuitate Bethleem, sed foris iuxta viam, quæ ducit Hebron ad dexteram, ad iactum vnius arcus extra Bethleem. Non igitur ex loco, vbi sepulta est Rachel, multum terræ, siue itineris supererat, vsque in vrbem Ephrata, sicut habet interpretatio Oleastri.

Vicissitudo bonorum & malorum in hac vita mortalibus solennis & vtilis est.

Altera quæstio locum habet circa illa verba: *Cum parturiret Rachel, ob difficultatem partus, periclitari cœpit.* Vers. 17. Sed ante alia scire conuenit, vel ex hac historia, & exemplo Iacob, sicut etiam omnium temporum, atque omnium gentium frequentissimis experimentis comprobatum est, res mortalium, gaudij & tristitiæ, doloríque ac voluptatis, & spei ac timoris vtili quadam vicissitudine ac temperamento constare, nullique in hac vita solidum, & sincerum, & perpetuum gaudium contingere, sed tristitia subinde doloré que dilui, atque interrumpi. Ecce, Iacob, duodecimo filio in prouecta senectute auctus, ingenti lætitia & voluptate affectus est: sed mox dilectissimæ vxoris interitu, quasi dirissimo quodam doloris telo

Euripides in Iphigenia. percussus est. Scitum igitur illud Euripidis dictum est, meritóque celebratum:

Gaudere, atque dolere necesse est:
Mortalis enim es. Sin tu nolis,
Tamen euenier. Sic diis placitum:

Causa difficultatum & dolorum quæ mulieribus in pariendo contingunt.

Sed quæritur, vnde mulieribus in pariendo tanta difficultas, & dolor, 39
& nonnunquam mors etiam accidat, sicut Racheli contigisse narratur in hoc loco. Complures causas eius rei licet afferre. Primò namque id potest accidere ex angustiis vteri, vel eius alia quapiam affectione mala. Deinde

potest

id euenire ob grandiorem solito fœtus magnitudinem, aut frequentiorem, & validiorem eius in vtero agitationem, vel ob aliam eius sinistrã, & aduersam affectionem. Adhæc, si partus aduenial mulieri grauidæ, cùm ea graui aliquo tenetur morbo. Duas præterea causas licet adiungere ex Aristotelis doctrina; vt quarta causa sit, desidiosa nimis vita mulieris. Quinta verò, si nimio longiorem in enitendo moram trahat.

Ponam hìc verba Aristotelis ex libro quarto de Generatione Animalium, capite sexto. In ferendo, inquit, vtero, homines cum ceteris animalibus dissident. Cum enim cetera plurimum temporis valeant corpore, cum ferunt vterum: mulieres magna ex parte ægrè degunt. Cuius rei causa aliqua, vel ad vitam referri potest. Cum enim mulieres vitam otiosam, & sellulariam quandam degant, plus contrahunt sibi excremẽti. Nam quibus gentibus solitum est, vt mulieres suscipiant labores, ijs nec vterus tam difficulter gestatur, & partus facilis est. Denique quibusuis locis, mulieres, quæ laborare consueuerunt, faciliùs pariunt: Labor enim excrementa consumit, quæ in mulieribus otiosis augentur. Cúmque parturigo laboriosa sit; labor, & exercitatio actæ vitæ facit, vt spiritum possint retinere: in qua re facilitas partus conciliatur. Sed maximè causa est, quòd cùm ceteris, aut exigua purgatio, aut nulla manifesta fiat, mulieri plurima euenit. Quæ cum per vteri gestationem desierit, infestat atque perturbat: quippe cùm etiam nõ grauidis, nisi purgationes fiant, ægritudines contingant. Paucis verò quibusdam mulieribus euenit, vt prægnantes meliùs corpore valeant: videlicet iis, quarũ in corporibus exigua continentur excrementa, quæ absumi possunt cũ alimento, quod fœtui ministratur. Sic ibi Aristoteles. Et in libro primo de Animalibus, difficultatem ait pariendi etiam accidere propter dilationem longiorem. Nam & nunc, inquit, mulieres, si in partu vel oscitando, vel aliqua huiusmodi causa retrahunt, difficiliùs pariunt. Et lib. 7. scribit Plinius oscitationem in enixu, lethalem esse mulieribus.

Aristoteles.

Plinius.

40 Tertia quæstio nascitur ex illis verbis: *Egrediente anima præ dolore, & imminente iam morte, vocauit nomen filij sui Ben oni, id est, filius doloris mei: Pater verò appellauit eum Beniamin, id est, filius dextera.* Vers. 18. Quæritur, cur nomen Ben oni, id est, filius doloris mei, adeo displicuerit Iacob, vt id confestim abiecerit, & pro eo posuerit nomen Beniamin, quod significat filium dexteræ? Nimirum ex profanis iuxtà sacrísque historijs cognoscere est, veteribus illis hominibus magnò studio, & curæ fuisse, nomina imponere pulchra, & apta rebus ipsis, & præclarum quid atque faustum præsignantia, & quasi promittentia, nomina verò inamœna, & triste quid, vel absurdum significantia, & tanquam infaustum quidpiam portendentia, vehementer exhorruisse, & prorsus repudiasse. Strabo lib. 13. de Theophrasto scribens: Theophrastus, inquit, priùs appellabatur Tyrtanus, quem Aristoteles magister, eius mutato nomine nominauit Theophrastum: simul prioris nominis absurditate offensus, simul etiam eius linguæ facundiam significare volens. Triste igitur & infaustum Patriarchę Iacob visum est nomen Ben oni à matre

Speciosa nomina imponere filijs, aliisve rebus curæ fuit Veteribus.

Strabo.

impositum; vt quòd acerbissimum casum coniugis in enixu eius filij extinctæ perpetuò sibi repræsentaret, & idcircò mutauit in nomen Beniamin, futuræ habens fortitudinis, & prosperitatis significationem. Nomen enim *dexteræ*, in sacris litteris significat interdum robur, & prosperitatem, & honorem. Veterum opinio fuit, præsertim apud Romanos, fortunatos eos fore, qui, enecta in partu matre, nati essent: Sic aiunt priorem Africanum esse natum: Sic etiam primus Cæsarum, à cæso matris vtero appellatus est.

De germana porrò significatione atque interpretatione istorũ nominum *Ben oni*, & *Beniamin*, præter ea quæ tradit Sãctus Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis in Genesim super hunc locũ, Oleaster hæc scribit: Dictio *On* significare videtur fortitudinem, & laborem, quòd in labore ostendatur hominis fortitudo, vnde ita posset hîc verti: Vocauit nomen eius Filium laboris, id est, in cuius partu multùm laborasset mater: vel Filium fortitudinis, quòd fuisset matre fortior, & qui mortua matre superuixisset. Quare autem pater vocauerit eum Filium dexteræ, duplex potest assignari ratio. Altera, quòd ex eo cognosceretur, adhuc in ipso esse robur, & fortitudinem generandi filios; solet enim robur, dexteræ vocabulo signari: Secunda, quia pueri vltimo nati, solet esse ferè semper ad dexteram patris sui, quòd eos teneriùs amare, & maiorem curam eorum habere videantur. 41

Oleaster

Quid sit vocari filius dexteræ.

Cęterùm hanc historiam de morte Rachelis in partu Beniamin, & vtroque eius nomine sic allegorizat Rupertus lib. 8. in Genesim capite 15. Quemadmodum suprà, inquit, dictum est non carere mysterio, quòd mors Debboræ, quæ nutrix Rebeccæ fuerat, commemorata sit, tacita ipsius Rebeccæ morte: sic & nunc sciendum, non frustrà mortem Rachelis inueniri, cùm Liæ mors scripta nõ sit: Quid enim Rachel, nisi primitiuam ex Hebræis; & quid Lia, nisi collectam ex Gentibus signat Ecclesiam? Moritur ergo Rachel, & mors Liæ silentio premitur: quia videlicet Synagoga palam per infidelitatem, à vitæ gratia excidit. Ecclesia verò Gentium viuit per fidem vsque in finem seculi. Et notãdum, quòd Rachel in partu obijt; nam Synagoga tunc mortua est, quãdo Christum & eius Apostolos emisit, *Quæ enim assumptio*, inquit Paulus, *nisi vitæ ex mortuis?* Vnde Rachel egrediente anima eius præ dolore, vocat filium suum Ben oni, id est, filium doloris mei: doluit enim, id est, inuidit; & dolenda forte inde mortua est, quòd ex ipsa, vita assumpta sit. Pater autem vocauit eum Beniamin, id est filium dexterę: quia profectò ille est filius, Apostolorum Chorus, quem consedere fecit cum Christo ad dexteram suam in cælestibus.

Ruperti allegoria.

Rom. 11

Ephes. 1.

QVARTA

QVARTA DISPVTATIO.

Super illis verbis,

Mortua est Rachel,& sepulta in via,quæ ducit Ephratam,hæc est Bethleem.Erexitque Iacob titulum super sepulcrũ eius: hic est titulus monumenti Rachel vsque in prę̃sentẽ diem. VERS. 19. & 20.

42 EPHRATA, & Bethleem (ait Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim super hunc locum)vnius vrbis duo sunt vocabula, sub consimili tamen interpretatione:siquidem Ephrata,interpretatur *frugifera*; Bethleẽ, *domus panis*vertitur,propter eum panem,qui de cœlo descendisse se dicit. Idem in libro de locis Hebraicis: Bethleem, inquit, ciuitas est Dauid,in sorte tribus Iudæ,in qua Saluator natus est;in sexto milliario ab Aelia, id est, Hierusalem,contra meridianam plagam, iuxta viam quæ ducit Hebron,vbi & sepulcrum Iesse, & Dauid ostenditur,& mille circiter passibus procul est turris Ader, quæ interpretatur *Turris gregis*,quodam vaticinio pastores Dominicæ natiuitatis conscios antè significans.Sed & prope eandem Bethleem, regis quondam Iudææ Archelai tumulus ostenditur,qui semitæ ad cellulam nostram è via publica diuertentis principium est.Vocabatur autem Bethleem,& filius Ephrata,id est,Mariæ,vt in Paralip. libris plenius legimus.Sic eo loci S.Hieronymus. Et idem paulò infrà,Ephrata, inquit, est in tribu Iuda,licet plerique malè existiment esse in tribu Beniamin; est autem iuxta viam,vbi sepulta est Rachel,quinto milliario ab Hierusalem, in eo loco qui à septuaginta vocatur Hippodromus. Legimus Ephratam in Paralipomenon libro,sicut suprà dictum est.Sic Hieronymus.

S. Hieronym.

Ioannes 6.

Matth.2.
Luc 2.

Luc 2.

1. Paralip. 1. cap.2.

43 Est autem de origine istorum nominum Ephrata & Bethleem quæstio & disceptatio Thostati cum Lyrano. Lyranus enim secutus Rabbi Salomonem, ait, vrbem istam fuisse appellatam Ephratam ab vxore Caleb sic nominata,vt legitur 1.Paralipomenon cap.2.Fuit autem ille Caleb,filius Hesron,qui cum auo suo Iuda,& proauo Iacob patriarcha descendit in Aegyptum,vt habes Genesis quadragesimo sexto. Postea verò istam ciuitatem putãt vocatam esse Bethleem,quòd post eam sterilitatem quæ contigit in tempore Elimec mariti Noëmi, & tempore Ruth,extitit ingens frugum copia; ibíque quasi horreum cõstitutũ est propter tritici abundantiam;vnde traxit nomen Bethleem,quod significat *domum panis*.Sic isti.Sedenim vtrũque dictum istorũ, manifestis, vt videtur sibi,argumentis refellit Thostatus.Nã illud nomen Ephrata nõ potuit imponi ei vrbi,nisi post ingressũ Hebræorũ in terrã promissionis: in quam neque Caleb, neque vxor eius Ephrata ingredi potuerunt.Hesron quippe pater ipsius Caleb,& socer Ephratæ, descendit cũ

Disputatio Thostati cum Lyrano super origine nominum Ephrata, & Bethleem.

Iacob in Aegyptum, ex quo tempore vsque ad egressum Hebræorum ex Aegypto, transierunt quindecim & ducenti anni, vt etiam nos ostẽdimus in tertio Tomo nostro in cap. 15. Genes. super illis verbis: *Et subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis*. Ab egressu porrò Hebræorum ex Aegypto, vsque ad ingressum eorum in terram promissionis, præterierunt anni quadraginta peregrinationis eorum in deserto. Ergo ab ingressu Hesron in Aegyptum, vsque ad introitum Hebræorum in terram promissionis, fluxerunt anni ducenti quinquaginta quinque. Ponamus autem Hesron annis viginti post suum in Aegyptũ ingressum, genuisse filium suum Caleb: ex quo sequeretur ab ortu Caleb vsque ad ingressum Hebræorum in terram promissionis, transisse annos amplius ducentos triginta. Non igitur iste Caleb, nec vxor eius Ephrata intrare potuerunt Terram promissionis; nemo enim in illa ætate tamdiu viuebat; quare vocabulum *Ephrata*, non est impositum ab vxore ista Caleb. Præterea, istud factum esset aliquandiu post mortem Mosis; cùm tamen vtrumque nomen eius loci non semel Moses *in hoc* libro commemoret. Nec firmum est quorundam responsum, *Mosem* spiritu prophetico prænoscẽtem futura ista nomina eius loci, per anticipationẽ vsurpasse. Non enim oratio hæc, & Scriptura Mosis, prophetica est, sed historica, tradita Hebræis, qui tunc viuebant: quibus ignota prorsus fuissent ista nomina, vtpotè tali spiritu prophetico carentibus.

Atque hoc ipsum argumentum valet contra alterum dictum Lyrani & Rabbi Salomonis, affirmantium, nomẽ Bethleem, positum esse ei loco propter copiam frugum quæ accidit tempore Ruth: si quidem id accidit plus ducentis annis post mortem Mosis, vt hoc loco argumentatur Thostatus. Non igitur tale nomen notum fuit Mosi; aut si notum fuisset, vt ipsi dicũt, per propheticum spiritum, erat certè prorsus ignotum omnibus gentibus eius temporis: præsertim verò Hebræis, quibus hæc scribebat Moses. Concludit igitur Thostatus, tam nomen Ephrata, quàm Bethleem, fuisse antiquius, non solùm Mosis, sed etiam Iacobi ætate. Sic ex Thostato. Cuius tamen argumentatio non admodum valida est. Potest enim fieri, vt nomen Bethleem multo post mortem, Mosis tempore impositum sit ei vrbi, eius autem commemoratio, quæ hîc ponitur, non sit à Mose tradita, illa dicũt verba: *Hæc est Bethleem*, & item infra Geneſis 48. *Iuxta viam Ephrata, quæ alio nomine appellatur Bethleem*: sed adiuncta sit à sapientibus Synagogæ, qui auctoritate ipsius, & diuino afflatu pleni, libros Mosis concinnarunt, expositis quibusdam quæ propter vetustatem iam erant obsoleta, & in alia nomina iam fuerant commutata, qua de re memini non semel in superioribus tomis in Geneſim me monuisse Lectorem. In superiore loco prioris libri Paralipomenon, nominatur quidam Salma pater Bethleem, & Caleb nepos prioris Caleb, de quo paulò antè diximus: hic terram promissionis iurauit, & potuit ex nomine auiæ suæ Ephrata simile nomen imponere vrbi, quæ dicta est Bethleem; istius enim Caleb, etiam in octogenaria ætate, propemodum incredibile robur corporis & vigor

animi

animi memoratur in libro Iosue,capite 14.

Liam aliquãto tempore esse mortuam post obitum Rachelis.

44 Circa illa verba: *Mortua est ergo Rachel, & sepulta est in via, quæ ducit Ephrata*,aduertat Lector tum ex hoc loco,tũ ex altero loco, qui est infra sub finem capitis 49.apertè perspici,Rachelem aliquanto tempore obijsse priùs quàm Liam. Hinc enim apparet Rachelem esse mortuam priusquam Iacob perueniret in vrbem Hebron,quò tendebat ad patrẽ suum Isaac. At illi dicitur, Liam fuisse sepultam in Hebron cũ Abrahã, & Sara,& Rebecca;nempe postquam Iacob venerat iam Hebron,& aliquandiu mãserat apud patrem Isaac. In maiori chronologia Hebræorum traditur Rachelem mortuam esse,ex actis 36.ætatis suæ annis,cùm nupsisset Iacobo,agens 22.annum,& in eius matrimonio mansisset annis quatuordecim. Sed hoc falsum est, mansit enim cum viro suo Iacob in Mesopotamia tredecim annis,quia statim vt transactum est primum septennium seruitutis,data est in potestatem Iacob,Genesis 29.hic autem per annos viginti moratus est in Mesopotamia:à discessu autem ex Mesopotamia vsque ad mortem Rachelis anni nõ minùs decem fluxerunt,vt suprà ostensum est:mansit igitur cum viro annis viginti tribus. Quare si,cùm nupsit,erat viginti duorum annorum,eam,cũ obijt,fuisse annorum ampliùs quadraginta necesse est.Illud itẽ falsum est, quod in eadem chronologia traditur,Rachelem,& Liam fuisse gemellas eodem partu editas:quippe suprà Gen.29.apertis verbis dixit Moses Rachelem minorem fuisse natu,Liam verò sororem fuisse maiorem.

Erratum maioris chronologiæ Hebræorum.

Cur Iacob erexit titulum super sepulcrũ Rachelis.

45 Quæri etiam potest super eo quod hic dicitur,Iacob erexisse titulum super sepulcrum Rachelis:cur id fecerit Iacob. Sed nimirum declarare voluit ea re Iacob amorem suum, quo Rachelem coniugem flagrantissimè ac perseuerantissimè dilexerat: simúlque apud posteros memoriam tam caræ vxoris,in perpetuum, quantum in ipso erat,prorogare. Duabus enim rebus,eorum qui mortui sunt,memoriam in futurũ prolatare,& quodammodo immortalem facere possumus:primò magnifica eis condendo sepulcra, aliáve nominis eorum præclara monumenta statuendo. Fuisse autem, Troianis etiam temporibus,apud Ethnicos morem faciendi mortuis sepulcra,sepulcraléque titulos, non obscurè indicat Homerus,cuius sunt illi versus Latinè redditi:

Vt te sepeliant fratres,& sodales
Sepulcro,& titulo:est enim hoc præmium morientium.

Hodiéque dicuntur Iudæi simile quid facere in sepulcris suorum, insculpentes ea verba quæ Abigaïl dixit Dauidi,vt legimus primo Regũ cap. 25. *Sit anima tua ligata in fasciculo viuentium apud Dominum Deum tuum.* Verumenimuerò mortuorum memoria, & nomen, ac fama perpetuatur maximè ingenij operibus,cum disertissimis scriptis, sempérque mansuris,vel historijs,vel carminibus,eorum virtutes factáque celebrantur. Sic Achilli & Aeneæ quodammodo immortalitatem dedêre Homerus & Virgilius. Disputari posset hoc loco,qualis fuerit ille titulus,quem Iacob erexit super sepulcrum Rachelis:verùm super ea re disputatum à nobis est suprà,cũ explanaremus verba illa capitis 28. *Tulit*

Iacob lapidem, quem suppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum, fundens oleum deſuper. Borcardus in prima Parte c. 7. numero 56. tradit ſuper ſepulcro
Borcardus. Rachelis erexiſſe Iacob pyramidē pulchram nimis: & in eius baſi duodecim diſpoſuiſſe prægrandes lapides, ſecundùm numerū filiorū ſuorū.

VERS. 21. Egreſſus inde Iſrael, fixit tabernaculum trans Turrem gregis.
22.23. Cúmque habitaret in illa regione, abijt Ruben, & dormiuit cum Bala vxore patris ſui: quod illum minimè latuit. Erant autem filij Iacob duodecim, &c.

QVOD hîc dicitur de habitatione Iacob trans turrim gregis, 46
& legitur idem Hebraicè, & Chaldaicè; id nō habent in hoc loco Græci codices, ſed paulò ſuprà Verſu 16. habent iſta verba, alieno nempe loco, ſic enim illic ad verbum habent habent libri Græci: *Et profectus de Bethel, fixit tabernacula trans Turrim Gader.* Sed quis locus eſt iſte *Turris gregis*, ſiue, vt eſt Hebraicè, *Turris*
B. Hieronym. *Ader*? Soluit breuibus hanc quæſtionem B. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Geneſim ſuper hunc locum, ita ſcribens: Hunc locum Hebræi eſſe volunt, vbi poſtea templum ædificatum eſt: & turrim Ader, turrim gregis ſignificare, hoc eſt, congregationis, & cœtus: quod & Propheta Michæas teſtatur dicens: *Et turris gregis nebuloſa, filia Sion:* Illóque tempore Iacob trans locum, vbi poſtea templum ædificatum eſt, habuiſſe tentoria. Sed ſi ſequamur ordinem viæ, paſtorum iuxta
Luc. 2. Bethleem locus eſt, vbi vel Angelorum grex in ortu Domini cecinit; vel Iacob pecora ſua pauit, loco nomen imponēs: vel, quod verius eſt, futurum iam tunc myſterium monſtrabatur. Sic ibi Hieronymus, qui etiam in libro de locis Hebraicis ait, Turrim iſtam Ader mille paſſibus procul fuiſſe ab vrbe Bethleem. Neque verò Hieron. negat templum, vel vrbem Hieruſalem appellatam quoque fuiſſe Turrim gregis; cùm id perſpicuè dixerit Michæas ſupradictis verbis, quæ Hieronymus citauit, & ad eam ſententiam interpretatus eſt in commentariis ſuis ſuper Michæam: ſed hoc tantùm negat Hieronymus, turrem gregis hîc nominatam, fuiſſe in monte Moria, vbi templum poſtea ædificatum eſt; patet enim fuiſſe prope vrbem Bethleem. Ergo nomen Turris Ader, ſeu gregis, in duobus locis dicebatur; & in eo qui erat prope Bethleē; & in ipſo templo, ſiue vrbe Hieruſalem. Templum porrò vocabatur Turris, quòd in modum & figuram turris ædificatum eſſet. Dicebatur item, Ader, ſiue gregis; vel quòd illuc religionis causâ, cœtus & congregationes Hebræorū in ſimilitudinē Gregū conueniebant; vel quòd eò ducebantur greges ouium ad immolandum Deo. Verùm turris gregis, de qua hîc agitur, erat campus paſcuis vberrimus, & grandibus oleis refertus: in quo poſtea, in memoriam Angelici exercitus, qui paſtoribus
Luc. 2. apparuit, quo tempore ortus fuerat Dominus noſter in Bethleem, dicitur Helena mater Conſtantini ædificaſſe templum ſub nomine Sanctorum Angelorum.

Quæſtio quis locus fuerit Turris Gregis.

Michæa. 4.

Sed

Sed expendamus illa verba, *Abiit Ruben, & dormiuit cum Bala concubina patris sui, quod ipsum minimè latuit.* Vers. 12. Post illud: *quod ipsum minimè latuit*: addiderunt de suo lxx. Interpretes: *Et malum visum est in oculis eius*, quæ nec Latini, neque Hebræi, neque Chaldaici codices habent. Non est dubium, quin per illud, *Dormiuit cum Bala*, significetur carnalis concubitus: ad id namque significandum sæpissimè talē phrasim vsurpat Scriptura. Atque ita debere intelligi, dubitare neminem sinit, quòd Iacob infrà Gen. 49. ob istud flagitium maledicens filio suo Ruben, dixit, *Effusus es sicut aqua, non crescas: quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.* Quocirca nugæ sunt, & meræ fabulæ, quod Rabbi Salomon, eiúsque assectatores quidam super hoc loco dixerunt, Ruben non vitiasse vxorem patris sui, sed lectum eius, quem Iacob trāstulerat in tabernaculum Lię matris Ruben, ex eo loco, Rubē indignabundum expulisse: atq; hoc in suam contumeliam accepisse Iacob. Istud porrò genus flagitij dormiendi cum Nouerca, etiam apud Ethnicos, turpissimum, & probrosissimum ducebatur. Audi B. Paulum 1. ad Cor. 5. *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter Gētes: ità vt vxorem patris suū aliquis habeat, & vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit.* Nec verò non rectè, & cum laude fecisse putatur rex Salomō in Adoniam fratrē vindicans, quòd Abisaag Sunamitem paterni tori sociam, in vxorem postulauerit. *Locus Pauli 1. ad Corinth. 5.*

Et verò modestior multo quàm Ruben fuisse videtur Antiochus, filius Seleuci regis Asiæ, qui Stratonicæ nouercæ suæ insano captus amore, tacitus, vulnus occultum venis alebat, & cæco carpebatur igni, donec ob eam causam in grauissimum morbum incidens, à solertissimo medico Erasistrato causa morbi deprehensa est. Quid ego dicam de Hippolyto? cuius pudicitia, impotentissimæ libidini Phædræ nouercæ suæ assentiri nolentis, summis in tragœdia laudibus celebrata est? Ceterùm verisimile est, Iacob, post id temporis, remouisse à thoro suo Balam: & in perpetuum ab eius concubitu abstinuisse: quod etiam multis
47 post seculis fecisse legimus in 2. Regum cap. 20. Dauidem, decem suis concubinis à filio suo Absalon similiter vitiatis atque fœdatis. Erat autem eo tempore Ruben minor vigesimo quarto anno: hoc enim euenit ante venditionem Ioseph, qui tunc fuit sexdecim annorum Genes. 37. Ruben autem, septem tantùm annis maior natu erat, quàm Ioseph, vt ex cap. 29. & 30. Geneseos colligitur. Mirúmque videri potest, Iacob ita dissimulasse illud facinus, vt nec filium nec vxorem castigauerit. *3. Reg. 2. Antiochus.* *Erasistrat.* *Cuius ætatis fuerit tunc Ruben.*

Verùm non omnia Iacob dicta, factáque scriptis à Mose prodita sunt. Non tamen impunè tulisse id Ruben, sed grauissimo supplicio, non ipsum modò, sed eius quoque posteros ob id esse punitos, supradicta in eum maledictio Iacob, manifestè demōstrat.

***

VERS. 16. Hi sunt filij Iacob, qui in Mesopotamia Syriæ.

Cur hic memoretur numerus filiorũ Iacob.

CVR hoc loco recensuit Moses numerum filiorum Iacob? An ex occasione flagitij, quod admiserat Rubẽ? cuius fœditatem, atque indignitatem vehemẽtius exaggerare volẽs, ostendit fuisse eum primum natu, & principem omnium filiorum Iacob. An, vt placet quibusdam, vt latenter significaret, post illud flagitium Rubem, Iacob abstinuisse se à generatione filiorum, & coniugali concubitu? An quòd mox initio sequentis capitis expositurus esset stirpem ac posteritatem Esau, voluit ante, omnem, quæ tunc erat, progeniem Iacob commemorare? Sed cur inter liberos Iacob nõ memoratur filia eius Dina? An id factum ex consuetudine Scripturæ, quæ in describenda genealogia, non fœminarum, sed virorum dũtaxat, mentionem facit? An eam consulto hîc reticuit Moses, propter fœditatem & atrocitatem casus eius apud Sichimitas, cuius in illa fuisse *non* minimam culpam, negari non poterat? 48

Cur inter liberos Iacob nõ sit nominata Dina.

Quomodo Bẽiamin numeratus sit inter filios Iacob natos in Mesopotamia Chrysost. Cyrillus.

Ceterũ illud plus habere videtur dubitationis, cur inter filios Iacob, qui dicuntur ei fuisse nati in Mesopotamia, numeretur Bẽiamin, quem ex historia huius capitis constat, fuisse natum in terra Chanaam, prope ciuitatem Bethleem. Nec sanè verum est, quod Chrysostomus homilia lx. in Genesim dicit, idémque sentire Cyrillum, fertur in Catena in Genesim; Beniamin fuisse quidem natum in terra Chanaan, sed esse tamen satum, & conceptum, in Mesopotamia, eo nimirum tempore, quo Iacob discessum inde adornabat: hoc dico falsum esse. Post discessum enim Iacob ex Mesopotamia, vsque ad ortum Beniamin, decem circiter annos præterijsse, suprà ostensum est. Eodem modo istam opinionẽ S. Augustinus loco paulo infra citato refellit. Nos igitur dicamus, in illis verbis: *Hi sunt filij Iacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriæ*: Illud: *Hi sunt filij Iacob*, referri debere ad omnes eius filios proximè memoratos. Illud verò *qui nati sunt in Mesopotamia*, referendum esse ad omnes, excepto Beniamin, quem non fuisse natum in Mesopotamia, Lector ignorare non poterat, cum proximè ante dictum esset, fuisse natũ prope Bethleem. Sed illa promptior & planior est solutio, quæ B. etiam Augustino maximè probatur in Quæstione 117. in Genesim, morem esse Scripturæ, quod omnibus, præter admodum paucos, conuenit, id simpliciter, & generaliter attribuere omnibus; cuius moris, passim obuia sunt legenti scripturam exempla. 49

S. August.

VERS. 27. & 28. Venit autem Iacob ad Isaac, patrem suum in Mambre, ciuitatem Arbee; hæc est Hebron, in qua peregrinatus est Abraham, & Isaac. Et completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum.

Non

50 NON est verisimile, nunc primùm Iacob, postquam redierat ex Mesopotamia, visum iuisse patrem suum Isaac, cùm decem circiter annos, ex quo regressus fuerat ex Mesopotamia, mansisset in terra Chanaam. Tunc igitur primùm venit cum omni familia, stabili commoratione mansurus apud patrem suum. Verùm non abs re fuerit, vt hoc loco strictim indicemus totius vitæ Isaac Chronologiam. Isaac natus est, patre eius Abraham cētenario. Genes. 21. Quoniam autem Abraham natus ex anno ducentesimo nonagesimo secundo post diluuium, vt colligitur ex cap. xj. Genes. consequens est, Isaac esse natum post diluuium anno trecentesimo nonagesimo secundo. Et quia diluuium factum est anno millesimo sexcentesimo quinquagemo sexto à mundi creatione; hinc apparet Isaac fuisse natum anno, post orbem conditum, bis millesimo, & quadragesimo octauo; excessisse autem anno bis millesimo ducentesimo vigesimo octauo, obijt enim exactis vitæ annis, 180. Isaac porrò ductus à patre suo est in montem Moria, vt immolaretur Deo, annos natus, auctore Iosepho, viginti quinque, vel secundùm Hebræos in maiori sua Chronologia, triginta septem. Rebeccam duxit vxorem, anno ætatis quadragesimo, & per viginti annos nullam ex ea prolem suscipiens, denique cum sexagenarius esset, Iacob & Esau procreauit: vtrunque proditum est Genes. 25. Natus verò annos centum triginta septem, præter opinionem suam, benedixit filio suo Iacob, & primogenitum constituit, putans esse Esau, vt suprà ostendimus circa initium cap. 27. & iuxta idem tempus, misit filium suum in Mesopotamiam. Genes. 28. Ex eo tempore vsque ad obitum ipsius, per annos scilicet tres, & quadraginta, nihil de eo proditum est sacris litteris. Cum mortuus est Isaac, erat Iacob annorum centum viginti; quippe qui sexagenario Isaac natus fuerat, vt dictum est suprà Genes. 25. Et quoniam septimum & cētesimum circiter annum agebat, cùm post reditum ex Mesopotamia venit ad patrem suum, vt ex supradictis manifestum est; hinc apparet fuisse eum per tredecim annos cum patre suo. Falsum itaque est, quod traditur ab Hebræis in maiori Chronologia, Iacob tunc ministrasse patri suo per viginti duos annos. Illud denique hoc loco aduertat Lector, manifestam hîc esse hysterologiam, & in historia anticipationem. Siquidem hîc priùs narratur mors Isaac; posteriùs verò infra Gen. 37. memoratur venditio Ioseph, quæ tamen, tredecim annis, excessum Isaac antecessit. Etenim sexdecim annorum erat Ioseph cum est venditus, vt scriptum est Genes. 37. Iacob autem tunc erat septem & centum annorum, nempe genuerat eum, ætatis annum agens vnum & nonagesimum, vt suprà ostendimus, cum explanaremus caput 30. At verò cum excessit Isaac, annorum erat Iacob, vt paulò superiùs docuimus, centum viginti.

Exponitur Chronologia vitæ Isaac.

Genes. 22. Iose lib. 1. Antiquit.

***

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA IN CAPVT TRIGESIMVM SEXTVM GENESIS.

ARGVMENTVM.

Recenſetur progenies, & poſteritas Eſau.

1 HÆ ſunt autem generationes Eſau, ipſe
2 eſt Edom. Eſau accepit vxores de filiabus Chanaam: Ada filiam Elon Hethæi, & Oolibama filiam Auæ filiæ Sebeon Heuæi: Baſemath quoq; filiam Iſmael ſoro-
3 rem Nabaioth. Peperit autem Ada Eli-
4 phaz: Baſemath genuit Rahuel: Oolibama genuit Iehus; & Ihelon & Core. Hi filij Eſau qui nati ſunt
5 ei in terra Chanaam. Tulit autem Eſau vxores ſuas & filios & filias, & omnem animam domus ſuæ, & ſubſtantiam, & pecora, & cuncta quæ habere poterat in terra Chanaam: & abijt in
6 alteram regionem, receſſitq; à fratre ſuo Iacob. Diuites enim
7 erant valdè, & ſimul habitare non poterant: nec ſuſtinebat eos terra peregrinationis eorum præ multitudine gregum. Habi-
8 tauitque Eſau in monte Seir, ipſe eſt Edom. Hæ autem ſunt
9 generationes Eſau patris Edom in monte Seir, & hæc nomina
10 filiorum eius: Eliphaz filius Adæ vxoris Eſau: Rahuel quoque
11 filius Baſemath vxoris eius. Fueruntque Eliphaz filij Theman,
12 Omar, Sepho, & Gathan, & Zenez. Erat autem Thamna concubina

cubina Eliphaz filij Esau: quæ peperit ei Amalech, hi sunt filij
Ada vxoris Esau: Filij autem Rahuel, Nahath & Zara, Sam- 13
ma & Meza. hi filij Basemath vxoris Esau. Isti quoq; erant filij 14
Oolibama filiæ Anæ filiæ Sebeon, vxoris Esau, quos genuit ei
Iehus, & Ihielon, & Core. Hi duces filiorum Esau: Filij Eliphaz 15
primogeniti Esau, dux Theman, dux Omar, dux Sepho, dux
Cenez, dux Core, dux Gatham, dux Amalech. hi filij Eli- 16
phaz in terra Edom, & hi filij Ada. Hi quoque filij Rahuel fi- 17
lij Esau: dux Nahath, dux Zara, dux Samma, dux Meza: hi
autem duces Rahuel in terra Edom: isti filij Basemath vxoris
Esau. Hi autē filij Oolibama vxoris Esau: dux Iehus, dux Ihe-
lon, dux Core. hi duces Oolibama filiæ Anæ vxoris Esau. Isti 18
sunt filij Esau, & hi duces eorum: ipse est Edom. Isti sunt filij 19
Seir Horrei, habitatores terræ: Lotam, & Sobal, & Sebeon, & 20
Ana, & Dison, & Eser, & Disan: hi duces Horrei, filij Seir in ter- 21
ra Edom. Facti sunt autem filij Lotan: Horri, & Heman. Erat 22
autem soror Lotan, Thamma. Et isti filij Sobal: Aluan, & Ma- 23
nahat, & Ebal, & Sepho; & Onam. Et hi filij Sebeō: Aia & Ana. 24
Iste est est Ana, qui inuenit aquas calidas in solitudine, cùm
pasceret Asinos Sebeon patris sui. Habuítque filium Dison, & 25
filiam Oolibama. Et isti filij Dison: Hamdan, & Eseban, & Ie- 26
thram, & Charan. Hi quoque filij Eser: Balaan, & Zauan, & 27
Acan. Habuit autem filios Disan: Hus & Aram. Hi duces Hor- 28
ræorum: dux Lotan, dux Sobal, dux Sebeon, dux Ana, dux Di- 29
son, dux Eser, dux Disan: isti duces Horræorum qui impera- 30
uerunt in Terra Seir, Reges autem qui regnauerunt in terra 31
Edom, antequā haberent regē filij Israel, fuerunt hi: Bela filius 32
Beor, noménq; vrbis eius Denaba. Mortuus est autem Bela, & 33
regnauit pro eo Iobab filius Zaræ de Bosra. Cúmque mortuus 34
esset Ioaab, regnauit pro eo Husan de terra Themanorū. Hoc 35
quoq; mortuo, regnauit pro eo Adad filius Badad, qui percus- 36
sit Madiā in regione Moab: & nomen vrbis eius Auith. Cúmq; 37
mortuus esset Adad, regnauit pro eo Semla de Masreca. Hoc
quoque mortuo regnauit pro eo Saul de fluuio Rohoboth.
Cúmq; & hic obiisset, succesſit in regnum Balanā filius Acho- 38
bor. Isto quoque mortuo, regnauit pro eo Adar, noménqne vr- 39
bis eius Phau: & appellabatur vxor eius Metabel, filia Matret
filiæ Mezaab. Hæc ergo nomina ducū Esau in cognationibus, 40

41 & locis, & vocabulis suis: dux Thamna, dux Alua, dux Ieteth,
42 dux Oolibama, dux Ela, dux Phinõ, dux Cenez, dux Theman,
43 dux Mabsar, dux Magdiel, dux Hiram: hi duces Edom habitantes in terra imperij sui. ipse est Esau pater Idumæorum.

PRÆFATIO.

DESCRIBITVR *hoc capite progenies, & posteritas* 1
Esau, amplitudine, ac potẽtia; regalis etiam dignitatis antiquitate, ac diuturnitate memorabilis: indicatur item regio circa montem Seir, quam & ille, & posteri eius, habitatione, simulq; dominatione tenuerũt: quæ postea ab Esau, cui erat etiam nomen Edom, appellata est Idumæa. Monet Sanctus Augustinus, quæ hic
S. August. *narrantur de multiplicatione seminis Esau post mortem Isaac, memorari per recapitulationem: ea quippe magna in parte, ante obitum Isaac facta sunt. Augustini verba sunt hæc in quæstione 118. in Genesim: Quod post narrationem mortis Isaac, narratur quas vxores Esau acceperit, & quos procreauerit, recapitulatio intelligenda est. Neque enim post mortem Isaac id fieri cœpit, cum iam essent tunc Esau & Iacob centum viginti annorum; quippe cum eos sexagenarius Isaac susceperit, & vixerit annos centum octoginta. Sic Augustinus. Ne verò Lector, aliquot locis hæsitet in lectione huius capitis, propter magnam nominum, quæ in eo recensentur, varietatem, atque obscuritatem; proponam ei perutile documentum hîc traditum à Caietano: Circa nomina propria (inquit Caie-*
Caietanus. *tanus) tam mulierum, quàm virorum, quæ in hoc capite recensentur, aduertat prudens Lector, tantam esse varietatem, vt diuinare quodammodo oporteat. Vxores enim Esau alijs nominibus appellantur hîc, quàm fuerant appellatæ superiùs cap. 26. Et similiter parentes earum aliter hîc, atque ibi nominantur. Et quoniam personam aliquam constat multis nominibus nominari, & multis modis contigisse apud priscos rationem paternitatis & filiationis, etiam ante legem Mosis; ideò nullius Lectoris mens turbetur, sed accommodet sensum, vt melius ei videbitur: intelligendo scilicet vel de filio naturali, vel de filio legali, vel adoptiuo; fuisse namque in more atque vsu filiationem legalem, etiam ante legem Mosaicam, clarè ostendit historia Thamar, nurus Iudæ infrà capit. 38. memorata. Hæc Caietanus.*

Tulit

Tulit autem Esau vxores suas,& filios,& filias,& omnem substantiam,& cuncta, quæ habere poterat in terra Chanaam. & abiit in alteram regionem, recessitque à fratre suo Iacob. Diuites enim erant valdè, & simul habitare non poterant, nec sustinebat eos terra habitationis eorum præ multitudine gregum. Habitauitq;. Esau in monte Seir, ipse est Edom. VERS. 6. 7. & 8.

2 HIc locus quæstionem habet: videtur enim hîc significari, primùm discessisse Esau ex Terra Chanaam in montem Seir, post mortem Isaac,& tunc ibi primùm sedem,& domicilium collocasse: At supra Genes. 32. cùm Iacob rediit ex Mesopotamia dicitur misisse nuncios, & munera Fratri suo Esau in montem Seir, vbi tunc ille habitabat: Et cap. 33. scriptum est, ex eo loco venisse Esau cum quadringentis equitibus obuiam fratri suo Iacob. Id autem contigit viginti tribus annis ante mortem Isaac. Siquidem tunc Iacob erat nonaginta septem annorum, vt suprà dictum est: cum autem mortuus est Isaac, natus erat annos centum viginti. Hanc quæstionem breuiter, sed subobscurè, soluens Caietanus, Complementum, inquit, facti, non initium narratur post mortem Isaac. Multis namque annis, viuente adhuc Isaac, Esau habitauerat in monte Seir, vt testatur occursus eius ad Iacob: sed completo officio sepulturæ paternæ, tanquam primogenitus, accepit facultates Isaac, & transtulit eas in Seir. Sic Caietanus. Significat itaque Caietanus, Esau, post mortem Isaac, completè & omnino recessisse à Terra Chanaam in montem Seir, non ampliùs illuc rediturum: nam antea licèt habitauerit in monte Seir, veniebat tamen in terram Chanaam visere patrem suum, præsertim autem post reditum Iacob, & cum de graui & periculosa ægrotatione patris audisset. Apertior est,& distinctior,& plenior solutio eiusdem quæstionis, quam tradit Sanctus Augustinus in quæstione 119. in Genesim, hunc in modum scribens: quæstio est, quomodo Scriptura dicat, post mortem Isaac, abscessisse Esau de terra Chanaam, & habitasse in monte Seir; cum veniente de Mesopotamia Iacob, legatur supra iam illic habitasse eũ. Proinde quid fieri potuerit, vt Scriptura nec fallere, nec falli credatur, in prõptu est cogitare, quòd scilicet Esau post discessum Iacob in Mesopotamiam, noluerit habitare cum parentibus suis: siue ex illa cõmotione, qua dolebat se benedictione paterna fuisse fraudatum: siue quòd videret vxores suas odiosas suis esse parentibus, vel ob aliam quampiam causam; & ita cœperit habitare in monte Seir. Deinde post reditum Iacob ex Mesopotamia, facta inter eos concordia, reuersus est & ipse ad parentes: & cùm mortuum parentem simul sepeliissent, quòd eos plurimùm ditatos Terra illa minimè caperet, abscessit rursus in Seir, & ibi propagauit gentem Idumæorum. Sic ibi Augustinus.

Quando primum uenerit Esau habitatum in monte Seir.

Caietanus.

S. Augustin.

3 Dicamus igitur, Esau post discessum Iacob in Mesopotamiam, secessisse in montẽ Seir; post reditum autem eius, rediisse in terram Chanaam,

& adfuisse morienti patri, & vnà cum fratre suo Iacob curasse paternum funus; factaq; cum eo paternorum bonorum diuisione, vehementer esse locupletatos: cúmque præ multitudine gregum, & armentorum, terra, quam inhabitabant, angusta, & incommoda esset illis propter insufficientiam pascuorũ, simul etiam captum amore prioris habitationis, quæ exercito venandi, cui à pueritia deditus fuerat, opportunior erat; dereliquisse Terram Chanaam fratri Iacob, & priorem in monte Seir habitationem repetiisse. Quod profectò singulari consilio Dei, & prouidentia factum est, in vtriusque fratris vtilitatem. Si enim Esau mansisset in terra Chanaam, crebræ occasiones extitissent dissentionum, & rixarum inter ipsos, vel inter eorum pastores, ac seruos: quamobrem Esau, tum quòd iracundo esset ingenio, & feroci animo, tum reminiscens iniuriæ olim acceptæ, vehementer irritatus esset, atque vexasset fratrem suum Iacob. Nimirum consimili ex causa, legimus supra Genes. 13. fuisse Abraham, & Loth domicilio, & habitatione inuicem disiunctos, & separatos. Fuit præterea id non solùm vtile Iacob, sed in rem quoque posterorum Esau. Etenim si Esau mansisset in terra Chanaam, posteri eius, qui numerosissimè multiplicati sunt, magnam eius terræ partem sibi vendicassent. Quocirca, venientibus postea Hebræis, id est, posteris Iacob ad eam terram possidendam, sicut Deus Abrahæ sæpiùs promiserat, necesse fuisset expellere posteros Esau, quod sine bello, & interitu eius gentis fieri non poterat: nolebat autem Deus posteros Esau, qui semen erant Abrahæ perire, ac deleri. Quapropter dedit eam mẽtem Esau, vt posthabita Terra Chanaam, præoptaret habitationem in monte Seir: iuuitque eum, vt Chorræos, antiquos eius regionis habitatores, sedibus illis exterminaret, sicut legitur in Deuteronomio cap. 2.

PRIMA DISPVTATIO.

Vtrùm Ana fuerit primus inuentor, & auctor generationis mulorum.

Super illis verbis,

Iste est Ana, qui inuenit aquas calidas in solitudine, cùm pasceret asinas Sebeon fratris sui.

ET olim fuit apud veteres, hodiéque apud recentiores litigiosa quæstio est in hoc loco, sùper Hebræa voce (Iemim) quam Latinus interpres vertit aquas calidas, alij maria, siue stagna: Hebræi verò, atque hebraizantes assueueranter dicunt verti debere mulos. Hinc datur nobis occasio disputandi, an primus omnium iste Ana, generationem mulorum adinuenerit, equos admis-

admittendo asinis. Ita vt ante id temporis, nullus in omni terrarum orbe mulus vnquam fuerit. Verũ primo loco de germana illius vocis Hebręæ notione differendum est Hebræorum, vt dixi, atque hebraizantium constans, & concors est opinio, ea voce significari mulos. Et hanc significationem putant Lyranus, & Caietanus aptiorem, & congruentiorem esse sentẽtiæ huius loci, propter verba illa mox adiuncta, *Cum pasceret asinas, patris sui*, quasi ex ea occasione, atque opportunitate, periclitari voluerit commixtionem equi cum asina, si qua fortè proles inde existeret. Tradũt præterea Hebræi, istum Ana fuisse manzer, id est spurium, ex damnato coitu natum, fuisse enim filium fratris sui Sebeonis, qui dormiens cum matre sua hunc genuerat filium, simúlque fratrem. Vt igitur ille fuit degener & illegitimus, ita conatus est in natura producere animal præter naturam. Chaldæus, pro mulis posuit *fortes*: idem haud dubiè significans; est enim mulus animal robustissimum. *Hebræi.*

Eugubinus in sua Recognitione Pentateuchi, super hunc locum, prorsus abijcit Latinam lectionem, & legi oportere mulos, præfractè contendit: nec dubitat dicere tam Hieronymum, quàm lxx. Interpretes ab Hebraica veritate discordare: neque vllam hîc de aquis calidis mentionem fieri, sed de eo, quod erat mirabilius, de origine scilicet generationis mulorum. Putet verò Hieronymi tempore, pro (Iemin) quod significat mulos, codices, quibus est vsus Hieronymus, habuisse, vel (Maijm) id est, aquas, vel (Iamin) id est, maria. Cur autem verterit (aquas calidas) ex hebræo, ratio nulla reddi potest. Deinde reprehendit Eugubinus lxx. Interpretes, quòd vocem hebræam (Iemin) perinde quasi esset nomen propriũ alicuius hominis, vt est Iacob, & Isaac, hîc retinuerunt, ita reddentes hunc locum: *Iste est Ana, qui inuenit Iamin in deserto, quando pascebat iumenta patris sui*. Sic Eugubinus. *Eugubin.*

4 Atenim longe diuersa est sententia Oleastri, qui se sermonis hebræi, vt qui maximè, studiosum, peritúmque profitetur. Audi verba eius in Annotamentis eius super hunc locum: Impingunt hîc omnes (ait Oleaster) in vulgatum interpretem, quod pro Iemin, id est mulos, legerit Maijm, id est, aquas, & de suo addiderit *calidas*, & cum attexuisset super hac re S. Hieronymi verba, quæ nos paulo infrà memorabimus; Subdit: Vt autem ego etiam, quod de hac re sentio, dicam, arbitror hîc (Iemim) non mulos, vt moderni dicunt, sed maria significare. Moueor ad hoc, quòd radix vocis (Iamin) sit (Iam) quod in confesso est significare, mare. Neque obstat id quod nostri obijciunt, cum significat maria, scribi (Iamin) non (Iemin) nam varia punctatura in nominibus eiusdem radicis, non semper variat significationem. Et cùm hoc probasset Oleaster productis aliquot Scripturæ locis, adiũgit: Facit pro hoc, citata sentẽtia Hieronym. dicentis eisdẽ litteris scribi maria, quibus etiahic sermo. Est autem aduertendum, Scripturam hoc loco, inuentionem istius viri, quasi rarum quippiam enarrare. Non est autem rarum inuenire stagna in solitudine; quare eorum, qui interpretati sunt, vel aquas, vel stagna, reijcienda est interpretatio. Interpretari autem mulos, vt plerique, equidem non audeo. *Oleaster.*

Nusquam

Nusquam enim in Scripturis eo vocabulo significari mulos reperi: & propter paucos Hebræos, qui, vt sæpe testatus sum, coniecturis potiùs, quàm linguæ peritia ducuntur, non puto nomen istud à propria suæ radicis significatione alienari debere. Existimo igitur, istum Ana inuenisse venam aquæ salsæ, quàm hîc mare Scriptura vocat, sicut quamlibet collectionem aquarum. Etenim rarissimum id est inuentu. Sic itaque vertetem hûc locum: *Iste est Ana, qui inuenit maria in deserto*, id est, venas aquæ salsæ. Quod forsitan vsque ad illud tempus, neque visum, neque auditum fuerat; & idcirco memorandum esse, Scriptori visum est. Si autem Scriptura significare voluisset mulorum generationem, non dixisset, inuenisse hunc mulos, sed generationē mulorum. Neq; talem generationem inuentam esse in deserto, potius quàm in alio quouis loco, mirū videri debebat; quod tamen Scriptura indicare hoc loco voluit. Hactenus ex Oleastro.

S. Hieronym. Sed videamus quid super hac re S. Hieronymus, quem nihil eorum latuit quæ super hac quæstione variè disputantur, scriptū reliquerit in Traditionibus Hebraicis in Genesim super hoc loco. Multa, inquit, & varia apud Hebræos de hoc capitulo disputātur: apud Græcos quippe, & nostros super hoc, silentium est. Alij putant (Iamim) maria appellata, ijsdem enim litteris scribuntur maria, quibus & nunc hic sermo descriptus est. Et volūt illum, dum pascit asinos patris sui in deserto, aquarum congregationem repetisse, quæ iuxta idioma linguæ Hebrææ, maria nūcupentur; quòd scilicet stagnum repererit, cuius rei inuentio in eremo difficilis est. Nonnulli putant aquas calidas, iuxta Punicæ linguæ viciniam, quæ Hebrææ contermina est, hoc vocabulo signari. Sunt qui arbitrentur, onagros ab hoc admissos esse ad asinas, & ipsum istiusmodi reperisse concubitum, vt velocissimi ex his asini nascerētur, qui vocātur (Iamim.) Plerique putant, quod equarum greges ab asinis in deserto ipse fecerit primus ascendi, vt mulorum inde, noua contra naturam animalia nascerentur. Aquila, & Symmachus hunc locum Ita trāstulerunt; ipse est Anas, qui inuenit τοὺς Ιαμείμ, quæ interpretatio pluralem numerum significat. Septuaginta verò, & Theodotion similiter transtulerunt, dicentes, τὸν Ιαμεὶμ, quod indicat numerum singularem. Hactenus ex Hieronymo.

S. Hieronym. Hieronymus igitur Latinam lectionem huius loci & commemorauit, & simul & originem, ac rationem eius indicauit. Nempe cum obscura esset vocis Hebrææ significatio, & ea vox, Punica linguâ, quæ valde affinis est Hebrææ, significaret aquas calidas: prudenter sanè Latinus Interpres itidem vertit: præsertim verò cum inuentio aquarum calidarum in solitudine rara esset, ac memorabilis videretur. Aquas porrò calidas equidem interpretor thermales, siue balneales aquas: quarum virtus, quod curandis vulneribus, mitigandis doloribus, sanandísque morbis perefficax & salutaris esse soleat, magno est in pretio, magnáque in celebritate hominum: prorsus vt tale inuentum, & ipsum inuentorem, & locum talium aquarum valdè nobilitet, & celebrem reddat. Nec opinionem Hebræorum de mulis tacuit Hieronymus, quam tamen minimè probabilem esse rectè argumentatus est Oleaster. Laborant sanè vehementer, ac sudant Hebræi

Hebræi in vestigando notionem vocis Iemim, provt significat mulos: sed planè incassum labor eorum omnis recidit; cũ in Scriptura nihil quod eis faueat reperire queant. Crebra est profectò in sacris litteris mulorũ mentio: verùm nusquam, ac ne semel quidem, sub isto vocabulo (Iemim:) quod magno est argumento, ista voce (Iemim) non significari mulos.

Anam nõ fuisse primum generationis mulorum inuentorem.

7 Illud præterea, Hebræorum interpretationem falsam arguit, quòd aiũt ipsi, Anam illum fuisse primum inuentorem generationis mulorum. Nõ igitur ante ætatem istius Anę fuerat vnquam in omni terrarum orbe mulus, per annos scilicet amplius bis mille ducentos. Sed enim id pugnat cum veritate sacræ historiæ; & repugnat perfectioni ipsius mundi, si tandiu species perfecti animalis ei defuerit. Legimus iussisse Deum, cùm orbem conderet Gen. 1. vt terra produceret iumenta, & reptilia, & bestias secundùm species suas. Mulus autem censetur inter iumenta; exceptáq; potestate generandi, par cuiuis perfectorum animalium. Nec quia mulus non à sibi simili, sed ex diuersarum specierum commixtione procreatur, negandũ est fuisse in prima rerũ generatione procreatum, cum etiam animalia, qnæ putri ex materia gignuntur, tunc fuisse creata affirmet S. Basilius hom. 7. in Gen. Quod si quis pugnet non fuisse tũc procreatum mulũ; certè tamdiu in mundo non esse factã eius generationẽ, nequaquã credibile est. Nã quod dicũt Hebræi, idémq; tradit Rupertus, generationem muli esse contra naturam, & fuisse diuina lege damnatam, & idcirco non esse factam à Deo, minimè verum esse puto. Ponam hic verba Ruperti ex capite vltimo primi libri Commentariorũ eius in Genesim: Fiunt, inquit, quædam animalia ex diuersa naturarũ permixtione, tanquã adulterina; vt de equo & asina, mulus; de hirco & oue nascitur Tityrus, quod hominum instinctu fieri, lex diuina vetat, dicens, vt scriptum est Leuit. 19. *Iumenta tua non facias coire cum alterius generis animãtibus.* Hoc primus fecisse fertur Ana, filius Sebeon, filij Esau, qui equarũ greges ab asinis fecit primus ascendi, vt mulorum, inde noua contra naturam animalia nascerentur. Verum tamen & bestiæ, quæ sub hominum magisterio non sunt, contra naturam, diuersis ex speciebus permiscẽtur, vt Leo mixtus pardæ, generat Leopardum, & Lupus ceruæ commixtus, procreat Lynces. Tradũt Physici, viperã, nequissimum genus reptiliũ, & super omnia serpentini generis astutum, vbi coëundi cupiditate ardet, murænæ maritimæ copulam quærere: progressamque ad littus, sibilo sua præsentiam significare, nec murenam deesse, sed venenatæ serpenti, expetitos coniunctionis suæ vsus impertiri. Sic Rupertus.

S. Basilius.

Rupertus.

Generationẽ mulorum esse secundùm naturam.

8 At ego sine dubitatione dixerim, falsum esse quod isti aiunt, generationem muli esse contra naturam. Si enim generatio muli contra naturã est, ergo similiter equi, bouis, Elephanti, & cuiusuis aliorum perfectorum animalium generatio, contra naturam esset: omnia quippe in generatione muli reperire est, quæ arguũt, & faciunt generationem naturalẽ. Principio, naturale est principium actiuum generationis muli, qui est equus, & principium passiuum eiusdem, quæ est asina, & vtrumque naturalem habet mutuæ coniunctionis appetitum. Semen itẽ equinum, quod

vim habet efficiendi;& ſemen aſininum,quod eſt tanquam materia; naturalia ſunt,& naturalem habent potentiam,vt ex vtroque generetur mulus. Deinde,naturalia ſunt inſtrumenta,quę deſeruiunt generationi muli; locus item,vterum dico,& matricem fœmininam:modus quoque generationis,ſiue qui fit extrinſecus in ipſa vtriuſque animalis commixtione: ſiue qui fit intrinſecus intra fœminæ vterum. Adhæc,tẽpus generationis muli ſecundùm naturam definitum eſt: à conceptu enim vſque ad partionem,certum & ſtatum ſecundùm naturam tempus eſt ſicut in aliis animalibus. Talis quoque generatio,vel ſemper,vel vt plurimùm ſuccedit: atque contra naturam ſunt, non ſic, ſed rarò eueniunt. Præterea mulus ipſe,res quædam eſt naturalis,habens in ſe naturam, qualis definitur ab *Ariſtoteles.* Ariſtotele, Principium motus in eo,in quo eſt. Et cum inter perfectas animalium ſpecies cenſeri debeat,per ſe intenta eſt à natura,vt quæ ſi deeſſet,genus ipſum,& vniuerſitas animalium, completa, & perfecta non poſſet haberi. Nec verò obſtat,quòd mulus non poſſit generare *ſibi ſimile*,cum idem in plantis,& permultis animalibus inſit, non enim iſtud pertinet ad rationẽ generationis naturalis, vt quod iſta cõditione careat, iudicãdum ſit,nõ fieri ſecundùm naturam. Neque huic rationi aduerſatur,quòd mulus non generetur à ſibi ſimili ſecundùm ſpeciem:cũ idem accidat plantis,& aliis animalibus,quæ non ex ſemine ſuæ ſpeciei, ſed ex putri materia generantur. Ac licèt mulus non generetur à principio ſimili ſecundùm ſpeciem vltimam,generatur tamẽ à ſimili ſecundùm genus quoddam proximum innominatum,quod eſt commune equo,& aſino, *Ariſtote.* & ſecundùm quod, mulus aſſimilatur vtrique principio ſuæ generationis:ſicut tradit Ariſtoteles lib.7.Metaphyſic.textu 28. 9

Locus Leuit. 19.& Deute. 22. Auctoritas porrò diuinæ Scripturæ in cap.19. Leuitici, quam nobis opponunt,nihil officit huic ſententiæ: *Iumenta tua* (inquit eo loco Scri- *S. Thomas.* ptura) *non facies coire cum alterius generis animantibus*. Sed horum verborum germanam interpretationem, & intelligentiam tradit S. Thomas in 1.2.quæſt.102.art.6.his verbis:circa coitionem animalium diuerſæ ſpeciei,ratio litteralis triplex reddi poteſt. Vna quidem ad deteſtationẽ Idololatriæ Ægyptiorum,qui diuerſis commixtionibus plantarum, & animalium vtebantur in ſeruitium planetarum,qui ſecundùm diuerſas coniunctiones habent diuerſos effectus,& ſuper diuerſas ſpecies rerum. Altera ratio eſt,ad excludendum concubitum contra naturam. Tertia ratio eſt,ad tollendam vniuerſaliter occaſionem concupiſcentiæ:animalia enim diuerſarum ſpecierum non facilè commiſcentur inuicem,niſi hoc per homines procuretur:in aſpectu autem coitus animalium, excitatur homini concupiſcentiæ motus:Vnde & in Traditionibus Iudæorum,vt *Rabbi Moyſes.* refert Rabbi Moyſes,præcipitur vt homines auertant oculos ab animalibus coëuntibus. Figuralis etiam ratio huius præcepti fuit,ne iumenta, id eſt,populares homines coeant,id eſt,ſocietatem, & commercium habeant cum alterius generis animantibus,hoc eſt,cum Iudæis, Paganis & Hæreticis:ne videlicet eorum commercio, & conſuetudine, ad eorum quoque vitia,& errores pertrahantur. Hæc S. Thomas.

Caieta

Caietanus quoque super eodem Leuitici loco ita scribit: Perspicuum est isto Dei præcepto non prohiberi generationem mulorum: tum quia huiusmodi animalium vsus legitur apud Hebræos, sicut patet 2. Reg. cap. 13. & 18. & 3. Reg. cap. 1. & 18. & 1. Esdræ cap. 2. & apud Isaiam cap. 66. tum præcipuè, quia B. Paulus absurdum reputat 1. ad Cor. 9. quòd Deus legem statuat bobus. Quare hoc præceptum dupliciter intelligi potest, vel superstitiosè, vel parabolicè. Superstitiosè quidē, vt intelligatur prohiberi imitatio superstitionum Gentilium, vt quemadmodum in Euangelio dicitur: *Orantes nolite multum loqui, sicuti Ethnici faciunt*, ita intelligatur hîc prohiberi commixtio animalium diuersæ speciei: non absolutè, sed more Ethnicorum. Si verò parabolicus est sermo, sicut & ille: *Non alligabis os boui trituranti*: in promptu est ratio huiusmodi parabolæ: prohibetur enim ea similitudine, vt homo abstineat penitus à nouitatibus præter rationē: mixtio enim animalium, nouum parit animal, & neutrius speciei. Hactenus ex Caietano. Eôdem spectat quod Hebræi, tradunt, eundem illum Leuitici locum explanantes. Voluit, inquiunt, Deus isto præcepto vetare ne esset inter Hebræos perturbatio, siue confusio, sed vnitas perfecta, & caritas, & vt non esset inter eos mala lingua, simultas, & odium. Sicut enim Deus noluit species animalium ab Hebræis permisceri, & confundi: sic nec homines eiusdem fidei vult diuersum sentire. Sic illi. *Caietanus.*

SECVNDA DISPVTATIO.

An beatus Iob fuerit ex genere ac stirpe Esau.

Super illis ipsis verbis,

Mortuus est Bela, & regnauit pro eo Iobab filius Zaræ de Bosra. VERS. 33.

10 PERSOLVAM, & præstabo Lectori hoc loco, quod me promittere memini in tertio tomo meorum Commentariorum in Genesim, cum extremam fermè sententiam capitis xxij. explanarem. Disputaturus enim sum de genere, ac stirpe B. Iob, déque tempore, quo is vixit. S. Hieronymus in Epistola 126. quam scripsit ad Euagrium, duas super genere Iob refert opiniones, vnā quidem Auctorū Ecclesiasticorū, genus Iob accersentium ab Esau: alterā verò Hebræorū, originē eius repetentium à Nachor Syro, fratre ipsius Abrahæ. Vtri autē potiùs opinioni assentiretur ipse, nō indicauit eo loco. Super hoc autē loco Gen. memorās supradicta Scripturæ verba, sic ait: Hunc Iobab, quidā suspicātur esse Iob, vt in fine voluminis ipsius additum est. Contrà Hebræi asserunt, de Nachor eū stirpe genera tum, vt iam suprà dictū est. Remittit igitur Hieronymus Lectorē ad id,

Prima opinio, Iob fuisse Syrum & de stirpe Nachor fratris Abrahæ.

S. Hieron.

quod ipse annotauerat in Traditionibus Hebraicis in Genesim super extrema prope verba capitis 22. vbi & pleniùs super hac re disserit,& affirmatè dicit,quid ipse sentiat. Cum enim memorasset quod ait ibi Moses, primogenitum Nachor fuisse Huz,& Buz fratrem eius, subdit: de istius Huz stirpe Iob descendit, sicut scriptum est in exordio voluminis eius: *Vir fuit in terra Huz, nomine Iob*: Malè igitur quidam existimant Iob de genere esse Esau:siquidem quod in fine libri ipsius habetur, ipsum fuisse quartum ab Esau,& reliqua quæ ibi continentur, in Hebræis voluminibus non habentur. Frater istius Huz, fuit Buz, quem Septuaginta Bauz transferre maluerunt. Et ex huius genere est Balaam ille diuinus,vt Hebræi tradunt,qui in libro Iob dicitur Eliu:primùm quidem vir sanctus,& Propheta Dei,postea per inobedientiam, & desiderium munerum, dum Israel maledicere cupit, diuino vocabulo nuncupatur:dicitúrq; in libro Iob: *Et iratus Helíu filius Barachiel Buzites*: De huius videlicet Buz radice descendens, sic Hieronymus.Atque hæc est Hebræorum sententia, vt refert vbique Hieronymus.

Secunda opinio Ra. Salomonis Iob fuisse Chananæũ.

Quanquam Rabbi Salomon vt memorat Thostatus super caput 22. Genes. affirmat Iob fuisse Chananæum,& paulò antè quàm Hebræi terram Chanaan ingrederentur,illum esse mortuum.Nam pro eo quod nos legimus Numer.14. *Et recessit ab ipsis omne præsidium*, Hebraicè legitur ad verbum: *Et recessit ab eis vmbra*: Interpretatur porrò iste Rabbinus hanc vmbram fuisse Beatum Iob,cuius nempe meritis,quasi quodá præsidio,& vmbraculo,ab ardore diuinæ iræ ac vindictæ,ne suis ex sedibus pellerentur Chananæi,ad illud vsque tempus fuerant protecti: Sententiam quam dixi Hieronymi,& Hebræorum,secutus est Philippus Presbyter in principio Commentariorum suorum in Iob,quem Gennadius scribit fuisse optimum auditorem B.Hieronymi, & Commentarios in Iob simplici sermone scripsisse. Accessit item huic opinioni Rupertus lib.6. Commentariorũ in Genesim,capite trigesimo quarto,& Historia Scholastica capite quinquagesimo octauo,super librum Genesis,& Lyranus super cap.22.Genesis,præcipue verò in primum caput Iob, vbi non dubitauit dicere,in huiusmodi quæstione credẽdum esse potius Hieronymo, & Hebræis,quàm aliis quibuslibet.

Philippus Presbyter.

Gennadius

Rupertus.

Historia Scholastic.

Lyranus.

Tertia opinio Caietani nihil certũ esse de genere Iob.

Caietanus in primum caput Iob,incertũ esse scribit, vnde Iob genus 11
duxerit,non solum ob varietatem opinionum, sed eo maximè, quod super ea re,nihil ex diuina Scriptura,quod probabile sit, afferri queat.Audi Caietanum,ex qua gente paternum genus duxerit Iob, incertum est:nõ solùm ea ratione,quod alij ex genere Esau,alij ex genere Nachor fratris Abraham illum generant,sed potissimè, quòd nulla coniecturæ ratio,ad genus Iob habendum, suffragatur ex Scriptura sacra. Nec id ex patria eius, quæ vocatur Huz,cõiectari potest.Fuisse autẽ regnum in terra Huz, patet ex xxv.Cap.Hieremiæ.Sita erat Huz in Arabia Petræa in confinio Idumeæ,sicut colligitur ex verbis Hieremiæ Threnorum 4. *Gaude,& lætare filia Edon,quæ habitas in terra Huz*,hoc est,quæ extendis habitationẽ tuam,comprehendendo etiam terram Huz. Si quidem apud Hieremiam

cap.25.

cap. 25. seperatim nominantur reges terræ Huz,& Edom. Et quamuis multos homines nomine Huz appellatos in Scriptua legamus, videlicet vnum ex genere Chorræorũ, qui habitauerunt in monte Seir ante Esau, vt scriptum est Genes. 36. alterum, qui filius fuit Nachor fratris Abrahæ, vt dicatur Gen. 22. & multo priorem illis Huz filium Aram, filij Sem, filij Noë, ab hoc tamẽ vltimo rationabile est nominatam fuisse terrã Huz. Fuit itaque Iob Arabs, ex Arabia Petræa, ad differentiam tam Arabiæ desertæ, quàm Arabiæ Felicis. Hactenus Caietanus.

Quarta opinio, quæ est cõmunis, Iob fuisse de stirpe Esau.

12 Cæterùm communis opinio est, præcipue verò Patrum,& Auctorum Ecclesiasticorum, Iob fuisse de stirpe Esau,& pronepotem ipsius: siquidem vt ex hoc cap. 36. colligitur, Esau genuit Rahuelem, hic Zaram, ex hoc natus est Iobab, qui putatur esse Iob. Quod enim in hoc capite dicitur: *Mortuus est Bela, & regnauit pro eo Iobab filius Zaræ, de Bosra:* idémque ijsdem planè verbis, reperitur in priori libro Paralipomenon cap. 1. hoc plerique interpretantur de B. Iob. Et huius quidem sententiæ auctorem laudare possum antiquissimum, Aristæum, qui Iudaicam historiam scripsit, & in ea de Iob hæc prodidit: Iob filius fuit Esau, habitauítque in Idumæa, atque Arabiæ finibus: vir iustitia,& diuitijs præcipuus, tentatúsque diuinitus magnis calamitatibus: ad quem consolandum, tres reges amici eius, atque familiares conuenerunt. Hæc Aristæus, referente Eusebio in lib. 9. de Præparatione Euangelica, capite vltimo. Philo Iudæus in libro Quæstionum super Genesim, vt refert Thostatus in primum caput prioris libri Paralipomenon, super illis verbis: *Mortuus est Bela, & regnauit pro eo Iobab filius Zaræ de Bosra.* Philo, inquam, vt refert Thostatus (nam ego talem eius sententiã in libris, qui nunc extant ipsius, adhuc reperire non quiui) tradit Iob fuisse regem Idumææ, & vxorem accepisse Dinam filiam Iacob. Ex quo licet existimare fuisse Iob, auctore Philone, Idumæum, ac de stirpe Esau. Idem proditum est ab Auctore Commentariorum in Genesim, tam longiorum, quam breuiorum, qui falsò nomen fert Origenis. Et Athanasius in Synopsi in commemoratione librorum sacræ Scripturæ, in li. 17. scribit Iob ex posteris fuisse Esau quintum ab ipso Abraham. Eadem est Chrysostomi sententia, qui in homilia 2. de Patientia Iob, hæc sunt verba: Scriptura dicit B. Iob fuisse de terra Huz, quæ erat prouincia Esau. Quo discas, quibus ex malitiæ Scholis, quintus veritatis fructus eruperit: nam Scriptura quintum ab Abraham facit ipsum Iob: Abraham quippe genuit Isaac, Isaac Esau, Esau Rahuelem, Rahuel Zaram, Zara Iob: successionem igitur ab Abraham per Esau habuit S. Iob. Sic Chrysostomus.

Aristæus, apud Eusebium Cæsariensem.

Philo.

Origenes. Athanasius.

Chrysost.

13 Consimilia tradit S. Augustinus lib. de Ciuitate Dei, cap. 47. Cuius verba, quòd præter id, quo de nunc agitur, egregiam quandam continent sententiam Theologicam, hîc libet adscribere: Homines, inquit, quosdã non terrena, sed cœlesti Societate, ad veros Israelitas, supernæ ciues patriæ pertinentes, etiam in alijs gentibus fuisse, negare non possunt Hebræi. Quia si negant, facillimè conuincuntur de sancto & mirabili viro Iob; qui nec indigena, nec proselytus, id est, aduena populi Israel fuit,

S. Augustin.

sed ex gente Idumæa genus ducens ibi ortus, ibidem mortuus est. Qui diuino sic laudatur eloquio, vt quod ad iustitiam, pietatémque attinet, nullus ei homo suorum temporum coæquaretur. Quæ tempora eius, quamuis non inueniamus in Chronicis, colligimus tamen ex libro eius, tertia generatione, fuisse posteriorem, quã Israel. Diuinitus autem fuisse prouisum non dubito, vt ex hoc vno sciremus, etiam per alias gentes esse potuisse, qui secundùm Deum vixerunt, eíque placuerunt, pertinentes ad spiritualem Hierusalem. Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui diuinitus reuelatus est vnus Mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, qui venturus in carne sic antiquis sanctis prænuntiabatur, quemadmodũ nobis venisse nunciatus est: vt vnaeadémq; fides per ipsũ omnes in Dei ciuitatẽ, in domum Dei, in Dei templũ prædestinatos perducat ad Deum. Sic Augustinus. Quod autem dicit Augustinus, in libro Iob haberi, fuisse eum tertium post Israel, siue Iacob, intelligendum est de lib. Iob secundùm translationem 70. Interpretum, & Theodotionis; quæ sub finem eius libri, habet id quod citat hoc loco August. quod tamen nec Hebraica scriptura, nec vulgata editio Latina continet.

Theodoretus. Superiorum Auctorum adstipulator est Theodoretus in quæst. 91. in Genes. Vnde, inquit, Iob originem traxit? Ab Esau. Hoc enim docet, quæ de eo scripta est historia. *Vir erat*, inquit, *in regione Husitide*. hoc itidem demonstrauit B. Moses, describens successiones eorũ, qui regnauerunt post Esau dicens: *Mortuus est Bala, & regnauit pro eo Iobab, filius Zare de Bosra.* 14

S. Grègorius. Quæ omnia consentiunt cum historia. Sic Theodoretus. Et B. Gregorius initio Commentariorum suorum in Iob hoc ipsum pro certo sumit, cuius verba in ea disputatione, quæ hanc proximè sequitur, commemorabimus. Ad supradictos auctores adiungere oportet, quos citauit Hieronymus in Epistola ad Euagrium, quæ est 126. Hippolytum dico, Irenæum, Eusebium Cæsariensem, & Emissenum, Apollinarium item, & Eustathiũ Thostatus etiam idipsum aliquot rationibus argumentatur super 22. caput Geneseos.

Examinatur opinio Hebræorum & S. Hie. de Iob, quòd fuerit de gente Nachor. Verùm nos considerabimus attentè, & diligenter pensitemus vtramque opinionem, tam illam B. Hieronymi, & Hebræorum, quàm communem Patrum proximè traditam, & expositam. Ait S. Hieronymus, malè quosdam existimare, Iob esse de genere Esau, cum indicet Scriptura ipsum fuisse de stirpe Nachor. Principio nõ fuerunt quidã, id est, nõ pauci, nec minuti auctores, qui genus Iob retulerũt ad Esau, paulò enim suprà percensuimus ampliùs duodecim auctores, & antiquitatis, & doctrinæ, & sanctitatis gloriâ eximios. Et vbi obsecro, Scriptura indicat fuisse Iob ex stirpe Nachor? In cap. 22. Geneseos, inquit Hieronymus, vbi Moses filiũ Nachor primogenitum, appellat Hus: is verò conditor fuit terræ Hus, quæ patria B. Iob nominatur initio libri eius: à Nachor igitur originem duxit Iob. Verùm argumentatio hæc, parum firma est. Etenim tres homines diuersis temporibus, nomine Hus appellatos reperimus in Scriptura, primùm in ca. 10. Gen. filium Aram, & nepotem ipsius Sem: alterum, istum primogenitũ Nachor, Genes. 22. tertium inter Horræos, siue Chorrhæos, vt 15

vt legitur Genesis 36. Nulla igitur ratio est, propter similitudinem nominis Hus, terram Hus, quæ fuit patria Iob, existimare conditam fuisse potius ab Hus filio Nachor, quam à nepote Sem, vel ab illo Chorræo. Immò verò ipsemet S. Hieronymus in suis Traditionibus in Genesim super caput 10. apertè, affirmatéque scripsit, conditorem terræ Hus fuisse illum Hus, nepotem ipsius Sem.

S. Hieronym.

Deinde ait S. Hieronymus, Heliu, vnum de amicis Iob, & cum eo disputantibus, appellatum Buzitem, fuisse progenitum ex eadem stirpe Nachor, ex secundò videlicet filio eius, qui appellatur Buz, Genes. 22. At qui 70. Interpretes faciunt ipsum ex terra Huz, & Idumæum, cap. 32. Iob. Nec illud non à vero remotum videtur, quod eodem in loco dixit Hieronymus, istum Heliu amicum Iob, fuisse Balam ariolum, qui maledicere voluit populo Hebræo, de quo scriptū est Num. 23. & gladio interéptus est ab Hebræis proximè ante mortem Mosis', vt videre est Numerorum 31. Cùm enim B. Hieronymus super caput 36. Genesis, faciat Eliphaz, alterum de tribus illis amicis Iob, & socium ipsius Heliu, faciat, inquā filiū Esau, necesse est, ipsum Heliu vixisse priusquā Iacob descenderet in Ægyptum. A descensu porrò Iacob in Ægyptū, vsque ad egressum Hebræorum ex Ægypto fluxerunt anni ducenti & quindecim, vsq; ad mortem autem Mosis, quam paulùm antecessit cædes Balaam, fluxerunt anni ducenti quinquaginta quinque. Ex quo efficitur necessariò, si ille Heliu fuit Balaam ariolus, ipsum vixisse ampliùs ducentos, & quinquaginta quinque annos, quod in eo tempore nulli contigit. Opinio igitur Hebræorū quam sequi maluit Beatus Hieronymus, quàm antiquam, & communem Patrum sententiam, nulla probabili, & firma ratione nititur.

Examinatur communis sententia de Iob quòd fuerit de stirpe Esau.

4 Altera sententia, quæ est communis Patrum, & veterum Auctorum, nititur, & probatur hisce argumentis. Principio, & in hoc cap. 36. Genes. & in 1. capite prioris libri Paralipomenon, perspicuè traditur, Iob, siue Iobab regnasse in terra Edom, & fuisse tertium ab Esau; dicitur enim fuisse filius Zaræ, Zaram autem genitus esse à Rahuele, filio Esau. Verùm rationem hanc infirmare, & labefactare conati sunt Lyranus, & Oleaster, affirmantes eum, qui Gen. 36. nominatur Iobab, fuisse hominem diuersum à Beato Iob, vt docet vtriusq; nominis Hebraica Scriptura, quæ admodum diuersa est. At Lyranus quidem in primum caput Iob, cū memorasset opinionem facientium Iob ex stirpe Esau, subdit: Sed in hoc videtur magis credendum Hieronymo, & Hebræis, dicētibus descendisse Iob à Nachor fratre Abrahæ, quia fuerunt illi magis triti in talibus historiis, & genealogiis. Nec motiuum aliorum valet de similitudine nominis Iob, & Iobab: quia frequēter contingit duos homines valdè diuersos, non modo simili, verùm etiam prorsus eadem appellari nomine. Supponitur etiam falsum, quòd prædicta nomina sint valdè similia, cum secundùm Scripturam Hebraicam sint multùm dissimilia, hoc enim nomē Iob in Hebræo incipit per Aleph, nomē verò Iobab per Iod. Sic Lyranus.

Lyranus.

Simi

Similiter Oleaſter ſuper illis verbis huius capitis 36. *Mortuus eſt Bela, & regnauit pro eo Iobab filius Zaræ de Boſra*, ita ſcribit: omnes ferè antiqui ſancti arbitrati ſunt hunc Iobab fuiſſe B. Iob, quem putant fuiſſe regem, vt hîc dicitur. Sed non ſic eſſe, oſtenditur ex diſcrimine nominis: nã hîc Iobab ſcribitur cum prima littera Iod, Iob autem prima littera eſt Aleph. Punctus etiam, ſeu vocalis Iobab, eſt cholẽ, prior autem Iob, eſt in Hebraico *Hiric gadol*. Sic Oleaſter. Qui tamen ſubdit ex ſacra Scriptura manifeſtum eſſe, Iob fuiſſe Idumæum, citans locum quendam Hieremię ex 4. cap. lamentationum, qui paulò infrà exponetur. Sedenim ipſemet Oleaſter paulo ante confirmauerat, non ſemper variam nominum ſcripturam, variam arguere eorum nominum ſignificationem. Præſertim autem, cùm fieri potuerit, vt antiquum, & primum nomen fuerit Iobab, quod poſtea breuioris, ſimúlque dulcioris ſoni gratia, declinatum, ac demutatum fuerit in Iob.

Oleaſter.

Examinatur ſcriptura 70. Interpretum in fine libri Iob, teſtãtum fuiſſe ipſum de genere Eſau.

Altera ratio, qua communis hæc firmatur opinio, ducta eſt ex auctoritate tranſlationis 70. Interpretum: quæ in extremo libri Iob addit nonnulla verba, quæ nec in ſcriptura Hebraica, nec in Latina editione leguntur: illis autem verbis apertè teſtatum eſt, eundem fuiſſe Iob & Iobab, qui fuiſſe dicitur hoc loco de progenie Eſau. Verba illa, ſunt huiuſmodi: Hic interpretatione redditur ex libro Syriaco, in terra quidem Auſitide habitans, in finibus Idumeæ, & Arabiæ: & erat ei nomen Iobab. Cùm autem accepiſſet vxorem Arabiſſam, generat filium, cui nomen Erumon. Erat autẽ ipſe, ex patre quidẽ Zara, de filijs Eſau filius, matris autẽ Boſoræ: ita vt ipſe ſit quintus ab Abrahã. Et hi ſunt Reges, qui regnauerunt in Edom; cuius regionis etiam ipſe dominatus eſt. Amici autem, qui ad eum venerunt, Eliphaz de filijs Eſau, Themanorum Rex: & Baldad tyrannus Sauchæorum: & Sophar rex Minæorum. Sic ibi habet tranſlatio 70. Interpretum. S. Hieronymus non aliter ſcripturam hanc eludit, niſi dicendo, eam non reperiri in libris Hebraicis. Fuiſſe tamen eam magnæ auctoritatis apud Antiquos Eccleſiæ Doctores, eo manifeſtum eſt, quod eam cum honore citauit Origenes in Epiſtola ad Africanum: & Athanaſius in Synopſi, & Auguſtinus lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 47. & Chryſoſtomus Homilia 2. de Patientia Iob, & Theodoretus quæſt. 92. in Geneſim, hi omnes (inquam) vt partem S. Scripturæ, & libri Iob, agnoſcunt, & citant. Quanquam illud videtur iſtius Scripturę fidem eleuare, quod in annorum numero, quos vixiſſe facit Iob, poſt depulſionem illius ſuæ calamitatis, multum diſcrepet à Scriptura Hebraica & Latina. Ait enim ipſa ſub finem libri Iob, poſtquam illa calamitate liberatus eſt, vixiſſe annos centũ ſeptuaginta, & omnes annos vitę eius fuiſſe ducentos quadraginta: at in libris Hebraicis, & Latinis, in eo ipſo loco eſt, Iob poſt illam plagam vixiſſe annos centum quadraginta. 17

Athanaſius. Auguſt. Chryſoſto. Theodore.

Tertie ratio, communem ſententiam valdè confirmans; hæc eſt: Ex initio libri Iob apparet, ipſius patriam fuiſſe Hus, vbi ſcilicet natus, educatus, & verſatus fuit. Erat porrò Hus in regione Idumeæ, quod adeo perſpicuè docet Hieremias, vt dubitandum nullo modo ſit: in 4. enim ca. 18

Lamen

Lamentationum sic ait; *Gaude & lætare filia Edõ, quæ habitas in terra Hus: ad te quoque perueniet Calix, inebriaberis, atque nudaberis*: quibus verbis declaratur, Idumæos habitasse terram Hus tanquam regionis suæ partẽ. Hoc autem magno est argumento, B. Iob, gente Idumæum, & ex progenie Esau fuisse.

Hanc ipsam communem sententiam Thostatus anteponit opinioni Hebræorum, & B. Hieronymi, genus Iob repetentium à Nachor fratre Abrahæ. Super caput enim vigesimum secundum Geneseos hunc in modum disputat Thostatus: videtur probabilius, Iob fuisse de genere Esau, & fuisse eum, qui dicitur Genesis trigesimo sexto, Iobab, & ponitur secundus rex in terra Edom. Primò, quia initio libri eius dicitur fuisse eũ præ cæteris Orientalibus, potentem & diuitem: Id verò aptè conuenit ei, si dicatur fuisse Rex in Idumæa: nam posteri Nachor in Mesopotamia, nec tantarum facultatum, nec tantæ potentiæ fuerunt. Secundò, quia ipsemet Iob non obscurè indicat se fuisse regali præditum auctoritate ac dignitate, sic de se ipso loquens cap. 29. *Quando procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi, senes assurgentes stabant, principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo. Vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat.* Et interpositis aliquot verbis, subdit: *Si voluissem ire ad eos, sedebam primus: cúmque sederem, circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.* Tertiò, amicos Iob, qui cõuenerunt ad eum consolandum, fuisse reges, scriptum est in lib. Tob. cap. 2. & traditũ ab Aristæo, vt suprà memorauimus, & proditum in Translatione lxx. Interpretum sub finem libri Iob, vt paulò superiùs dictum est. Cum igitur illi fuerint reges, & illum non modò amauerint vt amicum, sed vt auctoritate, & dignitate superiorem coluerint, ac reueriti fuerint, satis ea res magnum facit indicium, ipsum quoque Iob fuisse regem.

Argumenta Thostati ad probandum Iob fuisse de genere ac stirpe Esau.

Quartò, patria Iob, fuit terra Hus; hãc verò fuisse in regione Idumææ, paulò antè ostensum est testimonio Hieremiæ. Quintò, tres illi amici Iob denominati sunt à tribus ciuitatibus, quæ erant in Idumæa: primus nominatur Eliphaz Themanites; alter Baldad Suhites; tertius Sophaz Naamathites. De quarum ciuitatum situ, scriptum est in libro diuisionũ Terræ Sanctæ. Certè ciuitatem Themã fuisse in Idumæa, perspicuè dicit Amos Propheta ca. 1. Sicut etiam Bosram, vnde fuisse dicitur Iob Gen. 36. Sextò, quia sepulcrũ B. Iob etiã hoc tempore visitur apud Iordanẽ in magna planitie, in confinio Palestinæ & Idumeæ, & magno gentium illarũ cultu ac religione celebratur. Septimò, qui faciunt Iob ex stirpe Nachor, infirmissima ratione ad id opinandum ducti sunt, quia nimirum primogenitus ipsius Nachor in cap. 22. Gen. appelletur Hus, & ab hoc argumentantur conditã fuisse terrã Hus, quæ patria fuit Iob: & Iob genus duxisse à Nachor patre istius Hus: at paulò superius demonstratũ est, fuisse in regione Idumæa terrã Hus, & fuisse alios duos isto nomine Hus appellatos, à quorum alterutro origo terræ Hus aptè duci possit. Hactenus ex Thostato.

19 Huic equidem communi sententiæ, lubenti animo subscripserim. Multa me in eandem sententiam trahunt: in illam Hebræorum præter vnum

Auctor sequitur cõmunem sententiam supra expositã.

S. Hieronymum, prorsus nihil mouet. Trahit me in primis auctoritas lxx. Interpretum: cùm enim essent viri grauissimi, & sapientissimi, quod scripserunt de B. Iob, & libro eius adiungendum censuerunt; id puto eos exploratum & compertum, vel ex Maiorũ Traditionibus, vel ex probatis, quæ tunc extabant, scriptis habuisse. Huc etiam impellit me auctoritas diuinæ Scripturæ; non obscurè significantis terram Hus, quæ patria fuit Iob, pertinuisse ad regionem, & ditionem Esau, quam eius posteri non habitatione solùm, sed etiam dominatione tenuerunt. Mouet me plurimum etiam generalis consensus tot tantorúmque patrum, qui super ea re non obscurè, nec dubitanter, sed apertè, & asseueranter sententiam suam pronuntiauerunt, scriptísque prodiderunt. Ad extremum opinio illa Hebræorũ, quam sequi voluit S. Hieronymus, nihil habet, excepta vnius Hieronymi auctoritate, certum ac firmum, debiliq; admodum nititur fundamento, vt suprà ostendimus: & paruam, vel ex sacra Scriptura, vel ex auctoritatibus nobilium Scriptorum, vel ex verisimilibus aliquibus argumentis, aut coniecturis, fidem, aut probabilitatem habet.

TERTIA DISPVTATIO.

De tempore, in quo vixit Iob.

Philo.

SI verum esset quod Philo scripsit, vt referũt Rupertus lib. 22 8. Commentariorum in Genesim cap. 11. & Thostatus in primum caput prioris libri Paralipomenon, Dinam filiam Iacob, fuisse vxorem B. Iob; hinc planè sequeretur, Iob fuisse æqualem patriarchæ Iacob. Et iuxta hoc tẽpus fuisse

Aristæus.

videtur Iob, secundùm Aristæum, cuius sententiam in superiori disputatione memorauimus: Facit enim Iob filium Esau fratris Iacob, nisi fortè nomine filij significare voluerit vnum aliquem de posteris Esau. Ad hæc

S. Hierony.

autem tempora videtur ætas Iob, secundum B. Hieronymum esse referẽda. Scripsit enim ipse in suis Traditionibus in Genesim, super caput 36. qui in eo capite nominatur Eliphaz filius Esau, eum fuisse vnũ de tribus illis amicis Iob, eo ipso nomine appellatum in libro Iob cap. 2. Hinc autem efficeretur, Iob supparem fuisse Esau, & Iacob.

Qui librum Iob fuisse aiunt compositum à Mose, quæ est communis 23 sententia, vt ait falsò putatus Hieronymus in Commẽtariis suis in Iob: necesse est istos facere Iob antiquiorem Mose. Seuerus Sulpitius lib. 1. Sacrę Historiæ facit Iob synchronon Mosi. Idémque dicere debuit Rabbi Salomon, qui fecit eum Chananæum, & dixit fuisse mortuum, cùm Hebræi essent in deserto, & peterent Terram Promissionis. Idem quoque dicere oportuit S. Hieronymum, si ex suo sensu dixit, quod in Traditionibus Hebraicis super caput 22. Geneseos scriptum reliquit. Ait enim ibi, Eliu Buzitem, vnum de tribus illis amicis Iob, fuisse Balaam ariolum, de quo scriptum est. Num. 23. quem in eodem lib. Num. 31. constat paulò antè Mosis excessum, fuisse gladio ab Hebræis interemptum.

Falsò putatur Hieronymus, & creditur Beda in Iob.
Seuerus.
Sulpitius.
Rab. Salomon.

Sanctus

22 SANCTVS Gregorius in principio Commentatiorũ ſuorum in Iob, ſcribit floruiſſe eum poſt datam Hebræis legem,& antequam Hebræi haberent reges, tempore videlicet Iudicum. Id autem videtur Gregorius colligere ex hoc 36.cap.Geneſis,vbi numerãtur reges,qui fuerunt in terra Edom,priuſquam Hebræi haberent reges:inter illos autem reges terræ Edõ ſecundus numeratur Iobab. Qui autem proximè in regimine populi Hebræi anteceſſerunt reges,eos fuiſſe conſtat Iudices. At enim ex eo quod Scriptura ſignificat,Iob fuiſſe ante reges Hebræorum, non videtur rectè concludi poſſe, fuiſſe illum tempore Iudicum, potuit enim eſſe;vel ante Moſem,vel tempore ipſius Moſis. Sed verba B.Gregorij ex capite primo Præfationis eius in Iob,huiuſmodi ſunt:Inter multos ſæpe quæritur,quis libri Iob ſcriptor habeatur.Et alij quidem Moſem,alij vnũ quemlibet ex Prophetis ſcriptorem huius operis fuiſſe ſuſpicantur. Quia enim in libro Geneſ.cap.36.Iobab de ſtirpe Eſau deſcendiſſe,& Balæ filio Beor in regnum ſucceſſiſſe deſcribitur;hunc B.Iob longè ante Moſis tempora extitiſſe crediderunt:morem profectò ſacri eloquij neſcientes, quod in ſuperioribus ſuis partibus ſolet breuiter longè poſt ſecutura perſtringere,cum ſtudet ad alia ſubtilius enuncianda properare. Vnde & illic Iobab,priuſquam reges in Iſrael exiſterent,fuiſſe memoratur.Nequaquam ergo extitiſſe ante legem cognoſcitur,qui Iſraeliticorum Iudicum tempore fuiſſe ſignatur. Quod dum quidam minùs cautè conſiderant, Moſen geſtorum illius,quaſi longè antepoſiti,ſcriptorem putant.vt videlicet is,qui potuit ad eruditionem noſtram legis præcepta edere,ipſe credatur etiam ex Gentilis viri hiſtoria,virtutis ad nos exempla mandaſſe. Hæc Gregorius. Sedenim vehementer miror quomodo S. Gregorius ætatem Iob reijciat in tempora Iudicum Hebræi populi,cum Iob fuiſſe agnoſcat eum,qui dicitur in hoc capite Iobab, pronepotem Eſau. Ab eo namque tempore vſque ad tempora Iudicum,præterierunt anni ampliùs ducenti quinquaginta.

Expenditur opinio S.Gregorij aientis Iob floruiſſe tempore Iudicum Hebræi populi.

23 Cæterum nos qui in ſuperiori diſputatione, auctoritatem Ixx. Interpretum,& communem ſententiam Patrum ſecuti cõcluſimus, Iob fuiſſe eum,qui nominatur hoc capite Iobab, ex ſtirpe Eſau,& tertium ab ipſo; fuit enim filius Zaræ:cuius pater Rahuel, filius fuit Eſau:nos,inquã,oportet conſequenter,& conuenienter huic opinationi dicere,ætatẽ Iob inciſſe in id tempus,quo Iacob vixit in Aegypto per decem & ſeptẽ annos: ad id enim tempus,pertinere videtur tertia generatio Eſau,in qua continetur Iobab. Ponamus itaque ortum Iob in eo tempore,quo Iacob cum omni familia ſua deſcendit in Aegyptum;ex quo tẽpore vſque ad egreſſum Hebræorum ex Aegypto,duce Moſe iam octogenario,excurrerunt anni ducenti quindecim,vt alio loco à nobis demonſtratum eſt: & quod hinc eſt conſequens,vſque ad ortum ipſius Moſis anni centum triginta quinque. Hinc porrò concludi poteſt, Iob peruenisſe vſque ad ætatem Moſis,& per octoginta duos annos,Synchronon ei fuiſſe. Si quidem reperimus,Iob vixiſſe annos ducentos decem & ſeptem.Etenim Deus poſt illam inſignem calamitatem,reddidit B.Iob omnia quæ prius habuerat,

Auctoris ſententia Iob fuiſſe circa id tẽpus,quo Iacob cum omni familia ſua deſcendit in Aegyptum.

etiam duplicata, vt ſcriptum eſt ſub finem eius libri. Sicut igitur reddidit ei facultates duplicatas, ita credibile eſt reddidiſſe etiam annos duplicatos: ſed reddidit ei annos cẽtum quadraginta, vt traditur in fine libri Iob, ergo antea vixerat annos ſeptuaginta, tot enim annos, duplicato numero, continent centum quadraginta. Sed his adijcere inſuper oportet annos toleratæ calamitatis, quos Olympiodorus & Suidas, aliíque faciunt ſeptem annos. Exiſtet igitur tota ſumma annorum vitæ Iob anni ducenti decem & ſeptem. Si Iob igitur natus eſt eo anno, quo Iacob deſcendit in Ægyptum, vixit octoginta duos annos poſt ortum Moſis.

Olympiodorus Suidas.

BENE

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA IN CAPVT TRIGESIMVM SEPTIMVM GENESIS.

Ioseph adolescens sexdecim annorum, prope fuit, vt præ inuidia, & odio occideretur à fratribus suis: verumtamen Iudæ intercessione venditus Madianitis, ductus est in Aegyptum.

HABITAVIT autē Iacob in terra Chanaan, 1
in qua pater suus peregrinatus est. Et hæ sūt
generationes eius: Ioseph cum sedecim esset 2
annorum, pascebat gregem cum fratribus
suis adhuc puer: & erat cum filijs Balæ, &
Zelphæ vxorum patris sui: accusauitque
fratres suos apud patrem crimine pessimo. Israel autem dili- 3
gebat Ioseph super omnes filios suos, eo quòd in senectute genuisset eum: fecitque ei tunicam polymitam. Videntes autem 4
fratres eius quòd à patre plus cunctis filijs amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui. Ac- 5
cidit quoque, vt visum somnium referret fratribus suis:
quæ causa, maioris odij seminarium fuit. Dixítque ad eos: 6
Audite somnium meum quod vidi. Putabam nos ligare 7
manipulos in agro: & quasi consurgere manipulum meum &
stare, vestrósque manipulos circumstantes adorare manipulum meū. Responderunt fratres eius: Nunquid rex noster eris? 8

aut ſubijciemur ditioni tuæ? Hæc ergo cauſa ſomniorum, at-
9 que ſermonum, inuidiæ & odij fomitem miniſtrauit. Aliud
quoque vidit ſomnium, quod narrans fratribus ait: Vidi per
ſomnium, quaſi Solem, & Lunam, & ſtellas vndecim adorare
10 me. Quod cùm patri ſuo, & fratribus retuliſſet, increpauit eũ
pater ſuus, & dixit: Quid ſibi vult hoc ſomnium quod vidiſti?
num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te ſuper ter-
11 ram? Inuidebant ei igitur fratres ſui: pater verò rem tacitus
12 conſiderabat. Cúmque fratres illius in paſcendis gregibus pa-
13 tris morarentur in Sichem, dixit ad eum Iſrael: Fratres tui
14 paſcunt oues in Sichimis: veni, mittam te ad eos. Quo reſpon-
dente, Præſto ſum, ait ei: Vade, & vide ſi cuncta proſpera ſint
15 erga fratres tuos, & pecora: & renuncia mihi quid agatur. Miſ-
ſus de valle Hebron, venit in Sichem: inuenítq; eum vir er-
16 rantem in agro, & interrogauit quid quæreret. At ille reſpon-
17 dit, fratres meos quęro, indica mihi vbi paſcant greges. Dixit-
que ei vir: Receſſerunt de loco iſto: audiui autem eos dicẽtes:
Eamus in Dothain. Perrexit ergo Ioſeph poſt fratres ſuos, &
18 inuenit eos in Dothain. Qui cum vidiſſent eum procul, ante-
19 quam accederet ad eos cogitauerũt illum occidere, & mutuò
20 loquebantur: Ecce Somniator venit, venite occidamus eum,
& mittamus in ciſternam veterem: dicemúſque; fera peſſima
deuorauit eum: & tunc apparebit quid illi proſint ſomnia ſua.
21 Audiens autem hoc Rubẽ, nitebatur liberare eũ de manibus
22 eorum, & dicebat: Non interficiatis animam eius, nec effun-
datis ſanguinem. Sed proijcite eum in ciſternam hãc, quæ eſt
in ſolitudine, manúſque veſtras ſeruate innoxias: hoc autem
dicebat volẽs eripere eum de manibus eorum, & reddere pa-
23 tri ſuo. Confeſtim igitur vt peruenit ad fratres ſuos, nudauc-
24 rũt eum tunica talari, & polymita: miſerúntque eum in ciſter-
25 nam veterem, quæ non habebat aquam. Et ſedentes, vt come-
derent panem, viderũt Iſmaëlitas viatores venire de Galaad,
& camelos eorum portantes aromata, & reſinam, & ſtacten in
26 Ægyptũ. Dixit ergo Iudas fratribus ſuis: Quid nobis prodeſt
ſi occiderimus fratrem noſtrũ, & celauerimus ſanguinẽ ipſius?
27 Melius eſt vt venũdetur Iſmaëlitis, & manus noſtrę nõ polluã-
28 tur, frater enim, & caro noſtra eſt. Acquieuerũt fratres ſermo-
nibus illius; & prætereuntibus Madianitis negociatoribus, ex-
trahen

trahentes eum de ciſterna,vendiderunt eum Iſmaëlitis viginti argenteis.Qui duxerũt eum in Ægyptum.Reuerſúſq; Rubẽ 29
ad ciſternam,nõ inuenit puerum, & ſciſſis veſtibus pergẽs ad 30
fratres ſuos,ait:Puer non comparet,& ego quò ibo? Tulerunt 31 32
autem tunicam eius,& in ſanguine hœdi,quem occiderãt,tinxerunt,mittentes,qui ferrent ad patrem,& dicerent:Hanc in- 33
uenimus: vide vtrum tunica filij tui ſit,an non. Quam cum agnouiſſet pater, ait:Tunica filij mei eſt,fera peſſima comedit eum,beſtia deuorauit Ioſeph. Sciſsíſque veſtibus indutus eſt 34
cilicio,lugẽs filium ſuum multo tempore. Cõgregatis autem 35
cunctis liberis eius,vt lenirent dolorem patris,noluit conſolationem accipere,ſed ait: Deſcendam ad filium meum lugens in infernum. Et illo perſeuerante in fletu, Madianitæ vendi- 36
derunt Ioſeph in Ægypto Phutipharo Eunucho Pharaonis, magiſtro militum.

PRÆFATIO.

HINC facit initium Moſes ſcribendi:enarrandíque hiſtoriam Ioſeph: quæ per ſequentia omnia capita, pauciſſimis exceptis,vſque in finem huius libri,ab eo pertexitnr. Quæ variorúmne caſuum Ioſeph narratione,an multi iugis virtutis eius expoſitione, an inſperatorum in vtramque partem euentorum commemoratione,iucundior Lectori, ac mirabilior ſit,incertum eſt. Et alij quidem filij Iacob,non tam ſuis,quàm poſterorum ſuorũ factis, atq; euentis nobilitati ſunt:Ioſeph autẽ,ſuis ipſe rebus clarus,& prædicabilis fuit: ingenio nempè peramabilis; morũ probitate,ac virtutum præſtantia venerabilis; magnis vtriuſque fortunæ caſibus memorabilis,& humana,& diuina ſapientia,in omni æuo admirabilis.Verùm inter plurima eius viri,quæ ſummam laudem merentur & admirationem,quinque potiſſimum rerum eximiarum fulſerunt inſignia, caſtitatis, manſuetudinis,æquabilitatis & conſtantiæ animi in rebus aduerſis pariter, & ſecundis,politicæ item prudentiæ,ac iuſtitiæ in regendis, ac adminiſtrãdis imperijs;ac demum cœleſtis ſapientiæ in rebus occultiſſimis peruidendis,futuríſque præuidendis.Verùm adhæc illuſtranda ſplendidam B.Ambroſij ſententiam,& orationem adhibeamus. Librum ille ſuum, quem ſcripſit de Ioſeph Patriarcha, exorſus eſt his verbis: Sanctorum vita ceteris norma viuendi eſt. Ideoque digeſtam pleniùs accepimus ſeriem

riem Scripturarum, vt dum Abraham, Isaac, & Iacob, ceteróſque iuſtos, legendo cognoſcimus, velut quendam innocentiæ tramitem, virtute eorum reſeratum, imitantibus veſtigijs proſequamur. De quibus mihi cũ frequens tractatus fuerit, hodie S. Ioſeph hiſtoria occurrit: in quo cum plurima fuerint genera virtutum, præcipuè fulſit inſigne caſtitatis. Iuſtum eſt igitur, vt cùm in Abraham didiceritis impigram fidei deuotionem, in Isaac ſinceræ mentis puritatem, in Iacob ſingularem animi laborúmque patientiã; ex illa generalitate virtutum in ipſas ſpecies diſciplinarum intendatis animum: Nam licet illa ſint diffuſiora, tamen iſta expreſſiora ſunt: eóque facilius mentem penetrant, quo magis ſcripta, & determinata ſunt. Sit igitur nobis propoſitus Sanctus Ioſeph tanquam ſpeculum caſtitatis: in eius enim moribus, in eius actibus lucet pudicitia, & quidam ſplendet caſtimoniæ comes, nitor gratiæ. Vnde etiam à parentibus pluſquam ceteri filij diligebatur; quæ tamen res inuidiæ fuit, quod ſilentio prætereundum non fuit. hinc enim argumentum totius hiſtoriæ proceſſit: ſimul, vt cognoſcamus, perfectum virum non moueri dolore vlciſcendæ iniuriæ, nec malorum rependere vicem. Vnde, & Dauid ait: Si reddidi retribuentibus mihi mala. Neque enim Ioſeph meritus eſſet præferri ceteris, ſi aut lædentes læſiſſet, aut diligentes dilexiſſet: hoc enim pleríque faciunt: ſed illud mirabile, ſi diligas inimicum tuum, quod Saluator docet. Iure ergo mirandus, qui hoc fecit ante Euangelium, vt læſus parceret, appetitus ignoſceret, venditus non referret iniuriam, ſed gratiam pro contumelia ſolueret, quod poſt Euangelium omnes didicimus, & ſeruare non poſſumus. Diſcamus præterea & Sanctorum inuidiam, vt imitemur patientiã: & cognoſcamus, illos non naturæ præſtantioris fuiſſe, ſed obſeruationis; nec vitia neſciſſe, ſed emendaſſe. Quod ſi inuidia etiam Sanctos aduſſit, quanto magis cauendum eſt ne inflammet peccatores? Sic Ambroſius.

Tribus autem de cauſis ſolius omnium Iacob filiorum, Ioſeph copioſè ac diligenter perſcripſit hiſtoriam Moſes. Primò quidem, quod ex hac hiſtoria intelligitur, qua ex cauſa, & quo euentu filij Iſrael in Aegyptum venerint, tot tantíſque miraculis inde liberandi: prædictum enim fuerat Abrahæ ſemen eius oppreſſum iri in terra non ſua. Occaſio igitur, ob quã filij Iſrael deuenerunt in Aegyptum, fuit venditio Ioſeph, eiúſque exaltatio. Deinde propterea Moſes copioſè perſecutus eſt hiſtoriam Ioſeph, quòd ea omne genus virtutum referta ſit exemplis: ideóque ſolus inter fratres ſuos dignus fuit Ioſeph, vt vita eius poſt exempla Abrahæ, Iſaac, & Iacob, omnibus veri Dei, & verarum, perfectarúmque virtutum cultoꝛ

Geneſ 15.

cultoribus, multum commendaretur, & in exemplum imitandum omnibus proponeretur. Huc adde, quòd Ioseph multis rebus insignem, atq; illustrem Christi typum, & figuram gesit: quocirca eius mores, actus, & virtutes & casus, distinctè & expressè, & accuratè declarare oportuit.

VERS. 1.

Habitauit autem Iacob in terra Chanaam, in qua pater suus peregrinatus est: Et hæ sunt generationes eius.

CVM post hæc verba Moses non describat generationem Iacob, id est, progeniem, & posteritatem, vt de qua Paulo suprà Geneſis trigesimo quinto, breuiter dixerat, enumerans, & nominans duodecim eius filios; sed proximè subiungat historiam rerum Ioseph, venditionem eius factam à fratribus enarrans: quæritur, quomodo dicat: *Hæ sunt generationes Iacob?* Caietanus ait; Illud, *Istæ*, vel, *Hæ sunt generationes Iacob*: Referendum esse, non ad proximè subsequentia, sed ad longè post memoranda de filiis, & nepotibus Iacob, tum Gene. 46. tum deinceps. Pronomen (Hæ) inquit Caietanus, demonstrat longè inferius recensendas generationes. Ita vt duo proponat tractanda: tum gesta, habitante Iacob in terra Chanaam; & huc spectat illud, *Habitauit Iacob in terra Chanaam*: tum generationes descendentes ab eo longè post enarrandas. Sic Caietanus. Sed profectò vis, & propria significatio illius pronominis (Hæ) vel (Istæ) exigit, vt verba illa, *Istæ sunt generationes Iacob*, referri debeant ad proximè subsequentia, nec ad longè remota commodè aptari possint. Rupertus huiusmodi quandam interpretationem affert. Non mirum si proponens Moses dicere de generationibus Iacob, vnius duntaxat historiam Ioseph subtexat. Licèt enim duodecim fuerint Iacob filij, in vno tamen Ioseph, suam Iacob generationem, id est, paternæ similitudinis transfudit pulchritudinẽ. Nam sicut pater ipsius Isaac ex sterili Sara, & ipse Iacob ex sterili Rebecca, naturam sterilẽ fœcundante gratia progenitus, & diuina benedictione donatus, patrum suorum vestigiis incessit: sic Ioseph nihilominus ex Rachele sterili, dono Dei susceptus est, futurus eiusdem benedictionis hæres; & solus ex omnibus filiis, paternorum morum, atque virtutum, perfectus imitator extitit. Quapropter solus etiam filiorum Iacob, dignus fuit, qui filius Israel diceretur, & cuius nomen posteritati commẽdaretur. Videat Lector Rupertum libro octauo Commentariorum in Geneſim, capite decimo octauo. Verùm ista expositio, mystologica potiùs est, quàm historica, & litteralis. Illa est igitur multo probabilior interpretatio, vocabulo generationis, denotari hoc loco casus, euenta, & quæcunque contigerunt ipsi Iacob, & filiis eius. Non enim post hæc verba subtexit Moses genealogiam stirpis Iacob, sed potiùs tristia euenta, & miserabiles casus eius. Similiter acceptum est supra Gene. 6. nomen generationis, vbi dictum est: *Istæ sunt ge-*

Caietanus.

Rupertus.

Gene. 21.
Infra 25.

nerationes Noe. Talem vim significandi habet, & verbum gignendi, siue patiendi in libro Prouerbiorum capite 27. vbi scriptum est: *Ne glorieris de die crastina, quia nescis quid ventura pariat dies*: significatur enim non esse gloriandum ea de re, quæ futura est, cùm multa possint intercurrere, quæ euentum, atque effectum eius rei præpediant. Ergo sensus istorum verborum est: Ista sunt (scilicet mox subiungenda) quæ contigerunt Iacob in generationibus suis, id est, in filiis, plurimùm verò in Ioseph.

PRIMA DISPVTATIO.

Super ætate Ioseph, in qua is erat, cùm est venditus à suis fratribus.

Super illis verbis,

VERS. 2. Ioseph cum sexdecim esset annorum, pascebat gregẽ cum fratribus suis adhuc puer: & erat cum filiis Balæ, & Zelphæ vxorum patris sui.

QVOD Latinus interpres dixit, Ioseph fuisse tunc sexdecim annorum, in libris Hebraicis, Græcis, & Chaldaicis est, fuisse ipsum decem & septem annorum. Verùm nihil negocij est, quantum ad veritatem vtriusque sententiæ, ista conciliare inter se. In promptu enim est dicere, Ioseph fuisse tunc decimum sextum ætatis annum iam expletum: fuisse autem decimum septimum tantummodò inchoatum: & Latinum Interpretem voluisse describere ætatem Ioseph ab annis eius iam completis; alios verò ab vltimo eius anno iam inchoato. Nempe frequens est apud Historicos, & Chronographos talis computãdi diuersitas: vt alij annos duntaxat exactos percenseant, alij etiam inchoatos tantùm. Illud fortasse cuipiam videri posset plus habere dubitationis, vel admirationis, vndenam compertum fuerit Latino interpreti, annum decimum septimũ, qui signatur Hebraicè, & Græcè, & Chaldaicè, non fuisse completum, sed inchoatum: & cur maluerit hoc loco singulariter, & diuersè ab aliis ætatem Ioseph denotare per annum decimum sextum. Enimuerò subit nonnunquam animum meum existimare, in translatione Latina, quam longo Ecclesiæ vsu, & Tridentini Concilij auctoritate comprobatam habemus, quædam occulto instinctu, & afflatu sancti Spiritus esse posita, quorum certam rationem, non facilè sit humana inuestigatione reperire.

Quæstio super ætate Ioseph. Cæterùm super ætate Ioseph, quæ memoratur hoc loco, quæstio occurrit minimè dissimulanda: Quomodo verum esse potuerit, vt post mortem Isaac (post eam namque hæc narrantur à Mose) esset Ioseph sexdecim annorum. Iacob quippe centum viginti annorum erat in obitu Isaac, ab eo

ab eo namque sexagenario genitus fuerat, vt dictum est Genes. 25. Isaac verò centum octoginta natus annos mortem obiuit. Iacob porrò anno ætatis suæ vno & nonagesimo, vt suprà docuimus, generat filium suum Ioseph, à quo tempore vsque ad centesimum vigesimum annum suæ ætatis, in quem annum incurrit mors Isaac, numerantur anni viginti nouem: tot igitur annorum fuisse Ioseph, cum mortuus est Isaac, necessum est. Nam si tunc fuisset Ioseph sexdecim annorum, cum Iacob intrauit Ægyptum, & reperit Iosephum annorum 39. vt significatur infra Geneseos 45. fuisset ipse Iacob tunc annorum centum quadraginta trium: at ipse, regi Ægypti de sua ætate percontanti, respondit, annum se tunc agere centesimum trigesimum, vt scriptum est Gene. 47.

6 S. Augustinus in libro Quæstionum in Genesim in quæstione 122. fusè ac subobscurè tractat hanc quæstionem, & soluit. Nam cùm multis verbis causam difficultatis exposuisset, subdit: Aut ergo eodem anno decimo septimo, aut etiam aliquantò maior venit Ioseph in Aegyptum, ac per hoc, si post mortem Isaac venit, vtrolibet modo permanet quæstio. Si enim decem & septem annorum fuit post mortem Isaac, quo tempore pater eius centum viginti fuit annorum; profectò anno eius trigesimo nono, quando Iacob venit in Aegyptum, centum quadraginta duos annos idem Iacob agere debuit. Fuit autem tunc Iacob centum & triginta annorum, ac per hoc si decem, & septem annorum Ioseph in Aegypto est venditus, ante duodecim annos, quàm moreretur auus eius Isaac, venditus inuenitur. Decem enim & septem annorum esse non potuit, nisi ante duodecim annos mortis Isaac; & in centesimo octauo anno vitæ patris sui Iacob. His enim annis cum adiecerimus viginti duos annos, quibus Ioseph, vsque ad aduentum patris sui, fuit in Aegypto, fient ætatis anni Ioseph triginta nouem, & ipsius Iacob centum triginta; & sic nulla erit quæstio. Sed quoniam Scriptura post mortem Isaac ista narrauit, putatur Ioseph post mortem Isaac, decem & septem annorum fuisse. Quapropter intelligamus de vita Isaac, tanquam multum decrepiti senis, tacuisse Scripturam, cum iam de Iacob, & eius filiis loqueretur: viuo tamen Isaac, decem & septem annorum esse cœpit Ioseph. Hactenus ex Augustino. *S. Augusti.*

Manifesta igitur est in hoc loco hysterologia, id est, præpostera rerum
7 gestarum narratio: post mortē enim Isaac narratur venditio Ioseph, quæ tredecim annis eam præcesserat. Sed enim quærat quispiam cur Moses interuertere temporis ordinem voluerit? Nimirum dixerat suprà Moses sub finem capitis 35. Iacob post suum ex Mesopotamia regressum in terram Chanaam, venisse in vrbem Hebron ad patrē suum Isaac: & quia nihil ampliùs scripturus erat de Isaac, voluit concludere historiam eius, narrando mortem, & sepulturā ipsius. Quoniam verò Esau filius erat Isaac, & vnà cum Iacob, patris funus fecerat, & semen erat Abrahæ, & quadātenus pertinebat ad promissiones Abrahæ datas à Deo, de multiplicando eius semine: idcirco Moses voluit curſim indicare progeniem, & posteritatem Esau, vt origo gentis, & principatus Idumæorum, de quibus & ipse *Auctoris solutio quæstionis, & breuis, & aperta.*

postea non semel loquitur,& alibi crebra in libris sacris fit mentio, per-
notescceret. His itaque,tanquam per digressionem, in capite 36. Genesis
expositis,redit Moses hoc capit.37. ad institutum narrationis cursum:&
persequitur historiam eorum quæ acciderunt Iacob, postquam venerat
Hebron,incipiendo à venditione Ioseph,quæ,dũ Iacob ibi moraretur,fa
cta est,tredecim annis ante mortẽ Isaac. Sed cur signatè declarauit Mo-
ses ætatẽ Ioseph,dicens fuisse eum sexdecim annorũ? Chrysostomus hu-
iusmodi reddit rationẽ. Quam ob causam,inquit,Moses annorum Ioseph
numerũ designauit? vt scias ætatem adolescentiæ,non esse virtutis impedi
mentum:& quo plenius cognoscas adolescentis erga patrem suũ obedié-
tiam,& in fratres suos beneuolentiam;illorum cõtrà,inhumanitatem,&
crudelitatem in ipsum. Neq; enim eos à tanto scelere,quod designarunt
in Ioseph, cohibere potuit beneuolentia. qua ipsos prosecutus fuerat,&
teneritudo atq; infirmitas ætatis,quæ debebat eos ad commiserationem
prouocare. Immò verò istis ipsis rebus in eius inuidiam, & odiũ,& perdi
tionem incitati sunt. Hæc Chrysostomus in homil.61. in Genesim.

Verum,ni fallor,illud probabilius dictu fuerit,idcirco Mosen tam di- 8
ligenter signasse ætatem Ioseph,vt ex eo intelligi posset,quandiu ille ca-
lamitatem,& ærumnam pertulisset, nimirum per annos quatuordecim.
Erat quippe sexdecim annorum,cum est vẽditus à fratribus: cum autem
è carcere eductus est,& ad principalem dignitatem,& præfecturã Ægy-
pti euectus,fuisse dicitur infra Genesis quadragesimo primo, annotum
triginta. Omne igitur tempus intermedium quatuordecim annorum,in
seruitute,ærumna,& calamitate transegit. Nec illud aut temerè, aut su-
perfluè additum est à Mose,quòd post signatam ætatem Ioseph sexde-
cim annorum,adiũxit, *adhuc puer*: satis enim significata erat puerilis ætas
eius ante,dicendo,fuisse eum sexdecim annorum. Non,inquit Rupertus
Rupertus. libro octauo Commentariorum in Genesim capite decimo nono: super-
fluit in hoc loco sermo Dei,dicens Ioseph fuisse sexdecim annorum, &
fuisse adhuc puerum,quasi non semper talis ætas esset puerilis: sed voluit
significare citam,& celerem iustitiæ,ac meriti Ioseph perfectionem,quæ
continuo subtexitur: quocirca signatè vtrumque dictum est,& fuisse sex-
decim annorum,& fuisse adhuc puerum. Continuò enim subditur, eum
accusasse fratres suos crimine pessimo. Hoc nempè puer non feciſſet,si
non puritatis amorem,zelúmque iustitiæ iam tunc haberet: quod qui-
dem in puero,vel adolescente,vt maximè laudandum est, ita rarum est,
mirúmque. Sic Rupertus. Equidem reor istud ob eam quoque causam,
fuisse adiunctum à Mose,vt significaret qualis fuerit in pueritia indoles
Ioseph. Non ille pueritiam,& primam adolescentiam,inertẽ,atque otio-
sam,& vagam transegit: neque iocis, ludis, & delectamentis puerilibus,
aliorum more,deditus fuit: sed duram & laboriosam,& in pastorali arte
honesta,simúlque perutili exercitam,primam suam ætatem exegit.

Circa illud; *Et erat cum filijs Balæ,& Zelphæ vxorum patris sui.* Primò 9
notandum est,Balam,& Zelphã,quas suprà vocauerat Scriptura concu-
binas Iacob,hîc apertè & simpliciter vocari vxores eius: vt intelligatur,
fuisse

fuisse legitimas vxores, quanquam non fuerint matres familias, & principales vxores, sicut erãt Lia, & Rachel; & idcirco dictas esse alibi concubinas. Quanquam illud habuerunt istæ supra conditionem concubinarũ, quòd earum filij similiter vt filij Rachelis, & Liæ, participes fuerunt hæreditatis terræ promissionis, & suas ipsi quoque tribus condiderunt. Sed cur Moses dixit fuisse Ioseph cum filijs Balæ, & Zelphæ? Audi Rupertum loco proximè citato: Quod Moses ait, Ioseph fuisse cum filijs Balæ, & Zelphæ, insinuare voluit æmulationem fratrum Ioseph, qui nati erant ex Lia, cum quibus ipse versari non audebat. Illi enim cum essent de libera matre nati, grandiores spiritus gerebant, & Ioseph, filium dilectę Rachelis, & quam Iacob plusquam matrem ipsorum dilexerat, non ęquo animo aspiciebant: & insuper filios ancillarum despectui habebant, & pro seruis ducebant. Ioseph autem cum & ipse natus esset ex libera matre, & præcipua vxore, non despiciebat eos, quos à patre suo, filiorum loco haberi cernebat. Apparet igitur, & prudentia Ioseph declinantis inuidiam fratrum; & animi modestia, non propter ingenuitatem suam, & præcipuum amorem quo diligebatur à patre auersantis congressum, & consuetudinem filiorum Balæ & Zelphæ, sed cum illis libenter versantis. Hinc etiam liquet, vnde, aut quomodo vitia fratrum suorum nouerit Ioseph, quæ detulit ad patrem, videlicet quòd versaretur cum illis in pascendo grege. *Rupertus.*

SECVNDA DISPVTATIO.

Quodnam fuerit pessimum illud crimen, de quo Ioseph apud patrem accusauit fratres suos.

Super illis verbis,

Accusauitq; fratres suos apud patrem crimine pessimo. VERS. 2.

OPTIMAM Ioseph, verba hæc, indolem declarant: vt qui tantopere oderit, nec ferre potuerit vitia fratrum suorũ, sed emendationi eorum studens, simúlque consulens patris & familiæ suæ famæ, eorum vitia detulerit ad communem patrem: vt is, quasi prudentissimus medicus, efficacem, ac salutarem medicinam faceret. Nec potuit non esse iucũdissimum Iacobo tale Ioseph odium & detestatio vitiorum, talis ardor corrigẽdi fratres, tale studium, & cura paternæ & domesticæ famæ, ac demum tale officium deferendi ad ipsum, quæ in rem, & honorem communem domus suæ videbat esse. Terentianus ille Demea, cũ duos haberet filios, Ctesiphontem probum, & frugi adolescẽtem, & Æschinem, nequam, & perditum hominẽ: audiens Ctesiphontem iurgio adortum esse Æschinem apud forum, & clarissima voce, & verbis grauissimis dixisse ei, Æschines, hęccine flagitia *In Adelph.*

facere te? Hæc te admittere indigna genere noſtro? Non tu hoc argentũ perdis, ſed vitam tuam. Hæc, inquam, audiens Demea, & nimio gaudio lacrumans, ſaluus ſit, inquit, ſpero: Similis eſt maiorum ſuorum. Similiter Iacob contemplans indolem, & mores, & facta Ioſephi etiamnum in prima adoleſcentia, vehementer gaudebat, ſperans eum virtutibus Maiorum ſuorum Abrahæ & Iſaac egregiè reſponſurum.

Diuerſitas lectionis 70. Interpretum.

Sed ante alia, lectio huius loci perpendenda eſt diligenter. Septuaginta Interpretes diuerſam admodum, & penè contrariam in hoc loco reddidere ſententiam: aiunt enim non Ioſeph accuſaſſe fratres ſuos, ſed ipsũ contra eſſe accuſatum à fratribus apud patrem: nam eorum verba, Latinè reddita, huiuſmodi ſunt: *Detulerunt contra Ioſeph, vituperationem malam ad Iſrael, patrem ſuum.* Nec ſubeat quempiam ſuſpicari non ita vertiſſe Septuaginta, ſed eorum codices eſſe corruptos: Expoſitores quippe Græci, hunc locum itidem legerunt, atque interpretati ſunt; vt Chryſoſtomus homil. 61. in Geneſim; & Theodoretus atque Iſidorus Peluſiota, & *alij*, vt refertur in Catena Græca in Geneſim. Quanquam Diodorus *non diſſimulauerit*, in Hebræis libris contrariam eſſe lectionem, ita ſcribens, Aquila & Symmachus, & Syra editio pro eo, quod nos legimus *detulerunt*, habent *detulit*: ſignificantes ipſum Ioſeph accuſare ſolitum fratres ſuos, quod non ſe probè, ac modeſtè gererent. Sic ille. Et eadẽ Theodoreti eſt ſententia. Equidem miror, tantam diuerſitatem lectionis Græcæ ab Hebraica non animaduertiſſe S. Hieronymum, aut prætermiſiſſe eam tradere in Quæſtionibus ſuis in Geneſim: cum in hoc genere obſeruationum & annotationum ſoleat eſſe diligentiſſimus, & accuratiſſimus. Sed proculdubio lectio noſtra Latina omnino conſentiens cũ Hebraica, & Chaldaica, & à pleriſq; patribus vſurpata, & interpretata, pro vera, & germana, ac propria lectione huius loci cenſenda eſt. Quanquã lectio Hebraica ad verbum pro illis verbis, *Crimine peſſimo*, habeat (*malam famam*) *Et retulit*, inquit, *ad patrem malam eorum famam.* Sed quia peccata, quæ creant infamiam, ſunt peſſima crimina; idcirco Latinus Interpres, ſententiam ipſam ſpectans, pro infamia, poſuit, crimen peſſimum, præſertim cum Hebræi & comparatiuis & ſuperlatiuis careant. Oleaſter obſcurum ait eſſe hunc locum propter ignorantiam propriæ ſignificationis Hebræi vocabuli, quod hîc ponitur, *dibbah*, quod aliqui infamiam, ſeu famam malam; alij oblocutionem, ſiue bonam, ſiue malam ſignificare dicunt. Certum eſt ſignificare rumorem, ſeu rem, quæ auditur: & ex multis Scripturæ locis apparet, quod propriè ſignificet oblocutionem, id eſt, rumorem, vel ſermonem vulgo iactatum, ſiue bonum, ſiue malum.

Chryſoſtom. Theodoretus. Iſidorus Peluſiota. Diodorus.

Oleaſter.

Quod fuerit crimen de quo Ioſeph accuſauit fratres. Caietanus.

Verùm exiſtit quæſtio, quod genus criminis fuerit, de quo Ioſeph accuſauerit fratres ſuos: Nam Moſes ſpeciem criminis tacuit, & tantùm ſignificauit fuiſſe crimen infame, ac peſſimum. Quocirca Caietanus, Quoniam, inquit, non dicit Scriptura, cuius criminis eſſent infames fratres Ioſeph, ſed inſinuat huiuſmodi infamiam innotuiſſe Ioſeph, ex eo quod comes erat fratrum, ideo ignota remanet ſpecies criminis; genus autẽ eius ſcitur, quòd erat peccatum infame: & ſcitur quòd non omnes fratres, ſed filij

filij tantùm concubinarum delati sunt: propterea enim Moses versatum esse Ioseph inter illos narrauit. Sic Caietanus. Theodoretus in Catena significat, nõ accusasse Ioseph de vno aliquo certo crimine fratres suos, sed in vniuersum indicasse, eos fuisse moribus improbis, & flagitiosa vita, & immodestè agere. Rupertus auctoritate illustrium virorum confirmat, pessimum illud crimen de quo Ioseph accusauit fratres, fuisse vitium nefandum. Sic enim scribit lib. 8. Comment. in Genes. cap. 18. De quo crimine accusauit Ioseph fratres suos, quia non explicuit Scriptura, vagæ opinioni locus datus est: multa namque sunt vitia, quorum consummatum opus, pessimum est. Aiunt tamen viri illustres, crimen Sodomitici fuisse sceleris. Sic Rupertus. Verùm non videtur credibile, Patriarchas illos, & filios Iacob, tanti flagitij turpitudine cõtaminatos, & fœdatos fuisse. Præsertim cùm id temporis penè recens memoria esset exitij Sodomitarum in ea ipsa regione in qua illi versabantur: vbi horrenda facies, & aspectus cœlestis vindictæ in illis locis, ingentem illis pauorem incutere potuit: vt quorum facta imitarentur, eorum quoque exitus perhorrescerent.

Theodoretus.

Rupertus.

Glossa Interlinearis.

13 Glossa Interlinearis crimen illud pessimũ tripliciter interpretatur, vel incestum Ruben, qui torum paternum fœdauit, dormiens cum Nouerca: vel bestialem concubitum, & commixtionem cum iumentis: vel dissidia, & iurgia & rixas inter fratres suos, filijs Liæ despicientibus, & infectantibus filios ancillarum. Sed priores duas interpretationes refellit Lyranus. Negat enim posse intelligi accusatum fuisse Ruben à Ioseph: non solùm quod plurali numero vtens Moses, indicauit non vnum aliquem fratrũ, sed aut omnes, aut plerósque esse accusatos à Ioseph, verùm ob id maximè, quòd, vt paulò infrà in hoc ipso capite narratur, vnus omnium Ruben oppositus se fratribus volentibus occidere Ioseph, obnixè conatus eripere eum manibus ipsorum, & reddere patri. Hoc autem ille tam studiosè, & sedulò non feciſſet, si fuisset à Ioseph accusatus de crimine pessimo apud patrem. Nec verò fas est sentire, Patriarchas illos tam irrationabili & insana libidine fuisse inflammatos, vt cum iumentis miscerentur. Sic Lyranus.

Lyranus.

Atenim Thostatus satis propendet in hanc opinionem, affirmans vitium illud satis esse frequens, & familiare pastoribus, extra vrbes & societatem hominum versantibus, quales erant filij Iacob. Nam cùm societate, & congressu mulierum careant, & semper in conspectu, & ad manus habeant omne genus pecora, & iumenta, procliues sunt in istud vitium, & cum animalibus commixti & tutò, & pro libito vesanam libidinem ex saturant. Audiamus verba Thostati: Non valet, inquit ratio dicentium, tantam turpitudinem non esse tribuendam illis Patriarchis: fuerunt namque illi homines valdè imperfecti, & in iuuenili ætate, admodum flagitiosi. Hoc nempè indicat coitus Ruben cũ Bala vxore patris sui, ipso viuẽte: quantum enim fuisse putamus libidinis eius æstum, quem ab eo flagitio, verecundia patris, & talis patris non reuocauerit? Iudas quoque cum nuru suo Thamar, tanquam cum meretrice, quanta libertate coiuit?

Thostatus.

cuius

cuius filios Her, & Onam, qui semen fundebant in terram, antequam ad vxorem accederent, ne suscitarent semen fratri suo, pessimos fuisse, atque ob id esse à Deo interfectos, testatur scriptura Gen. 38. Sed quod scelus comparari potest malitiæ istorum filiorum Iacob, qui fratrem suũ Ioseph immerentem, atque innocentem, omni non solùm fraternæ caritatis, sed etiam humanitatis sensu prorsus abiecto, crudeliter interficere voluerunt; & pro magno beneficio duxerunt, condonata ei morte, vendere ipsum extaneis gentibus? Satis igitur probabiliter dici potest, crimẽ illud pessimum fratrum Ioseph, fuisse bestialem coitum. Hactenus ex

S. Thomas. Thostato. B. certè Thomas in 22. quæst. 154. art. 12. in responsione ad 4. sequens Glossam interlinearem, crimẽ illud pessimum fratrum Ioseph, non aliud interpretatur, nisi bestialitatis peccatum, ita scribens: Inter vitia, quæ sunt contra naturam, infimum locum tenet peccatum immunditiæ, quod consistit in sola omissione concubitus ad alterum. Grauissimum autem est peccatum bestialitatis, quia non seruatur debita species. *Vade* super illud Genes. 37. *Accusauit fratres suos crimine pessimo*, dicit Glossa quòd cum pecoribus miscebantur. Sic B. Thomas, qui tamen istis verbis, non tam suam tradidit, quàm Glossæ citauit sententiam. Idémque tradit

Hugo S. Victo. Hugo Sancti Victoris.

14 Ego ex tam multis, & variis interpretationibus, tres cęteris præferendas censeo, Primò quidem illam Theodoreti suprà expositam, & Diodori, qui putarunt, Ioseph non accusasse fratres suos de vno quopiam certo crimine, sed in vniuersum, quòd flagitiosam vitam agerent, & impuris, ac fœdis moribus essent, ita vt malè audirent apud alios, atque infames essent. Hoc enim significare videtur lectio Hebraica huius loci, quæ habet, Ioseph malam fratrum suorum famam detulisse ad patrem. Altera itidem interpretatio probabilis est, Ioseph accusasse fratres de intestinis odijs, & frequentissimis iurgijs, & amarissimis rixis, quæ erant inter filios Lię, & filios ancillarum: Tertia quoque interpretatio magnam habet probabilitatem, Ioseph accusasse fratres, quod se vehementer odissent, & grauiter verbis iuxta, factisque insectarentur: nec aliam planè ob causam, nisi quòd dissimilis eorum esset, atque eorum vitia sibi displicerent: tum etiam, quòd ipse præ illis omnibus diligeretur à patre, quamobrem intuerenter ipsos, & contumeliosè, & criminosè de patre loqui solitos. Hæc igitur probabilia cogitatu, & dictu videntur, & in quoliber istorum trium quadrat appellatio criminis pessimi, vt patet supradicta pensitanti.

Aucto. opinio.

Sed num recte fecit Ioseph, accusando fratres suos de crimine pessimo apud patrem? Videtur enim speciem habere mali, accusare fratres suos: si quidem huiusmodi tanquam insignis, denotatur in Apocalypsi capit. 12. malitia Diaboli: scriptum enim ibi est: *Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos, ante conspectum Dei, nocte, ac die.* Deinde non legitur ante denũciationem criminis, Ioseph priuatim, ac secretò admonuisse fratres sui criminis: qui autem non præmissa admonitione crimen alterius publicat, is, vt ait Augustinus, non corrector est, sed proditor. Corripe,

ait

ait Augustinus, delinquentem inter te, & ipsum solum, studens correctioni, parcens pudori. Nam si solus nosti, quia peccauit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, sed proditor. Fortè enim præ verecundia incipiet defendere peccatum suum; & quem vis correctiorem, facis peiorem. Sic Augustinus. Similiter Hieronymus in caput decimum octauum Matthęi. Corripiendus, inquit, est seorsum frater, ne si semel pudorem, & verecundiam amiserit, permaneat in peccato. Multi enim studio boni nominis, & metu infamiæ, à flagitiis coërcentur; qui si publicatis suis flagitiis infamatos se videant, quasi rupto, & abiecto fręno, toto impetu, & libertate animi ruunt in flagitia. Sanè Thostatus refert opinionem Hebræorum, peccati arguentium & damnantium Ioseph, quod fratres suos de crimine pessimo accusasset.

Augusti. Ser. 16. de verb. Domini, Matth. 18.

Hieronym.

16 Sed enim accusationem illam Ioseph non modo fuisse inculpabilem, verùm etiam laudabilem: minimè dubitandum est. Ipsa enim correctio fraterna, actus est caritatis, ac misericordiæ, tendēs ad emendationem delinquentis, & remotionem peccati, & est spiritualis quædam eleemosyna tanto quidem præstantior, & vtilior, quàm corporalis, vt ægrotantem curare, aut pascere esurientem, quanto grauius, & pernicioſius malum est animi peccatum, quàm corporalis morbus, aut fames. Verùm bonitas correptionis fraternæ potest corrumpi dupliciter: vel malo animo, & fine corripientis; vel indebito modo corripiendi. Debemus, inquit Augustinus, amando corripere, non nocendi auiditate, sed studio corrigendi. De neutro autem insimulari potest Ioseph. Quis enim inducat in animum, adolescentem ab omni scelere purum, atque innocentem, cupiditate nocendi fratribus suis, malignè concinnasse accusationem eorum, & ad patrem detulisse? sed præuia, inquies, defuit priuata, & secreta fratrum admonitio. Quî scis defuisse? Non est, inquies, à Mose scriptum. Quasi verò omnia illorum Patriarcharum facta, dictáque, sacrarum litterarum monimentis consignauerit Moses. At præmonitos fuisse fratres à Ioseph, affirmat hoc loco Thostatus, & ante Thostatū B. Thomas idem scriptum reliquit in 2. 2. quæst. 33. artic. 7. in responsione ad secundum hisce verbis: De Ioseph credendum est, quod fratres suos quandoque admonuerit, licèt id non sit scriptum. Quanquam non erat necessaria præmonitio fratrum, cùm esset crimen eorum publicum, & ob id illi iam essent infames: circo enim secundùm lectionem Hebraicam huius loci dicitur Ioseph, malam fratrum suorum famam detulisse ad patrem. Nec sanè peccata eorum in vulgus enunciauit, neque ad publicum iudicem detulit, sed ad communem patrem, vt is paterna caritate, & prudentia, & auctoritate eos corriperet, simúlque corrigeret, sine vllo eorum, vel spirituali, vel corporali detrimento, tempestiuam, & efficacem, & salutarem morbis eorum curandis, sanandísque medicinam adhibens.

Ioseph rectè ac laudabiliter accusauit fratres apud Patrem.

Augustin.

Thostatus.

S. Thomas.

17 Equidem reor prudenter omisisse Ioseph priuatam admonitionē fratrum, si tamen eam prætermisit, quòd non dubiè putaret, eam non inutilem modò futuram fratribus, verùmetiam pernicioſam, quòd illum, vel propter ætatem derisuri, & contempturi essent, vel maiori etiā odio ipsius

Quando & cur omittēda fraterna correctio aliquorum.

ne tale quid eueniat, veremur, tunc caritatis est omittere correctionẽ; impudentiæ, atque temeritatis adhibere. Enimverò super illis verbis Salomonis: *Noli arguere derisorem, ne oderit te.* Glossa sic ait, Nõ est timendum, ne tibi derisor, cum arguitur, contumelias inferat: sed hoc potius prouidendum, ne tractus ad odium, inde fiat peior. Valent mirificè ad confirmandam, & illustrandam hanc sententiam illa B. Augustini verba, quæ sunt in cap. 9. libri primi de Ciuitate Dei: Plerunque, inquit, ab iis, qui flagitiosè viuunt, docendis, admonendis, aliquando etiam obiurgandis, & corripiendis malè dissimulatur, vel cùm laboris piget, vel os eorum verecundamur offendere, vel cum eorum inimicitias deuitamus, ne impediant, & noceant in istis rebus temporalibus, siue quas adipisci adhuc optat nostra cupiditas, siue quas amittere formidat infirmitas. Nam si propterea quisque obiurgandis, & corripiendis malè agentibus parcit, quia opportuniùs tempus inquirit, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam, & piam erudiendos impediant infirmos alios, & premant atque auertant à Fide, non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium caritatis. Sic Augustinus.

Prouerb. 9. Glossa ordinaria.

S. August.

TERTIA DISPVTATIO.

An principalis causa diligendi Ioseph præ cæteris filiis, fuerit Iacobo, quòd in senectute genuisset eum.

Super illis verbis,

VERS. 3. Israel autem diligebat Ioseph super omnes filios, eo quòd in senectute genuisset eum.

Très causæ ob quas Ioseph erat inuisus fratribus suis.

OPTIMI est historici, veras & proprias eorum, quos narrat, casuum, & euentorum causas euoluere ac declarare id fecit Moses hoc loco, indicans, quibus ex causis incitati atque incensi fuerint fratres Ioseph in eius inuidiam, atque odium: quin etiam ad voluntatem eius necandi tantoperè incubuerint. Fuere autem tres causæ: prima, quòd ipsos apud patrem accusauerat de crimine pessimo. Altera, quòd plus omnibus diligeretur à patre: atque in præcipui amoris paterni signum fuisset ab eo singulari quadam, & præstandi veste ornatus. Tertia causa, fuit enarratio somniorum eius, quibus portendi videbatur, fore ipsum principem, & dominum fratrum suorum. Hoc autem exemplo erudiuntur in primis, ac docentur parentes, vt si quempiam filiorum suorum plus ceteris diligunt, quòd meritò ceteris amabilior sit, celent id, animóque inclusum cohibeant, aut certè ita moderentur, & temperent, ne ceteros offendant. Etenim plerunque vnius filij exuperantia amoris, aliorum filiorum contemptus reputatur: & nimius amor vnius, multorum creat inuidiam, & odium incendit, plúsq;

parens

parens nimium ostentando amorem, nocet filio, quàm si eum odisset. Ponam hîc disertam super hac re B. Ambrosij breuem disputationem, apprimè vtilium parentibus, refertam præceptorum ac documentorum. In libro de Ioseph cap. 2. ita scribit Ambrosius: Instruimur (exemplo scilicet Iacob, & Ioseph) qualis esse debeat affectus parentum, filiorúmque gratia. Amare liberos, dulce; & impensiùs amare, prædulce est, sed frequenter amor ipse patrius, nisi moderationem teneat, nocet liberis: si aut nimia indulgentia dilectum resoluat, aut prælatio vnius, ceteros ab effectu germanitatis auertat: plus acquiritur filio, cui fratrum amor acquiritur. Hæc præclarior munificentia patrum; hæc ditior hæreditas liberorum. Iungat liberos æqualis gratia, quos iunxit æqualis natura. Quid miraris, si propter fundum, aut donum oriuntur inter fratres iurgia, quando propter tunicam inter sancti Iacob filios exarsit inuidia? Quid ergo? reprehendendus Iacob, quia vnum cæteris præferebat; sed nec libertatem possumus auferre parentibus, ne eos diligant, quos plus credunt mereri: nec filiis resecare debemus studium plus placendi. Certè Iacob illum plus amabat, in quo maiora virtutum insignia præuidebat: vt non tam filium pater prætulisse videatur, quàm propheta mysterium: meritóque variam tunicam fecit ei, quo significaret eum diuersarum virtutum amictu fratribus præferendum. Sic Ambrosius. *S. Ambros.*

19 Sed perpendamus illa verba: *Israel diligebat Ioseph super omnes filios suos, eo quòd in senectute genuisset eum.* Erat Iacob vnius, & nonaginta annorum, cùm genuit Ioseph. Cùm enim intrauit Ægyptum, agebat annum centesimum trigesimum, cum Ioseph eo tempore ageret trigesimum nonum, vt infrà dicitur, & suprà non semel à nobis expositum est. Et quia omne tempus vitæ Iacob fuit centum quadraginta septem annorum, hinc liquet vixisse eum quinquaginta sex annis post generatum Ioseph. Quocirca genuit Ioseph in principio suæ senectutis. Nec sanè magna fuit temporis differentia, inter generationem Ioseph, atq; aliorũ filiorum: omnes enim filij Iacob (nisi vsus Beniamin) intra idẽ septennium generati sunt: Ruben quidem initio septennij: Ioseph autem, in fine, alij verò intermediis annis. Aristoteles libro septimo Politicorum, scribit seniorum parentum filios, & corpore, & mente esse imperfectos: ob idque illud maximè tempus ætatis idoneum esse ad generandam prolem, in quo & robur corporis, & vis, ac vigor animi præpollet. Id autem esset desinit in plurimis, circa annum quinquagesimum, vt Poëtarum quidam dixerunt, septenario numero ætatem dimetientes. Itaque hanc ætatem annis aliquót supergressi, à dando operam liberis vacare deberent, ne corpore pariter atque animo infirmam & imperfectam prolem generarent. Sic Aristoteles. Cuius opinionem refellit historia sancti Iacob, qui nonagenarius genuit Ioseph, & maior centenario procreauit Beniamin: quanquam dici potest, nec pauca quædam exempla contraria, veritatem generalium sententiarum & præceptorum euertere, quæ de his sunt, quæ vt plurimùm eueniunt: nec priscorum hominum longæuitatem cum posteriorũ hominum breuitate vitę comparandam esse. Enimuerò proportione

An verè dictum sit, Ioseph fuisse natum in senectute.

Aristoteles.

totius vitæ, quam vixit Iacob, quæ fuit annorum centum quadraginta septem, ætas vnius & nonaginta annorum, in qua Iacob genuit Ioseph, aptè respondet ætati posteriorem hominum, quæ est circa quinquagesimum annum, quorum nempe vita, octoginta circiter annis determinatur. Ætatem porrò quinquaginta annorum, valdè commendat Aristoteles, vt diximus, tanquam generationi optimæ prolis maximè idoneam, & accommodatam.

Cæterùm perpendenda est causa, quam reddit Scriptura, cur Iacob super omnes filios diligeret Ioseph: *Eo quòd*, inquit, *in senectute genuisset eum*, Nam cur, obsecro, in senectute geniti, amabiliores sunt parentibus? In promptu causa est, inquit Caietanus, quare in senectute genitus, diligitur magis à parente: quia nimirùm diutiùs est seruaturus esse paternum. Geniti enim in iuuentute, non apprehenduntur, vt longè post vitam patris victuri: sed in senectute genitus, apprehenditur, vt victurus longo tempore post mortem patris, ac per hoc diu conseruaturus esse paternum. Sed obiicitur, quòd hac ratione debuisset Iacob magis diligere Beniamin. Solutio est, quòd Beniamin eo tempore non erat adultus, sed Infans fortè trium annorum, si iam natus erat; ac per hoc non erat capax adhuc tantæ dilectionis, sed velut imperfectum quid habebatur. Ioseph autem iam adultus erat, & patri obsequentissimus, habens ætatem communem cum aliis fratribus adultis: & præter hoc, erat genitus in senectute paterna, nonagesimo scilicet anno patris. Sic Caietanus. Philo in libro de Abraham, exponens causas, cur Abraham flagrantissimè amaret filium Isaac, inter præcipuas hanc memorat: Aderat, inquit, & aliud vehemens amoris incitamentum, quod in senectute ei natus fuerat: nam serò natos impotentiùs parentes adamãt, vel quia diu desideratos, vel quia nullam posteà sperant prolem, natura iam effœta, & ad extremum perducta terminum, vel quòd maximè gaudent, ac lætantur, se in ipsa senectute robustos esse, ac valentes ad generandum. Oleaster hanc reddit causam: Solent, inquit, senes amare puerulos, & eorum verbis ac iocis maximè delectari: & quia eos semper ad manus habent, vt huc, & illuc mittant. Sed istud in omnes filios competit, cum sunt paruuli, non tantùm in eos, qui in senectute patris geniti sunt.

Caietanus. *Philo.* *Oleaster.*

Atenim compluribus non est visa præcipui amoris Iacob erga Ioseph princeps causa, fuisse, quæ hîc memoratur à Mose, quòd eum in senectute genuisset, sed alias fuisse grauiores, potioresq; causas visum est. Nam quantum ad ætatem Iacob, perexiguum fuit generationis Ioseph, atq; aliorum fratrum interstitium, horum quippe ortus omnium, vno septennio contentus est. Quòd si illa fuisset, quæ ponitur à Mose, aut sola, aut principalis causa amandi Ioseph, ob eam sanè ipsam plus fuisset diligendus Beniamin, quem Iacob quindecim annis post Ioseph, procreauerat. Verùm Iacobo, viro nempe graui, & sapienti, ardentiores ad diligendum Ioseph admouebant faces, eius præstantia ingenij, & suauitas morum, & supra ætatem, virtutis studium; quàm respectus, & contemplatio senilis ætatis suæ, in qua eum genuerat. Cur igitur solã hanc Moses causam expressit? Quod

hanc

hanc solam Iacob præ se ferret, atque obtenderet; tacitis aliis, potioribus quidem, sed quæ si proderentur, ingentem apud fratres inuidiam excitare possent. Chrysostomum audi in Homilia 61. hoc ipsum quod dixi, enarratè scribentem. Sunt sanè, ait Chrysostomus, amabiliores pueri, qui in senectute generantur, maiorémq; patrum beneuolentiam assequuntur. Sed vt intelligamus, non hoc solùm fuisse, propter quod Iacob super alios filios eum diligeret, docet nos Scriptura, post Ioseph, fuisse generatũ alium filium Iacob: quare si iuxta naturalem amorẽ, dilectio illa processisset, postremus natu, fuisset vtiq; magis dilectus, quàm Ioseph, vtpotè verè senectutis filius existens, & tunc natus, quando ad postremã senectutem venerat Iacob. Quid igitur est dicendum? superna quædã gratia fuit, quæ adolescentem amabilem reddebat, & propter animæ virtutem, cunctis præferri faciebat. Ideò autem in Scriptura, causa amoris, posita est ætas senectutis, vt non manifestè augeret odium fratrum; grauis enim hæc affectio est, & cùm animum incesserit, non prius eum relinquit, quàm in extremam inducat absurditatem; & lædens animam vbi nata est, ac residet, omnino aliter eum, cui inuidet, efficit, quàm vult, nempè clariorem, nobiliorem, illustriorem reddit. Sic Chrysostomus. *Chrysost.*

22 Iosephus causam tanti amoris Iacob erga Ioseph, facit præstantiam virtutis Ioseph; tacita causa, quam ponit Scriptura, quod filius esset senectutis. Sic autem ille scribit libro primo Antiquitatum: Iosephum è Rachele sibi natum, pater tum ob corporis præstantiam, tum ob animi virtutem, (erat enim prudentissimus) præ cæteris liberis amabat: is parentis affectus, odium & inuidiam fratrum in eum procreauit. Philo in eo libro, quem inscripsit de Ioseph, siue de vita viri ciuilis, demonstrat Ioseph imaginem fuisse optimi, & præclarissimi viri ciuilis. Scripturus, inquit Philo, sum de vita ciuili: à qua vnus è Phylarchis nostris (Ioseph) maximè commendatur, qui è tenera ætate in eam incidit. Cœpit enim in hoc genere versari annos natus decem & septem, præfectus curandis gregibus, quæ disciplina, cum ciuili maiorem in modum conuenit. Et hoc est, opinor, cur Poëtæ, reges vocant pastores populi. Nam qui summus est in arte pecuaria, facilè bonus rex euadet, pulcherrimo gregi hominum præpositus, approbata industria in minore negotio. Quemadmodum enim futuro Imperatori, necessaria sunt exercitia venatoria: sic admouendis ad curam Reipublicæ, propriè pastoralis ars congruit, velut præludium quoddam magistratus. Proinde cum Iacob in filio suo Ioseph generosum animum consideraret, & maiorem, quàm pro priuata fortuna, mirabatur, fouebátque, diligens eum præ cæteris filiis, atque eo magis quòd proles erat serotina, qui non exiguus est ad beneuolentiam stimulus: & quia delectabatur honestate pueri, accendebat eius ingenium accuratiore tractatione: ne premeretur diutiùs, sed quamprimùm eluceſceret. Hactenus ex Philone: cuius egregias sententias super hac historia Ioseph, quod sæpenumerò commemoraturi sumus, iuuat præmonere hoc loco Lectorem, facere Philonem ciuilis viri perfectam esse imaginem, sanctum Ioseph; atque omnia, quæ narrantur à Mose de Ioseph, ea pulchrè accommodare *Ioseph.* *Philo.* *Ioseph perfecta imago viri ciuilis.*

ipsum ad ostendendum, qualia esse debeant studia, & instituta, quales item mores atque virtutes eius, qui perfectus vir politicus, siue ciuilis esse velit.

Rupertus. Verumenimuerò Rupertus, quod Scriptura dicit, propterea Ioseph 23
fuisse maximè dilectum à Patre, quòd in senectute eius fuisset genitus; id non refert ad corporalem senectutem, sed ad senectutem moralem, & spiritualem, qua præditus fuerat Iacob, cùm genuit Ioseph. Sic enim ait in libro 8. in Genes. cap. 19. Sed valdè notanda est causa paternę dilectionis, quam Scriptura commemorat: *Eo quòd in senectute genuisset eum.* Numquid secundùm corpus senex erat, quando genuit eum, iuuenis autem, quando ceteri nati sunt? Si quidem præter Beniamin, infra quatuordecim annos (melius dixisset Rupertus, infra septem annos) cunctos genuerat. Restat igitur, senectutem illam hîc significari de qua in libro sapientiæ cap. 4. scriptum est: *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani enim sunt sensus hominis: & ætas senectutis, vita immaculata.* In illa itaque veraciter senectute Israel genuit Ioseph, quia propter illam iustitiæ suæ senectutem, habere talem meruit hæredem. Nec enim vir iustus lætatur in multitudine filiorum, si mali sunt, sed in eo tantùm agnoscit se patrem, si filium relinquat post se, qui iustitiæ hæreditatem consequatur. Vnde est illud Sapientis, Ecclesiastici 30. *Mortuus est pater illius, & quasi non est mortuus: similem enim sibi reliquit post se. In vita sua vidit, & lætatus est, cum illo in obitu suo non est contristatus.* Dignam ergo ob causam Iacob diligebat Ioseph: & tanquam perfecto, iámque pleno dierum, id est, virtutum, fecit ei tunicam polymitam, id est, virtutum artificis mira varietate distinctam, vsque ad talos pertingentem, videlicèt ob virtutum multiplicitatem, & iustitiæ perfectionem. Sic Rupertus.

Pro eo quod Latina Lectio habet: *Quòd in senectute genuisset eum*, ad 24
Paul. Burgē-sis. verbum Hebraicè est: *Quòd filius senectutis sibi*: Et est hebraismus, cuius hunc esse vult sensum Paulus Burgensis, quòd esset senili prudentia, & maturitate & modestia, & affectuum sedatione, & morum grauitate; hanc enim fuisse veram, & propriam causam, cur eum tantoperè dilexerit pater, non autem quòd in senili ætate genuisset eum. Vnde translatio Chaldaica habet: *Israel diligebat Ioseph, eo quòd esset filius sapiēs sibi*: apertè significans nomine senectutis intelligi oportere senilem sensum, & prudētiam,
Sap. 4. iuxta illud, *Cani sunt sensus hominis, & senectus venerabilis, vita immaculata:* Neque enim videtur esse causa sufficiens, cur Iacob plus ceteris filiis diligeret Ioseph, quòd genuisset eum in senectute: nam Beniamin multis pòst Ioseph annis natus, multo etiam seniore patre genitus est; & Issachar, atq; Zabulon vno tantùm circiter anno nati sunt ante Ioseph, vt ex cap. 13. potest colligi. Quare causa præcipuæ illius dilectionis potius videtur attribuenda sapientiæ, seu moribus senilibus, qui iam quodammodo videbantur vigere in ipso Ioseph: siquidem licèt esset iunior ceteris, iam tamen studebat correctioni fratrum maiorum. Illud igitur: *Quia filius senectutis esset*, idem valet, atque, quòd filius sapiens, & prudens esset. Ex

eo autem

autem, quod subditur, *sibi*, intelligitur, vitia suorum fratrum Ioseph non publicasse, nec de correctione eorum egisse apud alium quempiam, nisi apud solum patrem, ad quem eorum correctio pertinebat, & ideo soli patri principaliter constat de sapientia ipsius Ioseph. Atque in hunc modum fermè disputat Burgensis.

Auctoris sententia.

25 At ego probabiliorem puto primam interpretationem, superiùs multis auctoritatibus confirmatam. Non equidem nego id quod habet lectio Hebraica *quòd filius senectutis esset*: Fateor esse Hebraismum: sed eius germanum intellectum esse dico, non quem tradit Burgensis, sed quem expressit Latinus Interpres, non enim aliud est, *filius senectutis*, nisi filius senili patre natus, & in senectute patris genitus: ad hanc enim sententiam solet Scriptura appellare filium senectutis, & filium iuuentutis, & virum adolescentiæ appellat vxor eum, qui se adolescentulam in matrimonium acceperat. Nec verum est quod ait Burgensis, natum esse in senectute patris, non esse causam sufficientem, cur pater tantopere dilexerit Ioseph: supra enim expositum est, istud esse grauem, & vehementem causam diligendi. Quibus adiici possunt breuissima verba Lyrani id ipsum confirmantis: Virtus, inquit, generatiua, in senectute debilior est: Et ideò tunc solent generari pueri magis defectuosi, & imperfecti. At Ioseph è contrario, erat fratribus suis gratiosior moribus, & corpore: ideóque videbatur hoc procedere ex speciali dono Dei, propter quod erat patri magis amabilis. Sic Lyranus. De Beniamin autem quod obiicitur, ita diluendum est; Beniamin fuisse tunc infantem vnius circiter anni: quamobrem non fuisse capacem talis dilectionis, quali Iacob prosequebatur Ioseph. Nam quod putant quidam non fuisse tunc genitum Beniamin, manifestè refelluntur à Mose: qui supra cap. 35. scripsit, Beniamin esse natum in ipso itinere, quò ibat Iacob in vrbem Hebron ad patrem suum Isaac: & in hoc capite non obscurè significat, cùm est venditus Ioseph, Iacob cum familia sua habitasse in Hebron. Vendito porrò Ioseph, quem Iacob extinctum putabat, totum amorem suum transfudit in Beniamin, adeò vt illius anima ex anima huius pendere diceretur: sicut dixit Iudas, illis verbis quæ memorauit Moses infra capite 44. *Si intrauero ad seruum tuum patrem nostrum, & puer defuerit: cùm anima illius ex huius anima dependeat, morietur, & deducent famuli tui canos eius cum dolore ad inferos.*

Lyranus.

Fecitque ei tunicam polymitam. VERSVS

S. Hieronym. Colobium.

26 BIVSMODI vestis signum erat præcipui amoris Iacob erga Ioseph. Pro voce, polymita, septuaginta posuerunt ποικίλον, id est, variam, siue variegatam: Aquila interpretatus est, tunicam talarem: Symmachus, tunicam manicatam: siue quòd ad talos vsque descenderet, & manibus artificis mira esset varietate distincta: siue quòd haberet manicas; Antiqui enim magis vtebantur colobiis. Hæc Hieronymus in traditionibus Hebraicis super hunc locum Geneseos. Colobium porrò, cuius hîc meminit Hieronymus, Græca

Græca vox est, sed à Latinis etiam vsurpata, significans tunicam sine manicis. Seruius Aeneidos nono ad illud:

Seruius. *Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.*

Tunicæ, inquit, vestræ habent manicas, quod etiam Cicero vituperat, dicens, manicatis ac talaribus tunicis, nam colobijs vtebantur Antiqui. Cicero. Cassianus. Cassianus libro primo de habitu Monachorum cap. 5. scribit Monachos Aegypti colobijs lineis fuisse indutos, quæ non omnino manicis carebãt, sed hæ citra cubitum desinebant, cuiusmodi hodie in vestibus sacris dalmaticas, seu tunicellas videmus. Anselmus antiquus decretorum collector hæc tanquam ex Eusebio citat: A sancto Siluestro, & Presbyteris eius, Colobiorum vsus sumpsit initium, & Marcus, & Iulius, & Liberius eo ordine sunt vsi. Post hos autem, Colobia in dalmaticas cõmutata sunt: visum est enim melius huic proposito conuenire, quod accuratiùs magis aspectibus placere valeat. Sic ille. Hæc ego de antiquo vsu colobiorum mutuatus sum ex notationibus in Cassianum doctissimi, & amicissimi viri Petri Ciacconij: cuius dum vixit, solertissimum ingenium, limatissimũque iudicium, & multiiugam ac perpolitam eruditionem amaui, & colui, diuturnáque eius consuetudine familiariter iucundéque vsus sum: vt mirum videri non debeat Lectori, si talis viri, & amici, quacumque data occasione, memoriam in scriptis meis recolere, ac nomen celebrare studeam.

Anselmus. Petrus Ciaconius.

Vox *Polymita*, qua vsus est Latinus Interpres, græca est, composita ex πολὺ quod est multum, & μίτος, quod significat licium, quasi ex varijs & versicoloribus licijs cõtexta. Erat igitur vestis variè colorata, & vt placet quibusdam, etiam variè picta & figurata. Plinius lib. 8. c. 48. de huiusmodi vestibus scribens: Colores, inquit, diuersos picturę intexere, Babylon maximè celebrauit, & nomen imposuit. Plurimis verò licijs texere, quę polymita appellant, Alexandria instituit. Phryges quoque, vestes inuenerunt, quæ acu pingebantur, ex auro & coloratis filijs exprimentes hominum, & animalium effigies in vestimento. Vocabãtur hæ vestes barbaricæ. Artifices verò dicebãtur Barbaricarij, siue Phrygiones. Vnde est illud Apuleij lib. 7. de asino aureo: In modum Paridis Phrygij pastoris in barbaricis amiculis, humeris defluentibus, pulchrè indusiatus adolescens. Oleaster aperiẽs notionem vocis Hebrææ, quam Latinus Interpres Græca voce expressit, dicens *Polymitam*, ita scribit: Dictio Hebraica, *Pas* seu *Pasis*, videtur propriè significare partem, seu particulam: vt patet Psalm. 71. Erit *Pisat bar*, id est particula frumenti in terra. Vnde videtur quòd tunica illa Ioseph fuerit non ex diuersis filis diuersorum colorum, sed ex diuersis particulis diuersicoloribus. Quare vertendum arbitror, Fecit ei tunicam partium, vel particularum. Idem nomen habetur lib. 2. Samuelis, cap. 13. vbi dicitur de Thamar, quòd erat induta talari tunica, & quòd sciderit tunicam *passim*, id est, partium diuersarum. Sic Oleaster. Cui consimilia scribit in catena in Genesim Lippomanus. Latinus Interpres, quam hîc vocauit polymitam, paulò infra in hoc ipso cap. appellauit talarem simul, & polymitã, dicens: *Nudauerũt eũ tunicâ talari, & polymita, &c.*

27

Plinius. Apuleius. Oleaster. Lippoma.

Sed

28 Sed quid ista tunica Ioseph polymita secundùm allegoricã intelligentiam significat? Philo, qui facit Ioseph, vt suprà diximus, imaginem perfecti viri ciuilis, multicolorem texturam illius vestis pulchrè accommodat ad multiformem solertiam, & prudentiam, & industriam, quam in viro ciuili, & rectore populorum esse oportet. Sic enim in libro de viro ciuili, seu de Ioseph scribit: Vita ciuilis, quæ graphicè depingitur, & præfiguratur in magno viro illo Ioseph, quod Dei augmentum, siue additamẽtum significat, appositissimè conuenit huic proposito: est enim rerum naturæ velut auctarium quoddam, ciuilis administratio qua vtuntur populi. Etenim mundus hic, est velut magna ciuitas, vnam Reipublicæ formam, & vnum ius habens. Continentur autem edicto naturæ iussa de agendis, & vetita de non agendis. Ad id ius, alij alias leges, & institutiones adijciunt: cuius varietatis causa, est separatio aliarum gentium ab aliis, non solùm Græcorum à Barbaris: sed & Barbarorum à se inuicem, & Græcorum à suæ nationis hominibus. Itaque meritò additamenta naturalis iuris, censentur instituta particularium ciuitatum. Nam leges oppidatim receptæ, sunt appendices rationis rectæ à natura nobis insitæ: sicut & ciuilis vir, auctarium est hominis secundùm naturam viuentis. Nec alienum est à proposito, quòd tunica varia vestitus dicitur fuisse Ioseph. Nempè rerum ciuilium administratio, res est multimoda, & varia; multas recipiens mutationes personarum, rerum, causarum, sequestrorum proprietates, locorúmque, ac temporum diuersitates. Quemadmodum enim gubernator nauis, pro varia ratione ventorum, variè etiam mutat nauigationis subsidia, non vno modo nauem dirigẽs: & medicus non ad omnes morbos vtitur remedio, ac ne in vno quidem morbo, si is variet; sed obseruans intentiones, remissiones, repletiones, vacuationes, causarúmque mutationes, multa ad salutem variat, nunc hoc, nunc illud experiens: Sic opinor, & Reipublicæ moderator debet esse multiformis, & multiplex, alius in pace, alius in bello, aliter se paucis, aliter multis opponens aduersariis; contra paucos constanter regens, multos verò flectens persuasionibus. Idem vbi periculum publicum postulat, ipse rem aget: ministeria verò, quæ labore tantùm indigent, permittet aliis. Hactenus ex Philone.

Philonis allegoria super veste polymita Ioseph.

29 Verùm magis pia, & Christiano viro aptior, & vtilior est allegoria, quam super eadem ista veste polymita Ioseph, tractat S. Gregorius in primo libro Moralium, exponens illa verba Iob capitis primi: *Sic faciebat Iob cunctis diebus vitæ suæ.* Vult autem Gregorius, veste illa talari Ioseph (sic enim ille pro polymita legit, secutus interpretationem Aquilæ, quam memorat S. Hieronymus, & alij quidam patres secuti sunt) significatam esse perseuerantiam in bene agendo vsque ad extremum vitæ, & ad vsque vltimum hominis spiritum: hanc enim esse virtutem, quæ cæteras omnes coronet, & sine qua cæterarum virtutum labores & opera, quamuis præstantissima, nullius gratiæ ac meriti denique sint apud Deũ. Gregorij verba huiusmodi sunt: Incassum bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur: sicut & frustra velociter currit, qui prius quàm ad

Gregorij allegoria super eadem veste Ioseph.

metam veniat, deficit. Ideo dicitur de reprobis Ecclesiastici 2. *Væ ijs, qui perdiderunt sustinentiam*: & veritas dixit Electis suis Luc. 22. *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis*. Hinc Ioseph, qui inter fratres vsque in finẽ iustus perseuerasse describitur, solus talarem tunicã habuisse perhibetur. Nã quid est talaris tunica, nisi actio consummata? Quasi enim protensa tunica talum corporis operit, cùm bona actio ante Dei oculos, vsq; ad vitæ nos terminũ tegit. Hinc est quod per Moysen, caudã hostiæ in altari offerre præcipimur, vt videlicet omne bonum, quòd incipimus, etiam perseueranti fine compleamus. Bene igitur cœpta, cunctis diebus agenda sunt: vt cum malum pugnando repellitur, ipsa boni victoria, constantiæ manu teneatur. Hæc S. Gregorius.

Exod. 16. & Leuiti. 3.

QVARTA DISPVTATIO.

De inuidia fratrum Ioseph, & de inuidis, & detestandis inuidorum hominum proprietatibus.

Super illis verbis,

VERS. 4. Videntes fratres eius, quòd à patre plus cũctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quicquam pacificè loqui.

PRÆCIPVA Ioseph apud Patrem gratia, & præstãtia virtutum eius, grauissimam in fratrum eius animis excitauit inuidiam: inuidia odium inflammauit: ex odio, aduersus eũ exarsit ira: ira denique ad voluntatem necandi eum, ac demum ad venditionem eius impulit. Nihil profectò est fratrum inter se beneuolentia, & concordia, nec parentibus, nec ipsis fratribus, nec vniuersæ familiæ, aut iucundius, aut vtilius: nihil, vel ad sui cõseruationem, vel ad amplificationem rei familiaris, vel ad nominis, & famæ claritatem, ac celebritatem aptius, & valentius. *In tribus placitum est spiritui meo*, ait sapiens ille in libro Ecclesiastici cap. 25. *Quæ sunt probata coram Deo, & hominibus; cõcordia fratrũ, & Amor proximorum: & vir & mulier bene sibi consentientes*. Huc spectat luculentissimũ illud Dauidis præconium fraterni amoris & concordiæ in Psal. 132. *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum*: id est, inter se amantes & concordes. Bonum dicit, significans vtile, & ad plurima conducens: iucundũ appellauit, quòd tali societate, & concordia nihil in humana vita optabilius, & dulcius esse videatur. Hanc suauitatem mox declarauit Dauid, cõparatione eius cum pretiosissimo, & suauissimo vnguento, quo inunctus est summus Pontifex Aaron: vtilitatem verò significauit similitudine roris, vtilissimè fœcundantis terram. Denique vbi talis est fratrum concordia, istuc dixit Deum mittere benedictionem, id est, affluẽtiam bonorum omnium

Fraterna beneuolentia & cõcordia, quãtum bonum.

Locus Eccl. 25.

Locus psal. 132.

Leuiti. 8.

omnium in hac vita: postea verò gloriam, & vitam sempiternam. Hanc ob causam Xenophon lib.8.Cyropœdiæ,Cyrum regẽ iam morti proximum,facit cohortari grauissimis verbis filios suos ad mutuũ amorem,& cõcordiã,ita scribens:Qui ab vno semine nati sunt,& ab vna matre educati,quique etiam in eadem domo creuerunt,eandémq; matrem,atq; eũdem patrem appellantes;quomodo non etiã inter se amantissimi,& familiarissimi,& coniunctissimi fuerint?Nõ igitur quæ dij fratribus ad mutuã beneuolentiã,& familiaritatẽ cõtulerunt:ea vos vnquã vana facere velitis:sed super his alia ædificãtes amicitiæ opera,insuperabilẽ facietis amicitiã vestrã.Qui enim fratris sollicitus est,simul etiã seipsum curat. Sic ille.

Cyri oratio hortãtis filios ad concordiã.

31 At verò ex aduerso,fratrum inter se odia, & contentiones,& insectationes, plùsne molestiæ & acerbitatis, an detrimenti,vel ignominiæ habeant,incertum est.Illud certum,acerbitate molestiarum,& dolorũ,damnique magnitudine, necnon & turpitudine dedecoris,atque ignominiæ, esse malum hoc,si quòd aliud,maximè auersandum,atque detestandum. Solent porrò inter maximè amicos,& sanguine coniunctos,quæ inardescunt odia,ea asperiora esse & implacabiliora,quàm quę inter extraneos: omnis enim mutatio,vt docent Physici, ex contrario fit in contrarium. Atque huius rei Aristoteles in lib.7.Polyticorum capite septimo,nõnullam esse,ait,rationem. Magis,inquit, irritatur animus contra familiares & amicos, quàm contra ignotos,si ab illis contemptum se,aut læsum putet. Quapropter Archilochus rectè,cum amicos incusaret,ad animum suum loquens,inquit: Nónne tu ab amicis transfixus es lanceis? Et hoc non sine ratione contingit: à quibus enim deberi sibi beneficium existimant,ab eisdem non solùm priuari beneficio,sed insuper lædi se censent. Vnde in prouerbio dicitur: Fratrum contentiones & iræ, sunt acerbissimæ;& qui se nimiùm amant,hi se nimiùm odio habent.Sic Aristoteles.

Cur inter fratres, & amicos interdum atrociora quã inter extraneos odia existant secũdum Arist.

32 Sed aggrediamur tractare disputationem hoc loco propositam super vitiosis inuidorum hominum affectionibus, & moribus, &,vt vocant, proprietatibus. Hìc tractatus non paruam affert vtilitatem, tum vt tali morbo affectos statim agnoscamus,& fugiamus; nósque talium hominum fieri similes,vehementer caueamus:tum etiam vt illis, ac nobis etiã ipsis,si quando eiusmodi peste correptos esse nos atque corruptos contigerit, efficaciter,ac salutariter mederi possimus. Principio autem comparemus inuidiam cum odio; nam vulgo putantur esse admodum similes,& cognatæ affectiones animi,cum earum tamen sit multiplex, magnúmque discrimen. Ego carptim hoc loco, & strictim exponam complures differentias inuidiæ,atq; odij,de quibus in libro quem scripsit de Inuidia,disserit Plutarchus:vnde liquidò proprietates inuidorũ hominũ enotescent. Prima differentia,Improbitas,& malitia hominum, vel simpliciter,vel aduersus nos gignit odium eorũ:contrà verò, bonorũ abundantia,& insignis prosperitas aliquorum,creat aduersus eos inuidiã. Itaque malum est causa odij:bonum verò inuidiæ, illud per se, hoc per accidens, & ob prauam inuidentis affectionem. Et odium quidem semper

Plutarchus. Complures differentiæ inuidiæ atque odij & proprietates inuidorum quatuor decim Prima differ-

definitur ſubiecto aliquo certo,& definito malo,in quod incumbit:inuidia autem videtur eſſe infinitum quippiam, & ſimilis Ophthalmiæ,quæ eſt vitioſa oculorum affectio: ſicut enim hæc omnibus rebus immodicè ſplendidis,& lucentibus offenditur,ac læditur,ſic inuidia omnibus aliorum bonis,ſecundíſque rebus acerbatur , & tabeſcit.

Inuidia ſimilis ophthalmiæ.

Secunda differentia. Odium concipitur etiam in bruta. Sunt enim, qui feles,cantharides , & ſerpentes oderunt. Germanicus quidem certè Imperator galli gallinacei,neque vocem, neque aſpectum ferre poterat: Mures item Magi Perſarum oderant , & interficiebant , & Deo inuiſos eſſe dicebant:quos itidem,& Arabes omnes,atque Æthiopes abominantur.Sunt etiam inter animalia,ſua cuique odia, exercéntque inimicitias, & atrocia bella , vt inter aquilas & dracones : probabile etiam eſt leoni exoſum eſſe gallum;& murem elephanto; ob metum ſcilicet;quod enim timetur,id etiam odioſum eſt. At inuidia,ſolius hominis aduerſus hominem eſt. Nam neque homines inuident brutis ; nec bruta , aut homini, aut inter ſe:neque enim de rebus ſecundis,vel aduerſis, nec de bona,aut mala fama quippiam imaginantur,quarum rerum opinione exaſperatur inuidia.

Secunda differentia. Germanic. Imperator. Mures oderãt Magi, Aethiopes, & Arabes.

Inter Bruta eſſe odia, ſed non inuidiam.

Tertia differentia. Odium aliorum ſæpè iuſtum eſt:odiſſe improbos, & malignos,& bonum,& laudabile eſt, quinetiam ſi qui tales non oderunt,dignos eſſe odio eos ipſos iudicamus. Laudantibus multis Charilaum Spartæ regem,vt benignum,& manſuetum,modeſtúmque regem; collega eius contra, Quomodo,inquit,iſte vir bonus eſſe poteſt,qui non odit improbos? Rectiſſimè igitur Dauid pſalmo 138. *Nónne qui oderunt te,oderam,& ſuper inimicos tuos tabeſcebam? perfecto odio oderam illos.* Itaque multi præ ſe ferunt,& verbis oſtentant odium, quod gerunt tãquam æquum,& laude dignum. At inuidia nũquam iuſtè ſuſcipitur,nec vt res iuſta laudari poteſt. Quam enim peccat is,cui inuidetur,quòd bonis abũdet,quòd proſperos habeat rerum ſucceſſus,vt propterea ei iuſtè debeat inuideri? Quã etiam ob cauſam nemo fatetur ſe inuidere aliis,ſed quantum poteſt,inuidiam celat animo , quamuis aliam prætendens affectionem animi,vel metum,vel odium,vel iram:quod eſt argumentum,inuidiam nunquam eſſe poſſe iuſtam & laudabilem,ſicut eſſe poſſunt aliquo modo,& odium,& ira,& metus.

Tertia differentia. Odium poteſt eſſe iuſtũ, Inuidia nequaquam. Dictum in regem Spartæ Charilaum.

Quarta differentia.Quò maior eſt improbitas, & malitia, eo maius fit odium:contrà,tanto magis creſcit inuidia,quantò magis creſcit vel bonitas,vel proſperitas eius cui inuidetur. Quare inuidioſum eſſe , ac talẽ,vt ei inuideatur à multis,laudabile ducitur & glorioſum. Celebratur enim Themiſtoclis dictum;qui dicebat,ſe,cum eſſet adoleſcens,nullum egregium facinus,& præclarum feciſſe,eo quòd ſibi tunc nemo inuidiſſet.

Quarta differentia Inuidioſum eſſe laudi ducitur. Inuidentẽ eſſe,vitio ſemper vertitur. Themiſtocles.

Quinta differentia:Extrema malitia,& ad ſummũ perducta, nihil minuit odium,immò extremè auget:idque manifeſtum fit exẽplo calũniatorum,& accuſatorũ Socratis,quos poſt eius necem, populus Atheniẽſis vſq; adeo inuiſos,& exoſos habuit,vt nemo illis,neq; ignem accenderet, neq; interrogantibus reſponderet,neq; in balneo aqua vteretur eadem,

Quinta diff. Accuſatores Socratis quàm inuiſi,& exoſi fuerint Athenienſibus.

ſed qua

sed qua lauissent illi, eam quasi pollutam iuberent à ministris effundi: donec illi tam atrocis, & pertinacis odij publici impatientiâ seipsos suspenderent. Prosperitatis verò excessus non auget inuidiam, sed plerumque minuit, ac prorsus extinguit: Vnde solet vulgo dici, aliquem superasse iam inuidiam. Et verò non est credibile, Alexandro Magno, aut Cyro imperij Persarum conditori, postquam elati sunt ad supremam fortunam, inuidisse quemquam. Sed quemadmodum Sol, quorum per verticẽ transit, in eos diffuso lumine, aut nullam, aut exiguam vmbram facit: ita qui prosperitate elati, supra caput æmulorum eminent, splendore suo, eorum offuscant, & obruunt inuidentiam. Odium verò exuperantiâ potentiæ, ac felicitatis inimicorum, minime minuitur: vt illum ipsum Alexandrum, cui nemo iam inuidebat, multi oderant, quorum denique petitus insidiis occidit.

Nimius prosperitatis excessus obruit inuidiam.

Pulchra similitudo.

Sexta differentia. Aduersæ res & calamitosæ inuidiam tollunt, aut certe diminuunt, odia verò nequaquam perimunt: nam etiam deiectos inimicos, & calamitosos oderunt. Nemo autem inuidet miseris, & calamitosis; quinetiam ad miserandum faciles sunt inuidi. Odium itaque neutram fortunam relinquit, sed vtramlibet insectatur: inuidia, vtriusque fortunę excellentiâ minuitur & elangueſcit.

Sexta differẽtia.

Septima differentia. Odium, & inimicitia tolluntur, vel vbi fides fit nõ esse nos, à quibus putamus læsos: vel vbi quos, vt malos oderamus, bonos esse intelligimus: vel denique si quo insigni ab illis beneficio affecti sumus: vltima enim gratia, vt Thucydides inquit, tametsi minor sit, tempestiuè tamen inita, potest maius etiam crimen diluere. Horum primum nõ tollit inuidiam, inuidetur enim ei, à quo nihil iniuriæ, vel detrimenti acceptum est. Opinio item & fides probitatis aliorum non aufert inuidiam eorum, sed auget, cùm rerum bonarum, vnde oritur inuidia, optima sit virtus. Nec inuidiam extinguit beneficium, ab eo cui inuidetur, acceptũ; quinetiam auget magis & irritat: hoc enim ipsis ægrè est, indigere se beneficentia aliorum, aliósque adeo præcellere, vt benefacere sibi possint, itaque inuident illis; & voluntatem benefaciendi, & facultatem: quorum illa virtuti debetur, hæc felicitati. Pręclare igitur Basilius: Inuidia, inquit, malum est intractabile, atque insuperabile. Nam cum beneficentia, etiam qui infestissimi sunt, faciat mitiores: inuidum tamen magis irritat, & ad odium inflammatquantóque magis beneficijs oneratur, tanto maiori, ex inuidia, premitur dolore, atque luctu. Et quibus deuincti beneficijs sunt maximis, non solùm beneuolos se in illos, & gratos exhibere non cogitant: sed contrà maligni, & inimici magis sunt, & in illos vehemẽtiùs aspe rantur. Quam igitur bestiam immanitate morum non superat inuidia? Quod animal tam agreste, & truculentum est, quod sua feritate non vincat? Canes educatione mansuescunt; Leones obsequio & officio tractabiles fiunt, & obsequibiles; inuidi, ipsis officijs, & beneficijs agrestiores, & inimiciores euadunt.

Septima differentia.

Thucydid.

Inuidus odit benefactorem suum.

Basilius in homilia de Inuidia.

Octaua differentia. Valdè diuersum est eorum qui oderunt, & eorum qui inuident propositum, & institutum. Etenim eius, qui odit, animus est,

Octaua differentia.

& propositum, malè, si possit, ei facere quem odit; sic enim odium definiri solet, animi affectio, propositū habens male faciendi, eiúsque occasionē vndecunque captandi. Hoc autem longè remotum est ab inuidia. Multi enim domesticis suis, & familiaribus inuident propter excellentiorē conditionem, & prosperitatem eorum, quos tamen perire, vel calamitatibus vehementer conteri nollent: tantum enim molesta ipsis est notabilis eorum prosperitas, & splendor, graue autem incommodū, & perniciem eis accidere, non desiderant; contenti, velut excelsæ domus eam partem, quæ lumini officit, deiecisse.

Ex supradictis octo differentijs Inuidiæ, atque Odij, facile est animaduertere, & adnotare octo pariter Inuidiæ proprietates; quibus adijcere 33
lubet tres, vel quatuor alias disertè tractatas à Beato Basilio in eo sermone, siue Disputatione, quam de Inuidia scripsit. Nona igitur sit hæc proprietas Inuidiæ. Vnicum inuidi solatium, & requies est, in summo mœrore, & dolore, quo intimis animi sensibus cruciatur & tabescit, cui inuidet, videre eum de gradu fœlicitatis ruere in calamitatem, & miseriam. Hic finis inuidiæ est, si miserum ex beato, & infelicem ex fortunato videat. Tum demum cùm eo fœdus iungit, & amicus efficitur, si lacrymanté videat, aut suos queritantem casus, & lugeat infortunium: libentiùs lugentem miseratur & solatur, quàm gaudenti, & floreti collætetur vel applaudat. Diuitias miratur alienas, sed post calamitatem, iam amissas: formam & robur, sed post morbum laudat, & effert: præsentibus semper rebus, & saluis inimicus; amissis, & perditis, amicus & misericors. Quid igitur inuidia magis peruersum, & pernicioſum? quæ est interitus vitæ, pestis naturæ, bonis omnibus aduersa, & Deo contraria. Nónne hæc Dæmonem instigauit ad perdendum primum hominem? Nónne impulit Cain ad fratricidium? Nónne hæc Saulem incitauit ad insectandum Dauidem, de se optimè meritum? Nónne Iudæos ad necem Saluatoris Mundi inflammauit?

S. Basilius. *Nona differētia inuidiæ.* *Inuidi tormētum est prosperitas aliorum, Requies, & solatium, calamitas & miseria eorum.*

Decima proprietas. Inuidus inuidendo non solùm non lædit, sed plerumque clariorem & feliciorem facit eum cui inuidet. Fratres Ioseph, & inuidebant ei vehementer, & oderant eum. verentes enim illi, somniorū, quæ narrabat, exitum, seruum fecerunt fratrem, vt ita nunquam eū quasi dominum adorare deberent. Quod sanè contrà accidit: & diuino consilio, callidum eorum consilium in contrarium est mutatum. Nam per ea, quibus impediri diuinum propositum existimauerunt, ipsum potius promouerunt, & ad exitum perduxerunt. Nisi enim venditus fuisset, non venisset in Ægyptum, nec propter impudicitiam dominæ coniectus esset in carcerem, nec ibi ministrorum Pharaonis somnia veridicè narrasset: nec magnum illud somnium Pharaonis, quod eum valdè sollicitum, & anxiū tenebat, cum admiratione ipsius Pharaonis explicuisset, atque ea ratione, principatum in vniuersa Ægypto adeptus esset: ac denique à fratribus suis, propter inopiam rei frumentariæ ad ipsum venientibus, adoratus esset.

Decima proprietas.

Inuidisse sæpe prodest ijs quibus inuidetur.

Gen. 39.

Vndecima proprietas. Inuidus sibi plurimùm; cui autem inuidet, nihil planè

11. *Proprietas.*

planè nocet. Nihil mortalium animis, ait Basilius, inuidiæ affectu perniciosius contingit, quæ ante omnia ipsi nocet auctori, alijs verò quam minimum. Sicut enim rubigo est ferri quasi venenum: sic inuidia, quos possidet, eos conficit, atque consumit. Et quemadmodũ viperas dicunt, rupto matris ventre nasci, sic & inuidia concipientem se animũ rodere, & corrumpere solet. Non enim est aliud inuidia, nisi dolor de proximi prosperitate, faustóque rerum successu, conceptus. Omnia proximi bona, quæ per se gaudij ac lætitiæ materiam præbent, inuidum tristitia, & dolore opprimunt. Ex quo apparet, inuidum esse similem hominis nudi, qui omniũ iaculis atque ictibus petitur. Hoc igitur solùm in hoc malo quispiam fortasse laudauerit, quòd inuidus, quanto in proximum vehementius incitatur, tanto sibimet maius ascisit incommodum. Quemadmodum enim sagittæ magna vi emissæ, si fortè in durum quodpiam, & repellens corpus incurrerint, in emittentem reflectuntur: sic inuidia tristitiam alijs nequaquam affert, solíque officit inuidenti. Scitè igitur ille:

Quantũ inuidia noceat inuidenti. Basilius.

Horat. libr. 1. Epist. 1.

Inuidia Siculi non inuenêre Tyranni
Tormentum maius.

Quanquam, iuxta vulgarem hominum opinionem, putantur inuidi nonnunquam nocere multùm alijs, vel ipso maligno obtutu. Sed, & qui morbo huiusce modi sunt affecti, Basilius inquit, longè peiores venenatis iaculis existimantur, quòd illa per plagas virus inferunt, atque ita nocent, & paulatim quod infectum est, depascuntur: at inuidos, credunt nonnulli, non alijs modò rebus, sed oculis etiam nocere alijs. Vnde & corpora vegeta pubescentium, atque ætate, & forma florentium, & prosperam habitudinem inficiunt atque corrumpunt. Statim enim ex eorum luminibus, pernicie quadam defluente atque contaminante, videas contracta membra decore, ac pulchritudine flaccescente, arescere, ac languere, & debilitari. Ego horum sententiam dimittam, vt vulgo iactatam, ac per mulieres vetulas longè latéque sparsam, multorúmque celebratam sermonibus. Illud dico, Dæmones omnis boni osores, postquam voluntates inuidorum viderunt, sibi esse omnino conformes, illis prorsus ad omnem suam libidinem, atque ita etiam illorum oculis ad instrumentum, ac ministerium propriæ voluntatis abuti.

Vulgaris opinio, inuidos, vel ipso visu, & obtutu nocere alijs.

Duodecima proprietas. Inuidus est magnus simulator, & vir duplex animo, aliud in ore promptum habens, aliud mente gerens. Nónne vides, inquit Basilius, quantum malum sit simulatio? Et hæc inuidiæ fructus est. Nam morum & ingenij duplicitas, ex inuidia plerumque hominibus accidit. Qui odium in recessu cordis retinentes, speciem caritatis ore ipso præseferunt: similes profectò saxis & scopulis marinis, qui modica operti aqua, magnum & cæcum, non obseruantibus exitium afferunt. Et cùm bona proximi animum inuidi vehementer feriant, premit tamen corde dolorem, dissimilem animo vultum, & os induens. Simulat gaudium, & secum tamen tacitè rumpitur. Coràm, hilaritatem præfert, intus inuidiæ veneno captus, mœrore tabescit. Morbum interrogatus manifestare, séque inuidum accusare veretur: morbum in imo cordis sinu abrodentem, atque

Duodecima proprietas. Inuidiæ comes, immò effectus est multiformis simulatio.

atque consumentem viscera,mœstus fouet & alit.Itaque talis,nec medicum morbi sui,nec medicinam ad eum sanandum idoneam inuenire potest:licèt medicamentorum ad sanandum omne genus morbos tot referti sint libri.Cùm igitur ex inuidia nobis,tanquam ex stygia palude,tot tãtáque dimanent mala,credamus Apostolo dicenti: *Ne simus inanis gloriæ cupidi,inuicem prouocantes, inuicem inuidentes; sed magis boni,& misericordes; donantes inuicem,& honore inuicem præuenientes.* Ad Gal.6.

Ad superiores duodecim proprietates inuidiæ, adijciamus item duas alias à B.Gregorio indicatas,& luculétè tractatas.Decima tertia proprietas. Inuidus,hoc ipso quod inuidus est, pusilli animi est,angusti cordis,& ingenij vilis atque abiecti.Inuidendo namque alijs, ostendit se illis minorem,& inferiorem esse: suámque paruitatẽ, & paupertatem prodit;quod enim inuidet,nec ipse habet,& habere vehemẽter concupiscit.Hoc Gregorius in lib.5.Moralium super illis verbis Iob,capitis 5.*Et paruulum occidit inuidia*, declarat hisce verbis: Inuidere non possumus nisi eis, quos nobis in aliquo meliores putamus. Paruulus ergo est, qui liuore occiditur: ipse enim sibi testimonium perhibet,quòd eo minor sit,cuius inuidia torquetur. Hinc est quòd hostis callidus primo homini inuidendo surrepsit,quoniam amissa beatitudine, minorem se immortalitate illius agnouit.Et Cain ad perpetrandum fratricidium corruit:quia despecto suo sacrificio,prælatum sibi infremuit,cuius Deus hostiam accepit;& quem meliorem se esse exhorruit;ne vtcumque esset,amputauit.Hinc Esau ad persecutionem fratris exarsit: quia primogenitorum benedictione perdita (quam tamen pro esu lenticulæ ipse vendiderat) minorem se eo esse, quẽ nascendo præibat,ingemuit.Hinc fratres Ioseph transeuntibus Ismaëlitis ipsum vendiderunt: quia cognito reuelationis mysterio,ne ipsis fieret ille melior,eius profectibus obuiare conati sunt.Hinc denique Saul,Dauidẽ, lanceam intorquendo persequitur: quem enim magnis augeri quotidie virtutum successibus sensit, vltra se excrescere expauit. Paruulus itaque est,qui inuidia occiditur; quia nisi ipse inferior existeret,de bono alterius non doleret. 34

Decima tertia proprietas.

Inuidus pusilli animi & abiecti est.

S.Gregorius.

Genes.3.

Infrà 4.

Gen.27.

Suprà 25.

1. Reg.14.

Decima quarta proprietas. Affectio inuidiæ, talis est,vt ea quasi malis imbuta venenis, non modò animum inuidentis vehementer conturbet, turpificet, & discruciet, sed forâs erumpens,corpus etiam insigniter deformet,& turpet,& affligat. Quamuis per omne vitium,quod perpetratur,ait Gregorius,humano cordi antiqui hostis virus infunditur:in hac tamen nequitia,tota sua viscera serpens concutit, & ad imprimendam malitiæ pestem mouet.De eo namque scriptum est: *Inuidiâ Diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Nam cùm deuictum cor liuoris putredo corruperit,ipsa quoque exteriora indicant, quàm grauiter animum vesania instigat.Color quippe pallore afficitur: oculi deprimuntur: mens accenditur, & membra frigescunt: fit in cogitatione rabies, in dentibus stridor: cúmque in latebris cordis crescens absconditur odium, dolore cœco tenebrat conscientiam vulnus inclusum. Nihil lætum de proprijs iuuat, quia tabescentem mentem sua pœna fauciat, quam 35

Decima quarta proprietas. Inuidia animum, & corpus turbat,fœdat, affligit.

Sap. 2.

cœlicitas

fœlicitas torquet aliena: quantóque extranei operis altiùs fabrica tollitur, tanto fundamentum mentis liuidæ profundiùs suffoditur: vt quo alij ad meliora ascendunt, eo ipso deteriùs illa ruat: quia ruinâ videlicet etiam illud destruitur, quod in aliis actibus, perfecto opere surrexisse putabatur. Nam inuidia, cum mentem tabefecerit, cuncta quæ inuenerit bene gesta consumit. Vnde bene per Salomonem dicitur: *Vita carnium, sanitas cordis; putredo ossium, inuidia.* Rectè profectò inuidia dicitur putredo ossiũ: quia per liuoris vitium, ante Dei oculos pereunt etiam fortia acta virtutum. Ossa quippe per inuidiam putrescere, est, quædam etiam in actibus virtutum robusta perire. Sic Gregorius. *Prouer. 14.*

36 Cæterùm sanando inuidiæ morbo quodnam idoneum, atque efficax remedium esse possit, ostẽdamus. Basilius, & Gregorius præsentissimum, atque vnicum esse remedium censent despicientiam bonorum omnium temporalium: vt persuasum sibi quisque habeat, certúmque, eiusmodi bona, nec magni pendenda esse, nec valdè expetenda. Id porrò facilè suum in animum inducet, si reputet secum, quàm sint fluxa, & caduca: quòd plerumque in pessimis hominibus abundantiùs insint: quòd ad bene viuendum, illis carere potius, quàm abundare conducat. Nempè difficillimum est, in magna eorum copia tenere se animum, ne vel in superbiam efferatur, vel ad voluptates effluat. Contemptio igitur istiusmodi bonorum prorsus arcet inuidiam: quæ ob eorum maximè in aliis exuberantiã existit. Sapienter enim illud à Salomone dicitur Prouerbiorum 28. *Vir qui festinat ditari, & aliis inuidet,* quasi nimia diuitiarum cupiditas pariat inuidiam. Audiat Lector Basilium in eo, quem supra nominaui sermone, de inuidia ita differentem. Quid ergo nobis faciendum, vt hanc pestem animi ab initio euitemus: aut si eâ fortasse capti sumus, à nobis longè repellamus? Primùm quidem, si nihil rerum humanarum magnum aut vehementer expetendum putemus: non potentiam, non gloriam, non diuitias, non corporis nec sanitatem, nec robur, nec pulchritudinem: non enim in rebus fluxis verum bonum constituendum est, sed æternorũ bonorum participatio toto studio appetenda, omnique conatu consectanda est. Itaque nec diues inuidendus est propter diuitias: nec potens ob dignitatis atque honoris culmen, nec fortis ob corporis robur: nec eloquẽs ob dicendi facultatem. Instrumenta sunt hæc virtutum rectè vtentibus, non autem veri boni, nedum felicitatis vim habentia. Qui verò ita fuerit animatus, vt nihil vnquam humanum ac temporale admiretur, nihil vehementer concupiscat; huic dominari non poterit inuidia. Siquis verò ita gloriæ flagret cupiditate, vt omnibus excellere cupiat, nec vlli se patiatur cedere, maximam profectò inuidiæ occasionem, causamque præbebit. Sic Basilius.

Remedium inuidiæ esse cõtemptum bonorum temporalium.

Basilius in sermone de inuidia.

37 Consimilia Basilio, pleniore tamen oratione, concinit Gregorius sub finem libri quinti Moraliũ: ad hunc enim modum scribit: Sed cur hæc dicimus, si non etiã qualiter istud malum curetur, intimemus? Difficile est, vt hoc alteri non inuideat, quod adipisci alter exoptat: quicquid enim temporaliter percipitur, tantò fit minus singulis, quantò diuiditur pluri-

S. Gregor. de remedio inuidiæ.

bus:& idcirco desiderantis mentem liuor excruciat,quia hoc, quod appetit,aut funditus alter accipiens adimit,aut à quantitate restringit.Qui ergo liuoris peste omnino carere desiderat,illam hæreditatem diligat, quã cohæredum numerus non angustat:quæ & omnibus vna est,& singulis tota:quæ tanto largior esse ostenditur,quanto ad hanc percipientiũ multitudo dilatatur. Imminutio ergo liuoris,est effectus surgens internæ dulcedinis:& plena mors eius,est perfectus amor æternitatis. Nam cũ mens ab eius rei appetitu retrahitur,quæ accipientium numero partitur,tantò magis proximum diligit,quantò minus ex profectu illius,sua damna pertimescit. Quæ si perfectè in amore cœlestis patriæ rapitur,plenè quoque in proximi dilectione sine vlla inuidia solidatur: quia cùm nulla terrena desiderat,nihil est quod eius erga proximum caritati contradicat. Quæ nimirum caritas,quid est aliud, quam mentis oculus?qui si terreni amoris puluere tangitur, ab internæ lucis mox intuitu læsus reuerberatur. Quoniam autem paruulus est,qui terrena diligit,magnus verò,qui æterna concupiscit,potest etiam illud quod dixit Iob: *Paruulum occidit inuidia*, sic non inconuenienter intelligi, quòd huius pestis languore nõmoritur,nisi qui adhuc in desideriis infirmatur. Sic Gregorius.

Basilij documentum.

Non est in præsentia inuoluendum silentio prudens & salutare præceptum ac documentum,quod tradit S.Basilius:monet enim fugiendã esse amicitiam & societatem,& conuictum hominum inuidorum:tum ne materiam inflammãdæ magis eorum inuidiæ suggeramus illis:tum ne quid nos ex eorum societate detrimenti capiamus.Nimirum habere illud semper cordi,& memoriæ oportet, quod sapienter præcepit Salomon Prouerbiorum capite vigesimo tertio. *Ne comedas*,inquit,*cum homine inuido, & ne desideres cibos eius: quoniam in similitudinem arioli & coniectoris existimat quod ignorat. Comede,& bibe,dicet tibi,& mens eius non est tecum.Cibos quos comederas,euomes:& perdes pulchros sermones tuos.* Quem Latinus Interpres appellat hoc loco inuidum,is dicitur ibidem Hebraicè, malus oculo,vel malus oculus; quæ phrasis linguæ Hebrææ, significat malignum oculum & inuidum,qui aliena bona æquis oculis videre non potest:qualis fuit ille,cui dictum est à Domino in illa parabola Euangelica: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Vidimus suprà Genesis vigesimo sexto,Philistæos inuidentes prosperitati Isaac,pluriſariam ei nocere conatos esse. *Ob hoc*, inquit Scriptura, *inuidentes ei Palæstini, omnes puteos, quos foderant serui patris illius,obstruxerunt, implentes humo*:& quæ sequuntur ibi. Sed ponamus hîc verba Basilij: Sapiens profectò fuerit, ait Basilius, quicumque cum inuido minimè congreditur, & conuersatur;nec etiam in eadem esse cum eo mensa studet,quòd ex conuictu,reliquæ vitæ cõmercia vitari non facilè queãt.Quemadmodũ enim arentem syluam aut materiam quampiam,nobis curę est procul ab igne submouere:sic opus est (quoad fieri possit & liceat) inuidorum conuersationes à nostra amicitia repellere,vt extra venenatas eorum sagittas securiùs agamus.Neque enim possibile est,vt hoc malonon implicemur, si illi familiariter coniuncti fuerimus:quoniam ex sententia Salomonis:

Locus ex cap. Prou. 23.

38

Zelus ho

Zelus hominis ex socio ipsius. Et profecto sic res habet. Non enim Ægyptio inuidet Scytha, sed suæ genti quilibet: & in eadem gente non ignotis, sed familiaribus, & vicinis, & eiusdem artis hominibus, aut alia de causa coniunctis, & his denique coæuis, cognatis, amicis & fratribus. Et omnino, vt ærugo frumenti est vastatio: sic inuidia, amicitiæ pestis est. Sic Basilius.

Dixit Ioseph fratribus suis, Audite somnium meum quod vidi. Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare: vestrósque manipulos circumstantes adorare manipulum meum. VERS. 17

39 SIMPLEX adolescens, atque innocens Ioseph, nihildum suspicans mali de fratribus suis, narrauit eis duo, quæ sibi acciderant, somnia, vnum quidem de vndecim manipulis fratrum, adorantibus suum manipulum: alterum verò de vndecim stellis, & item Sole ac Luna ipsum adorantibus. Huius historiæ breuem, & paraphrasticam expositionem habent Philo, & Iosephus, quæ succincti, ac dilucidi commentarij vicem præstare Lectori potest. Philo sic ait in libro de vita viri ciuilis, siue de Ioseph. Ioseph innocenter simplex, non intelligens domesticas fratrum inimicitias, viso somnio non irrito, id aperuit illis vt amicis, Vidi, inquit, messi me præpositum, & omnes nos in campo, ad colligendas messes præstò fuisse cum falcibus; ibi repentè meum manipulum erectum constitisse: vestros autem tanquam ex composito, accurrisse ad eum venerabundos, & reuerenter adorasse. Tum fratres illius, prudentiâ pollentes, & significatum somnij per coniecturas verisimiles vestigare idonei: Putásne, inquiunt, regem te fore nostrum & dominum? id enim ementita visione subindicas. Atq; ita odium illius magis ac magis accendebatur in eorum animis, & in dies augebatur quotidianis occasionibus. Sed enim Ioseph nihil suspicans, alterum illis magis stupendum somnium enarrauit, quod visus sibi esset videre venientem ad se Solem, & Lunam, & stellas vndecim, & ab illis adorari. Hoc pater audiens, demiratus, cum animo suo reputabat, de euentu præsagij sollicitus. Grauiter tamen obiurgauit filium, timens ne quid ille peccaret. Potéstne fieri, inquit, vt ego, & mater, & fratres adoremus te? Nam hoc, tuo isto somnio videtur significari: Caue ne istud in mentem tibi vnquam veniat: trade potius obliuioni nefarias visiones istas. Nam sperare, & expectare principatum inter domesticos, res abominanda est, me iudice: nec aliter iudicare puto ceteros, quibus æqualitatis, & cogitationis iura nota sunt. Veritus porrò Iacob, ne fortè præsentibus omnibus filiis, aliquid seditionis inter eos oriretur ex ingrata somniorum memoria, illos ablegat ad pascua, hunc domi retinet ad tempus: non ignarus quòd affectuum, & morborum animi, tempus dicatur medicus, & luctui tollendo, & furori sedando, & timori discutiendo perefficax: cuncta enim reddit meliora, etiam quæ non facilè sanantur. Hæc Philo. *Philo.*

Ioseph. Iosephus lib. 1. Antiquitatum commemorans somnium de manipulis, ait, fratres Ioseph audito eo somnio, licèt eius significationẽ satis coniectarent, nihil tamen dixisse. Sic enim scribit: At illi nihil tale Iosepho sunt interpretati, dissimulantes se intelligere: sed taciti precabãtur irritum fieri præsagium, ipsúmque maiori etiam odio prosequebantur. Verùm Deus aduersus eorum inuidiam contendens, alteram visionem Iosepho immisit, priore magis admirabilem. Vidit enim Solem cum Luna, & vndecim stellis descendere in terram, & adorare ipsum. Hoc somnium in præsentia fratrum nihil mali de illis suspicatus indicauit patri, rogans vt interpretari dignaretur, quod ei magnæ fuit voluptati. Præsagium enim somnij reputans, & sapienter euentum conijciens, gaudebat, eo quòd ingens filio portendi fœlicitas videretur: venturum videlicet olim tempus, quando tam à parentibus, quàm à fratribus dignus adoratione haberetur. Intelligebat enim per Solem ac Lunam significari patrem, ac matrem: quòd altera augeret omnia, & aleret; alter formam rebus, & vim inderet. Porrò stellarum nomine, fratres eius interpretabatur; tum propter numerum; tum quòd vim à Sole & Luna habeãt stellæ, sicut à parentibus filij. Et pater quidem talem interpretationem non imprudenter attulit. Fratres autem valdè contristauit illud præsagium, haud aliter sanè, quàm si alieno cuipiã hæc felicitas portenderetur, ac nõ fratri; cũ quo pariter omnib. fortunis frui possent, tã felicitatis, quàm generis socij. Sic Iosephus. 40

Somnia Ioseph quid præ figurauerint de Christo. Rupertus.

Ac prioris quidem somnij veritas manifesto euentu comprobata est. Fratres enim Ioseph, propter inopiã rei frumentariæ Ægyptum petentes, Iosephum Ægypti principem, & qui summam rei frumentariæ potestatẽ habebat, supplices, & venerabundi adorauerunt, vt infrà ca. 42. & sequẽtibus capitibus narrat Moses. De posterioris autem somnij veritate, & euentu, infrà dicetur. Ista porrò somnia Ioseph, licèt duo fuerint, quantum ad diuersitatem temporum, & similitudinum, quæ in vtroq; somnio figuratæ & ostensæ sunt: attamen quãtum ad significationem, vnum fuit somnium: idem nempè significans, exaltationem dico Ioseph supra fratres suos. Itaque de istis duobus somnijs rectè dici potest, quod ipse Ioseph dixit Pharaoni; de duobus item somnijs, quæ ei acciderant, vt legitur infrà Genesis 41. *Somnium*, inquit Ioseph, *regis vnum est: quod autem vidisti secunda, ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est: eo quòd fiat sermo Dei, & velocius impletur.* Et prius quidem somniũ Ioseph è terra, vel ex agro fuit, posterius verò somnium fuit è cœlo, quia videlicet adorãda à fratribus Ioseph fœlicitas eius, non de terra tantùm, sed de cœlo; non solùm ex hominibus, sed etiam ex Deo; immò primam & maximam ex Deo laudem erat habitura. 41

Verũ quia Ioseph permultis rebus figura Christi fuit, ostẽdamus somnium illud de manipulis, quidnam de Christo præfigurauerit. Quis est manipulus Christi, præfiguratus isto somnio (ait Rupertus libro octauo in Genesim capite vigesimo secundo) nisi ab ipsomet Christo seminata, & ad messem vsque perducta, & perducenda fides euangelica? Quid manipuli fratrum, adorantes manipulum Ioseph? Lectiones vtique sunt 42

legis &

legis & Prophetarum,quas Iudæi legentes, quasi manipulos colligunt & ligant. Ecce palàm omnibus est,& de toto mundi agro spectatur manipulus Christi stans. Et manipuli fratrum eius circumstantes & adorantes,id est,Euangelium,fida messis, & frumentum optimum, solum & vnicum Christi asserens imperium : omnes Legis & Prophetarum lectiones, illi testimoniorum præbent obsequium, debitúmque adorationis famulatũ. Imitentur ergo fratres inuidi manipulos suos,faciántq; nunc,quod quandoque facturi sunt,eum adorando, cuius manipulum manipuli ipsorum iam adorant. Hæc Rupertus, qui præcedenti capite disputauerat,ista sõnia Ioseph fuisse admodum congruentia, & consona quibusdam parabolis Saluatoris nostri:habent enim somnia nonnihil conuenientiæ,ac similitudinis cum parabolis. Etenim sicut in somnio, ita & in parabola,dum aliud dicitur,aliud intelligitur : quemadmodum & aliud vmbra est, & aliud corpus,& tamen nonnumquam ex vmbra corpus cognoscitur. Sed nec illud dubium est, quin sicut in Ioseph commemoratio somniorum, ita & in Dominum nostrum expositio parabolarum, maioris odij seminarium fuerit,maioríque inuidiæ fomitem ministrauerit. Et sicut per ista somnia significata est dignitas & potestas Ioseph supra fratres suos: ita Dominus per parabolas,maximè verò per illam de vinea locata agricolis, quam refert Matthæus 21.capite,præmonstrauit exaltationem suã. Nam quemadmodum eminentiam Ioseph præsignauit manipulus erectus,quẽ aliorum manipuli circumstantes adorabant : ita Dominus noster excellentiã suã finem parabolæ ostendit, dicens: *Nunquid legistis in Scripturis: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes,hic factus est in caput anguli,à Domino factum est istud,& est mirabile in oculis nostris* : Et sicut illi conijcientes quid sibi vellet somnium,vehementiùs inuidentes ei,interficere eum voluerunt : ita & Iudæi intelligentes intentionem parabolarum Christi, vehementiùs in eum incitati sunt:quærentésque eum tenere (inquit Euãgelista) timuerunt turbas,quia sicut Prophetam eum habebant:Hactenus ex Ruperto. *Psal. 117.*

43 Cæterùm quæritur, an Ioseph peccauerit, narrando somnia sua, quæ pertinebant ad gloriam,qua fratres suos anteceſſurus erat. Sanctus Bernardus in Tractatu de gradibus humilitatis, in explicando primum gradum,respondet,aut non peccasse; aut si peccauit,fuisse leue peccatum,& tot tantísque postea consecutis eius virtutibus ac benefactis obscuratum, & calamitatibus quas est passus,expiatum. Sic enim scribit : Ioseph, cùm præuidisset exaltationem suam, non tamen præsciuit sui venditionem, quamuis propior esset venditio,quàm exaltatio. Non quòd tantum Patriarcham in superbiam crediderim incidisse, sed vt eius exemplo pateat, quòd hi,qui futura præuident per spiritum prophetiæ,etsi non omnia,nõ ideo tamen putandi sunt nulla præuidisse : Quod si quis contendat, in eo quòd somnia sua Ioseph, adhuc adolescentulus narrabat, quorum tunc mysteria ignorabat, vanitatem posse notari, ego tamen mysterio magis, siue simplicitati pueri deputandum arbitror,quàm vanitati. Quæ tamen siqua fuit,per ea,quæ passus legitur,potuit expiari. Nonnullis enim quæ- *An Ioseph narrando somnia sua peccauerit per inanem gloriam. S. Bernardus.*

dam aliquando de se per reuelationem iucunda monstrantur; quę etsi humanus animus absque vlla vanitate scire non potest, non minùs tamen ideo euenit quod monstratum est: sic tamen vt illa vanitas, impunita non sit, qua de magnitudine reuelationis, aut promissionis, in se vel leuiter exultauit. Sic Bernardus.

Tho. Anglic. Placet mihi, quod super hac re tradit Thomas Anglicus, tractans hunc locum. Ait, sicut illa somnia fuerunt Ioseph diuinitus iniecta, sic ad ea narranda fuisse eum diuinitus instinctum atque incitatũ: vt tanta Ioseph exaltatio à Deo prædestinata, & perfecta esse intelligeretur, vt quæ multo ante fuisset per huiusmodi somnia mirabiliter præsignata, & prænuntiata. Sũt hæc Thomæ verba: Nunquid malè faciebat Ioseph, talia somnia referendo, quibus portendebatur, ipsum, caput esse debere fratrum suorum, atque etiam parentum? Dicendum, quòd sicut eiusmodi somnia fuerunt ei missa à Deo, vt futura ipsius sublimatio pleniùs in *postremum* cognosceretur à Deo fuisse præuisa & præordinata: ita ob eandem causam impellebatur ille à Deo ad referendum ea somnia fratribus, & patri suo. Vnde signanter Scriptura subdit: *Pater hoc audiens, rem tacitus considerabat:* tanquam vtique sentiens, magnum quippiam portendi, ac præsignificari. Dato etiam, quòd ex quadam pura, & innocenti simplicitate, huiusmodi somnia referret, nequaquam malè faciebat; & id absque vllo peccato fieri poterat.

QVINTA DISPVTATIO.

An Rachel mater Ioseph, tunc viueret, cùm is narrauit sua somnia: & quandónam pater, & mater Ioseph eum adorauerint.

Super illis verbis,

VERS. 9 & 10. 9 Vidi per somnium, quasi Solem, & Lunam, & stellas vndecim adorare me. Quod cùm patri suo, & fratribus retulisset, increpauit eum pater, & dixit: Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram?

HÆc verba duas ferunt quæstiones ardui explicatus. Prior quæstio est, An tunc Rachel mater Ioseph viueret, cùm is narrauit hoc somniũ: id namque significat similitudo Lunæ, quæ adorabat ipsum; idémque Iacob apertè indicauit illis verbis: *Num ego, & mater tua adorabimus te?* Contra verò iam, id temporis fuisse mortuam Rachelem, perspicuè ostendit similitudo vndecim stellarũ, significans vndecim fratres Ioseph, inter quos numerari Beniamin necesse est: ergo tunc Beniamin viuebat: in cuius tamen enixu, & partione mortuam fuisse Rachelem, suprà Genes. 35. proditum

ditum est. Altera quæstio est hæc: Isto somnio prænotabatur, patrem, & matrem Ioseph adoraturos ipsum: at mater eius nunquam fuit in Ægypto, vbi adorandus erat Ioseph, sed multis annis ante descensum Iacob in Aegyptum, obijt in terra Chanaan. Iacob verò pater Ioseph nusquam legitur adorasse ipsum.

45 Rupertus primò conatus est vtramque hanc quæstionem secundùm historicum sensum explicare: sed cùm id non satis ei bene procederet, cõuertit se ad allegoricam interpretationem, quæ pertinet ad Christum. Verba Ruperti capite 22. lib. 8. Commentariorum in Genesim, huiusmodi sunt: Cùm Iacob sciret, matrem Ioseph Rachel iam obijsse, quo modo illam, quæ defuncta fuerat, adorare posse sentiebat? an matrem eius hîc appellat eam quæ supererat, vxorem suã Liam, quæ cùm esset matertera, id est, quasi altera mater, rectè mater eius appellari potuit? Pater autem eius, nusquam legitur quòd adorauerit eum nisi quando iurante Ioseph, quòd patrem conderet in sepulcro Maiorum Iacob adorauit fastigium virgæ eius, vt habet translatio 70. Interpretũ Genesis 47. Quanquam melius Hebraicè est ibi quòd adorauit Iacob Deum, conuersus ad lectuli caput. Ergo pro parte totũ ponitur, vt quia omnes fratres eũ adorarunt, etiã vniuersa familia, & pater, qui caput eius erat, adorasse dicatur: vel intelligitur pater adorasse cœlestem gratiam filio donatam, pro filio gratias agendo: quod sine dubio fecisset mater, si adhuc vixisset. Quòd si cuipiam littera in hac parte infirma videtur, firmiter sciendum est, quòd iuxta spiritualem sensum, veritas istius somnij omnino est in Christo perfecta. Quis enim pater eius per Solem designatur, nisi anterior populus, de quo est incarnatus? Qui à die resurrectionis eius, in cœlesti regno, pro parte Electorum fulget sicut Sol. Et quæ est Luna, nisi præsens in Ecclesia, quę mutabilitati subiacet, & minùs lucet, quandiu peregrinatur in hac vita? Singuli autem Electorũ stellæ sunt; secundùm se quidem, imperfecti, quasi in vndenario numero, sed eorũ perfectio, est stella duodecima, stella, inquam, perfecta, & matutina, ipse Christus frater illorum. Omnes igitur adorant illum, Sol, & Luna, & stellæ omnes: cuncta cœlestia, vniuersa terrestria, maiora, & minora illum venerantur, & adorant. *Mihi*, inquit, *curuabitur omne genu, & confitebitur omnis lingua*. Hæc Rupertus.

Rupertus.

Isa. 45. & Rom. 14.

46 S. Augustinus ingenuè fatetur, nullum se huius quæstionis idoneum reperire exitũ, & solutionem secundùm historicum sensum, & ideo putat veritatem istius somnij Ioseph, non ex historia petendam, sed quærendã, & eruendam ex mysterio. Sic autem scribit Augustinus in Tractatu Quæstionis 123. in Genes. Nisi in aliquo mysterio dictum hoc accipiatur, quomodo potest intelligi de matre Ioseph, quæ iã erat mortua? Immò nec in Aegypto cum Ioseph sublimaretur, putandum est somniũ illud fuisse completũ, quia nec pater eum adorauit, quando ad eum venit in Ægyptum, nec mater eius adorare eum potuit, vt quæ iam olim vita fuisset defuncta. In Christi ergo persona facilè intelligi potest, etiam de mortuis, secundùm illud quod dicit Apostolus: *Quia donauit*

S. Augustin.

Ad Philip. 2

ei

ei nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu, omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum. Sic Augustinus.

Lyranus. Lyranus explanans hunc locum Geneseos censet, quo tempore Ioseph habuit somnium, iam fuisse eo tempore mortuam Rachelem matrem eius: id autem probat dupliciter. Cùm enim Ioseph habuit illud somnium, & cum venditus est à fratribus, habitabat Iacob in vrbe Hebron, vt colligitur ex hoc ipso capite: at Rachel obijt in itinere, cùm Iacob iret Hebron ad patrem suum Isaac, vt suprà Genes. 35. scriptum est. Idem patet ex numero vndecim stellarum, quas vidit in somnio Ioseph: qui numerus constare non potest sine Beniamin: viuebat igitur tunc Beniamin; & quod necessariò consequens est, mortua iam fuerat eius mater, vt quæ in eius partu extincta sit, vt dictũ est Ge. 35. Quomodo igitur Iacob dixit: *Num ego & mater tua adorabimus te?* Respõdet Lyranus, ea verba dixisse Iacob, vt irritatos fratrũ animos in Ioseph complacaret & dimitigaret. *Videlicet* ostendere voluit illis verbis, vanum esse somnium, & pro nihilo ducendum; vtpote quod impossibilia & incredibilia contineret. Siquidem impossibile erat, vt mater eius, quę iã erat mortua, adoratura esset ipsũ: quòd autem ipse, qui pater erat eius, adoraturus ipsum esset, videbatur incredibile. Sed restat difficultas, quomodo verum fuerit somnium, si Luna, id est, mater Ioseph, non adorauerit ipsum? Respondet Lyranus, matrem non in se adorasse, sed in filio suo Beniamin, qui adorauit ipsum Ioseph. Vel secundùm Hebræos, mater Ioseph significatur hoc loco, non Rachel, sed Bala, quæ fuerat ancilla Rachelis: hæc enim, & quia vxor Iacob patris Ioseph, & quia lactauerat & nutrierat ipsum Ioseph, ritè potuit mater eius nominari. Hactenus ex Lyrano. Similiter Lyrano sentit Thostatus: eo tantùm dissonans, quòd per Lunam negat significari potuisse Rachelem, vtpotè quæ cùm iam mortua esset, non posset adorare Ioseph. Nam quod Lyranus dixit, adorasse eam in filio suo Beniamin, friuolum putat Thostatus: Sic enim Beniamin duas personas repræsentasset, & matrem in Luna, & seipsum in stellis, quod est absurdum. Arbitratur igitur Thostatus, per Lunam significari Balam ancillam Rachelis, & vxorem Iacob, quæ lactauerat, & nutriuerat Ioseph: atque hoc duplici nomine non ineptè dici poterat mater Ioseph. 47

Thostatus.

Caietanus. Caietanus primò exposita difficultate huius quæstionis, soluit eam ad hunc ferè modum. Probabilius existimat, tunc vixisse Rachelem, & fuisse tunc grauidam ipso Beniamin: atque ita bene consistere veritatẽ somnij, quantũ ad Lunam, & quantũ ad vndecim stellas. Secundo loco ait; Rachelẽ nunquã adorasse Iosephũ: ea quippe non iuit in Ægyptũ, sed multo tẽpore, priusquã Iacob descenderet in Ægyptum, obijt in terra Chanaan. Tertio loco existimat, si iã tunc natus erat Beniamin, & mortua Rachel, vt multis visũ est; per similitudinem Lunæ significatã esse vxorem Iacob, quæ non ineptè vocari poterat mater Ioseph. Verba Caietani sic se habẽt super hunc locũ Genes. Perplexa, inquit, surgit quæstio, an Rachel mater Ioseph viueret tunc: ex illis enim verbis Iacob: *Num ego, & mater tua adorabimus te?* apparet quòd viuebat tunc. Idémque patet, quia Ioseph dictus 48

dictus est filius senectutis, & dilectus super omnes filios; quo significatur, non fuisse alium minorem ipso, nec fuisse tunc natum Beniamin. Similiter si somnium ipsum spectetur, perplexitas occurrit. Nam Sol, & Luna, & stellæ vndecim (hoc est, pater, mater, & vndecim fratres) nodum faciunt insolubilem: eo quòd in natiuitate Beniamin mortua est mater Rachel. Quo fit, vt si stellæ vndecim, ergo non Luna: Et si Luna, ergo non stellæ vndecim. Solutio non habetur clara quoad vitam Rachelis tunc: verba tamen litteræ sonant magis, quòd Rachel viuebat; quamuis Moses ad terminandum historiam genitorum à Iacob, prænarrauerit natiuitatem Beniamin cum morte Rachelis. Ad nodum autem somnij soluendum, perpendere oportet, quòd siue viua, siue mortua fuerit tunc Rachel, nihil refert ad verificationem somnij: constat enim, nunquam Rachelem veneratam esse Ioseph, vt quæ non descenderit in Ægyptum. Quoad visionem autem somnij possumus suspicari, quòd Rachel esset tunc grauida, & sic vidit patrem, & matrem, & fratres vndecim adorare se. Si autem tunc Beniamin iam erat natus, & Rachel mortua; per Lunam non Rachel determinatè, sed vxor patris in genere intelligenda videtur. Sic Caietanus. Sedenim Caietanus omisit solutionem secundæ quæstionis: non enim declarauit, quando, & quomodo Luna, & Sol, id est, mater & pater Ioseph, adorauerint ipsum.

49 Oleaster affirmatè dicit, vixisse tunc Rachelem, idque probat iisdem ipsis argumentis, quibus vsus est Caietanus. Deinde disputat quomodo pater & mater Ioseph adorauerint ipsum. Et primò refert opinionē quorundam Hebræorum, aientium verè ac propriè Solem & Lunam adorasse Ioseph, non in persona ipsius, sed in persona Iosue, qui fuit de tribu Ephraim, & ex posteris Ioseph, sicut in libro Iosue scriptum est capite 10. Hoc refellit Oleaster, quòd Scriptura dicat Solem & Lunam obedisse voci Iosue, non autem adorasse ipsum. Et verò in illo somnio Sol & Luna non propriè, & pro se ipsis adorauerunt Ioseph, sed vt signa patris & matris Ioseph; quos esse ipsum adoraturos, illa similitudine significabatur. Verùm quomodo mater Ioseph adorauit ipsum, quæ tantò antè mortua est in terra Chanaan? Putant aliqui (ait Oleaster) intelligi debere Balam vxorem Iacob: sed neque hanc legimus adorasse Ioseph. Pater autem eius potest dici adorasse ipsum, quando per filios suos misit ei, tanquam Principi Ægypti munera, vt legitur Genesis 43. & sic in patre intelligi potest adorasse mater, cum vterque censeatur, eiusdem esse conditionis & rationis quantum ad subiectionem. Vel non est necesse, omnia quæ continentur in illo somnio sigillatim verificari, sicut nec in parabolis. Vel illud, *adorarem*, cùm dicitur: *Vidi solem, & Lunam, & vndecim Stellas adorare me*: referri debet tantùm ad id, quod proximè antecedit, nimirum ad vndecim stellas, non autem ad Solem, & Lunam. *Oleaster.* *Iosue 10.*

Sed ponamus hîc verba Oleastri, prætermissis tamen iis, quibus probat tunc vixisse Rachelem: Sunt enim prorsus eadem, atque Caietani verba paulò superiùs commemorata. Multùm, inquit, placet mihi eorum opinio, qui dicunt tunc vixisse Rachelem, cùm illa somnia narrauit Ioseph.

Sed alius insurgit nodus difficilioris solutionis, quomodo pater & mater adorauerint Ioseph: nam nec pater legitur adorasse eum, nec mater adorare potuit, quæ mortua est priusquam Iacob descenderet in Ægyptum. Quidam Hebræorum aiunt, verè solem & Lunam adorasse Ioseph non in propria eius persona, sed in Iosue, qui fuit de tribu Ephraim, & de posteris Ioseph, vt scriptum est in libro Iosue, cap. 10. Verùm quia ibi non dicitur Solem & Lunam adorasse Iosue, sed voci eius obedisse, ideo non multùm illi solutioni tribuo. Alij dicunt, per matrem non Rachelem intelligi debere, sed vxorem Iacob; præsertim autem Balam Rachelis ancillam, quæ nutrierat Ioseph, velut filium. Sed neque ista Bala legitur adorasse Ioseph. Iacob autem potest dici adorasse Ioseph, quòd per filios miserit ei munera, tanquam dominanti in Ægypto, vt legitur infrà capite 43. quod quidem signum fuit non solùm obseruantię, ac reuerentiæ, verùm etiam nonnullis subiectionis, & adorationis. Et sic in patre dici posset etiam mater adorasse: quippe quæ reputatur in subiectione, idem cum patre. Aut *dici* posset, non esse opus, omnia quæ in illo somnio ostendebantur, postea verificari: sed satis esse, si maior pars eorum quæ somniauerat, vera fuerint. Præsertim cùm primum somnium de manipulis nihil habuerit ad patrem, vel matrem pertinens, sed tantùm ad fratres. Posset etiam dici, vidisse Ioseph Solem, & Lunam, & stellas vndecim; sed non quòd omnia ista adorarent ipsum, sed solùm stellæ vndecim. Hactenus ex Oleastro.

Auctoris sententia.

Mea sententia (indicabo enim breuiter Lectori meum quoque super hac quæstione iudicium) duplex est. Ac primò quidem licèt Iosephus primo libro Antiquitatum, & complures Hebræorum, ad quos inclinare videtur etiam Thomas Anglicus, & item Caietanus atque Oleaster, opinantur, cùm hæc somnia narrabat Ioseph, vixisse Rachelem matrem eius: ego tamen assentior potiùs Sancto Augustino, & Ruperto, & Lyrano, atque Thostato, affirmantibus tunc mortuam fuisse Rachelem. Hanc enim opinionem esse probabiliorem, magno est argumento quòd tunc Iacob habitabat in vrbe Hebron, vel circa; in hoc namque capite paulo infrà dicitur Ioseph à patre missus de valle Hebron ad fratres suos, visitatum eos: Rachelem verò mortuam fuisse, antequam Iacob peruenire ad vrbem Hebron, perspicuè ostendit suprà Moses capite trigesimo quinto. Quo autem id apertius, & certius sit lectori, cursim exponam iter Iacob ex Mesopotamia vsque in Hebron; notatis locis ad quæ in eo itinere venisse Iacob, & in quibus aliquantisper mansisse memoratur in Scriptura. Principio, profectus ex Mesopotamia dicitur Genesis trigesimo primo, venisse in montem Galaad, ibique comprehensus esse à Laban. Hinc venit ad locum nominatum Mahanaim, Genesis trigesimo secundo. Hinc ad torrentem Iaboc, eóque traducto, ad locum dictum Phanuel, Genesis trigesimo secundo. Inde venit Sochot, postea transiuit in Salem vrbem Sichimorum: ibique habitauit iuxta oppidum, Genesis trigesimo tertio. Inde venit in Bethel. Ex hoc loco egressus venit ad terram, quæ ducit Ephratam, siue Bethleem; & ibi Rachel in enixu Beniamin, egit animam. Egressus inde Iacob fixit tabernaculum trans turrem gregis.

gis. Ex quo loco discedens, denique venit ad Isaac patrem suum in Mambre ciuitatem Arbe, quæ est Hebron. Hæc autem omnia disertis verbis ita, vt à me commemorata sunt, in trigesimo quinto capite huius libri prodita sunt. Intelligit, opinor, Lector ex hac breui descriptione itineris Iacob ex Mesopotamia in vrbem Hebron, Rachelem esse mortuam priusquam Iacob venisset in vrbem Hebron: vbi iam habitabat, cùm ea, quæ hîc narrantur de somniis Ioseph contigerunt.

Verba porrò illa Iacob, quæ videntur huic sententiæ aduersari: *Num ego, & mater tua adorabimus te?* quibus apertè indicari videtur tunc in viuis fuisse Rachelem: equidem commodè sic exponi & intelligi posse reor vt est traditum à Lyrano, & Thostato. Illa enim verba dixit Iacob, simulans irrisum, & contemptum illius somnij Ioseph; & ostendere volens esse vanum, & futile, atque inconsistens: quo scilicet aliorum filiorum aduersus Ioseph excitatum in animis odium & indignationem sedaret, ac minueret. Hæc igitur est illorum verborum sententia: Somnium istud est vanissimum, & pro nihilo ducendum; vt quod rem impossibilem & incredibilem demonstret. Nam quòd ego qui sum pater tuus, sim adoraturus te, quis non videt esse incredibile? Quòd autem mater tua, quæ iam est mortua, sit adoratura te, prorsus est impossibile.

51 Altera sententiæ meæ pars, hæc est; Quæstio secunda, quam proposuimus suprà de adoratione Iosephi à suis adhibenda, facillimum habet exitum, quantum ad fratres eius; nec difficilem, etiam quãtum ad patrem. De submissione fratrum Ioseph, coram eo, & adoratione scribit infrà Moses, cap. 42. his verbis: *Cùm adorassent eum fratres sui, &c.* Et adiungit Moses, tunc Ioseph recordatum fuisse somniorum suorum: id autem est, tunc cognouisse eum, quod ante ignorauerat, illis somniis significatam esse dignitatis & potestatis suæ super fratres suos excellentiam. Et in cap. 43. Moses narrat, iterum eos pronos in terrã, & incuruatos adorauisse Ioseph. Quomodo autem pater adorauerit eum, facilè potest expediri; si dicamus tunc adorasse per filios, cùm munera misit ei vt principi & domino, & iussit filios nomine suo eum reuerenter & honorificè salutare. Interrogati enim à Iosepho fratres eius dè patre ipsorum, an adhuc viueret, ita respõderunt; *Sospes est seruus tuus pater noster, & adhuc viuit; & incuruati adorauerunt eum.* Tota igitur quæstio versatur in matre, quæ non adorauit eum: non sanè Rachel quæ ante venditionem eius iam fuerat mortua: nec Lia, quæ secundùm Hebræos in Maiori Chronologia, obiit eo ipso anno, quo Ioseph est venditus. Alias verò vxores Iacob, Balam, & Zelpham, nusquam legimus adorasse Ioseph. Quod autem quidam dicunt, illud de adoratione Ioseph, referri debere tantùm ad vndecim stellas, id est, fratres eius, non autem ad solem & Lunam, id est, ad parẽtes eius; eo sit improbabile, quòd ista ratione, superuacuè, ac frustra, in somnio osteasa esset similitudo Solis, & Lunæ. Cùm enim finis esset, significare futuram adorationẽ Ioseph, si Sol & Luna, id est, parẽtes eius non adorauerunt eum, nihil ipsi pertinebant ad somnium; quod videtur dictu absurdũ de somnio diuinitus misso, & ad significandã præcellentẽ Ioseph futurã dignitatẽ præcipuè institutio.

Quid igitur dicemus? Mihi sanè videtur, planissimam fore illius somnij sententiam, & interpretationem, si dicatur, eo somnio id significatum esse, Ioseph euectum iri ad tantum dignitatis & potestatis fastigium, vt comparatione conditionis & status, in quo erant fratres & parentes eius, ab illis meritò adorabilis & adorandus foret. In tantum enim Rex Ægypti, honore ac potentia extulit Ioseph, vt ipsum honorari & adorari iusserit ab omnibus, etiam principibus Ægyptiorum. Itaque sicut fratres eius, cùm in Ægypto adiissent eum, nescientes esse Ioseph, maxima submissione & reuerentia adorauerunt eum, ita quoque pater eius, si conuenisset eum in Ægypto, ignorans esse filium suum Ioseph, proculdubiò venerabundus adorasset eum. Idémque dicendum est de matre eius Rachele, si tum vixisset, vel de aliis vxoribus Iacob, quas nonnulli putant nomine matris esse appellatas. Portendebatur igitur eo somnio tanta honoris, & imperij Ioseph sublimitas futura, vt habito eius respectu & ratione, venerandus, & adorandus foret non solùm ab hominibus, qui essent eiusdem conditionis, cuius erant fratres, & parentes eius; sed ab aliis etiam longè honoratioris & præstantioris conditionis. Verùm pergamus ad alia.

VERS. 11. Pater verò rem tacitus considerabat.

ETSI Iacob, vt placaret filios vehementer in Ioseph incitatos, visus est illudere atque aspernari somnium illud Ioseph, 52
vt quod rem quampiam incredibilem atque impossibilem significaret: ipse tamen postea tacitus somnium illud animo reputabat & pensitabat. Pro eo quod Latinus interpres vertit *considerabat*, Græcè & Hebraicè est verbum significans Latinè *obseruabat*, videlicet, aut expectans somnij exitum, aut animo disquirens & examinans, an pro vero & diuino, an potius pro futili & vano, vt pleraque sunt somnia, habendum esset. Et verò, duplex illud somnium, idem significans, fidem facere vicebatur veritatis & certitudinis: Illustris quoque in posteriori somnio, Solis & Lunæ, & Stellarum repræsentatio, eximium quidpiam ac splendidum præmonstrare, non temerè existimari poterat. Considerabat prætereà Iacob virtutes Ioseph, & prudentiam supra ætatem; quæ opinionem afferebant, illum à Deo electum, destinatúmque ad egregia & insignia munera & facinora: idque Deum multo antè præsignificare voluisse, ne postea, cùm eueniret quod fuerat præmonstratum, aut fortuito contigisse putaretur; aut humano consilio, & industriæ assignaretur. Repetebat memoria Iacob somnia quondam sibi diuinitus oblata, quæ fuerant eorum, quæ ventura ipsi erant, certissima indicia; num igitur talia essent somnia Ioseph, volutabat animo. Enimuerò, somnia sicut variis ex rebus, causisque nascuntur, & homini accidunt: ita variè sunt æstimanda: plurima enim meritò contemnenda sunt; quædam prudenter obseruanda: nonnulla, etiam religiosè colenda, & honoranda.

S. Greg. de sex causis somniorum.

S. Gregorius lib. 8. Moralium, tractans illa verba Iob cap. 7. *Terrebis me* 53

per

per somnia, & per visiones horrore concuties, sex causas, vnde somnia nascantur, enarrat, ad hunc modũ scribens: exquirẽdum est, quot modis tangant animum imagines somniorum. Aliquando somnia, ventris plenitudine, aliquando inanitate, aliquando illusione, aliquando cogitatione simul & illusione, aliquando reuelatione, aliquando cogitatione simul & reuelatione generantur. Sed duo, quæ prima diximus, omnes experimento cognoscimus; subiuncta autem quatuor, in sacræ Scripturæ paginis inuenimus. Etenim nisi somnia plerumque à Dæmone per illusionem fierent, nequaquam Sapiens dixisset Ecclesiastici 34. *Multos errare fecerunt somnia, & illusiones vanæ.* Nec scriptum esset Leuitici 19. *Non augurabimini, nec obseruabitis somnia.* Quibus verbis, cuius sint detestationis, ostenditur, quæ auguriis coniunguntur. Rursum nisi aliquando ex cogitatione simul & illusione procederent, Salomon non dixisset Ecclesiastes 5. *Multas curas sequuntur somnia.* Et nisi quandoque somnia ex mysterio reuelationis oritẽtur, Ioseph præferendum se fratribus per somnium non vidisset: nec Mariæ sponsum, vt ablato puero in Ægyptum fugeret, per somnium Angelus admonuisset. Rursum nisi aliquando somnia cogitatione simul & reuelatione procederent, nequaquam Daniel visionem Nabuchodonosor edisserens, à radice cogitationis inchoasset, dicens; *Tu rex cogitare cœpisti in strato tuo, quid esset futurum post hæc, &c.* Ergo cùm somnia tot rerum qualitatibus alternent, tanto eis credi difficiliùs debet, quanto & ex quo impulsu veniant, difficiliùs elucet. Sæpe namque malignus spiritus his, quos amore vitæ præsentis vigilantes intercipit, prospera etiam dormientibus promittit, & quos formidare aduersa considerat, eis hæc duriùs somnij imaginibus intentat: quatenus indiscretam mentem diuersa qualitate afficiat; eámque aut spe subleuans, aut deprimens, timore confundat. Sæpe quoque sanctorum corda afficere somnijs nititur vt ab intentione cogitationis solidæ, ad tempus saltem momentúmque deriuẽtur, quatenus ipsi protinus animum ab illusionis imaginatione discutiant. Sed hostis insidians, quo eos vigilantes minùs superat, eo dormientes grauiùs impugnat. Qui tamen talia malignè agere superna dispensatione benignè permittitur, ne in electorum cordibus, vel ipse à passionis præmio somnus vacet. Hactenus ex Gregorio. *Matt. 2.* *Dan. 2.*

54 Cùm igitur sæpe à Deo mittantur somnia, disquirebat Iacob, an eius generis fuisset somnium, quod filio suo Ioseph contigerat. Et fit mihi credibile, valdè inclinasse eum ad existimandum, somnia illa fuisse ex Deo. Nec tamen dixerim, eum spiritu prophetico tunc intellexisse propriam illorum somniorum significationem, futuram dico Ioseph exaltationem. Si enim eam habuisset præcognitam, cùm postea ex filiis suis audiuit Ioseph dominari in Ægypto, non tantoperè miratus esset, nec adeo cunctatus esset credere. Sic enim ait scriptura Genes. 45. *Et nunciauerunt ei, dicentes: Ioseph filius tuus viuit, & ipse dominatur in omni terra Aegypti. Quo audito Iacob, quasi de graui somno euigilans, tamen non credebat eis.* Non item fidem habuisset filiis dicentibus, Ioseph fuisse interfectum. Nam cùm misissent ad eum tunicam Ioseph, sanguine tinctam; ille agnoscens eam

dixit: *Tunica filij mei est, fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph.* Istorum porrò somniorum Ioseph intelligentia, nec ipsi Ioseph, nec alij cuipiam hominum, aut tunc, aut post, à Deo patefacta est: sed ipso euentu, rerúmque successu cum somniis omnino congruenti, veritas denique eorum somniorum cognita est, atq; comprobata. Id autem primus omnium animaduertit & compertum habuit ipse Ioseph, vt narrat infrà Moses capite 42.

VERS. 18 Qui cùm vidissent eum procul, cogitauerunt illum occidere; & mutuò loquebantur, Ecce somniator venit, occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem: dicemúsque, Fera pessima deuorauit eum: & tunc apparebit quid illi prosint somnia sua.

RERPENDENDVM est illud: *Ecce somniator venit.* Istiusmodi enim appellatio satis indicat, quàm illi fuerint aduersus Ioseph amaro & inimico, & infesto animo: somniatoris enim appellatio tum probrosa, tum criminosa erat. Sed cùm nomen *somniatoris* denotet frequentiam, & quasi habitum somniandi; Ioseph autem non alia retulisset somnia sua, nisi duo tantùm; quomodo appellarũt eum somniatorem? Respondet dupliciter Thomas Anglicus: vel quòd alia quoque somnia, præter illa duo, retulerit fratribus: hæc tamen duo specialiter narrata esse, quòd ea potissimùm inuidiam fratrum excitassent, atque incendissent. Vel potest, inquit, illud etiam dici, proprium esse inuidorum hominum, res augere supra verum: mens quippe inuida, etiam parua & pauca exaggerat, & multiplicat. Sic ille. 55

Thomas Anglicus

Dicemúsque, Fera pessima deuorauit eum. Verisimilis hîc erat ad patratum scelus operiendum obtentus. Terra enim Syria, cuius pars est Palæstina, abundat feris, maximè verò vrsis, & leonibus, vt indicat Scriptura 1. Regum 17. & 4. Reg. cap. 2. Et Leuit. 26. pro magno bono promittit Deus ijs qui custodirent eius legem, liberationem terræ eorum à bestijs & feris. *Dabo*, inquit, *pacem in finibus vestris: dormietis, & non erit qui exterreat: auferam malas bestias de terra.* Contrà verò pro ingenti malo & calamitate ac supplicio, minatur Deus violatoribus legis suæ, missurum se bestias in terram eorum. *Immittam in vos bestias agri* (ait Dominus) *quæ consumant vos, & pecora vestra, & ad paucitatem cuncta redigant, desertæq; fiant viæ vestræ.* Hanc item ob causam tam frequentes sunt in sacris litteris similitudines ex Leonibus ductæ; & comminationes de bestiis in terram & regionem Iudæorum immittendis. 56

Et tunc apparebit quid ei prosint somnia sua. Immo verò, ô amentes & stolidi homines, eo ipso consilio vestro, quo vel occidendo, vel vendendo Ioseph, facere irrita eius somnia conamini, ad præmonstratum illis somniis, & prædestinatum Iosepho principatum, atque dominatum maximè promouebitis, atque perducetis. Sic profectò est, vt dixit Basilius, inter alia 57

Basilius in sermon. de inuidia.

inuidorum

inuidorum supplicia, hoc esse admodum notabile, quod quibus consiliorum suorum machinationibus, quoquo modo gloriam obscurare, & impedire prosperitatem conantur eorum quibus inuident: his ipsis eam maximè illustrant atque amplificant: quin etiam nec volentes, nec scientes, sunt illis tanquam administri & adiutores comparandæ & consequendæ eorum felicitatis. Verùm luculentissimè super ea re disseruit S. Gregorius libro sexto Moralium: pertractans enim verba illa Iob, quæ sunt in cap. 5. *Qui comprehendit sapientes in astutia eorum; & consilia prauorum dissipat:* ad hunc modum scribit: Sæpe nonnulli humana sapientia inflati, dum desideriis suis diuina iudicia contra se conspiciunt, astutis machinationibus reluctari eis conantur: & quo vim supernæ dispositionis ad votum suum intorqueant, callidis cogitationibus insistunt, & subtiliora consilia exquirunt. Sed inde voluntatem Dei peragunt, vnde hanc immutare contendunt: & Omnipotentis Dei cõsilio, dum resistere nituntur, obsequuntur: quia sæpe & hoc eius dispositioni aptè militat, quod ei per humanum studium friuolè resultat. Sapientes ergo Dominus in ipsa eorum astutia comprehendit, quando eius consiliis humana facta, etiam tunc congruè seruiunt, cùm resistunt. Quod meliùs ostendemus, si pauca in medium rerum gestarum exempla proferamus. Ioseph somnia viderat, quòd suo manipulo fratrum eius se manipuli prosternebant: somnium item viderat, quòd se Sol, & Luna cum reliquis stellis adorabant. Quæ, quia purè fratribus retulit, eorum corda protinus futuræ dominationis inuidia furórque percussit. Cúmque hunc ad se venire conspicerent, malitiâ sæuientes dixerunt: *Ecce somniator venit, venite occidamus eum, & videamus quid illi prosint somnia sua.* Cúmque se domino eius subiici metuunt, somniatorem in puteum deponunt, eúmque Ismaëlitis transeuntibus vendunt. Qui in Ægyptum ductus, seruituti subditus, luxuriæ accusatione damnatus, merito castitatis adiutus, prophetiæ iudicio ereptus, omni Ægypto prælatus est: per supernam verò sapientiam prouidus, frumenta congessit; & futuro periculo necessitatis obuiauit. Cúmque Iacob de alimentorum præparatione sollicitus filios suos in Ægyptum misisset, hi frumentorum dispensationi præpositum Ioseph nescientes, inueniunt: atque vt mererentur alimenta percipere, eorum dispensatorem compulsi sunt pronis in terram ceruicibus adorare. Pensemus ergo gestæ rei ordinem. Pensemus quomodo sapientes in ipsa sua astutia Deus comprehendat: Ideò venditus ab illis fuerat Ioseph, ne adoraretur: sed ideo est adoratus, quia venditus. Astu namque aliquid agere ausi sunt, ve Dei consilium mutaretur; sed diuino iudicio quod declinare conati sunt, renitendo seruierunt: & inde coacti sunt Dei voluntatem peragere, vnde hanc moliti sunt astutè mutare. Sic, sic diuinum consilium dum deuitatur, impletur. Sic humana Sapientia dum reluctatur, comprehenditur. Timuerunt fratres Ioseph, ne super eos ille excresceret: sed hoc quod diuinitus dispositum fuerat, cauendo, factum est vt eueniret. Hæc Gregorius. S. Gregor.

Prosper

Prosper in libro de Promissionibus & Prædictionibus Dei, consilium 58
illud,& collocutionem inter se filiorum Iacob, conspirantium in necem
fratris sui Ioseph,illustrem fuisse ait figuram conspirationis Iudæorum in
Christi Domini necem.Horum enim simile consilium, & sermo memo-
Locus Sapientia cap.2. ratur in libro Sapientiæ,capite secundo:*Venite,occidamus iustum,quoniam insuauis est nobis. Promittit se scientiam Dei habere,& filium Dei se nominat: videamus si sermones illius veri sunt, & tentemus, an succedant quæ ventura sunt illi.* Et quæ sequuntur. In illa quoque parabola Euangelica de vinea,
Matth. 21. agricolæ de filio Domini vineæ,qui ad ipsos missus fuerat,di-
xerunt: *Hic est hæres,venite occidamus eum, & nostra erit hæreditas.* Huc
etiam spectat,quod in figura Saluatoris nostri dixit de se Hieremias cap.
vndecimo: *Cogitauerunt consilia, super me dicentes: Mittamus lignum in panem eius,& eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius.*

Excutitur sententia Ambrosij, qui videtur excusare peccatum fratrum Ioseph. Cæterùm Sanctus Ambrosius videtur fratres Ioseph à voluntate fra- 59
tricidij,tantóque,& tam immani scelere purgare velle:Scribit enim fuis-
se eos insignes viros,& populi Dei patriarchas; & ideo extra fidem esse,
tantum eos scelus concepisse animo,& designasse voluisse. Putat igitur,
quæ illi aduersus Ioseph & fecerunt & dixerunt,ea non ex proprio sen-
su ac voluntate dixisse ac fecisse; sed typum gerentes futuræ olim plebis
Iudæorũ,tanto antè præfigurãtes quod populus Iudaicus in Christũ Do-
minum nostrũ impiè dicturus & crudeliter facturus erat. Atenim istiusmodi fratrum excusatio,& purgatio parum probabilis videtur.Nã quòd
illi,ijs quæ dixerunt & fecerunt in Ioseph, præfigurauerint,nec volentes
nec scientes futuram in Christum Dominum Iudæorum sæuitiã; id nec
purgat,nec excusat,nec eleuat eorum inhumanitatem, atq; impietatem.
Nempe,non eo consilio & animo, vt ista illi præfigurarent,tam impiè &
crudeliter fratrem suum Ioseph tractarunt;sed inuidiâ & odio obcæcati,
& in rabiem efferati. Et quamuis eo animo,& consilio istud fecissent,nihilominus tamen fratricidij criminis rei fuissent.

Proponam hîc Lectori consideranda Ambrosij verba:Nunquid & ipsi
fratres tam impij erant(Ambrosius inquit)vt fratrem occiderent?Et vn-
de tantorum merita Patriarcharum,vt grex totius plebis,eorum vocabulo designaretur? Quomodo conueniunt pietatis nomina, & sceleris insignia? Sed etiam iusti,typo populi, non animi sui vitio laborabant. Ideo
omnis inuidia,& parricidij meditatio per figuram, pietas per affectum.
Et interpositis quibusdam,denique subdit:Compensatur ergo in Patriarchis inuidia per gratiam:qui & excusantur à culpa,& reuelationis munere consecrantur. Non enim tam culpabile est dixisse quæ plebis sunt;
quàm beatum,vidisse quæ Christi sunt. Subierunt personam peccatoris
populi,vt acciperent gratiam Domini Redemptoris. Certè culpam abo-
leuit grati;gratiam culpa non minuit, & vt cognoscamus omne hoc de-
damus Iudaico, & de Domino Iesu mysterium esse:*Venite*, inquit, *ven-*
populo *Ioseph Ismaelitis*. Hactenus ex Ambrosio.

Audiens

VERS. 21.

Audiens autem hoc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus eorum,& dicebat:Nō interficiamus animam eius,nec effundamus sanguinem;sed proijcite eum in cisternam veterem,quæ est in solitudine,manúsq; vestras seruate innoxias. Hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum,& reddere patri suo.

60 HVNC locum ita Philo enarrat:Fratres Ioseph procul conspicati eum venientem,mutuò se incitabant ad eum perdēdum: tantum enim irarum conceperant, vt in cædem eius,si non omnes,certè plures conspirauerint,volentes eum in barathrū aliquod proijcere, ne deprehenderetur facinus. Sunt porrò in illis locis multæ cisternæ admodum profundæ:itaque minimùm abfuerunt à fratricidio;quod solus fratrum maximus ægrè dissuasit, iubens abstinerent ab inexpiabili scelere,& in vnam quampiam cisternam eum proijcerent: de salute nimirum adolescentis cogitans,vt post aliorum discessum, ipse patri eum restitueret incolumem. Quo impetrato, veniētem complexus est. Cæteri hostiliter comprehensum spoliant; spoliatum demittunt per funem in profundam foueam. Sic Philo. *Philo.*

61 Pro illo, *nitebatur liberare eum*, & Hebraicè,& Chaldaicè, & Græcè est(eripuit,siue liberauit eum.) Id autem sic intelligendum est:Nō quòd omnino liberauerit eum, sed quòd liberauerit eum nece, quam ei volebant inferre:suadens potius proijcere eum in cisternam, quàm interficere. Idque obtinuit:nam cum esset primogenitus,magnæ apud eos auctoritatis & venerationis erat. Ad hanc quoque sententiam, interpretans hunc locum Augustinus in libro Locutionum Geneseos, cùm citasset verba hæc secundùm translationem Septuaginta: *Cùm audisset Ruben,liberauit eum de manibus eorum,& dixit, Non feriamus eū in anima.* Subdit ipse, Non ergo liberauit eum,& inde hoc dixit:sed hoc dicendo,liberauit eū. Priùs ergo dixit Moses: *Liberauit eum:* & deinde breui recapitulatione, quomodo eum liberauerit,insinuat. Cum autem additur, *Non feriamus eum in anima:* vocabulo *animæ*,vita corporis animati significatur:per efficientem denotando id quod efficitur.Secundum hoc videri potest etiam illud diabolo dictum esse de Iob: *Animam eius ne tetigeris*,id est: Ne occidas eum:Nam secundùm illam significationem,qua natura animæ cōmemoratur,illud à Domino dicitur: *Nolite timere eos qui occidunt corpus,animam autem non possunt occidere.* Hactenus verba fuêre Augustini. *S. Augus.* *Matt. 10.*

Ergo illud, *Non interficiamus animam eius:* Hebraismus est frequētissimus in Scriptura,& vel anima ponitur pro homine, vt sit sensus: Non occidamus eum:vel anima ponitur pro vita,idémq; sensus est;Ne vitā illi eripiamus:id autem est,Ne interficiamus eum.Similem reddunt sententiam,illa quæ crebrò leguntur in sacris litteris: Quærere animam alicuius:Tangere animam: Insidiari animæ: Ferre animam in manibus suis, id est,vitam viuere perpetuo mortis periculo propositam & obnoxiam.

Lippomanus ait, Sadducæos qui censebant mortales esse animos hominum, id argumentari solitos ex his verbis, *Ne interficiamus animam eius*: Sed ineptè profectò atque insipienter: Constat enim, phrasim esse, vt diximus Hebraicam, & nomine animæ significare, vel hominem, vel vitã: Eáque phrasi similiter Prophetæ vsi sunt, quos tamen Sadducæi, docere animos hominum esse immortales, non ibant inficias: Immò verò ob hãc causam scriptis eorum fidem non habebant, solos Mosis libros pro sacris colentes. Et vt de Prophetis vnum aliquod proferam exemplum, apud Hieremiam ita legitur cap. 40. *Scito quòd Baalis rex filiorum Ammon misit Ismaelem, filium Nathamæ percutere animam tuam.* Et paulò infrà: *Ne interficiat animam tuam, & dissipentur omnes Iudæi, qui congregati sunt ad te.* Sane potuissent Sadducæi ex hoc ipso capite libri Gen. cognoscere immortalitatem animæ, per Mosem perspicuè indicatam: facit enim Iacob loqui verba illa: *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Quibus verbis Iacob ostendit, superstitem esse Ioseph animam post mortem, & suam quoque fore.

Quod autem subiunxit Ruben, *Neque fundamus sanguinem, manusque* 62
vestras seruate innoxias: hoc dixit, ad vehementiùs compescendum eos, & deterrendum à fratricidio; quasi admonens eos diuini iudicij, quo statim post diluuium sententiam mortis in eos pronuntiauerat Deus, quicũque humanum sanguinem fudissent. Dixit enim Noë & filiis eius, vt scriptũ est Gene. 9. *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, de manu viri, & de manu fratris eius requirã animam hominis. Quicumque fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo*: Illud: *manus vestras seruate innoxias*: significat nihil esse quod magis inquinet, ac fœdet & exosum reddat hominem apud Deum, quàm crudelitatem in fratres, & humani sanguinis, præsertim autem fraterni effusionem. Propterea apud Isaiam dixit Iudæis: *Cùm clamaueritis ad me, non exaudiam vos; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.*

Isa. cap. 1.

Dissensionem malorum hominum inter se, non parum aliquãdo prodesse bonis.

Sed illud hoc loco aduertendum est, quantũ profuerit Iosepho, vnius Ruben dissensio à ceteris fratribus: Nisi enim, vnus ille dissensisset, actũ planè fuisset de Ioseph. Apparet igitur, sæpe malorum inter se dissensionem, vtilissimam esse bonis: contrà verò, magnam eorum concordiã esse bonis pernicioſam. Quid enim mali non designassent filij Adam, cùm turrim illam Babel tanto studio & conatu, tantóque opere molirentur, nisi linguas eorum Deus confudisset, & inuicem distrahi ac segregari coëgisset? Quid mali tyrannus ille Abimelech non fecisset, nisi dissensio exorta esset inter ipsum & Sichimitas? Quanto maiorem Ecclesiæ Dei perniciem attulissent Hæreticorum sectæ, nisi tantopere essent inter se dissectæ ac diuisæ? Quapropter B. Paulus rectè hoc intelligens, quo facilius ex manibus Iudæorum, à quibus captus erat, euaderet; in publico Iudæorum concilio, prudenter curauit dissensionẽ inter Sadducæos & Phariseos excitare. Sic enim Actorum 23. proditum est: *Sciens Paulus, quòd vna pars esset Sadducæorum, & altera Phariſæorum, exclamauit in concilio: Viri fra*

Geneſ. 11. Iudith 9.

Locus Act. c. 23.

Viri fratres, ego Phariſæus ſum, filius Phariſæi, de ſpe & reſurrectione mortuorum ego iudicor. Et cùm hæc dixiſſet, facta eſt diſſenſio inter Phariſæos, & Sadducæos, & ſoluta eſt multitudo.

63 Orationem porrò ſuaſoriam Ruben ad fratres ſuos de non interficiẽdo Ioſeph, paucis verbis comprehenſam & narratam à Moſe, latiùs expoſuit Ioſeph primo libro Antiquitatum, crebris, aptíſque, & grauibus ornans ſententiis. In quo nimirum imitari voluit facundiſſimos Latij, & Græcię Hiſtoricos; qui diſertas orationes, multifariàm inſerendo hiſtoriæ, magnam eloquentiæ laudem meruerunt. Et quia non erit iniucundum Lectori, egregiam Ioſephi orationem, vt ab eo ſcripta eſt, cognoſcere; memorabo eam in hoc loco: Sic autem ille ſcribit. Ruben inter fratres ſuos natu maximus, videns eos conſpiraſſe in necem Ioſeph, conabatur eorum impetum retardare; docens, quantum facinus molirentur, ídque quantam ipſis inuidiam & infamiam pariturum eſſet. Nefas haberi, tam Dei, quàm hominum iudicio, cædem hominis etiam extranei, & ignoti: crimen autem necis fraternæ prorſus immane ac deteſtandũ eſſe. Necem Ioſeph, non ei ſolùm nocere: ſed eo ſublato, in patrem quoque eam iniuriam & calamitatem redundare; matrémque in perpetuum luctum, & diram orbitatem coniectum iri. Parentes eius reſpicerent, reputaréntque quantam eis calamitatem allatura eſſet mors filij, tum optimæ indolis, tum natu minimi. Quinetiam Deum reuererentur, ſpectatorem ac vindicem tam nefarij eorum contra fratrem conſilij. Deum, ſi ab impio conſilio deſiſtant, accepturum eorum pœnitentiam, atque reſipiſcentiam: ſin autem tam atrox conſilium pergant explere, fieri non poſſe quin ab eis grauiſſimas parricidij pœnas exigat. Nihil Dei prouidentiam latere poſſe, ſiue in ſolitudine quid admittatur, ſiue in ciuitate: Vbicumque enim ſunt homines, indubiè credendum ibi adeſſe Deum. Sed & propriam conſcientiam, poſt tantum ſcelus admiſſum, grauem illis fore aduerſariam: hanc nunquam recedere: nunquam tacere; ſiue bona ſit, ſiue talis, qualis futura eſſet ipſorum, ſi fratrem interficerent. Addebat, fas non eſſe germanum fratrem occidere, etiamſi vehementer ab eo peccatum in illos eſſet; ſatius eſſe dare veniam amicis ſicubi offendiſſent. Ioſephum verò nihil in eos peccaſſe; quin tenera eius ætas miſerationem potiùs merebatur, cuius & ipſos tutores ac protectores eſſe oportebat. Cauſa porrò cædis, ſcelus eorum vehementiùs grauabat: quòd ob inuidiam futuræ felicitatis ei vitam adimerent: cùm ea felicitate, propter fraternam cognationem frui etiam ipſis liceret. Debere ita eos exiſtimare, ipſorum eſſe, quidquid proſperi Ioſepho largiretur Deus. Proinde cogitandum, & grauiorem fore indignationem Dei, ſi eum, quem ipſe omni dignum fortuna iudicaſſet, interimendo, materiam diuinæ beneficentiæ ſubtraherent. Hæc Ruben, & his plura commemorans, conabatur abſtrahere eos à parricidio. Verùm ſe nihil proficere animaduertens, vidénſque eos ad cædem omnino incenſos, ſuaſit vt modum ſaltem necis mitiorem eligerẽt: Sic enim & ipſos voti ſui compotes fore, ſimúlque tam atrocis criminis probrum, & infamiam euitari poſſe.

Oratio Rubẽ ad fratres pro liberatione Ioſeph, vti compoſita & tradita fuit à Ioſepho lib. 2. Antiq.

Satius igitur esse temperare à manibus, & proiectum in proximum puteum illic extingui sinerent: vt saltem manus ab effusione fraterni sanguinis mundas seruarent. Hæc Ruben; cuius consilium & sententia placuit cæteris, ductúmque Ioseph, Ruben fune religatum demisit sensim in puteum; erat enim satis siccus: & postea iuit aliò quæsitum pascua. Hactenus ex Iosepho.

VERS. 23 Confestim igitur vt peruenit ad fratres suos, nudauerũt eum tunica talari, & polymita: miserúntque eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam.

Ab exordio vsque mundi sua cuique Sanctorũ fuit crux.

HIC iam incipit crux sanctissimi iuuenis Ioseph. Sua enim cuique Sanctorum, ab exordio vsque mundi, crux, quam ferant, destinata, & comparata est. Suam crucem habuit Abel, suam Noë, Abraham, Isaac, Iacob; suam item, & bene quidem grauem, & asperam habuit innocentissimus Ioseph, inter omnes filios Iacob diris calamitatum percussus ictibus, magnísque tentationibus conflictatus; aliis interim, qui sceleratissimi erant, tranquillè, prosperéq; degentibus. Verùm ita solet Deus seruos suos tractare: nam quo magis eos vult exaltare, hoc profundiùs deprimit, ac deijcit: & quibus præstantiora bona largiri constituit, eos pluribus grauioribúsque malis & ærumnis vexari & afflictari sinit.

Lyranus. An Ioseph duas tunicas, an vnicã tantùm detraxerint.

Super illis verbis: *Nudauerunt eum tunica talari & polymita*: Hæc scribit Lyranus: in Hebræo sic legitur: *Et exspoliauerunt eum tunica sua, & tunica serica.* Ex quo videtur Ioseph habuisse duplicem tunicam, vnam simplicem, & alteram sericam; & vtrãque illi abstulerunt. Hebræi verò per simplicẽ tunicam intelligunt camisiam. Sic Lyranus. Verùm nec est Hebraicè, quod ait de tunica serica, sed ab Hebræis traditum est: nec potest colligi ex hoc loco habuisse Ioseph duas tunicas, eandem quippe vocem Hebræam, quàm paulò suprà verterat Hieronymus *polymitam*, hîc interpretatus est duplici nomine, vocans talarẽ, & polymitam: denotans priori vocabulo eius quantitatem, quòd erat prolixa vsq; ad talos: posteriori autẽ nomine, indicans eius qualitatem, quòd erat multicolor, siue vt interpretati sunt lxx. quòd esset varia. Vnam igitur vestẽ duntaxat ademerunt Iosepho: nec tamen inficior, pluribus eum vestibus fuisse indutum: nam neque putauerim eum fuisse planè nudum in cisternam demissum: & cùm vestem eius polymitam hœdi sanguine tinctam miserunt ad patrem, & eum vendiderunt Madianitis, non omnino nudum vendiderunt eum. 64

Qualis fuerit cisterna in quã demissus est Ioseph. Rab. Salomõ.

Miserunt eum in cisternam veterem quæ non habebat aquã. Erant in illa regione multifariam complures cisternæ; & inter has quædam iam ob vetustatem rimosæ & destructæ, & quæ non possent ampliùs continere aquam: de quibus scilicet Hieremias cap. 2. *Dereliquerunt Dominum fontẽ aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas: cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Rabbi Salomon tradit, cisternam, in quam missus est Ioseph, fuisse

fuisse plenam serpentum, & scorpionum: quod non est incredibile dictu, in tali solitudine, & in tali cisterna. Eius, quod in Ioseph à fratribus eius factum est, simile quid multis pòst seculis in Hieremiam prophetam factum est à Iudæis: *Tulerunt*, inquit Scriptura, *& proiecerunt eum in locum, & submiserunt eum funibus in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum; descenditque Hieremias in cœnum.* *Hierem. 38.*

65 Quid porrò egerit Ioseph, quídve dixerit fratribus suis, cùm videbat ab illis se truculenter ac furibundè spoliari vestibus, & iri proiectum in cisternam, tacet in hoc loco Moses: Verùm ex his quæ infrà cap. 42. loquentes inducit fratres eius, facile est intelligere, Iosephum tunc multis precibus, multísque lacrymis obsecrasse eos, ne se fratrem suum perditũ, irent; & tam misero, & cruciabili exitu, immerentem se atque innocentẽ deperire vellent. Nam cùm tunc Ioseph, fratres suos, quibus erat ignotus, vehementer opprobrasset, atque accusasset, quòd obtentu rei frumentariæ venissent, hostili animo exploratum terram Ægyptum, tunc illi recordati malorum quæ fecerant in Ioseph, & quòd miserandis eius precibus atque lacrymis nihil fuissent commoti, & ad commiserationem eius inflexi, dicebant inter se; *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius dum deprecaretur nos, & non audiuimus, idcirco venit super nos ista tribulatio. E quibus vnus Ruben ait: Num quid non dixi vobis: Nolite peccare in puerum, & non audistis me? En sanguis eius exquiritur.*

Et sedentes vt comederent panem, viderunt Ismaëlitas viatores venire de Galaad, & camelos eorum portantes aromata, & resinam, & stactem in Ægyptum. VERS. 25.

66 MIRVM, potuisse istos fratres Ioseph tam immani patrato scelere, imperturbato animo, & tranquilla mente consistere, nedum iucundè atque hilariter epulari. Verùm sic est, sic profectò est, vbi quis veterator fuerit in peccatis, aut vbi adeo sensum omnem humanitatis exuerit, ferinúmque induerit animũ, vt sanguinem humanum, non alienorum modò, sed etiam suorum profundere, pro ludo, iocóque habeat; is quo grauiùs peccat, hoc vehementiùs gaudet, exultat, triumphat. *Lætantur* (inquit Salomon) *cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Et alio loco, *Stultus per risum, scelus operatur.* Et alio item loco, *Non dormiunt, nisi cùm malefecerint: & non rapitur somnus ab eis, nisi cùm supplantauerint: comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt.* Magna est crudelitas, innoxiũ hominem occidere: maior, etiam fratrem innocentem: maxima, ex miserabili fratris cruciatu & interitu delectationem & voluptatem capere. Deiectus in cisternam siccam Ioseph, in horas, mortem per inediam & sitim expectabat: & subinde flebilibus verbis fratrũ misericordiam & opem implorabat, sed illorũ aures per inuidiam obstructæ, eius voces non exaudiebant: quinetiam instructo *Infrà 10. Prouerb. 4.*

cõuiuio, inter epulas & pocula læti ac ſecuri, fratris exitium nõ curabãt.

Viderunt Iſmaelitas viatores venire de Galaad. Non habitabant Iſmaelitæ terram Galaad, eam namque tenuerunt Amorrhæi, priuſquam Hebræi venirent in Terram promiſſionis: quam abſtulit ei genti Moſes, debellatis duobus eius gentis regibus, Og, & Seon, & aſſignauit tribui Ruben, & Gad, & dimidiæ tribui Manaſſe, ſicut in c. 3. Deut. ſcriptum eſt, & Nu. 32. Habitatio autem Iſmaelitarum, fuit ab Euila, vſque Sur, quæ reſpicit Ægyptum, vt ſcriptum eſt ſuprà ca. 25. hæc regio extenditur Oriẽtem verſus, & eſt magis meridiana, quàm terra promiſſionis. Etenim deſertum Sur coniunctum eſt Mari rubro, ex ea parte, qua Hebræi tranſierunt Mare Rubrum, cùm egrederentur ex Ægypto, ſicut legitur Exodi 15. Incipit verò terra Iſmaelitarum ab iſtõ deſerto Sur, & porrigitur ad Orientem vſque Euila: ita vt deſertum Sur fuerit pars Occidentalis, pars verò Orientalis fuerit Euila. Ex quo apparet, terram Iſmaelitarum fuiſſe magis Orientalem, quàm Terram promiſſionis. Extenditur autem iſta regio per longitudinem ſolitudinum Arabiæ; & tota iſta regio pertinet ad Arabiam: quo fit, vt Saracenos, qui ab Iſmaelitis originem & genus duxerunt, appellemus Arabes, & linguam eorum Arabicam. Ergo illi viatores Iſmaelitæ veniebant de Galaad portantes aromata, quorum ibi ingẽs erat copia, & præcipua bonitas. Iter autem iſtorum ex Galaad in Aegyptum, erat per Dothaim, vbi morabantur filij Iacob. Siquidem Dothaim eſt aliquo modo cõtra meridiem terræ promiſſionis. Galaad verò, eſt ad orientem; Aegyptus verò ad meridiem: & iccirco iter Iſmaelitarum ex Galaad in Aegyptum, rectum & conueniens erat per Dothaim. 67

Thoſtatus. *Portantes aromata, & reſinam, & ſtacten in Aegyptum.* Pro iſtis tribus, quidam verterunt Opobalſanum, ceram, & lacrymam myrrhæ. Quidam Hebræi, vt refert in hoc loco Thoſtatus, dixerũt verba Hebræa ſignificare ceram, & teriacham, & glandes, ſiue caſtaneas: quam interpretationem rectè Thoſtatus confutat. *Portantes aromata*; Putat Oleaſter Hebræo vocabulo ſignificari pretioſa quæque. Nã Hebræi dicunt eſſe à radice *Nachat* quod ſignificat pretioſum vel deſiderabile. Legitur enim in 4. libro, Reg. c. 20. Ezechiam oſtẽdiſſe legatis regis Babylonis, omnẽ ſuã domũ, *Nechoto*, id eſt, rerum pretioſarum & deſiderabilium; & ſubdit, argẽtum, & aurum, & aromata: vbi fruſtrà adderet, aromata, ſi *Nechat* aromata ſignificaret. Quanquam ſignificata iſtiuſmodi nominũ, Hebræis, & noſtris ignota ſunt, vt in Regulis admonuimus: ideo tam variæ in hoc loco ſunt interpretationes, quare ad radices recurrendum puto. Sic Oleaſter. Sed illud *Nechoto* S. Hier. in eo loco li. 4. Reg. vertit *domũ aromatum*. lxx. verò ipſummet nomen Hebræum retinuerunt. Deinde verò Hieronymus non vertit aromata, ſed pigmenta, vel vnguenta. Et fieri poteſt, vt quòd olim, ſicut etiam nunc, inter res maximè pretioſas, & deſiderabiles haberentur aromata, idcirco nomen eorum interdum ſumeretur in vniuerſum, pro re deſiderabili & pretioſa. 68

Reſina. *Reſinam*, Hebræa vox *Seri* deſcendit à *Sarar*, quod eſt ſtringere & ligare: & idcirco ſignificat reſinam, vt vertit noſter interpres, quòd ſit quaſi ligamen 69

gamen quoddam ad colligandas, & conglutinandas fracturas membrorum,& vulnera.Est autem resina humor tenax,ex arboribus defluens,atque in eisdē hærens,stomacho cōducēs,& sanguinis reiectioni.In primis autē laudabatur quæ à terebintho arbore, terebinthina est appellata.Frequēs erat in Arabia,Iudæa,Syria,& Cypro. Sed resina terræ Galaad percelebris erat,quòd ibi copiosissima nasceretur & optima.Eius resinæ meminit Hiere.c.8.cùm ait:*Nūquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei.* Idem cap.46. *Ascende in Galaad, & tolle resinam virgo filia Aegypti, frustrà multiplicas medicamina, sanitas non erit tibi.* Ex his verbis liquet, Ægyptios resinam potissimùm terræ Galaad emere solitos, vt non miretur Lector quod hîc dicitur,Ismaëlitas portasse resinam ex Galaad in Ægyptum.

70 Sequitur: *& staeten*, Hebræa vox *Lot*, inquit Oleaster, à *Lut* ortum habet,quod significat inuoluere & operire, & videtur significare aliquid inuolutum & opertum:quamobrem nonnulli castaneam,vel glandem interpretati sunt,vt Chaldæus:Alij staeten esse dicunt,quæ est myrrhę gutta.Nomen Arabicum *balot* castaneam,aut glandem significat.: Nos etiam glandes(bollettas) vocamus. Sic Oleaster.Sed bene refellit istam intérpretationem Thostatus in cap.30.Exodi,vbi describitur significatū istius vocis Hebrææ,quod non potest in glandem, vel castaneam conuenire; dicitur enim,quòd in puluerem minutissimum contundebatur, & fiebat inde thymiama suauissimi odoris. Est autem stacte,teste Dioscoride,pinguitudo recentis myrrhæ cum exigua aqua tusæ & organo expressæ; à distillando sic dicta, quod Græci στάσειν dicunt, quòd à stillatitia duntaxat myrrha fiat,quam Theophrastus opponit factitiæ.

Staeten quid. Oleaster.

Dioscorid.

SEXTA DISPVTATIO.

De venditione Ioseph,ac primò de gente,cui venditus est à fratribus suis.

Super illis verbis,

Et præteuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisterna,vendiderunt eum Ismaëlitis, viginti argenteis: Qui duxerunt eum in Ægyptum. VERS. 28.

71 VARIE admodum loquitur Scriptura de ijs hominibus, quibus narrat venditum esse Ioseph. Non est dubium,quin venditus fuerit prętereuntibus tunc viatoribus,& negociatoribus, ex Galaad portantibus merces in Ægyptum: sed istos fuisse Ismaëlitas dixit Moses suprà versu 25.in his verbis quæ memorauimus in titulo huius disputationis. Fuisse item Ioseph venditum Ismaelitis,dicitur hîc versu 27. & 28.in capite 39.versu primo dici

dicitur emisse Ioseph Phutiphar Eunuchus de manu Ismaëlitarũ. At in extremo hoc capite, versu 36. scriptũ est. Madianitas vendidisse Ioseph Phutiphari Eunucho; ergo emerant ipsi eum à fratribus eius, non autem Ismaëlitæ. Videt, opinor, lector, Scripturam variè loqui de hominibus, quibus venditus est Ioseph, & qui vendiderunt eum in Ægypto, eos nũc vocans Ismaëlitas, nunc Madianitas. Constat autem diuersam esse gẽtem Ismaëlitarum, atque Madianitarum; vt quarum diuersæ fuerint regiones, diuersaque generis origo. Nam etsi vtraque gens primam originem acceperit ex Abraham: sed Ismaëlitę, per Ismaëlem filium eius ex Agar, quẽ genuit Octogenarius, Genesis 16. Madianitæ verò per Madian, filiũ eiusdem Abrahæ, quem genuit ex Cetura, anno ætatis suæ centesimo trigesimo septimo, Genes. 25. Videamus igitur quemadmodum ab aliis Auctoribus fuerit hæc quæstio explicata.

S. Augus. Sanctus Augustinus in quæstione 124. in Genesim, breuiter extricat difficultatem hanc, ita scribens: Quæritur cur Scriptura Ismaëlitas vocãs eos, quibus Ioseph venditus est à fratribus, mox eos appellet Madianitas, cùm Ismaël sit de Agar, filius Abrahæ; Madian verò de Cetura? An, quia *Gen. 25.* Scriptura dixerat Gene. 25. Abraham dedisse munera filiis concubinarum suarum, Agar scilicet, & Ceturæ, & separasse eos ab Isaac filio suo, dimittens eos in terram Orientis; propterea vnam gentem ex vtriusque facta esse intelligere oportet? Sic Augustinus. Vult igitur Augustinus, quia vna gens erat Ismaëlitarum, & Madianitarum, promiscuè in Scriptura nunc hoc, nunc illo nomine appellari; quare non esse mirum, si emptores Ioseph, & veaditores eiusdem in Aegypto, nunc Ismaëlitæ, nunc Madianitæ vocentur.

Auctor Historiæ Scholasticæ. Auctor Historiæ Scholasticæ super libro Genesis ita soluit eandem quæstionẽ ca. 87. Eosdem Scriptura vocat Madianitas, & Ismaëlitas. Madian tamen filius Abrahæ fuit de Cetura, Ismaël verò de Agar; & hos legitur Abraham separasse ab inuicem. Fortè separati priùs posteà redierũt in vnum, & facti sunt vnus populus, retinentes vtriusque parentis nomẽ. Vel certè vera est Hebræorum opinio, qui dicunt, Agar & Ceturam vnã, atque eandem fuisse mulierem, & ita fortè nunquam separati fuerunt ab inuicem. Sic ille. Verùm dupliciter fallitur. Tum quòd ait Madianitas & Ismaëlitas fuisse per Abraham ab inuicem separatos. Cùm non istud Scriptura dicat, sed potiùs separasse vtrosque Abraham ab ipso Isaac, & dimisisse eos ad plagam orientalem. Fallitur item, quod probat opinionẽ Hebræorum, dicentium eandem fuisse mulierem Agar & Ceturam: quã nos esse falsam demonstrauimus in Tertio Tomo super caput 25. nu. 9.

Thomas Anglicus. Thomas Anglicus hoc loco ait: Quia Ismaël & Madian, eiusdẽ patris filij fuerunt, idcirco nomen Ismaëlitarum interdum tribui Madianitis; & contrà. Vel fortasse, inquit, isti erant Ismaelitæ ex genere, Madianitæ verò habitatione, quia scilicet manebant in terra Madianitarum.

Caietanus. Caietanus eandem quæstionẽ ad hunc modũ enodat. Pro eo, inquit, quod Latinus Interpres habet: *Viderunt viatores Ismaelitas*, in Hebræo est, *Et viderunt: & ecce comitatus Ismaelitarum.* Vbi notandũ est, nõ solos

Ismaelitas

Ismaelitas narrari, sed comitatus Ismaelitarum, erant enim diuersarũ nationum mercatores simul incedentes; sed vniuersa societas denominabatur ab Ismaelitis: frequenter enim similia accidunt. Sic ibi Caietanus. Et paulò pòst super illis verbis: *Prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, vendiderunt eum Ismaelitis.* Moses, inquit, tanquam synonymis vtitur in hac negociatione Madianitis atque Ismaelitis. Narrat enim, Mercatores fuisse Madianitas, & Ioseph vẽditum fuisse Ismaelitis: quia reuera etiam Madianitæ denominabantur Ismaelitæ à nomine comitatus. Denique super extremis illis verbis huius capitis: *Madianitæ vendiderunt Ioseph in Aegypto.* Hinc (ait Caietanus) clarè apparet, negotiatores Madianitas, qui erant in societate Ismaelitarum, & Iosephum emisse à fratribus eius; ipsúmq; postea vendidisse in Ægypto. Hæc Caietanus, putans emptores & venditores Ioseph, propriè Madianitas fuisse: sed quia illi erant in comitatu, & societate Ismaelitarum, ideo tam emptionem, quàm venditionem Ioseph, Mosen attribuere etiam Ismaelitis.

73 Non displicet mihi sententia Caietani. Sed ego propositæ quæstionis solutionem paulò distinctiùs atque explicatiùs, pleniúsque tradendã censeo. Mea igitur sententiâ, bipartita est. Primùm aio, Scripturam nominibus istis Madianitarum, & Ismaelitarũ, non rarò vti promiscuè & indifferenter ad significandam eandem gentem. Huius rẽi causam esse reor, duplicem istarum gentium inter se coniunctionem magnam; alteram, generis & stirpis; alteram, regionis & habitationis. Etenim vtraque ista gens ex vna generis radice pullulauit, Abraham dico, per cuius duos filios, alterum Ismaelem, & alterum Madian, istæ gentes proseminatæ & progenitæ sunt. Altera coniunctio earum fuit secundùm habitationem, vtraque enim genus incolebat regionem Arabię, & multifariàm permistas habebat sedes & domicilia. Quo factum est, vt Ismaelitæ ac Madianitæ vocarentur Arabes; ex terra videlicet quã incolebant. Philo sanè, quos hoc loco Moses Madianitas & Ismaelitas vocat, appellat Arabes: & item Iosephus primo libro Antiquitatum, hanc historiam narrans, nominat Arabes Ismaelitici generis. Arabiam ego interpretor, quæ Hebraicè dicitur Chus, & Arabes, Chusijm. Quæ nomina Septuaginta Interpretes, atq; eos secutus Latinus interpres, ferè interpretati sunt Æthiopiam, & Æthiopes, haud dubiè intelligentes Aethiopiam Orientalem propinquã Aegypto, non autem Occidentalem longissimè remotam: huius enim duplicis Aethiopiæ auctorem laudant Homerum, & post eum, Herodotum etiam, Strabo, & Plinius. qua de re disseruimus nos in secundo Tomo nostro in Genesim lib. 15. nume. 29. Sed posterioribus temporibus, nomen Aethiopiæ & Aethiopum, mutatum est in nomen Arabiæ & Arabum. Vide S. Augustinum in libro Quæstionum super Numeros, quæstione 26. Atque hinc etiam dilucet, cur vxor Mosis, quàm fuisse Madianiten ex cap. 2. Exodi manifestum est, in libro Numerorum cap. 12. vocetur Aethiopissa, siue Arabissa.

Auctoris sententia.

Cur Ismaelitæ & Madianita, dicti sint Arabes, siue Aethiopes. Philo. Iosephus.

S. August.

Altera pars sententiæ meæ, propiùs attingens quæstionis propositæ solutionem, huiusmodi est: Arbitror, comitatum illum siue turmã negotia-

An Ioseph vēpitus sit Ismaelitis, an Madianitis, an vtrisque.

torum siue mercatorum illorum, quibus venditus est Ioseph, fuisse mixtam ex Madianitis & Ismaelitis: Verùm præcipuè appellatam esse Ismaelitarum, aut quia illi plures numero essent, aut quòd essent mercium copiosiores, atque opulentiores. Nec solùm puto Madianitas coniunctos fuisse cum Ismaelitis in illo comitatu & societate, verùm etiam simul cũ illis concurrisse, tum ad emptionem Ioseph, tum ad venditionem eius in Aegypto: sed ita vt vtroque in negotio priores ac potiores partes fuerint Ismaelitarum. Ad hoc igitur denotandum & significandum, Moses, licèt emptionem & venditionem Ioseph præcipuè attribuat Ismaelitis, vtriusque tamen etiam Madianitas fecit particeps. Illud quoque in hac narratione Mosis animaduertere est, viatores illos & negotiatores tũc præteruntes, cùm fratres Ioseph de eo necando deliberabant, Mosem primò appellasse Ismaelitas, mox verò Madianitas: quòd ille comitatus vtraque gente constaret, & propter earũ gentium coniunctionem, vt paulò antè dictum est, vtrolibet nomine appellari posset. Iudas porrò suasit fratribus suis vt venderent Ioseph Ismaelitis, tum quò præsenti eum morti eriperet, cæteris fratribus ad voluntatem necandi eum obfirmatè incumbentibns: tum etiam ratus, clementem ac liberalem ei fore seruitutẽ apud Ismaelitas & Madianitas, vt qui essent ei propinqua sanguinis necessitudine coniuncti. Isaac enim auus Iosephi, frater fuerat Ismaelis, & item Madian, à quibus Madianitarum & Ismaelitarum generatio processerat. Sed cur non potius Iudas seruauit Iosephum incolumẽ, & patri restituit? An quia diffidit id se consequi posse, cęteris fratribus concorditer ad perdendum Iosephum obstinatis, & ab eo proposito planè ineuocabilibus? An quia ipse quoque vrebatur inuidiâ Iosephi, & vir ingentis animi, habuit suspecta Ioseph somnia, tanquam præsagia futuræ fœlicitatis? Quocirca existimauit, per eiusmodi venditionem, & vitæ Ioseph, & timori suo pulchrè consultum & cautum fore.

VERS. 28

SEPTIMA DISPVTATIO.

De pretio, quo Ioseph venditus est.

Super illis verbis,

Vendiderunt eum viginti argenteis.

DE pretio, quo venditus est Ioseph, tam in sacris codicibus, quàm inter auctores non pauca videtur dissensio. Codices Hebraici & Chaldaici, & Latinorum emendatissimi habẽt, fuisse eum venditum viginti argẽteis: sed in aliis codicibus legi, viginti quinque, in aliis, triginta, testes sunt Augustinus & Ambrosius; hic, in libro de Ioseph cap. 3. ille, in sermone de Tempore 81. Ambrosij verba sic habent: Quis igitur sub figura Ioseph venditus est 75

Ambros. Ad Phi. 2.

ditus est,nisi ille qui cùm in forma Dei esset,non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo;sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens? Neque enim nos eum emissemus,nisi vendidissent sui. Malè vendiderũt, peiùs emerunt. Vendiderunt negotiatoribus boni odoris,emerunt à proditoribus. Vendidit eum Iudas;emerunt Ismaelitæ,qui significantur Latina interpretatione, odio habentes Deum suum. Ideo alibi viginti & quinque aureis,alibi triginta inuenimus emptũ Ioseph. Non enim omnibus vna æstimatione prævalet Christus;sed aliis minùs,aliis ampliùs. Fides ementis,incrementum est mercis. Religiosiori, pretiosior est Deus: peccatori,pretiosior redemptor. Pluris & illi valet,qui plus habet gratiæ. Cui multa donata sunt,pluris valet:quippe cui plus remissum est,plus diligit; sicut de muliere illa peccatrice dixit Christus. Interdum diuersitates pretij,non solùm quantitatis habent,sed etiam numeri expressionem: quale est illud: *Potuit hoc venundari denarijs trecentis*: quo numero,non quantitatis,sed significatio crucis videtur expressa. Ita hîc quoque diuersitas,vel viginti,vel triginta aureorum,vel argenteorum habet vel geminatæ,vel triplicatæ perfectionis indicium. Nam vigintiquinque aurei,Iubilei,qui est remissionis numerus, significant pretiosissimam portionem. Sic Ambrosius,qui satis indicat variasse codices,& quantum ad numerũ pecuniæ, & quantum ad materiam eius, continendo vel argenteos, vel aureos:& vel viginti,vel vigintiquinque,vel triginta.

Luc.7.

Marc.14.

Similia scribit Augustinus, vt ea mutuatum esse eum ab Ambrosio, non temerè credi queat. Sic autem scribit:Ioseph,per consilium Iudæ,triginta argenteis distrahitur:& Christus per consilium Iudæ Iscariotis,eodem numero venundatur. Quod autem à diuersis translationibus non æquali pretio Ioseph scribitur venditus; sed alij dixerunt, viginti argenteis,alij triginta;hoc spiritualiter significatur, quòd Christus non æqualiter ab omnibus credendus, aut diligendus esset. Deinde etiam nunc in Ecclesia alij eum plus diligunt,alij minùs. Ei quippè plus valet Christus,qui maiori eum charitate dilexerit. Hæc Augustinus. Mirum autem est,nec satis dispici potest, quid secuti fuerint lxx. Interpretes, qui hoc loco posuerunt,Ioseph esse venditum viginti aureis,cùm in Hebræo non sint aurei,sed argentei. valet autem argenteus quatuor drachmas:aureus verò,minimùm decem. Cur igitur argenteos mutare voluerint in aureos,& quæsiui sæpe,atque etiam nunc in quærendo sum. Neque hoc tantùm loco,verumetiam infra cap.45.pro trecentis argenteis,vt est Hebraicè,ipsi verterunt trecentos aureos. Hieronymus certè de hoc reprehendit & damnat translationem Septuaginta,tum in Traditionibus Hebraicis in Genesim super hunc locum;tum super 26.caput Matthæi.

S.Augusti.

Matt.26.

Examinatur sententia Iosephi lib.2. Antiquitatũ de pretio quo venditus est Ioseph.

76 Sedenim longiùs à veritate lectionis Hebraicę discessit Iosephus,scribens venditum esse Ioseph viginti minis. Mina Hebraica pendebat sexaginta siclos,vt est apud Ezech capi.45. Et quoniam siclus, sicut stater,& argenteus,pendebat quatúor drachmas, vt ostendimus in tertio Tomo nostro in Genesim,super cap.23.numero 29.hinc apparet,vnam minam Hebraicam valuisse viginti quatuor nummos aureos; & pretium viginti

minarum,quo venditus dicitur Ioseph,fuisse quadringentorum octoginta aureorum: nimio sanè maius, quàm est pretium viginti argenteorum, sicut habet Hebraica & Latina lectio; id autem est,octo duntaxat aureorum. Sin autem Iosephus non de mina Hebraica, quæ pendebat ducentas quadraginta drachmas,vel,vt diximus,viginti quatuor aureos,sed de mina vel Attica,vel Romana locutus est, multo minus erit pretium.

Diuersitas sententiæ Plinij, & Celsi quantum ad pondus drachmæ, & minæ.

De mina enim Attica in lib.21.ca.vltimo,ad hunc modum scribit Plinius,Mna,quam Nostri minam vocant, pendet drachmas Atticas centũ. Drachma Attica (ferè enim Attica obseruatione Medici vtuntur) denarij argentei habet pondus. Sic Plinius. Verùm apud Cornelium Celsum lib.5.cap.17.& Scribonium Largum, drachmæ argenteæ,quæ Romani denarij sunt septem, vnam faciunt vnciam. Quare in libra, quæ duodecim vncijs constat,octoginta quatuor drachmas numerari necesse est. At verò drachmæ Atticæ,siue medicæ, octo, vnam efficiunt vnciam, quapropter in libra,drachmæ numerabuntur nonaginta sex. Secundùm igitur æstimationem Atticæ minæ traditam à Plinio,Iosephus scribens venditum esse Ioseph viginti minis,si de Attica mina locutus est, significauit venditum esse ducentis aureis nummis;si tamen cuilibet nũmo aureo decem tantùm drachmæ argenteæ assignentur. Cur igitur Iosephus in pretio venditionis Ioseph tam longè discessit à veritate sacræ historiæ? Sanè vel erratum fuit Scriptoris, qui primus descripsit autographon Iosephi; vel Iosephus,in commendationem tanti Patriarchæ, nimio plus, venditionis eius auxit pretium.

Illud denique persuasum Lectori,certúmque sit, sinceram,atque integram,& planè veram lectionem huius loci,eam esse,quam habet Scriptura Hebraica,& nostra editio vulgata Latina: in quibus est,Ioseph esse venditum viginti argenteis, id autem est, octoginta drachmis argenteis, quæ faciunt octo nũmos aureos. Putamus autẽ par fermè fuisse pondus, & pretiũ drachmæ argenteę,atque est Iulij Romani atque Realis Hispanici. Licèt igitur venditio Ioseph,figura fuerit venditionis Christi Domini nostri, dispar tamen vtriusque venditionis pretiũ fuit,siquidem Christus triginta argenteis venditus est: quæ res nonnullos fefellit, existimantes, quia figura debet conguere cum re figurata, Ioseph quoque venditum esse triginta argenteis,sed reclamat Scriptura: nec est necesse, quæ in figuram dicuntur,ad amussim omnia competere,& quadrare in rem figuratam.

An ter Iosephus fuerit venditus.

Opinio Hebræorũ discutitur.

Thostatus.

Fuit opinio quorundam Hebræorũ, quam refert hoc loco Thostatus, 77
ter fuisse venditum Ioseph. Primùm à fratribus suis venditum esse aiunt Ismaelitis: Secundùm, venditum esse dicunt ab Ismaelitis,qui vendiderunt eum Madianitis: Tertiùm, venditum esse à Madianitis Phutiphari Enucho. Prima venditio apertè traditur in hoc capite,versu 28.Et itẽ tertia in versu 36.huius capitis. Secunda autem venditio concluditur necessariò ex prima & tertia venditione. Si enim Madianitæ vendiderunt Ioseph Phutiphari,ergo prius emerunt eũ ab Ismaelitis, quibus nempè primum venditus fuerat à fratribus eius. Sic illi. Verùm hanc in opinionem, falsam

falsam vtique istos adduxit ignoratio eorum quæ tractauimus in superiore disputatione. Docuimus enim in hac venditione & emptione Ioseph, pro eadem gente accipere Ismaelitas atque Madianitas oportere: eandém que sententiam habere, Ismaelitas fuisse emptores & venditores Ioseph, atque ipsos Madianitas. Non igitur ter, sed bis tantùm venditus est Ioseph, primùm enim à fratribus suis vēditus est Ismaelitis siue Madianitis, secundùm ab istis venditus est Phutiphari. Et pretiū quidem prioris venditionis manifestè traditur in hoc loco fuisse viginti argēteorum, de pretio autem posterioris venditionis, nullū in Scriptura fit verbum: sed non temerè crediderit quispiam fuisse multo maius. Solent enim isti, reuenditores vulgò dicti, præsertim puerorum, quos Latini Mangones appellant, multo semper cariùs vendere, quàm emerunt: in isto quippe māgonicus quæstus est positus. Et Ioseph ipse, ob eximia corporis & animi bona, virtutésque erat maximè vendibilis, & quantiuis pretij apud æstimatorem certè intelligentem, cupidúmque talium mercium emptorem.

Iustinus narrans historiam Ioseph, tripliciter errauit.

78 Iustinus Historicus, siue dicere mauis Trogum Pompeium, cuius ille historiam scitè prudentérque breuiauit, in libro 36. hanc Historiam Ioseph breuiter enarrans, scribit Israelem decem filiorum prouentu Maioribus suis clariorem fuisse: atque eorum minimum fuisse Ioseph. Cuius excellens ingenium veriti fratres, clam interceptum, peregrinis mercatoribus vendiderunt. A quibus deportatus in Aegyptum, cùm magicas ibi artes solerti ingenio percepisset, breui ipsi regi percharus fuit. Verùm in paucis verbis, tria Iustinus peccauit in historia, cuius anima est veritas. Primò dicit decem fuisse filios Iacob; fuerunt autem duodecim præter vnā fœminam. Ait deinde, Ioseph fuisse minimum natu filiorum Iacob: sed eo non paucis annis posterior natu erat Beniamin. Illud denique nequaquam ferendum, quòd ait Ioseph per artes magicas sibi regis beneuolentiam & gratiam comparasse. Tantùm enim abfuit Ioseph à studio magicarum artium, quantum Iustinus à vera cognitione rerum Iudaicarum: in quibus eodem illo loco memorandis plurifariàm, & turpiter errat.

Chrysostomus

79 Beatus Chrysostomus Homilia 61. in Genesim considerate perpendens, atque detestans fratrum Ioseph (qui eum viginti argenteis vendiderunt) auaritissimam crudelitatem, crudelissimámque auaritiam, exclamat hisce verbis: O iniquam commutationem! ô damnosum lucrum! ô iniustissimum opus! Eum, qui vobis sanguine coniunctissimus erat, quem pater vester flagrantissimè amabat, qui ad visendum vos venerat, qui vos nec re vlla, nec verbo vnquam offenderat, vendere tentastis, & vendere hominibus barbaris, & in Aegyptū descendentibus? Quæ tanta insania? quis iste tam inauditus liuor? Si metu somniorū id feciſtis, persuasi omnino euentura eius somnia, quæ fuit dementia vestra tentare impossibilia; & factis vestris bellum suscipere contra Deum, qui ei prædixerat, & præmonstrauerat illa? Quòd si eius somnia putastis vana, & dormientium deliria; cur istud feciſtis, quod perpetuam vobis inurat maculam, & indeficientem patri vestro luctum afferat? sed ô grauem morbum, immò mentem sanguinariam! Nam qui se dat peccato, & nefarium opus aggre-

ditur, is obruitur à cogitationibus absurdis, neque ante oculos suos proponit sibi diuinum oculũ cernentem omnia, nec cernere vnquam quiescentem, aut conniuentem: neque reueretur naturam suam, neque attendit aut cogitat quidpiam, quod eum ad commiserationem possit inflectere. Hæc ipsa contigisse cernimus fratribus Ioseph: non cogitarunt esse fratrem suum, esse in tenera adolescentiæ ætate, esse patri charissimum, nunquam in terra aliena vixisse, neque conuersatum cum alienigenis: vẽditum porrò ab ipsis in remota regione, & inter barbaros habitaturum. Nihil horum cogitarunt illi: sed omni prorsus abiecta cogitatione honesta, vnum illud duntaxat curarunt, quemadmodum inuidiam suam explerent, & timori suo bene consulerent, & infortunium, quod illis somnijs portendebantur ipsis, quoquomodo auerterent. Et illi quidem mente, animóque fratricidæ erant: qui autem hæc ab eis passus est, omnia fortiter tulit. Custodiebat enim eum manus Domini, & omnia difficilia reddebat ei facilia, & leuia. Quando enim supernam gratiam habemus, etiam inter medios barbaros, & in aliena regione meliùs & commodiùs versari possumus, quàm qui domi suæ habitant, & quibus summa cura ministratur à multis. Contrà verò licèt domi nostræ versemur commodissimè, & omni commoditate frui videamur, si tamen superno præsidio destituti simus, infirmi & miseri sumus. Hæc Chrysostomus. Ad cuius extremam orationis sententiam firmandam, atque illustrandam, facit quod scriptum est in lib. Sapientiæ cap. 10. his verbis: *Hæc*, Sapientia, *venditum iustũ*, Ioseph, *non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum: descenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam aduersus eos qui eum deprimebant. Et mendaces ostendit eos, qui maculauerunt illum; & dedit illi claritatem æternam.*

VERS. 29. Reuersúsque Ruben ad cisternam, non inuenit puerum, & scissis vestibus, pergens ad fratres suos, ait: Puer non comparet; & ego quò ibo?

HVNC locum sic enarrat Iosephus libro primo Antiquitatum. Ruben (qui suaserat alijs fratribus, vt abstinentes à cæde Ioseph, demitterent eum in cisternam) noctu ad puteum veniens inscijs fratribus, seruare Iosephum voluit, sed eo frustrà sæpius inclamato, suspicatus, per suam absentiam, interemptum à fratribus, eos vehementer incusabat: Verùm cognito quid accidisset, lugere desijt. Sic ille. Verba porrò, quæ Ruben, non inuento in cisterna Ioseph, atque eum ratus occisum, ad ceteros fratres dixerit, non plura refert Moses, quàm pauca illa quæ in hoc loco scripta reliquit, *Ad fratres suos ait, Puer non comparet: & ego quò ibo?* Sed enim Philo in libro de Ioseph, longiorem illi, & planè patheticam orationem affinxit. Ea verò, vt ipse scribit, fuit huiusmodi: At natu maximus, qui abfuerat interim, intro

79

Oratio Rubẽ, non inuento Ioseph in cisterna, auctore Philone.

introſpexit ciſternam, nec vidit quem paulo antè ibi reliquerat; quocirca vociferabatur, & furibundus diſcurſabat, ſciſſis præ dolore veſtibus, capillos ſibi vellens, & quid accidiſſet, percontans. Viuitne, inquiens, puer, an extinctus eſt? Si non ſupereſt, ſaltem cadauer oſtendite, vt deplorando calamitatem, faciam leuiorem. Solatium erit videre vel mortuum. Cur mortuum quoque odio proſequimur? Certè mortuis nemo inuidet. Quòd ſi viuit, quò abijt? apud quos ſeruatur? nam me ſuſpectum non opinor vt etiam de mea fide dubitari debeat. Illis verò faſſis venditum, & pretium proferentibus; Bella, inquit, negociatio. Partiamur lucrum; & prædonum, quos malitiâ vincimus, referamus præmium. Egregia verò crudelitatis palma, quæ nobis meritò placet. Illi in alienos conſpirant, nos in domeſticos, & chariſſimos. Admiſſum eſt probrum maximum, inſigne dedecus. Maiorum noſtrorum probitatis monumenta nuſquam non extant: relinquamus & nos inhumanitatis perfidiæq; maculas ineluibiles apud poſteros. Volat enim vbique fama, nuncia magnorum facinorum, non ſine admiratione laudabilium, & noxiorum vituperatione. Quomodo communis pater hunc caſum accipiet? Cui cetera beato felicique triſte affertis tædium vitæ? Illiúſne miſeri ſeruitutem, an noſtrã deflebit ſæuitiam? Noſtram vicem magis dolebit, ſat ſcio quando leuius malum eſt pati, quàm inferre iniuriam. Nam alterum ſubleuatur duobus magnis remedijs, ſpe, atque miſeratione. Alteri autem obnoxius, damnatur publico mortalium iudicio. Sed quid ego hæc clamito? præſtat ſilere, ne mihi quoque aliquid obueniat, quod nõ lubet dicere. Exaſperati enim eſtis implacabiliter, & palàm ſpiratis iracundiam. Et hæc quidem, ſecundùm Philonem, fuit Ruben oratio.

Tulerunt autem tunicam eius, & in ſanguine hœdi, quem occiderant, tinxerunt: mittentes, qui ferrent ad patrem, & dicerent: Hanc inuenimus: vide vtrum tunica filij tui ſit, an non. VERS. 31.

.80 SVLTAM fuiſſe illam fratrum Ioſeph diſſimulationem, futiléque conſilium, quo celare eos voluiſſe venditionem Ioſeph, narrat hoc loco Moſes, oſtendit Chryſoſtomus: Quid, inquit, decipitis voſmetipſos, ô inſenſati? Nam licèt patrem veſtrum decipere poſſitis, non tamen falletis Iudicem illũ qui decipi nequit. Non ignorabit quod feciſtis vos in Ioſeph, & quod ignorari vultis à patre eius, diuinus ille oculus, qui nũquam dormitat, quem maximè omnium fotmidare oportebat. Verùm ita ſe habet humana natura; immò ſic ſe habet multorum inſipientia, vt hominum timorem, & præſentis vitæ confuſionem maximi faciant; mente autem, & cogitatione non repręſentent ſibi terribile illud Dei tribunal, & intolerabilem pœnam. Sed hoc vnum curant, quemadmodum effugere poſſint humanam reprehenſionem & animaduerſionem: id quod & fratres Ioſeph egerunt, cùm patrem ſuum decipere voluerunt. Hæc Chryſoſtomus. *Chryſoſt. homi. 61. in Gen.*

De

Ioſephus. De iſto conſilio fratrum Ioſeph, imponendi patri ſuo, ad hunc modum ſcribit Ioſephus lib. 1. Antiquitatum: Vendito Ioſeph, fratres eius conſultare cœperunt quomodo patris ſuſpicionem à ſe alienarent. Placuit tandem, tunicam, qua indutus Ioſeph ad eos venerat, quámque demittendo eum in puteum, detraxerant, laceratam priùs, ſanguine hircino inficere, atque ita patri allatam oſtendere, vt à feris deuoratum putaret. Quo facto venerunt ad ſenem non ignarum de infortunio filij. Aiebant autem, Ioſephum neque vidiſſe ſe, neque ſcire quid illi accidiſſet, tunicam tamen illam inueniſſe laceram, & cruentam: quamobrem ſuſpicari ſe belluarum incurſu perijſſe illum, ſi tamen eam indutus tunicam domo exiſſet. Iacobus autem, qui hactenus leuius malum ſperauerat, captiuúmque aliquò puerum exiſtimabat abductum; opinionem hanc tunc abiecit, euidens argumentum necis, tunicam illam ratus. Sic Ioſephus.

Ioſephi ſententia examinatur. Sed in Ioſephi verbis nonnulla ſunt obſeruanda. Primò ait, *tunicam* Ioſeph tinctam fuiſſe ſanguine hirci: noſtra tamen lectio Latina, & Græca, & Tranſlatio, quam ſequitur Vatablus, atque aliæ, præter vnum Pagninum, qui ſimiliter vertit pro hœdo hircum, habent tinctam fuiſſe illã tunicam ſanguine hœdi. Et à Ioſepho, & Pagnino facere videtur Hebræa vox *ſanghir*, quæ eſt hoc loco, quæ quidem vox ſignificat hircum, vt videre eſt Leuitici 4. & alijs quamplurimis locis. Hœdus enim Hebraicè dicitur *ghedi*. Sedenim, cùm & Sanctus Hieronymus, & Septuaginta, & alij Hebraicè doctiſſimi interpretati ſint hoc loco hœdum, ſcire conuenit, licèt *ghedi* hœdum tantummodò ſignificet, *ſanghir* tamen hircum quidem frequenter, ſed nonnunquam etiam hœdum ſignificare.

Deinde Ioſephus ait, veſtem Ioſeph miſſam ad Iacob, non ſolùm fuiſſe tinctam ſanguine, ſed laceratam etiam, & diſcerptam, idémque tradit *Philo.* Philo. Hoc non dicit Scriptura: ſed admodum veriſimile eſt, fratres Ioſeph, quo certiorem patri fidem facerent, diſcerptum & deuoratum à feris eſſe Ioſeph, de induſtria laceraſſe veſtem illam. Id quoque ſignificant Hebræa verba: nam pro eo quod Latinè hoc loco legitur: *Fera peſſima comedit eum, beſtia deuorauit Ioſeph.* Hebraicè ſic eſt ad verbum: *Beſtia mala deuorauit eum. rapiendo raptus eſt Ioſeph:* ſiue, *diſcerpendo diſcerptus eſt Ioſeph:* Ad hæc, ſcribit Ioſephus, ipſoſmet filios Iacob attuliſſe veſtem Ioſeph laceratam & cruentatã ad Iacob. At contrariũ docet Scriptura illis verbis: *Tinxerunt tunicam eius ſanguine hœdi, mittentes, qui ferrent ad patrẽ.*

Extremum denique Ioſeph dictum animaduerſione dignum eſt: ait enim ante nuncium filiorum ſuorũ de cæde Ioſeph, ipſum Iacob ſciuiſſe magnam quandam calamitatem & infortunium contigiſſe Ioſeph, ſed putaſſe eam fuiſſe ſeruitutem & captiuitatem, non autem interitum: Viſa tamen tunica lacera, & cruenta, mutaſſe opinionem, certiorem videlicet factum de nece illius. Verùm neſcio vnde id deprompſerit, aut cognouerit Ioſephus: Scriptura quippe nihil iſtiuſmodi aut tradit, aut etiam ſubindicat. Immò verò totum illud negotium Ioſephi inter ſolos eius fratres peractum eſt, vt nulla via, & ratione aliter peruenire ad aures Iacob, niſi per ipſoſmet fratres Ioſeph potuerit.

Mirum

38 Mirum dictu, sed fidem minimè capiens, mihi quidē visum est, quod super hoc loco tradit Rupertus. Ait, Iacob cognouisse humana ratione & coniectura, mendacium esse quod de necce Ioseph denunciabant sibi filij sui: sed putasse fuisse eum per inuidiā & odium ab illis interfectum. Verumtamen id altissima dissimulatione, perpetuóque silentio suppressisse: quòd videret prodere id, & manifestare nullius fore vtilitatis; & ingentis periculi & mali causam esse posse. Quid enim iuuaret tantum scelus exprobrare filiis, quos, vt par erat, tunc punire non poterat? Quinetiam inflammaret potiùs eos ad odium sui, & à se vehementer abalienaret. Verba Ruperti, è quibus sententiam eius, quam dixi, cognoscet Lector, huiusmodi sunt: Sed nunquid vel sic tam diligentem fallere potuerunt? Nam etsi Sancto illi viro, circa illud negocium præter humanam nihil adfuit coniecturam: numquid tamen totum eius spiritum, suæ fallaciæ tenebris obuoluere valuerūt? Ille namque dixit eis postea, vt scriptum infrà est Genesis quadragesimo quarto: *Vos scitis quòd duos filios genuerit mihi vxor mea, egressus est vnus, & dixistis, Bestia deuorauit eum.* Quid est illud, *Et dixistis?* nisi Summisistis eos qui dicerent mihi? Ergo illa fera pessima, illa bestia sæuissima, quæ, quantum in se fuerat, deuorauerat Ioseph, qualis esset, non omnino patrem latere poterat. Sed quid ageret? qualiter feram illam constringeret? quomodo de ventre bestiæ illius, quem deuoratum putabat filium, extrahi posse putaret? Tacendi potiùs & dissimulandi, quod coniicere poterat, tempus illi erat: ne si notam sibi illam feram, id est, filiorum audacem atque violentam inuidiam, querelis manifestis exagitaret, maiorem in rabiem dentes eius acueret. Itaque in acerbissimo dolore vim sibi faciens, & verba sua moderans, dicebat: *Fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph.* Nec hoc dicens, falsus, aut mentitus est. Talis namque filiorum summa in Ioseph sæuitia, feræ ac bestiæ vocabulo rectissimè æquiuocari poterat. Hactenus ex Ruperto.

Noua, & mirā, sed minimè probabilis opinatio Ruperti li. 8. Coment. in Genes. cap. 21.

Verùm ista Ruperti opinatio nec vera est, nec verisimilis. Licèt enim Iacob sciret Ioseph esse inuisum fratribus suis: nulla tamen erat ratio existimare, odium illud in tam immanem euasurum crudelitatem, vt fratrem suum ipsi trucidarent, & se, communem ipsorum patrem, acerbissimo luctu, & dolore obruentes, in maximum vitæ discrimen præcipitarent. Nec sanè decebat patrem, tantæ apud filios auctoritatis atq; reuerentiæ, tam atrox eorum scelus perpetuò dissimulare, & silere: & non aliquando per occasionem, quæ plurifariàm ei offerri potuit, obiurgare eos, accusare, castigare, & ad pœnitentiam tanti criminis vrgere. Nec verò periculum erat vllum, ne illi à patre castigati ad odium eius & perniciem incitarentur. Immò verò illi credentes id esse patri perfactum, vt alia multa, per diuinam reuelationem, commoti fuissent ac pœnitentiam; ac sese ad pedes patris abiecissent, veniam ab eo suppliciter postulantes, & sui peccati meritum deprecātes supplicium. Præsertim verò sperantes, non parum iri placatum Iacob, cùm ex ipsis audiret non esse occisum Ioseph, sed venditum, id enim dolorem, atque

indignationem patris, maiorem in modum extenuasset atq; eleuasset.

An Iacob aliquando reprehenderit filios de eo quod fecerant in Ioseph.

Sed quærat fortasse quispiam, num Iacob, vbi compertum habuit 84
scelus filiorum suorum in Ioseph, aliquando eos incusauerit, atque castigauerit. Equidem feror ad opinandum, nunquam id esse factum à Iacob. Nempe fit mihi verisimile, filios Iacob, vbi scelus eorum patefactum est, ingenti dolore ac pœnitentia captos, summo studio, ac submissione animi, atq; intimi doloris significatione petiisse veniam à patre. Ipse porrò Iacob, reputans secum, ac pensitans, quantum in bonum Deus peccatum filiorum suorum conuertisset, venditionem Ioseph, & seruitutem, & carcerem videlicet, in summam gloriam, & potentiam commutando; & per eum, sibi, suæque familiæ, multisque regnis atque gentibus, salutem afferendo; hoc, inquam, Iacob attentè considerans, non poterat adiicere animum, ad filios suos seuerè, asperéque castigandos: sed totus mente atq; animo intentus, & defixus in contemplationem, & admirationem, & prædicationem admirabilis consilij, & Sapientiæ Dei, qui ex occasione tanti mali, tantum boni effecisset, à filiorum obiurgatione, ac punitione temperandum sibi iudicauit. Nimirum illud ipsum animo suo volutabat, & de filiis existimabat, quod dixisse illis Ioseph infrà legimus cap. 45. *Nolite*, inquit, *pauere, neque vobis durum esse videatur, quòd vendidistis me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Aegyptum. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Et cùm post mortem Iacob fratres eius vehementer timerent, ne tunc Ioseph vlcisci vellet iniurias ab illis acceptas, ille discusso penitus ex animis eorum metu, sic ipsos affatus est: *Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum, sed Deus conuertit illud in bonum, vt exaltaret me, sicut in præsentia cernitis, & saluos faceret multos populos.* Hoc ipsum itaq; perpendens Iacob, facinus filiorum suorum perpetua obliuione delendum putauit. Quo factum esse reor, vt cùm Iacob in extremo vitæ suæ grauiter & asperè Ruben de incestu, ac Simeonem & Leui de cæde Sichimitarum accusasset, atque etiam maledictis defixisset: de peccato tamen filiorum suorum in Ioseph verbum fecerit nullum.

Genes. 45.

Genes. 50.

VERS. 33. Tunica filij mei est, fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph.

Oratio Iacob deplorãtis interitum Iosephi, ex Philone.

VERBA quæ Iacob dixit, visa tunicâ Ioseph concerpta & 85
cruenta; ideóque haud dubiè ratus, discerptum eum fuisse à feris, breuissimè narrat hoc loco Moses: sed ea longiori oratione Philo commemorat, quæ hîc ascribere, rectum putaui. Vbi perlatum est ad Iacob, inquit Philo, non quod verum esset, venditum esse Ioseph: sed commentum illud de absumpto eo à bestiis: ictus aures nuncio, simúlque oculos spectaculo (allata enim fuerat ei tunica Ioseph lacera, fœdúmque in modum cruenta) dolore turbatus, obmutuit per longum temporis spatium, nec caput quidem valens attollere

tollere suppressum tanta calamitate. Tandem repentè effusus in lachrymas, velut è fonte vbertim prorumpentes, plangebat, pectus & faciem percutiens, & sciſſis vestibus lamentabundus, talia loquebatur: Non tam mortem tuam, fili mi, doleo, quàm sepulchri iacturam. nam si tibi sepulchrum cõtigisset in terra propria, nec mihi defuisset solatium: officiosè assedissem ægrotanti ante mortem: impendissem morienti extrema oscula: clausissem morientis oculos: mortuum lauissem lachrymis: extulissem magnificè: nihilque de iustis atque etiam magnificis funeribus omisissem. Atque etiam si peregrè defunctus esses, dixissem ipsemet mihi, Persolutum est naturæ debitum. Noli tristari, viui habẽt suas patrias: mortuorum, omnis terra sepulchrum est: breuis æui sunt omnes homines. Nam qui maximè longæuus fuit, quanto tempore vixit ille, si ad æternitatem id conferatur? Vel si omnino moriturus eras per vim & insidias, leuiùs fuisset extingui manibus hominum, qui mortuũ saltem miserati, obruissent terra, & cadauer tumulassent: Aut, vt essent crudelissimi, quid amplius potuissent, quàm insepultum proiicere? Quem tamen mox viator aliquis præteriens, communis memor naturæ, miseratione tactus humasset. Nunc, vt fertur, immites & carnuoras bestias pauisti & saturasti meis visceribus. Hactenus multos labores inopinatos exantlaui, in huiusmodi miseriis abundè sum exercitus, certando, peregrinando, mercede seruiendo, dura ferendo imperia, & vsque ad vitę periculum exagitatus, à quibus minimè oportuit. Multa vidi, multa audiui, multa sum passus grauia, quibus ad patiendam eruditus perduraui. Sed nihil præsenti casu intolerabilius, qui totum animi mei robur subuertit, atq; prostrauit. Quis enim luctus potest esse maior, aut miserabilior? Vestis pueri ad patrem perlata est: ex ipso non membrum, non frustum, non vel minimæ reliquiæ: totum deuorauerunt bestiæ: nihil supereſt, quod sepulchro inferatur. Ac ne vestem quidem recepi, nisi vt ad eius aspectum recrudescat doloris memoria, ne vnquam tantæ calamitatis obliuio mihi possit obrepere. Sic ille sortem suam deplorabat. Hactenus ex Philone.

86 *Tunica filij mei est.* Heu nimium crudeles filij Iacob qui vestem Iosepho detractã, atq; hœdino sanguine pollutam, paternis oculis ostentari fecerunt! eo nimirum consilio, vt & à se scelus admissum mendaciter amolirentur, simúlq; vt paterna viscera, tanquam in re præsenti, vehementiùs dolore cõmouerentur. Miserationes enim, & lacrymæ non solùm dicendo, verùm quædam faciendo, interdum vehementiùs excitantur. Vnde & producere in publicum ipsosmet qui periclitãtur, squalidos atque deformes, & insuper liberos eorum ac parentes, in more quondam fuit in grauissimis causis, & iudiciis. Quemadmodum & illud factitabatur ab accusatoribus, ostendere cruentũ gladium, extractáq; de vulneribus ossa, & vestes sanguine perfusas, vulnera itẽ resoluere, & verberata corpora nudare. Quarum rerũ maxima erat vis, audientium animos vel ad odiũ & indignationẽ, vel ad commiserationem, & opitulationem inflammandi: Populum Romanum in rabiem & furorem

egisse dicitur in occisores Caij Cæsaris, vestis eius prolata in forum, sanguine madens. Sciebant illi interfectum Cæsarem, corpus ipsum lecto impositum aderat: vestis tamen illa sanguinolēta, ita repræsentauit

Vestis occisi Cæsaris quātopere commouerit Populum Romanum.

factæ cædis imaginem, vt non occisus fuisse Cæsar, sed tunc occidi in cōspectu eorum videretur. Audiat Lector Dionem sub finem libri 44. qui extrema verba orationis Antonij, in commiserationem Cæsaris, & odiū occisorum habitæ, refert huiusmodi: Heu mihi, canos tuos sanguine fœdatos! heu vestem tuam laniatam, quam, vt videtur, in hoc solùm acceperas, vt in ea confodereris! Hæc Antonio perorante, populus irritatus primò est: deinde irâ vehementiùs commotus: tandē ita exarsit, vt percussores Cæsaris quæsitum ad necem irent. Sic Dio. Iulia quoque Cæsaris filia, & Magni Pompeij coniux, visa Pompeij veste aspersa sanguine, rata cæsum, subito metu exterrita concidit, partum insuper, doloribus obortis, abegit: & paulò pòst animam etiam expirauit. Hæc dixi, vt ostenderem, magnam fuisse rationē, cur Iacob, visa Ioseph tunica discerpta, ac cruenta, tanto conflictaretur dolore.

Scissio vestiū, quid apud Hebræos denotaret.

Scissisque vestibus, indutus est cilicio. Peruetus cęremonia fuit apud 87
Hebræos, dilacerare vestes: quia prisci illi homines animum suum dolore discerpi, ac dilacerari testificabantur. Is autem dolor interdum ex ingenti quapiam calamitate luctúque nascebatur: atque hoc modo legimus in hoc loco Iacob scidisse vestes suas, & infrà cap. 44. filios eius: & Leuitici 21. vetatur summus Pontifex, vllum ob priuatum casum suum, & dolorem, scindere vestes: & Iob capite primo nunciata atrocissima calamitate, quæ sibi contigerat, fertur scidisse vestimenta sua. Nonnunquam dolor, cuius index & testis erat scissio vestium, oriebatur ex magna quapiam indignatione, atque criminis atrocitate: velut si quis impiè, & contumeliosè aduersus Deum, vel loqui, vel facere quippiam ausus esset. Hanc ob caussam legimus Numerorum 14. Iosue & Caleb scidisse vestimenta sua, & Matthæi 6. Caiphas dicens Christum blasphemasse, similiter scidit vestimenta sua: & in Actis cap. 14. Paulus & Barnabas, aduersus eos, qui sibi tanquam Diis sacrificare volebāt, scidisse vestimenta sua memorantur. Hunc morem ex Hebræis permanasse ad alias gentes, credibile dictu est. Id certè solenne quondam fuisse apud Persas, quibuscum versati perdiu fuerant Hebræi, ostendit Herodotus lib. 3. hunc in modum scribens: Persæ, vt Regem Cambysem vehementer lamentantem conspexêre, vniuersi tum vestimenta rescindere, tum effuso ploratu vti.

Herodotus de Persis scindētibus suas vestes prædolere.

Indutus est cicilio: Ponam hîc quoddam Eugubini non aspernandum 88
super hoc loco annotamentum: Quid refert, inquit ille, quod Hebraicè legatur, Iudutus est sacco, quo etiam modo Chaldaicè legitur, & Græcè, cùm idem vtriusque lectionis sit sensus? Nisi fortè quispiam scrupulosiùs ista distinguere velit, quòd cilicium ex pilis equinis, aut simili alia materia cōsuatur, saccus verò ex canabo, & eo quod terra nascitur. Sed facilè hæc confundūtur. Est autem Hebraicè *Sack* quæ vox in plures alias linguas deriuata est: similiter enim dicitur Græcè, & Latinè

Eugubinus in Recognitione Pentateuc.

(addere

etiam poterat Italicè, Hiſpanicè, Gallicè, Germanicè) Permulta enim vocabula Hebraica in ceteris linguis remanſerunt. Quod præſertim in lingua Italica nos obſeruauimus: nam vt omitãt multa alia quem, meſchinum Itali appellant, videlicet pauperem, & calamitoſum; ſimiliter Hebraicè dicitur *meſchim*: Alma quoque lingua Punica, dicitur Virgo, ſicut etiam Hebraicè, virgo inquam abſcondita. Sic Eugubinus.

Quænam gentes, & quam ob cauſam induebãtur ſacco ſiue cilicio.

89 Saccum verò, ſiue cilicium induere ſolebant gentes illæ Orientales, quo declararent ingentem animi ſui dolorem, ſuſceptum vel ob inſignem quampiam calamitatem acceptam, vel ob magnum aliquod ſcelus ab illis admiſſum, vt illo tam vili & abiecto habitu teſtificarẽtur demiſſionem & abiectionem animi ſui coram eo, quem placare volebant, & ad ſui commiſerationẽ veniámque impertiendam commouere. Habemus pręclara huius conſuetudinis exempla duo in tertio lib. Regum, vnum de legatis Benadad Regis Syriæ; alterum de Achab Rege Iſrael. De illo ita ſcriptum eſt in capite vigeſimo eius libri. *Benadad fugiens ingreſſus eſt ciuitatem, in cubiculum, quod erat intra cubiculum. Dixerúntque ei ſerui ſui, Ecce audiuimus, quòd Reges Iſrael clementes ſint: ponemus itaque ſaccos in lumbis noſtris, & funiculos in capitibus noſtris, & egrediemur ad Regem Iſrael, forſitàn ſaluabit animas noſtras. Accinxerunt ſaccis lumbos ſuos, & poſuerunt funiculos in capitibus ſuis, venerúntque ad Regem Iſrael, &c.* De Achab autem in vigeſimo primo capite eiuſdem libri, hæc prodita ſunt: *Cùm audiſſet Achab ſermones iſtos, ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauítque, & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite. Et factus eſt ſermo Domini ad Eliam dicens: Nónne vidiſti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei causâ; non inducam malum in diebus eius: ſed in diebus filij ſui inferam domui eius.*

90 * *Lugens filium ſuum multo tempore.* Quanto tempore? nimirum per tres & viginti annos. Siquidem cùm Ioſeph eſt venditus, erat ſexdecim annorum, vt traditur hoc capite: cùm autem cognitus eſt à fratribus in Aegypto, atque id Iacob denunciatum eſt, erat Ioſeph triginta nouem annorum, vt ex capite quadrageſimo primo, & quadrageſimo quinto colligi poteſt. Ergo à decimo ſexto anno, vſque ad trigeſimum nonum Ioſeph, (quamdiu nẽpe putatus eſt à patre mortuus) perdurauit luctus Iacob. Sed nunquid tam diuturnus luctus indecens fuit & culpandus? Minimè. Nam & amiſſio talis filij, qui patri quaſi lumen erat oculorũ, & baculus ſenectutis, atque ob eximiam indolem, egregiámque in ea ætate prudentiam, præſtãtéſque virtutes, multo ceteris filijs amabilior erat: atrociſſimum præterea genus mortis, quo credebatur à feris diſcerptus, & deuoratus; hæc inquam, meritò ingenti dolore paternum pectus ferire, atque oculos largo & diuturno fletu perfundere debuerunt. Ex naturali etiam corporis temperamento quibuſdam accidit, vt promptiſſimi ſint ad lacrymandum, & in lacrymando diu multúmque verſari queant. Et quanquam dolor eſt cauſa lacrymandi; effuſio tamen ipſa lacrymarum haud paruum eſt doloris leuamen. Contrà verò, lacrymarum violenta coẽrcitio & compreſſio, dolorem ipſum acuit ma-

Profuſio lacrymarum doloris nonnullum eſt leuamentum.

gis atque contendit,& insuper valetudini nocet plurimùm:vt per effu-
Ouid. 5. Tristium. sionem lacrymarum,dolor ex animo effluere, & quodammodo exhauriri videatur. Non malè igitur poëta ille dixit:

Est aliquid fatale malum per verba leuare:

Et iterum:

Strangulat inclusus dolor,atque exæstuat intus:
Cogitur & vires multiplicare suas.

Verùm super hac re Magnus Basilius in Homilia 4.de Gratiarum a- 91
ctione,disertè admodum,eruditéque disputat: cuius partem quandam disputationis,varia & iucunda eruditione aspersam,& ad id,quod nunc agitur,propriè pertinentem, adscribere hoc loco , consentaneum fore instituto nostro,gratúmque Lectori existimaui. Lacrymari contingit
S. Basilius. (ait Basilius) cùm particulæ cerebri concauæ , euaporationibus ex tristitia collectis differtæ quasi per elices quosdam, canaléfve per meatus oculorum,pondus illius collectitij humoris egerunt. Vnde & *post* rerũ tristium inexpectatam atque inopinatam delationem mox se in aures insinuant sonitus quidam,& vertiginosæ reuolutiones,tenebrarúmque ob oculos effusio : & iccirco caput obuerti videtur vi vaporum , quos sursum versus remittit calor,qui se in imas partes retraxerat. Et quemadmodum nubibus aer densatur in guttarum aspergines , sic & vaporũ crassamentum in lacrymas resoluitur:hinc quoque mœrentibus, & in luctu constitutis clam erepens nonnihil lætitiæ & iucunditatis oboritur:per fletum exinanito,eo videlicet, quod degrauabat caput. Huius meæ rationis veritatem comprobat rerum quæ fiunt doctrix experientia. Ipsi enim nouimus, nõ paucos calamitatibus deploratis vtique nec curabilibus circumuallati,cùm repressissẽt per vim lacrymas,sibi temperasse. Hi porrò in varios & immedicabiles morbos inciderunt, céu sunt apoplexia & paralysis. Alij verò in mortem prorsus collapsi sunt: ac si fulcimento quopiam debili niterentur,subtritis , & diffractis eorũ viribus immodico pondere tristitiæ. Hoc ipsum licet in flamma cernere,quæ introclusione proprij fumi suffocatur , qui cum liberè nõ queat egredi,implexam flammam suo ambitu opprimit. Non secus,illi contingere asserunt in ea facultate,quæ in animali dispensat vitales actiones,& moderatur:nimirum intabescere eam, & extingui vehementiore acrimonia doloris,si nulla ei ad exteriora perspiratio concedatur. Hactenus ex Basilio,

OCTAVA

OCTAVA DISPVTATIO.

An vox hebræa Sceol, *quam Latinus Interpres hoc loco Infernum, & alibi Inferos solet interpretari, semper in Scriptura, vt quidam contendunt, significet fossam vel sepulcrum, nunquam autem locum inferorum.*

Super illis verbis,

Descendam ad filium meum lugens in Infernum. VERS. 35.

ET olim quæsitum est, hodiéque inter sacrarum litterarum tractatores quæritur, An vox hebræa *Sceol* semper in Scriptura significet fossam vel sepulcrum: an etiam vsurpetur pro loco inferorũ, qui creditur esse in profundissimis terræ partibus; vbi sunt (varijs tamen discluſi locis) & supplicijs damnati æternis, & purgatorijs pœnis ad tempus expiandi: & vbi ante Christi aduẽtum, Sanctorum animę detinebantur. Et primus quidem locus vocatur propriè Infernus: secũdus nominatur Purgatorium: tertius appellatur Limbus.

92 Duæ super hac quæstione sunt sententiæ. Vna est Hebræorum, & de Christianis, multorum in hac ætate nostra, maximè verò Hæreticorum affirmantium vocem *sceol* non significare aliud in Scriptura, nisi fossam, siue sepulcrum, & ex hoc falso argumentantium, Dominum nostrum non descendisse ad Infernum. Quam sententiam secutus Eugubinus in sua Recognitione Pentateuchi super hoc loco, illud *in Inferum* exponit fossam & sepulcrum. Nequid (inquit) prauum hoc loco suspicemur de Iacob; quòd ipse vir Deo amicissimus, dicat se descensurum ad inferos. Vbicumque igitur Hieronymus ac Septuaginta *Infernum* interpretati sunt, ibi est Hebraicè *Sceol*, hoc est fossa, siue sepulcrum. Neque enim ea voce significatur locus, vbi sceleratorum animas recipi Antiquitas opinata est. Is enim locus à recentioribus Hebræis *Gehenna* vocatur: quod nomen videntur à nobis accepisse, cùm in Veteri Testamẽto nusquam inueniatur vox *gehenna*, locum animarũ quæ damnatæ sunt æternis supplicijs, significare. Qua de re Rabbi Moses Aegyptius in lib. de Resurrectione hoc modo scribit: Suppliciũ, quo scelerati cruciabãtur, asserunt esse gehennam: Quem locum dicunt esse flãmis ardentẽ, vbi vnà cũ corpore sunt cõburẽdi impij, nõ vno quidẽ suppliciorũ genere, sed adeo varijs & exquisitis, vt longũ sit referre. Sic ille. Quare nõ propriè *Sceol* significat inferos. Et Aben-esra hoc loco reprehẽdit editionem Chaldaicam, quæ vocem *Sceol* vertit in Gehennam: citátque varia Scripturarũ loca, è quibus cognoscitur *Sceol* sẽper significare sepulturam, vt est ille apud Isaiã: *Quia nõ infernus cõfitebitur tibi*; Et ille apud Iob capite

Prior sententia Hebræorũ, & Hebraizantium, & Hæreticorum.

Eugubinus.

Rab. Moses.

Rab. Abẽesra.

Psa. 38.

capite 26. *Nudus est infernus corã illo.* Vtrobiq; enim sine dubio, de fossa vel sepulcro habetur sermo. Hæc diximus, nihili faciẽtes, quæ de hac re somniauit Nicolaus de Lyra: verè enim figmẽta sunt, quæ de Limbo scribit hoc loco. Hæc Eugubinus, valdè profectò imprudenter; nimis audacter, & oppidò quàm imperitè, vt ex ijs, quæ paulò infrà disputaturi sumus, manifestum erit. Somnia verò, & figmenta vocat Lyrani, quæ

Lyranus.

scribit hoc loco, cùm ea veram & catholicam doctrinam contineant. Verba Lyrani super illis verbis: *Descendam ad filium meum lugens in infernum*, sunt huiusmodi: Hebræi exponunt, in foueam vel sepulcrum: Catholici autem meliùs exponunt dicentes, *in infernum*, id est, ad Limbum Sanctorum Patrum, qui locus est superior pars inferni. Sic Lyranus, eadémque est Theologorum sententia.

Caietanus.

Ad hanc item Hebræorum opinionem Caietanus mentem suam, & 93
assensum appulit. Hunc enim locum Geneseos, quẽ tractamus, exponens, sic ait, Dictio interpretata *infernum*, fossam, seu sepulcrum sonare dicitur, & hoc quadrat sensui germano. Manifestatur enim quid fuerit, Iacob renuere consolationem, videlicet velle perseuerare in luctu vsque ad tempus sepulturæ propriæ: hoc enim significatur dicendo: Descendam tristis in sepulcrum, ad filium meum iam defunctum eundo. Sic

Vatablus.

Caietanus. Vatablus exponit etiam sepulcrũ, vel fossam, & ait, ista verba continere Hebraismum, cuius hic sit sensus: Mortuo filio meo, non possum ampliùs viuere, sed lugendo ipsum, moriar. Itidem interpreta-

Lippoman.

tur Lippomanus in Catena: Et istorum verborum talem hunc facit sensum: Hæc res mihi finem vitæ afferet; nec, quoad moriar, finem lugendi

Paninus.

faciam. In eadem fuisse opinione Pagninum, declarat eius translatio; locum enim hunc ita vertit: Descendam ad filium meum lugens in sepulcrum. Nec ab ea opinione abhorruisse videtur, vir multo illis antiquior Albinus, discipulus Bedæ, & magister Caroli Magni; in Quæstio-

Albinus.

nibus enim suis in Genesim super hoc loco sic ait: An etiam inferni nomine sepulcrum significauit? Quasi diceret, In luctu manebo, donec me terra suscipiat, sicut illum recepit sepulcrum.

Paulus Fagius Scriptor prohibetur.

Paulus Fagius, damnatæ memoriæ scriptor (qui Paraphrasim Chal 94
daicam in Pentateuchum, appositis ad eam nonnullis Annotamentis, interdum parum Catholicis, explicauit) non solùm arbitratur vocabulo *Sceol* non aliud significari nisi sepulcrum, verùmetiam Hæreticorum nostri temporis adstipulator, de Christi ad inferos descensu, indoctè, atque impiè disputat. Exponens igitur illud, *in infernum*, Siue, vt legit ipse *in foueam*, subdit: Id autem est in sepulcrum, quasi dicat, Filio meo Ioseph mortuo, non possum ampliùs viuere. Vocatur autem Hebræis sepulcrum *Sceol* à *Sachal* id est, petendo, eo quòd semper petat, & nunquam satietur, iuxta illud Prouerbiorum 30. *Tria sunt, quæ non saturantur*, & inter ea numeratur infernus, vel potiùs sepulcrum, eo quòd non saturatur cadaueribus; & capite vigesimo septimo dicitur Infernus; & perditio nũquam saturari: quibus verbis significatur animæ & corporis dissolutio, & ipsa mors, cui omnes homines obnoxij sunt. Nõ igitur

Sceol

Sceol)in hoc loco significat infernum,id est, locum pœnarum,& damnatorum:ad hunc enim non descendit Iacob:sed potiùs ad communem illum statum omnium defunctorum,tam piorum,quàm impiorum hominum:idq; multis ex sacræ Scripturæ locis manifestum est. Hinc facilè intelligitur articulus ille fidei nostrę,qui est in symbolo,in quo de Christo dicitur:*Descendit ad inferos*:quo sine dubio significatur,Christi mortem non fuisse fictitiã, sed veram; & illum verè fuisse mortuum, & sepultum, communémq; illum defunctorum statum pro nobis peccatoribus degustare voluisse. Christus igitur descendit ad inferos, quia post mortem depositus est in sepulchro,& anima eius non est derelicta in inferno,id est, in sepulchro. Nomen enim animæ significat vitã naturalem,& sensitiuam,quæ Hebræis vocatur *Nephech*,qua Christus per mortẽ priuatus fuit in triduo, quo iacuit corpus eius in sepulchro. Ergo illud:*Non derelinques animam meam in inferno*,quod ex Psal.15. citauit de Christo Petrus Act.2.non aliud significat,nisi hoc:Non permittes corpus meũ manere in sepulchro priuatum vita naturali semper;sed vitã illã post triduũ restitues mihi.Ad hãc fermè sentẽtiam iste Fagius.

Oleaster.

Oleaster, quantum ad significationem vocis *Sceol*, assentitur Fagio, legit enim ipse,non vt nos habemus,*Lugens in infernum* sed,*lugens in sepulchrum*,& vult illud,*in sepulchrum*,esse dictũ pro,vsque in sepulchrum: vt sit hic sensus; Lugendo filium meum, descendam ad sepulchrũ:vel, Quousque sepeliar,lugebo filium meum. Verùm quãtum ad interpretationem Articuli Fidei de descensu Christi ad inferos, confictam à Fagio,Oleaster,vt vir Catholicus,non solùm dissentit ab illo, sed eum acriter oppugnat. Ostendit enim apertè,interpretationem eius aduersari textui. Nam ipse ait, per descensum ad inferos significari Christum fuisse verè mortuum, & sepultum: in Symbolo autem Apostolico sic est: *Crucifixus, mortuus, & sepultus, Descendit ad inferos*: Aliud igitur est, descendisse ad inferos,& aliud fuisse mortuum, & sepultum: nam si esset idem,cùm iam dixisset,*mortuus,& sepultus*,superuacuè, absurdéque pòst adiungeretur:*Descendit ad inferos*.Sic Oleaster.Ad extremum,Hæretici nostri temporis,qui negant animam Christi,post mortem eius, descendisse ad inferos, cùm vrgentur à Catholicis sententia illa Dauidis: *Non derelinques animam meam in inferno*: Præfactè contendunt, vocem Hebræam *Sceol*, quæ Latinè illic reddita est *Infernus* significare sepulchrum, non autem locum subterraneum animarum. Atque hæc de priori opinione satis dicta sint.

Hæretici nostri temporis.

96 Altera est sententia exploratæ certæq; veritatis, vocem Hebræam *Sceol*,& Latinam ei respondentem *infernus*,& in hoc loco Scripturæ,& alibi sæpenumero significare non fossam vel sepulchrum, sed locum inferorum, & subterranea loca, in quibus sunt animæ post mortem. Hanc sententiam multis & grauibus auctoritatibus & rationibus comprobare volumus. Principio,Septuaginta Interpretes vocem (*Sceol*) & hoc loco,& alibi exprimunt voce græca ᾅδης;quæ vox significat locum inferorum, nec apud vllum auctorem Græcum probatum inuenitur

Vera & catholica sententia.

Septuaginta interpres.

vsurpata pro sepulchro, quod & à Septuaginta, & ab aliis declaratur
Paraphrasis Chaldaica. voce Græca τάφος. Paraphasis etiam Chaldaica vocem Hebram *Sceol*, vertit in Gehennam, quod nomen in sepulchrum nullo modo conue-
S. Hieronym. nit. & S. Hieronym. vocem *Sceol* vbiq; reddit *infernus* siue *inferi*: non autem Sepulchrum: erat autem Hieronymus Hebraicè doctissimus: Qui in Epist. 119. quam scripsit ad Dardanum, hunc ipsum locum Genesis citans sic ait: Hæc est, vt diximus, terra viuentium, in qua sanctis viris bona Domini præparantur, quam ante aduentum in Carne Domini Saluatoris, nec Abraham, nec Isaac, nec Iacob, nec Prophetæ, nec alij iusti viri consequi potuerunt. Deniq; & Abraham, licèt diuersis locis, cum Lazaro videtur apud Inferos: & Iacob vir iustus dicit: *Lugens & gemens descendam in infernum*: Sanguis Christi, clauis Paradisi est, dicen-
Luc 16. tis ad Latronem: *Hodie mecum eris in Paradiso*. Sic Hieronymus.

S. August. S. Augustinus in quæst. 126. in Genesim, tractans hæc ipsa verba Ia- 97
cob: *Descendam ad filium meum, lugens in infernum*, pro certo ponit, nomen inferni hîc locum inferorũ significare: & suscitat quæstiunculam, Cùm Infernus sit locus pœnarum, quibus inibi puniuntur mali; quomodo sanctissimus vir Iacob dixit se illuc descensurum; & putauit esse illic filium suum Ioseph? Augustini verba sunt hæc: Solet esse magna quæstio, quomodo intelligatur infernus; vtrum illuc mali tantùm, an etiam boni descendere soleant. Si autem tãtùm mali, quomodo Iacob ad filium suum se dicit lugendo velle descendere? Non enim in pœnis Inferni eum esse credidit. An perturbati & dolẽtis verba ista sunt, mala sua etiam hinc exaggerantis? Sic illo loco Augustinus. Et in libro 12. de Genesi ad litteram, cap. 33. similiter exponit verba illa eiusdem Iacob, quæ sunt in cap. 42. Genesis: *Deducetis canos meos cum dolore ad in-*
2. Cor. 2. *feros*. Videtur Iacob (ait Augustinus) timuisse, ne nimia tristitia sic perturbaretur, vt nõ ad requiem beatorũ iret, sed ad inferos peccatorum. Neque enim paruum animæ malum est tristitia; cum Apostolus cuidam tam sollicitè timuerit, ne maiore tristitia absorberetur. Sic Augustinus: qui licèt tam in hoc loco, quàm in Epistola 99. ambigere videatur, an locus in quo erant post mortem animæ Sanctorum, ante Christi, secundùm carnem, aduentum, esset in Inferno, an alibi, & posset vocabulo inferni, vel inferorum appellari: ipsemet tamen in libro 20. de Ciuit. Dei, cap. 15. affirmat, animas Sanctorum fuisse in inferno, loco tamen longè à tormentis impiorum remoto, hunc in modum scribens: Non absurdè credi videtur, antiquos etiam sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotissimis, sed apud inferos tamen fuisse: donec eos inde sanguis Christi, & ad ea loca descensus erueret.

Glossa Ordinaria. Glossa Ordinaria super hoc loco Genesis, cùm retulisset Augustini 98
verba, adiungit hæc: Credibile est, apud infernũ quædam loca secreta, & minùs pœnalia ante passionem Domini fuisse, ad quæ etiã Sancti descendebant: quia nullus paradisum ingredi poterat, donec Christus
Rupertus. romphæam igneam amoueret. Rupertus lib. 8. in Genes. cap. 25. sic ait

super

super hoc loco: Quia Iacob mortuum esse putabat filium suum Ioseph, omnes autem mortui, quamquam iusti, ante Christi aduẽtum descendebant in infernũ: idcirco dixit: *Descendam in infernum ad filium meum.* Pro eo vt diceret; Cum vita mea finiam præsentem luctum, nec nisi moriendo cessabo lugere filium meum. Historia Scholastica in enarratione libri Geneseos cap. 87. super hoc loco: Erat, inquit, tunc in Inferno quidam locus Sanctorum longè remotus à locis pœnalibus: qui ob quietem & separationem ab aliis, sinus vocabatur, sicut dicimus sinum maris. Appellatus præterea est sinus Abrahæ, quia etiam ibi Abraham fuit in expectatione vsque ad aduentum Christi. Lyrani perspicua est sententia ex his, quæ suprà diximus disputantes in Eugubinum. Exponens enim hunc locum, ait: Per infernum Hebræi exponunt foueam vel sepulchrum: sed meliùs Catholici interpretantur Limbum Sanctorum Patrum, qui est superior pars inferni. Lyranum secutus est Thostatus, & Thomas Anglicus. Ac ne sim longior, eadem est sententia Theologorum: qui demonstrare volẽtes ante Christi aduentum, etiam viros sanctissimos post mortem descendisse ad loca inferni, nec patuisse cuiquam ad cœlestem gloriam aditum: id cõfirmant tum aliis Scripturæ locis, tum maximè his verbis Iacob: *Descendam ad filium meum lugens in infernum.*

Historia Sbholastic.

Lyranus.

Thostatus. Thomas Anglicus. Theologi.

99 Cæterùm firmiorẽ huic sententiæ, certioremq; fidem astruunt complures loci Scripturæ: in quibus liquidò cernitur, vocem Hebræã *Sceol*, & Latinam *infernus*, ei respondentem, positam esse non pro sepulchro, sed pro loco inferorum. Primus locus sit in lib. Num. cap. 16. vbi de interitu Datham & Abiron ita scriptum est: *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum, descenderúntque viui in infernum: operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* Hoc in loco Latinum nomẽ Inferni, & Hebręum *Sceol*, tam Epiphanius in Anchorato, quàm Hieronym. in 4. cap. epist. ad Ephes. intellexerunt de loco damnatorum: & sanè fuit vterque percallens Hebręæ linguæ, ídque res ipsa loquitur. Nam cùm terra dehiscens, & profundissimam faciens voraginem, eos penitus absorbuisset, non potest intelligi, eos descendisse in sepulchrum. Quocirca Pagninus, qui hoc in loco Geneseos verterat sepulchrum, non est ausus illi vocem *Sceol*, interpretari sepulchrum, sed vertit, infernum. Et itidem habet Translatio Vatabli. Quin etiam Oleaster ibi fatetur, vocem *Sceol*, interdum significare, infernum, & hanc significationem, ei loco aptiorem, & conuenientiorem esse.

Locus Num. cap. 16.

Epiphan. Hieronym.

Alter locus est in Psal. 9. in illis verbis: *Cõuertantur peccatores in infernum.* Quem locũ exponẽs Genebrardus (cuius anima requiescat in pace: nuper enim de obitu eius allatum est) ita scribit: Hîc *Sceola* in *Deras* exponitur *Gehinnon*, id est, Gehẽna. Thalmudici dicunt To, He, fini additũ esse, ad significandũ, quòd non solum ad infernum descendunt, id est, Gehennam, sed etiam ad infimum Inferni gradum. Hæc cõtrà Nouatores, qui *Sceol*, pro sepulchro solent exponere. Sic Genebrardus.

Genebrardus.

Locus Psal.15 Tertius locus insignis,& percelebris,est in Psal.15.vbi sunt illa verba: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Quæ verba dicta esse de Christi resurrectione, testis est Beatus Petrus in Actis Apostolorum,cap. 2.Christi enim Domini post mortem eius, triduo fuit anima apud inferos, & corpus iacuit in sepulchro: sed die tertia ascendente ex inferis anima, & iterum vnita corpori,cui nihil corruptionis acciderat,à mortuis Christus resurrexit. Hisce verbis Dauidis apertè dicitur, animam Christi fuisse in inferno, nec ipsa tamen fuit in sepulchro,sed corpus eius:ergo nomen (inferni) &(Sceol)non potest hîc accipi pro sepulchro,sed pro loco inferorum. Non enim obscurè Dauid verbis illis distinguit animam à corpore, & infernũ à sepulchro;nam de illa dicit: *Non derelinques animam meam in inferno:* De corpore autem,quod erat in sepulchro: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Et hoc manifestius fit ex lectione Græca, Nam in Actis Apostolorum cap.2.verba illa Petri, quæ Latinè ita leguntur: *Quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem,* Græcè sic habẽt: Ὅτι οὐ καταλείφθη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ εἰς ᾅδου, οὐδὲ ἡ σὰρξ αὐτοῦ εἶδε διαφθοράν: Id autẽ est Latinè, Neq; derelicta est anima eius in inferno,neq; caro eiꝰ vidit corruptionẽ. Liquet igitur animã significari hoc loco, tanquã rem distinctã à corpore, ipsam videlicet animã rationalẽ.

Duplex Hæreticorum Cauillus refutatur. Sed audi quæso,& ride satis Hæreticorum super hoc loco cauillum. [101] Quidam enim eorum aiunt, cùm hîc dicitur: *Non derelinques animam meam in inferno,* nomen animæ positum esse pro vita naturali, & sensitiua,qua viuit corpus humanum,& homo ipse, & qua priuatur per mortem.Illorum igitur verborum hanc esse volunt sententiam:(Non derelinques vitam meam in sepulchro) id est, non sines corpus meum perpetuò vita priuatum iacere in sepulchro. Sic isti.Equidem nõ inficior, interdum nomen *animæ* in Scriptura poni pro vita: sed ita in hoc loco accipi,id ergo pernego:Si enim ita acciperetur,falsam redderet,& absurdam sententiam. Si enim *anima* hîc ponitur pro vita; ergo animam Christi descendisse in infernum, idem erit, atq; vitam eius naturalem, & sensitiuam,quam isti volunt signari vocabulo animæ, descendisse in sepulchrum. Post mortem igitur Christi, vita eius descendit in sepulchrum:sed quid absurdius? Mors enim est priuatio vitæ: quomodo igitur post Christi mortem,vita eius superstes descendit in sepulchrum?

Disceptatio an in Scriptura nomẽ anima interdum significet corpus siue cadauer. Verùm alij, qui argutiores ostentare se voluerunt,cõmenti sunt, in [102] illis verbis: *Non derelinques animam meam in inferno:* Vocabulo animæ, significari corpus,siue cadauer; vt sit sensus: Non derelinques corpus meum in sepulchro. Poni autẽ animam pro corpore,argumẽtantur illi ad hunc modũ: Certum est,poni nomen hominis pro anima,vt cũ dicitur;Homo est intelligẽs,mortalis, ad imaginẽ Dei factus. Sicut etiam manifestum est,poni nomẽ hominis nonnunquã pro corpore. Vt cùm dicitur homo constare quatuor elementis, vel homo sepeliri. Illud itẽ manifestũ,animam sæpe vsurpari pro homine,vt cũ dicitur,septuaginta animas, quæ fuerant egressæ de femore Iacob, ingressas esse cum eo in

Ægyptum,

Aegyptum. Nec dubium est, corpus, vel carnem poni pro homine, vt cùm dicitur: *Videbit omnis caro salutare Dei*: Et illud: *Verbum caro factum est.* Ponitur etiam corpus vel caro pro anima, vt Ioelis 2. *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem*, id est, super omnẽ animam; neque enim caro diuini spiritus capax est. Cùm hæc itaque sic habeant, consequens est, vt anima quoque possit pro corpore poni: nec solùm possit, verumetiam posita sit in sacris litteris. Nam in Leuitico cap. 21. vbi nos legimus versu primo: *Ne contaminetur Sacerdos in mortibus ciuium suorũ*: Hebraicè sic est ad verbum: *Super animam non contaminabit se in populis suis*: Et infra versu 11. nos legimus: *Ad omnem mortuum non ingredietur*, pro quo in Hebræo est: *Ad omnem animam mortui non ingredietur*: Quibus in locis manifestum est, nomen animæ positum esse pro corpore siue cadauere: hoc enim tangendo, efficiebatur Sacerdos immundus, & pollutus, secundùm legem Mosis.

Luc. 2. Ioan. 4.

193 Atenim istiusmodi argumentationem facile est dissoluere; & quidem tribus modis. Primò, licèt interdum nomen animæ poneretur pro corpore, sic tamen poni hoc loco, nec ipsi probant, nec probari potest: talẽ quippe significationẽ supradicta verba Dauidis, & B. Petri prorsus excludũt. In illis enim verbis propriè & apertè distinguitur anima à corpore, siue à carne: Sic enim dixit B. Petrus: *Neque anima eius derelicta est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem*: Vides animam & carnẽ hoc loco tanquam duas inter se diuersas res commemorari? Deinde, si anima significaret hìc corpus, vel cadauer; ergo nomen inferni non significaret infernum propriè dictum, sed sepulcrũ; neque enim corpus Christi descendit ad inferos, sed iacuit in sepulcro. Et isti quidem annuunt hoc: sed renuunt & reclamãt lxx. Interpretes; qui eo loci pro illo, *in Inferno*, habent εἰς ᾅδου. vox autem ᾅδης nusquam apud bonos auctores inuenitur pro sepulcro, sed pro loco inferorũ, vt suprà etiã ostensum est.

Solutio eius rationis quæ probatur animam poni pro cadauere.

Iam verò ad locum illum Leuitici, in quo illi se iactant, & exultant, & quasi parta victoria triumphant, doctè respondet Genebrardus in expositione illorum verborum psalmi xv. *Non derelinques animam meã in inferno*. Duo, inquit, sunt hoc loco insignia Recentiorum errata. Primum est, quod vocem *Sceol* interpretantur sepulcrum, cum propriè significet infernum animarum, vt libro tertio de Trinitate ex Talmudicis, & Rabbinis docui. Secundum erratum est, quod animam poni dicunt pro corpore, &, vt impuriùs loquitur Beza, etiam pro cadauere: allegantes locum quendam ex capite 21. Leuitici. Verùm illic Hebræa vox *Nephesh*, id est anima, non ponitur pro corpore, sed per Synecdochen pro homine mortuo: vel potiùs per metonymiam pro hominis mortui funere sumitur, pro cuius anima fiebat supremum illud officiũ: vbi est mysteriũ curæ antiquæ viuorũ pro mortuorũ animabus. Moses itaque animam appellauit illic officiũ supremum, peractũ pro mortuo: neque respexit corpus, siue cadauer: non enim eius causâ illa parentalia tãsolẽniter fuissent peracta. Quid igitur est? *Ob animam ne cõtaminaretur Sacerdos?* Hoc nempe, ob mortui hominis funus, & exequias, in quibus

Genebrar.

Locus Leuit. cap. 21.

pro anima eius parẽtabatur. Similiter Leuit. 19. versu vigesimo octauo, Hebraicè sic est: *Incisionem ob animam non facietis in carne vestra.* Latinus autem Interpres sic habet: *Super mortuo ne incidatis carnes vestras*, id est, pro mortui anima. Namque istis locis, vt dixi, anima non simpliciter significat mortuum, sed animam mortui, pro qua ista peragebantur. Nimirum, & olim Amorrhæi pro requie animarum se incidebant, putantes id prodesse ipsis: & Romani pro ijsdem februabant, & diem animarum celebrabant. Sic *pollutus anima* dicitur Aggæi 2. versu decimo quarto, id est, tactu hominis mortui, cuius funus agebatur. Vnde non reperitur in hac notione nomen animæ, nisi quando agitur de funeribus, & exequijs: quasi illa fierent propriè propter animam, & in fauorẽ animæ, non autem corporis. Hoc pluribus explicare libuit, vt illuminarem Mosis sententiam, paucis perspectam, & ab illis corruptam, ac nefariè ad sanctissimum Christi corpus translatam: quod proinde, cadauer, ausi sunt, per suum Bezam, nominare, citatis Leuitici *locis, nihil* cum hoc commercij habentibus. Hactenus ex Genebrardo.

Locus psal. 138.

Quartus locus est in psalmo 138. in quo sunt illa verba Dauidis. *Si* 104 *ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.* Vbi opponuntur inter se duo loca distantissima tum inter se, tum à superficie terræ vbi habitant homines. Vnus locus est distantissimus secundùm altitudinem, quod est cælum; alter locus est disiunctissimus secũdùm profunditatem, qui est infernus. Liquet igitur non posse accipi hîc nomen inferni pro sepulcro, quippe quod parum distat à superficie terræ, & longissimè abest à profundissimis terræ locis. Et sic interpretantur hunc locum Psalmi, doctissimi Rabbini Hebræorum Kimhi, & Aben Esra.

Rab. Kimhi. Rab. Aben-Esra.

Simile huius est illud Saluatoris nostri dictum in vrbem Capharnaum: *Et tu Capharnaum nunquid vsque ad cœlum exaltaberis? vsque ad infernum descendes.*

Matth. 11.

Quintus locus complectitur duas sententias Salomonis de inferno; 105

Locus Prouer. 15. & Iob 26.

quarum prior traditur Prouerbiorum cap. 15. *Infernus, & perditio coram Domino, quanto magis corda filiorum hominum?* Cuius sententiæ similis est illa Iob cap. 26. *Nudus est infernus coram illo, & nullum est operimentum perditioni.* Argumentatur Salomon eo loco, Deum nosse corda hominũ, à maiori ad minus; quasi diceret, Maius est multo & difficilius nosse locũ inferni, atque eos qui in eo sunt; vt, quòd ibi sint, quomodo sint, quid agant, patiantúrve. Sed hoc apertissimè nouit Deus (id enim significat illud: *Infernus coram Domino est*: Et illud Iob: *Nudus est infernus coram eo.*) Ergo multominus ambigendum est, Deum nosse corda filiorum hominum. Hîc non potest intelligi vocabulo *inferni* sepulcrum: nã quantæ obsecro difficultatis est nosse sepulcrum, & quod in sepulcro conditum est, vt ex eo tantopere commendari deberet cognitio Dei?

Locus Prouer. cap. 27.

Altera sententia eiusdem Salomonis est in cap. 27. vbi sic est: *Infer-* 106 *nus nunquam impletur:* Et cap. 30. inter ea, quæ sunt insatiabilia, numerat infernum. Hoc dictum Salomonis si de sepulcro acciperetur, non est verum, immò esset futile, ac ridiculum. Sepulcrum enim facilè & citò impletur,

impletur, non enim est capax nisi vnius cadaueris, aut paulò plurium, quæ quoad absumpserit, alia nõ potest capere. Ridiculum itaque esset; ad denotandum amplissimam capacitatem, comparare eam sepulcro, cùm in promptu esset capacitas & insatiabilitas maris, quod omnia flumina, omnésque aquas recipit, nec tamen redundat, vt initio Ecclesiastes traditum est. At verò in locum inferni, in quem descendunt animæ post mortem, bellissimè quadrat sententia illa Salomonis. Cùm enim tot millia animarum ab initio vsque mundi receperit, nec dum tamen capacitas eius impleta est, sed in posterum totidem, atque etiam plures capere potest.

207 Sextus & vltimus locus continet verba illa Iacob quæ nunc tractamus, *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Quorum verborum, vt quæ vera esset, & germana sententia, manifestum lectori certúmque faceremus, in hanc super Hebræa voce *Sceol*, & Latina *Infernus*, cum quibusdam malè hebraizantibus, concertationem descendimus. Illorũ porrò verborum, recta & plana constructio atque ordinatio, hæc est: Lugens descendam in infernum ad filium meum Ioseph. Et est sensus, Propter hũc acerbissimum filij mei casum, maximo cum luctu moriar: Et ita descendam in locum inferni, in quem descendũt omnes mortui, & vbi est filius meus Ioseph, qui iam mortuus est. Secundùm hanc ordinationem verborum Iacob, & sententiam, liquet nomine inferni nõ posse intelligi sepulcrum: nam neque omnes mortui descendunt in sepulcrum; & Iacob putabat Ioseph non fuisse conditum sepulcro, vt quẽ dilaceratum à bestijs, & deuoratum credebat. Atque hac ratione nomẽ inferni hoc loco intellexerunt omnes superiorum temporum, atque etiam huius temporis, præter admodum paucos plus nimio hebraizãtes, Catholici tractatores huius loci. Est porrò friuolum & leue argumentum illud, quod quidam opponunt huic interpretationi. Aiunt nomine inferni significari semper locum damnatorum. Quod tamen verum non est: nam etsi super ea re nonnunquam ambigere visus est Augustinus; apertè tamen & affirmatè in libro 20. de Ciuitate Dei capite 15. sequens communem Theologorum sententiam, distinguit apud inferos loca pœnarum, & loca quietis, diuersa inibi faciens receptacula & mansiones bonorum, & malorum. Sedenim animas Sanctorum, & sinum Abrahæ fuisse in locis subterraneis ante Christi aduentum, subtiliter & exactè disputare, non est huius loci, neque instituti nostri. *S. Augustin.*

***

NONA

NONA DISPVTATIO.

De viro Aegyptio, qui emit sanctum adolescentem Ioseph; An is verè fuerit Eunuchus.

Super illis verbis,

VERS. 36. Madianitæ vendiderunt Ioseph in Aegypto, Phutiphari Eunucho Pharaonis, magistro Militum.

VIDERE est in hac historia Ioseph eximium diuinæ pro- 108
uidentiæ exemplum; Ioseph enim, principem Ægypti futurum, per ignominiam, ad gloriam; & ad dominationē, per seruitutem prouexit. Nimirum ea ratione *illustrior* existit Dei potentia per contraria perducētis, quò destinauit seruos suos. Idque non parum Iosepho profecturū erat ad æquitatem dominationis: nam quo posteà ciuiliori & clementiori animo imperaret alijs, herili priùs subiectus est imperio, & quod posteà princeps acturus erat, id priùs seruiendo didicit: suis enim ipse malis, ærumnísque variè doctus & exercitus, vsu compertum habuit, quemadmodū similibus affectos malis tractare deberet. Hanc ob causam elegantissimus Poeta simúlque prudentissimus, Didonem Tyro profugā, & alienis in terris nouas condentem sedes, Troianos itidem profugos & errabundos, alloqui facit hisce verbis:

Virg. Aen. 1.

Me quoque per multos similis fortuna labores,
Iactatam, hac demum voluit consistere terra:
Non ignara mali, miseris succurrere disco.

Verùm supradicta verba Mosis tres ferunt quæstiones. Harum prima 109
est, Quomodo verum esse possit quod hîc dicitur, Madianitas vēdidisse Ioseph Phutiphari Ægyptio; cùm suprà dictum sit in hoc ipso capit. Ioseph fuisse à fratribus suis venditum, non Madianitis, sed Ismaelitis. Et infrà initio c. 39. scriptum sit, istum ipsum Phutipharem emisse Ioseph ab Ismaelitis. Sed istam quęstionem supra copiosè explicuimus in Disputatione 6. super hoc c. 37. Altera quęstio est, Quomodo iste Phutiphar emptor Iosephi, dicatur fuisse Eunuchus, siue Spado, vt habent Septuaginta, cùm infra cap. 39. memoretur istius Phutipharis vxor, quę Iosephum incitauit ad flagitium. Ego varias Auctorum super hac quęstione opiniones, & super voce Eunuchi interpretationes exponam, ac denique meam quoque Lectori sententiam indicabo.

An Phutiphar, qui emit Ioseph, fuerit Eunuchus.

S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim, super hoc loco, & præsenti quæstione ita scribit: Quæritur quomodo hic, qui dicitur Eunuchus, posteà vxorem habere dicatur. Tradūt Hebræi, emptū ab isto Phutiphare fuisse Ioseph ob nimiam pulchritudinem, in turpe scilicet ministerium: & à dño, virilibus eius arefactis, postea electū esse illum

S. Hieronymus ex traditione Hebræorum.

illum, iuxta morem Hierophantum, in pontificatum Heliopoleos: & huius filiam esse Asenech, quam postea Ioseph vxorẽ accepit, vt traditur infrà Gen. 41. Sic Hieronymus. Varabli translatio noua pro *Eunucho Pharaonis*, habet *Cubiculario Pharaonis*, & verò nomẽ Eunuchi primò dictũ est à custodia cubilis, vt vox ipsa Græca indicat. Pagninus vertit *Principi Pharaonis*: similiter habet translatio Chaldaica: cuius explanator Fagius, Hebraicè, inquit, vocem *Saaris*, quam Eunuchum interpretantur, cẽsent non semper vulgò dictum Eunuchum, id est, castratũ significare, sed aliquando principem, & Præfectum: & hac significatione eam vocem accipi hoc loco. Vnde & Paraphrastes Chaldæus, eã vocem per *Rabba* transtulit, quod dominum & principem & magistrum significat. *Fagius.*

Caietanus putat significari, istum hominem fuisse ministrũ Pharaonis. Sic enim scribit hoc loco: Eunuchi nomen æquiuocum esse, patet ex eo, quòd istum infrà dicitur habuisse vxorem, quæ adamauit Ioseph. Vnde autem huiusmodi æquiuocatio acciderit, nescio: perinde tamen dictus est Eunuchus Pharaonis, ac si dictus esset, minister Pharaonis. *Caietanus.*

Nec dissimile est quod hoc loco tradit Lyranus. Eunuchus (ait ille) aliquando accipitur pro castrato: aliquando verò pro ministro vel seruo alicuius Principis: talis autem vocatur Eunuchus, eo quod debet esse castus & honestus: & hoc modo accipitur hîc: vt infrà cap. 40. pincerna regis & pistor, similiter vocãtur Eunuchi. Idem sentit Thostatus. Sed is præterea argumentatur, Phutipharem illum, cui venditus est Ioseph, non fuisse verè & vt vulgò accipitur, Eunuchum: quòd cùm tria sint genera Eunuchorum, in nullo eorum generum iste Phutiphar recenseri queat. *Lyranus.* *Thostatus.*

Eunuchus tripliciter, Thostatus inquit, accipi solet. Est Eunuchus à natiuitate impotens, & necessitate castus, quantum ad actum. Alius est à seipso, vel ab aliis castratus. Tertius est, qui voluntariè propter Deum, & regnum cœlorum, quodammodo castrauit se, amputatis omnibus concupiscentiis, & desideriis carnis. Sed nullo istorum modorũ Phutiphar erat Eunuchus. Non primo modo, quia talis Eunuchus non potest generare, Phutiphar autem genera uit filiam, quam duxit Ioseph vxorem; & ob hãc ipsam causam nec secũdo modo potuit dici Eunuchus. Nec tertio modo fuit Eunuchus, tum quòd iste modus, apud Hebræos potius, & in sacris litteris celebris sit, quàm apud alias gentes: tũ quòd ex Traditione Hebræorũ, iste Phutiphar libidinosissimus fuerit. Appellatus igitur est Eunuchus, id est, minister, vel seruus regis: generaliter enim ministri omnes Dominorũ & Principum, vocari possunt Eunuchi: quẽadmodum infra Gen. 40. pincerna & pistor regis Pharaonis appellãtur Eunuchi. Sic Thostatus. *Thostatus.*

Oleaster, licèt dubitanter loquatur, existimat Hebræam vocẽ *Saris*, significare potiùs custodem domus aut personę, quàm Eunuchum propriè dictum, ad hunc modum scribens super hoc loco Geneſis: Tam nostri, quàm Hebræi vertunt hîc vocem *Saris* Eunuchum: sed statim excitatur quæstio ab omnibus, (vtinam tam bene soluta, quàm mota) qualiter hic fuerit Eunuchus, quem constat habuisse vxorem, quę deperibat Iosephũ. Hanc quæstionem Rabbi Dauid in libro Radicum soluit, dicens, eum, vt *Oleaster.* *Rabbi Dauid.*

rilem quidem habuisse neruum, sed amputatis testiculis, quod genus Eunuchorum etsi seminare nequit, concumbere tamen potest. Alij dicũt, eam vocem non solùm significare Eunuchũ, sed Principem. Verùm obstare videtur illud quod legitur libro 4. Reg. cap. 24. vbi sic est; *& Principes eius (& Sarisau) id est Eunuchos eius:* Vbi si secũdo loco *Principes* verras, inutilẽ facies repetitionẽ. Mihi verò videtur dictio Hebræa significare custodẽ domus, aut personæ: fieri tamen potuit, vt tales etiã essent Eunuchi, & quòd ea dictio vtrũq; significet, res nondũ mihi planè certa est; quæ cũ fuerit, indicabo, interim vtamur cõmuni expositione. Sic ille.

Auctoris sententia.

Locus Matt. c. 19 diligenter explicatus.

Varia genera Eunuchorum.

Ego meam quoque aperiam Lectori sententiam. Tria tradi in sacris literis Eunuchorum genera ignorare non potest, nisi qui earum litterarum planè indoctus est ac rudis. Etenim Saluator noster id docuit verbis illis quæ refert Matth. cap. 19. *Sunt Eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt, & sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum.* Natiui Eunuchismi faciunt quidã duo genera: alios enim nasci Eunuchos, virilitate priuatos, sicut nonnulli sine oculis, vel auribus, vel alio quopiam morbo nascuntur; alios verò dici Eunuchos naturaliter, quòd ob præfrigidam eius partis constitutionem impotentes sint rei venereæ. An prioris generis sit nunc aliquis Eunuchus, aut fuerit vnquã, qui sine virilibus à natura factus sit, nec inficiari ausim, nec affirmare. Equidem non memini legere apud vllum auctorem: nam Plinius, qui ca. 2. lib. 7. multiformes, & monstrosas hominum, apud varias gentes, figuras, & species, copiosè commemorat; de istiusmodi Eunuchis nihil. Quanquam, cur natura in hominum genere, sicut alia monstra, similiter huiusmodi Eunuchos, per quandam in operando aberrationẽ (vt loquitur Aristoteles) generare uon queat, non satis video.

Aristote. Quadruplex finis castrandi homines.

Alterius generis Eunuchorum, quod sit ab hominibus, quadruplex facicdi finis est. Castrantur enim homines, vel ad diuturniorẽ alienæ libidinis patientiã, conseruato puerilis formæ decore: vel quo puerilis vocis in canendo renuitas, & suauitas diutiùs seruetur: vel morbi cuiuspiã inibi sæuientis, nec aliter curabilis, propulsandi gratiâ: vel quo puerorũ & mulierum custodia istiusmodi hominibus tutò demandari possit. Fuisse autẽ varios modos castrandi, siue (vt Græcorum modo loquar) Eunuchizandi, disertè Paulus Ægineta docet illis verbis: Faciendi eunuchismi erant cõplures modi. Quidam fiebant excisione testium: quidam veretri etiã cum testium amputatione, qui mingebant per fistulam æneam, vt nunc quoq; quibus ob morbum ea pars secta est. Quidam etiam fiebãt testiculorum attritione. Ea verò erat, puello in balnea demisso, paulatim testiculos atterere vsq; dum velut dissipati euanescerent, atque ita contorquere, vt vena, quæ alimentum illis defert, velut nodo interciperetur, atque ita illi tabescerent. Itaque erant Eunuchi, vel solis testibus excisis. vel etiam cum veretro, vel testibus attritis. Sic ille.

Paulus de variis modis eunuchizandi homines.

Locus Deute. cap. 23.

Et hosce porrò Eunuchismi modos etiam diuina Scriptura indicat in cap. 23. Deut. verbis illis: *Non intrabit Eunuchus attritis, vel amputatis testiculis, & abscisso veretro Ecclesiam Domini.* Nec solùm in hominibus Eunuchismum

nuchismum auersabatur lex Mosis, verũetiam in animalibus quæ offerẽda erant Deo. Sic enim Leui. 22. *Omne animal, quod vel contritis vel truncis, vel sectis, ablatisque testiculis est, non offeretis Domino: & in terra vestra hoc omnino non facietis.* Hinc porrò enotescit, antiquiorẽ esse rem, quam quidam putant, eunuchismum: principes enim auctores eius quidam faciũt reges Persarum, & Medorum: cùm eius tamen, vt iam pridem factitati, & vsitati, mentionem faciat lex Mosis: haud paulò sanè gentiũ illarũ imperiis vetustior. Ammianus Marcellinus lib. 14. primã Eunuchismi originem refert ad Semiramidem Nini vxorem, & reginam Assyriorum, hanc enim ait, primam omnium, mares castrare cœpisse.

Antiquitas Eunuchismi.

Ammian. Marcelin.

111 Cæterùm varia olim Eunuchorũ apud Principes munera, & ministeria fuerunt. Et vt taceã infandum corporis obsequiũ, & seruitium alienæ libidinis, tria Eunuchorũ ministeria memorantur in lib. Esther ca. 1. & 2. Alij enim dicuntur fuisse principes consiliarij regis, & qui faciẽ eius videbãt, cum quibus scilicet præcipua Imperij Rex cõmunicabat, & quorũ in rebus arduis, & consiliũ exquirebat, & sequebatur sententiam: & hi septem numero erant. Alij dicũtur fuisse custodes & administri Reginæ & concubinarũ Regis. Commemorantur item alij duo ianitores Palatij Regis, vel, vt est Græcè, custodes corporis Regis. Quartũ ministeriũ Eunuchorum erat, custodẽ esse, ac præfectum cubiculi Principis, quo munere apud Holofernẽ, functũ esse Vagao Eunuchũ, legimus in libro Iudith ca. 12. Quintum ministeriũ: curam gerere & custodiã thesaurorũ Principis: Legimus in Actibus Apostolorũ ca. 8. Eunuchũ baptizatum à Philippo, fuisse super omnes gazas reginæ Candacis. Sextũ ministerium: esse belli duces & principes militiæ regũ. Nam & Rex Iudæorum Sedechias principem militiæ suæ habuit Eunuchum, vt Hieremias attestatur cap. 52. talisque fuisse apud Pharaonem hic Phutiphar, de quo nunc agitur, perspicuè dicitur secundùm trãslationem Latinã in fine huius ca. 37. vbi vocatur magister Militum; & initio cap. 39. vbi appellatur Princeps exercitus Pharaonis. Apud Ochũ quoq; Persarum Regẽ plurimũ auctoritate & potentia valuisse Begoa Eunuchũ, & Diodorus Siculus narrat lib. 16. & lib. 11. Antiq. tradit Iosephus. Septimum ministeriũ: custodem esse corporis Principis: Xenophon lib. 7. Cyripædias memoriæ prodidit, Cyrum censuisse, Eunuchis potissimum, quasi multis de causis fidissimo hominũ generi, custodiam, curámq; corporis sui credi oportere. Octauum ministerium: puerorum custodes, educatores, rectores item, primarúmq; litterarum & disciplinarum doctores fuisse Eunuchos, docet Plato lib. 3. de legibus. Ob hæc igitur ministeria Eunuchorum, maximo illi in pretio & honore apud reges erãt. Herodotus quidem certè in Vrania scribit, apud omnes barbaros, pretiosiores, & honoratiores fuisse Eunuchos, non castratis hominibus, fidei gratiâ videlicet.

Octo Eunuchorum olim apud Principes munera & ministeria.

Diodorus Siculus.

Iosephus.

Xenophon.

Plato.

Herodotus.

112 Eunuchos porrò, licèt impotentes essent peragendæ rei venereæ, eius tamen sensu, atq; cupiditate nequaquã caruisse, vel vnũ illud B. Augustini testimoniũ perspicuè demonstrat atque confirmat. Is enim lib. 6. cõtra Iulianum Pelagianũ cap. 14. ita scribit: Nam vtique concupiscere, viuentis

Eunuchos nõ carere sensu, & libidine voluptatis venereæ.

August.

sentientísque naturæ est: ita vt non desit cõcupiscentia, quam spadonum quoque castitas frænet: minùs quidem illa laborioſa, quia vbi matetiam, de qua operetur, non inuenit, minùs aduersus eam libido consurgit. Est tamen, pudicéque comprimitur: ne concumbendi, quamuis irritus ipse conatus in eam turpitudinem veniat, propter quam, Caligonum, Valentiniani iunioris Eunuchum, gladio nouimus vltore punitum, meretricis confessione conuictum. Neque enim in libro Ecclesiastico adhiberetur inde similitudo, atque diceretur: *Videns oculis, & ingemiscens, quasi spado complectens virginem, & suspirans*, nisi & ipsi mouerentur concupiscentiæ carnalis affectibus, licet destituti carnis effectibus. Sic Augustinus. Eôdem spectat illud Terentianæ Pythiæ;

Terentius in Eunuc.

Ego istos (Eunuchos) *audierã*, inquit, *amatores esse mulierum; vel maximos: Sed nihil potesse.*

Verùm reuertamur ad Phutipharem emptorem Ioſephi, *qui dictus* 113
est hoc loco secundùm Latinam translationem, Eunuchus, cùm tamen & habuerit vxorem, & filiam genuerit: cuius exsoluendæ quæstionis gratiâ, ad breuem de Eunuchis disputationem paulisper digressi sumus. Quærebatur igitur, quomodo verè appellari potuerit Eunuchus. Nam multifarius Eunuchismus suprà expositus, isti haudquaquam aptari potest. Duplex igitur soluendæ quæstionis ratio ad præsens occurrit. Vel enim sequenda est Traditio Hebræorum, quam hoc loco memorat, nec improbat Hieronymus, affirmantium, istum Phutipharem, quòd obscœnè cogitasset de Ioſepho, arefactis penitus à Deo virilibus factum esse Eunuchũ. Hoc si admittimus, dicamus necesse est, vocatum esse hoc loco Eunuchum per Anticipationem: nã quo tempore emit Ioseph, eo tempore nõ erat Eunuchus, sed postea in custodiã pudicitiæ Ioseph, factus à Deo est Eunuchus. Quod si Lector in hac Traditione Hebræorũ minimè acquiescit, sequatur licèt opinionem Lyrani, Thostati, Caietani atq; aliorũ, qui tradunt Eunuchi nomen ambiguæ significationis & vsurpationis esse: nã & pro eo qui castratus est vsurpari, & pro principali ministro apud Regẽ, siue in eius Palatio, siue extra, siue domi, siue militiæ, etiãsi castratus non fuerit. Nã quia Eunuchi principalia, & intima, necnisi fidelissimis credẽda regũ ministeria, & negocia tractabant, propterea factũ est, vt postea, qui eadẽ munera obirent, nomẽ Eunuchi retinerent, etiamsi verè nõ essent Eunuchi. Verùm ad alterã huius disputationis quæstionẽ pergamus.

Responsio ad principalem quæstionem, quomodo Phutiphar dictus sit Eunuchus.

Altera quæstio, super his verbis: *Magistro militum*, tractanda est. Vo- 114
catur Phutiphar hoc loco secundùm Latinam translationem vulgatam, Magister militum: at lxx. Interpretes Græcè vocant eum Ἀρχιμάγειρον, id est, principem siue præfectum coquorum: sic enim interpretantur Philo in libro de Ioseph, & Iosephus in libro primo Antiquitatum, & Sanctus Ambrosius in libro de Ioseph. Sedenim B. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Gen. super hoc loco censet, legendum esse potiùs: *Princeps exercitus, vel bellatorum*, quod idẽ est atque, *Magister militum*, sicut habet Latina Translatio. Sic enim scribit: In plerisque locis Archimagiros, id est coquorũ principes, pro Magistris exercitus, Scriptura commemorat,

Secunda quæstio, An Phutiphar fuerit Magister militum, an præfectus coquorũ Pharaonis.

Philo. Iosephus. Ambrosius. Hieronymus.

μα

μαγειρίων quippe, Græcè interpretatur occidere. Venditus est itaque Ioseph Principi exercitus & bellatorum Pharaonis. Sic Hieronymus: in cuius sententiam videtur satis propendere Augustinus. Nam cùm in Quæstione 127. in Genesim citasset Lectionem Græcam huius loci: *Vendiderunt Ioseph Petrefæ Spadoni præpositio coquorum*, subdit: Nolunt quidã præpositum coquorum interpretari, qui Græcè *Archimagiros* dicitur: sed Præpositum militiæ, cui esset potestas occidendi. Sic enim appellatus est etiam ille, quem Rex Nabuchodonosor misit, penes quem potius inueniri tur primatus fuisse militiæ. Sic Augustinus. *S. Augustinus*

Super vocis Hebręæ *Tabach* significatione, quam vertit Latinus Interpres Magistrum militum, differit in hunc modum Oleaster; Ex nostris quidam putant fuisse eum principem militiæ: alij præfectum coquorum: alij laniorum, id est, qui plectendorum hominum damnatorum curam habet: Verbum Hebraicũ *tabach* significat mactare, aut potius rem mortuam, aut morituram scindere, vt 1. Regum 25. *Victimam meam, quam* tãbach, *id est, iugulaui tonsoribus meis.* Constat igitur, verbum istud significare idem quod laniare, aut iugulare. Sed an vox *tabach* significet eum, qui animalia iugulat, siue laniat, vel potius qui homines, certum non est: Nã 1. Regum 9. legitur Samuelem dixisse *catabach*, id est, lanio, siue coquo, qui carnes decoquendas laniat; vt partem carnium meliorem seruaret Sauli. Apud Hieremiam verò cap. 39. dicitur de Nabuzardan, quod fuerit princeps *tabachim*, id est, militum: constat enim fuisse eum Principem militiæ, vt ibidem dicitur. Mihi autem videtur quòd iste Phutiphar fuit princeps laniorum, non quidem coquorum, sed eorum qui homines plectebant, & iugulabant, potuit tamen simul etiam esse princeps militiæ. Etenim de Banaia legitur 3. Regum cap. 2. quòd fuerit princeps militiæ Salomonis, qui tamen missus ab eo est ad occidendum Ioab. Quare crederem, tunc temporis munus laniandi reos demandatum fuisse principibus militiæ, & hoc significare voluit Chaldæus vertens hoc loco, Principem interfectorum. Sic Oleaster. A quo non discrepat Caietanus, ita scribens: In Hebræo est, *Principi occisorum*: Sed in dubium vertitur, an sit sermo de occisoribus hominum, quales sunt ministri iustitiæ, qui carnifices vocantur: an de occisoribus animalium, qui lanij appellãtur. Consonat autẽ magis ministerio Pharaonis, vt iste intelligatur Princeps exequentium iustitiam in criminibus, potius quàm princeps laniorum. Primum enim officium, Regia cura exigit, alterum verò in nulla apparet curia. Sic Caietanus. *Oleaster.* *Caietanus.*

116 Lyranus nostram translationem cum Græca Septuaginta Interpretum, & cum expositione Hebræorum componens atque concilians, sic habet super hoc loco: Pro *Magistro militum*, Hebræi exponunt, Magistro carnificum: verbum enim Hebræum, propriè significat *mactare*, vel *laniare*. Atque hoc quidem potest competere militibus, qui homines interficiunt in bello, & hunc sensum sequitur nostra translatio: Competit etiam carnificibus, siue laniis, qui mactant animalia, & hunc sensum sequuntur Hebræi, & in idem redit dictum Ioseph, appellantis Phutipha- *Lyranus.*

Eugubinus. rem principem coquorum. Hæc Lyranus. Audiamus etiam Eugubinum: cuius, vt ferè solet, vestigijs insistit Lippomanus in Catena. Affirmat, Hebræam vocem significare, occidere, ac mactare: hoc autem & ad mactationem animalium, quod est laniorum, vel coquorum, & ad occisionem hominum in bello, quod est militum, aptari potest. Ex quo diuersitas existit Latinæ translationis, & Græcæ: Hæc enim vertit, Principem coquorum; illa, Magistrum militum. Huiusmodi porrò ambiguitatem vocis Hebrææ, etiam declarat Aben Esra, his verbis: Inuenies hanc vocem tam ad occisionem referri, quàm ad id quod spectat ad culinam. Et verò pro vtraque interpretatione sunt idoneæ rationes. Infrà enim legitur: *Et tradidit eum in custodiam Principis Hatabachim:* id est, militum, seu carnificum: nam coquorum Principem, custodiam habuisse carceris, absurdum dictu videtur. Rursum cùm Phutiphar dicatur fuisse Eunuchus, è genere videlicet hominum imbelli, & effœminato; non est credibile, fuisse etiam à Rege præfectum militibus. Videtur igitur is fuisse præfectus Regis sicarijs, & carnificibus, quíque dãnatorum hominum plectendorum curam haberet. In hanc fermè sententiam Eugubinus.

Verùm nobis sequenda est, tuendáque Latina lectio huius loci, quæ habet, *Magistro militum:* Ea quippe placet Beato Augustino, & confirmatur Sancti Hieronymi auctoritate, viri sanè Hebraicarum, & sacrarum litterarum diligentissimi atque doctissimi: qui ob eam causam, testimonio ipsius Ecclesiæ adeò laudatur, vt is fuisse dicatur in exponendis sacris Scripturis, Doctor maximus, diuina prouidentiâ datus Ecclesiæ. Dices: Ergo lxx. Interpretes errarunt hoc loco, qui verterunt Archimagiro, id est, Principi coquorum? Minimè verò. Nam vox *Archimagiros* propriè significat principẽ occisorũ: μαγειρεῖον quippe, interprete Hier. Latinè est occidere. Sed nomẽ occisorũ, trifariàm potest intelligi. Vel enim sunt occisores hominũ in bello, quales sunt milites: Et in hãc sententiã Latinus Interpres vertit, *Magistro militum:* vel sunt occisores hominum propter eorum crimina, tanquam publicæ iustitiæ administri & executores, quam interpretationem secuti sunt Hebræi, & multi de nostris, suprà memorati. Vel sunt occisores animalium ad coquendum, & comedendum, vt sunt lanij & coqui: cui expositioni Philo, Iosephus, & Ambrosius institerunt. Cùm igitur vox *Archimagiros*, qua vsi sunt Septuaginta Interpretes, tres istas significationes & interpretationes capiat, Translatio Septuaginta Interpretum lectioni nostræ Latinæ aptari commodissimè potest: præsertim autem cùm Sanctus Hieronymus affirmet, Archimagiros pro Magistris exercitus in plerisque locis diuinam Scripturam commemorare. 117

Eximia laus B. Hieronymi

Auctoris sententia, & defensio Latinæ translationis.

Allegorica & Tropologica expositio huius historiæ secundũ Philonem.

Non est in præsentia nobilissimæ huius Historiæ Ioseph prætermittẽda interpretatio partim Allegorica, & partim Tropologica. Et allegorica quidem duplex est; vna Philonis, politica: Altera, Beati Ambrosij Theologica. Philo faciens Sanctum Ioseph tanquam imaginem quandam & figuram fuisse viri ciuilis, vt suprà pluribus exposuimus, quòd Ioseph sit venditus à fratribus, quòd putatus sit à bestijs deuoratus, & quòd in 118

Ægyp

Ægypto venditus sit cuidam Eunucho, & principi coquorum; hæc inquam, Philo per allegoriam accommodans ad virum rerum ciuilium tractatorem, & administratorem, hunc in modum disputat in libro, qui de Ioseph, siue de vita viri ciuilis inscribitur. Rectè dicitur, ciuilem hominem vendi. Nam qui auram populi captans, concionaturus, locum superiorem ascendit; sicut venalitij seruus fit ex ingenuo, propter honores vtique, quos ambit, addicens se innumeris dominis. Idem à feris circumuentus inducitur: quòd homini ciuili insidiatur immanis bestia, vana gloria; corripere, ac deuorare tales solita. Sed emptores Ioseph eum reuendunt, quoniam non vnus est dominus tractantium Rempublicam, sed vulgus, alijs post alios dominis succedentibus. Qui autem tertiò venduntur, hi nequam mancipiorum more mutant Dominos, non ferendo priores propter fastidium, vt rerum nouarum cupidi. Qui emit Ioseph in Aegypto, dicitur fuisse Eunuchus, & princeps coquorum. Nam emptor hominis ciuilis, quod est vulgus, reuera Eunuchus est. Et videtur quidem habere genitalia, sed vi generatiua destituitur, quemadmodum qui suffusos habent oculos, orbati sunt eorum efficacia, non valentes cernere. Sed quænam est similitudo inter vulgum, & Eunuchos? quòd vtrique steriles Sapientiæ, virtutem tamen approbant. Cùm enim confluit promiscua multitudo hominum, loquuntur vt oportet, sed sapiunt contrariè, posthabendo syncera fucatis, & legitima prauis, studentes solùm existimationi tuendæ, verámque honestatem negligentes. Hinc, quod mireris, sequitur vt Eunuchus vxorem habeat. Nam vulgus deditum est concupiscentiæ, sicut vir mulieri, in cuius gratiam dicit, facitque omnia: in consilium clã & palam hanc adhibens, & in rebus minimis æquè ac maximis, rationi verò nusquam obtemperans.

Philonis allegoria.

Rectè quoque princeps coquorum vocatur emptor Ioseph. Nam vt coquus nihil aliud curat, nisi inutiles ac superuacaneas ventris voluptates: eodem modo populus dat se totum oblectamentis aurium, per quæ mentis intentio relaxatur, & nescio quo pacto eneruatur anima. Quid autem inter medicos & coquos intersit, quis non videt? Illi, quicquid ad sanitatem conducit, etiamsi molestum ægroto, & ingratum videatur, & consulunt, & magno studio comparant. Hi contrà suauia tantùm curant, & vtilia negligunt. Ergo medicis similes sunt in ciuitate leges, & magistratus legitimi, & senatores, ac iudices prouidentes communi saluti ac saturitati: cupidinarijs autem, iuniorum & vulgi turba est similis, qui securi de commodis, præsentem tantùm voluptatem venantur. Hactenus
119 ex Philone.

Allegoria S. Ambro.

Beatus Ambrosius in lib. de Ioseph, ca. 4. hanc ipsam Historiam Ioseph allegorizat, sed ad Christum Dominum accommodando. Ductus est, inquit, in Aegyptum Ioseph, & emptus à Præposito coquorum. Non est otiosa persona, quæ cruda ciborum coqueret: vt epularentur animi, videlicet fidei suauitate: nullus enim cibus scientiâ & doctrinâ dulcior.

E rat

Erat antè in Ægypto cruda perfidia, quam nullus diuinæ cognitionis ardor,& verę ſcientiæ cupiditas molliuerat,non eloquia Domini ignita decoxerant. Venditus eſt Ioſeph in Ægypto,quiã Chriſtus venturus erat ad eos quibus dictum eſt,*Peccatis veſtris venditi eſtis*: Et ideo ſuo ſanguine redemit quos propria peccata vendiderunt, chirographum ſuſtulit, fœneratorem remouit, exuit debitorem: Vnus exſoluit quod ab omnibus debebatur. Non licebat nobis exire ſeruitio. Suſcepit hoc ille pro nobis, vt ſeruitutem mundi repelleret, libertatem Paradiſi reſtitueret, gratiam nouam, conſortij ſui honorem relinqueret. Hoc de myſterio.

Iſaia 58. Coloſſenſ.3

Idem autem eodem in loco adiungit moralem eiuſdem hiſtoriæ tractatum;ex Ioſeph exemplo illuſtria & ſalutaria proferens in medium documenta,& ſolatia ijs,qui vel ex conditione ſua, vel ex infortunio aliquo ſeruitute premuntur.Et Ambroſij quidem moralis ſuper hac *hiſtoria Ioſeph* diſputatio his verbis ab eo tractatur: Cæterùm quòd ad moralem pertinet locum,quia vult Deus omnes ſaluos fieri,dedit per Ioſeph etiam ijs qui ſunt in ſeruitute,ſolatium; attribuit magiſterium,vt diſcerent etiã in vltima conditione poſſe mores eſſe ſuperiores, nec vllum ſtatum immunem eſſe virtutis, ſi animus cuiuſque cognoſcat catnem ſeruituti ſubditam eſſe, non mentem: multóſque ſeruulos eſſe dominis liberiores, ſi in ſeruitute poſiti,à ſeruilibus putent operibus abſtinendũ. Seruile enim eſt omne peccatum, libera eſt innocentia. An ſeruus non eſt auarus qui pro exiguo pecuniæ lucello ſeipſum auctionatur? Nónne & ille ſeruus eſt qui ſeruit libidini? Suis enim ardet incendijs, & peccati ſui facibus exuritur. Suſcipit omnes metus: inſidiatur ſomnijs ſingulorum, & vt vnius cupiditate potiatur, fit ſeruus omnium. Nihil tam ſpeciale ſeruitutis eſt, quàm ſemper timere. Contrà verò in quauis conditione ſeruitij ille ſemper liber eſt qui amore non capitur, neque auaritiæ vinculis tenetur,neque alligatur timore criminis,qui ſecurus ſpectat præſentia, quem futura non terrent.Nónne videtur hic tibi in ſeruitute dominari,ille autem in libertate ſeruire? Seruiebat Ioſeph,regnabat Pharao,ſed beatior illius ſeruitus, quàm regnum huius: Denique tota Aegyptus collapſa eſſet fame, niſi rex ſeruili conſilio ſuum regnum ſubdidiſſet. Habent igitur vnde glorientur originales ſeruuli,Seruiuit & Ioſeph. Habent vnde ſe conſolentur,qui ex libertate in ſeruitutẽ aliqua neceſſitate venerint.Habent quod imitentur,vt diſcant conditionem mutari poſſe,non mores,eſſe in vernulis libertatem, & in ſeruitute conſtantiam. Habent etiam domini quod per ſeruulos bonos ſperent. Abraham filio ſuo per vernaculum inuenit vxorem: benedixit item Deus domum Aegyptij propter Ioſeph, ita vt dominus omnia ſua in ſeruuli manum traderet gubernanda. Sic Ambroſius.

Ambroſij Tropolog. 1. Tim.2.

BENE.

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA IN CAPVT TRIGESIMVM OCTAVVM GENESIS.

ARGVMENTVM.

Memoratur coniugium Iudæ cum muliere Chananæa; & in filios inde natos Dei vindicta: inceſtus præterea Thamar cum ſocero ſuo Iuda, & mira duorum filiorum eius procreatio.

EODEM tempore deſcendens Iudas à fratribus ſuis, diuertit ad virum Odollamitem, nomine Hiram. Viditque ibi filiam hominis Chananæi, vocabulo Sue: & accepta vxore, ingreſſus eſt ad eam. Quæ concepit, & peperit filium, & vocauit nomen eius Her. Rurſumque concepto fœtu, natum filium vocauit Onan. Tertium quoque peperit, quem appellauit Sela, quo nato, parere vltrà ceſſauit. Dedit autem Iudas vxorem primogenito ſuo Her, nomine Thamar. Fuit quoque Her, primogenitus Iudæ, nequam in conſpectu Domini: Et ab eo occiſus eſt. Dixit ergo Iudas ad Onan filium ſuum: Ingredere ad vxorem fratris tui, & ſociare illi, vt ſuſcites ſemen fratri tuo. Ille ſciens nō ſibi naſci filios, introiēs ad vxorem fratris ſui, ſemen fundebat in terram, ne liberi, fratris nomine naſcerentur. Et idcirco percuſſit eum Dominus,

1 2 3 4 5 6 7 8 9

10 quòd rem detestabilem faceret. Quamobrem dixit Iudas
11 Thamar nurui suæ, Esto vidua in domo patris tui, donec cre-
scat Sela filius meus: timebat enim ne & ipse moreretur, sicut
fratres eius. Quæ abiit, & habitauit in domo patris sui. Euo-
12 lutis autem multis diebus, mortua est filia Sue, vxor Iudæ: qui
post luctum consolatione susceptа, ascendebat ad tonsores
ouium suarum, ipse & Hiras opilio gregis Odollamites in
13 Thamnas. Nunciatúmque est Thamar quòd Socer illius ascē-
14 deret in Thamnas ad tondendas oues. Quæ depositis vidui-
tatis vestibus, assumpsit theristrum: & mutato habitu, sedit in
biuio itineris, quod ducit Thamnam: eo quòd creuisset Sela,
15 & non eum accepisset maritum. Quam cùm vidisset Iudas,
suspicatus est esse meretricem: operuerat enim vultum suum
ne agnosceretur. Ingrediénsq; ad eam ait: Dimitte me vt co-
16 eam tecum: nesciebat enim quòd nurus sua esset. Qua respon
dente: Quid dabis mihi vt fruaris concubitu meo? dixit: Mit-
17 tam tibi hœdum de gregibus. Rursúmque illa dicente. Patiar
quod vis, si dederis mihi arrhabonem, donec mittas quod pol
18 liceris. At Iudas: Quid tibi vis pro arrhabone dari? Respondit:
Annulum tuum, & armillam, & baculum quem manu tenes.
19 Ad vnum igitur coitum mulier concepit: & surgens abiit: de-
positóque habitu quem sumpserat, induta est viduitatis vesti-
20 bus. Misit autem Iudas hœdum per pastorem suum Odolla-
mitem, vt reciperet pignus, quod dederat mulieri; qui cùm nō
21 inuenisset eam, interrogauit homines loci illius: Vbi est mu-
lier quæ sedebat in biuio? Respondentibus cunctis: Non fuit
22 in loco isto meretrix. Reuersus est ad Iudam, & dixit ei: Non
inueni eam: sed & homines loci illius dixerunt mihi, nunquā
2 sediſſe ibi scortum. Ait Iudas: Habeat sibi, certè mendacij ar-
guere nos non potest: ego misi hœdum quem promiseram: &
24 tu non inuenisti eam. Ecce autem post tres menses nuncia-
uerunt Iudæ, dicentes, Fornicata est Thamar nurus tua, & vi-
detur vterus illius intumescere. Dixítque Iudas: Producite
25 eam vt comburatur. Quæ cum duceretur ad pœnam, misit ad
socerum suum, dicens: De viro, cuius hæc sunt, cōcepi: cogno-
26 sce cuius sit annulus, & armilla, & baculus. Qui agnitis mune
ribus, ait: Iustior me est: quia non tradidi eā Sela filio meo. At-
27 tamen vltra non cognouit eam. Instante autē partu, apparue-

runt

runt gemini in vtero:atq; in ipsa effusione infantũ vnus protulit manum:in qua obstetrix ligauit coccinum,dicẽs:Iste egredietur prior. Illo verò retrahente manũ, egressus est alter:dixítq; mulier; Quare diuisa est proprer te maceria? Et ob hanc causam vocauit nomen eius Phares. Postea egressus est frater eius,in cuius manu erat coccinum:quem appellauit Zara.

PRÆFATIO.

1 *ANte alia dignum quæri videtur,cur Moses, qui proximè orsus fuerat historiam Ioseph, mox eam, abrupto narrationis filo,omittens,interposuerit historiam cõiugij Iudæ, & generationis filiorum eius:præsertim autem, cùm de nullo aliorum filiorum Iacob,nisi de Ioseph,Moses talia commemorauerit.Verùm scire conuenit,vt hanc historiã scriberet Moses,causam fuisse nobilitatem tribus Iuda,super alias omnes populi Hebræi tribus;ex qua scilicet tot tantíque Reges,atq; adeo Messias ipse,generãdi erant:cuius admirabilis prima origo ex incestu nurus cum socero, primáque filiorũ, non sine miraculo,generatio,visa est Mosi haudquaquã reticenda. Nec ad eam historiam memoriæ prodendam, non diuino consilio, & prouidentia incitatus est Moses:nimirum eius contemplatio plurimum valere debebat ad deprimendam Iudæorum arrogantiam,de sui generis claritate mendaciter gloriantium, quorum tamen prima generis primordia fœdissima,& sanè quàm pudenda, & probrosa fuerunt. Non puduit eos dicere CHRISTO Domino nostro, vt est in Euangelio Ioannis capite octauo:* Nos semen Abrahæ sumus,& nemini seruiuimus vnquam. *Et paulò infrà:* Nos ex fornicatione non sumus nati: *Sed vtrumque apertum fuit & insigne mendacium. Nam & sæpissimè seruierunt gentibus, tam vicinis, quàm longinquis; & prima nobilissimæ tribus eorum origo, ex alienigena muliere fuit, & ex incestu nurus cum socero. Valet etiam id ad commendandam CHRISTI Domini humilitatem, qui vt pro peccatoribus turpissima morte affici,ita ex turpissimis peccatoribus secundùm carnem genus ducere non erubuit. Sunt præterea quædam in hac Historia permira, & cognitu salubria, & memoratu dignissima. Sed cur statim post inchoatam historiam Ioseph,hanc subtexuit Moses? Videlicet,*

Cur Moses, historiam incestus Thamar cũ Iuda, scriptis prodere voluerit.

quæ narrantur in hoc capite trigesimo octauo, ea post venditionem Ioseph suprà expositam euenerunt. Moses itaque volens ordinem sequi temporis, quo res gesta erat, narrata venditione Ioseph, proximè Historiæ huius expositionem adiunxit: maximè verò, quòd posthea historia Ioseph, vsque in finem libri continenter fermè pertexenda erat.

PRIMA DISPVTATIO.

Super quæstione perardua, & admodum perplexa, de tempore quo euenerunt quæ narrantur hoc Capite.

Super illis verbis,

VERS. 1. Eodem tempore descendens Iudas à fratribus suis, diuertit ad virum Odollamitem, nomine Hiram. Vidítque ibi filiam hominis Chananęi, vocabulo Sua, & accepta vxore ingressus est ad eam, &c.

ILLA verba: *Eodem tempore descendens Iudas à fratribus* &c. 2 obscurissimam, & implicatissimam quæstionem continent. Nam illud, *Eodem tempore*, significat circa tempus, quo venditus est Ioseph: idque duplicem habere intellectum potest, vel paulò ante venditionem Ioseph, vel post. Quæritur an quæ narrantur hoc capite, euenerint ante venditionem Ioseph, an post. Verùm duo antè constituenda sunt, quæ pro veris, & certis haberi debent. Primò ponendum est, quæ narrantur hoc capite 38. gesta esse ante ingressum Iacob cum omni familia sua in Ægyptum. Hoc enim dupliciter manifestum est; tum quia quæ narrantur hoc capite, acta sunt in terra Chanaan, ad quam vtique Iuda post ingressum cum patre suo in Ægyptum, nequaquam est regressus: tum etiam quia memoratur infrà Gene. 46. Iudas intrasse in Aegyptum, cum duobus filiis suis Phares & Zara; horum autem generatio narratur in fine huius capitis. Illud quoque ponatur hic tanquam certum, à tempore, quo venditus est Ioseph, ad id temporis, quo Iacob intrauit Aegyptum, vocatus ab ipso Ioseph, præteriisse annos tres & viginti. Etenim Ioseph sexdecim natus annos est venditus, Gene. 37. cùm autem Iacob intrauit Aegyptum, agebat Ioseph ætatis annum trigesimum nonum, quod ex capite 41. & quadragesimo quinto Geneseos planè colligitur. Illic enim dicitur Ioseph fuisse triginta annorum, cùm à Rege præpositus est Aegypto. Inde secuti sunt septem anni vbertatis: Et post hos, septem alij sterilitatis, & famis; quorum secundo anno, qui fuit trigesimus nonus Ioseph, Iacob vocatus à Ioseph, intrauit Aegyptũ, vt traditur Gen. 45. A tempore itaque venditionis Ioseph, vsq; ad tẽpus ingressus

Quantum tẽporis interfluxerit inter vẽditionem Ioseph & ingressum Iacob in Aegyptum. Gene. 41.

ingressus Iacob in Aegyptum, fluxêre viginti tres anni. Sed hisce duabus sententijs constitutis, reuertamur ad propositam quæstionem.

3 Quærebatur suprà, an quæ narrantur hoc cap. 38. euenerint ante venditionem Ioseph, an post: vtrumcumque enim dicatur, magnis id est implicatum difficultatibus. Nam si antè; cur non etiam antè Moses exposuit hanc historiam? Id enim exigebat ratio temporis, idque poscebat rectus scribendæ historiæ ordo, atque id si fecisset Moses, inchoatam historiam Ioseph non statim interrupisset: sed, quod erat aptius & commodius, vniuersam ad vsque finem continente serie pertexuisset. Sin autem post venditionem Ioseph contigerunt, quæ memorantur hoc capite, quî fieri potest, vt intra viginti tres annos (tot enim à venditione Ioseph, vt proximè dictum est, ad ingressum vsque Iacob in Aegyptum computantur) omnia facta sint, quæ hîc commemorantur, coniugium Iudæ, generatio successiua trium filiorum eius, adulta eorum iam ætas, & matura coniugio, quod alius post alium inijt, viduitas Thamar, & diutina mansio eius in domo paterna, quoad filius Iudæ adolescceret in ætatem matrimonio idoneam, firmámque; posthæc incestus Thamar cum Iuda, & inde generatio duorum filiorum.

Hæc omnia intra viginti tres annos non videntur geri potuisse. Hanc sanè ob causam B. August. quæst. 128. in Genes. super hac quæstione pluribus disputans, denique eo propensior est, vt hæc ante venditionem Ioseph gesta existimet. Quomodo, inquit, hæc omnia intra viginti duos annos fieri potuerint, meritò mouet. Nisi, vt fortè solet Scriptura per recapitulationem, aliquot annos ante venditum Ioseph hoc fieri cœpisse intelligi velit. Et paulò infrà sub finem eius quæstionis subdit hæc: Nisi fortè credimus (& hoc enim fieri potuit) mox vt adolescere Iudas cœpit, eum incidisse in amorem eius quam duxit vxorem, nondum vendito Ioseph. Sic Augustinus. *B. August.*

Sed enim istam difficultatem, quam tantopere exaggerat Augustinus, non magni negotij esse videtur explicare. Posito enim, historiam huius capitis sequi ordine temporis venditionem Ioseph, licet, quæ narrantur hoc capite, intra viginti tres illos annos inter venditionem Ioseph, & ingressum Iacob in Aegyptum, omnia concludere ad hunc modum: Quo anno venditus est Ioseph, eodem ipso Iudas duxit vxorem, filiâ Sua Chananæi, & sub finem eius anni, genuit primum filium, cui nomen Her, & inde alios duos successiuè. Her decem & septem annos natus, duxit Thamar vxorem, id est, anno post coniugium patris decimo octauo: sed quia pessimus erat, occisus est à Deo sub finem anni eius decimi octaui. Initio anni decimi noni successit in coniugium eius alter filius Iudæ, vocatus Onan, qui ob nequitiam statim eodem illo anno perijt. Tunc coacta est Thamar expectare, donec Sela, tertius Iudæ filius, magis adolescceret: ponamus id tempus fuisse duorum vel trium annorum, tunc enim Sela fuisset annorum circiter viginti, maior nempè prioribus suis fratribus: expectauit igitur Thamar vsque ad vigesimũ secundũ annũ à coniugio Iudæ. Tunc videns se frustrari spe habendi Selàm maritum, quæsiuit per simu-

lationem concubitum Iudæ,& inde duos filios gemellos genérauit,anno videlicet vigesimo secundo post coniugium Iudæ.Anno postea vigesimo tertio expleto,intrauit Iuda cum duobus filijs in Ægyptum.Hinc,opinor, aduertit Lector,difficultatem exagitatam à B.August.eo modo quo diximus,dissolui posse.

Ardua,& primori aspectu inexplicabilis quæstio.

Atenim est altera difficultas multo impeditior, multóque perplexior. 5 In hoc enim ipso libro Genesis infrà ca.46. vbi memoratur ingressus Iacob in Ægyptum cum omni familia sua, traditur, Iudam intrasse tunc Ægyptum vnà cum filio suo Phares,& duobus eius filiis,suísque nepotibus,Hesron,& Hamul. Hos cùm genuit Phares, non potuit esse minor anno decimo sexto:sed ipse genitus fuerat,vt paulò antè ostensum est,anno circiter vigesimo secundo post coniugium patris sui Iudæ cum muliere Chananæa, vt narratur in exordio huius capitis 38. Ergo à coniugio illo Iudæ,quod fuit post venditionem Ioseph, vsque ad ingressum Iudæ cum filijs & nepotibus suis in Aegyptum, fluxissent anni triginta octo, duo scilicet & viginti vsque ad ortum Phares, & anni sexdecim vsque ad generationem filiorum eius: cùm tamen suprà demonstratum sit ex ipsa Scriptura,non plures viginti tribus annis computari à venditione Ioseph, vsque ad ingressum Iacob in Aegyptum.

Si quis autem,vt hanc euitet difficultatem,dicat coniugium illud Iudę fuisse ante venditionem Ioseph,annis quindecim,tot videlicet vt summa illa viginti trium annorũ à venditione Ioseph vsque ad ingressum Iacob in Aegyptum firma consistat:is profectò,vt fertur prouerbio,

Incidit in Scyllam,cupiens vitare Charybdim.

Sic enim necessum erit dicere,Iudam cùm illam duxit vxorem,quinque dũtaxat fuisse annorũ.Etenim Iudas quatuor tantùm annis prior natu erat quàm Ioseph,vt colligitur ex cap. 29.& 30. Genes. Siquidem Iudas natus est anno vndecimo,quàm pater eius Iacob venerat in Mesopotamiam : Ioseph autem anno decimo quarto iam exacto. Ergo si Ioseph erat sexdecim annorum,cùm est venditus,vt dicitur Genes. 37.erat tum Iudas viginti annorũ : quare si quindecim annis ante venditioné Ioseph inijt coniugium illud cum muliere Chananæa,necesse est initum esse cõiugiũ,& ex eo generatos filios Iudæ anno ætatis eius quinto : hoc autem non solùm incredibile dictu,sed impossibile factu est; nisi quis ad diuinæ Omnipotentiæ miracula temerè confugiat.Siue igitur istud Iudæ coniugium locetur ante venditionem Ioseph,siue post ; vtroque sanè modo inextricabilis,vt videtur,existit quæstio.

Auctoris solutio duplex superioris difficultatis.

Duplex mihi ad præsens occurrit exsoluendi huius nodi via,& ratio, 6 quam breuibus dicam Lectori. Primò dicendum est, duos illos filios Phares,Hesron & Hamul,qui memorantur Genes. 46. non fuisse natos ante ingressum Iacob in Aegyptum,sed aliquot post annis.Cur igitur isti numerantur ibi inter ingredientes in Aegyptum ? quia etsi non per se, in suo tamen patre,qui verè ingressus est Aegyptum,etiam ipsi existimantur intrasse.Hoc namque modo,enumeratis Moses eo loco filijs & nepotibus Liæ,subdit,eos fuisse genitos in Mesopotamia: quod tamen falsum est de

filijs

filijs Iudæ generatis in terra Chanaam, vt dicitur in hoc capite: Immò de filijs Ruben, Simeonis, & Leui, idem dicendum est: cùm enim Iacob discessit ex Mesopotamia, Ruben erat annorum tredecim, Simeon duodecim, Leui vndecim, Iuda decem, in qua ætate, non est credibile iam eos genera sse filios: quam fortasse ob causam suprà Genes. 35. vbi recensetur progenies Iacob, soli numerantur eius filij, nec vllius eorum nominatur filius. Ergo quod dicitur de filijs & nepotibus Liæ, ab ea genitis in Mesopotamia, interpretandum est de filijs quidem Liæ, per se atque immediatè, de nepotibus autem eius, mediatè, & in eorum patribus, qui nati fuerant in Mesopotamia. Ad hunc scilicet modum soluit istam quæstionem Augustinus in quæstione 151. in Genes. Magna, inquit, quæstio est, quomodo triginta tres animæ ex Lia genitæ fuerint in Mesopotamia: nisi quia illa locutio confirmatur, tanquam ibi omnes ortæ sint, quarum parentes ibi orti sunt. *Augustinus.*

7 Quod autem inter eos, qui ingressi sunt in Aegyptũ vnà cum Iacob, & recensentur à Mose infrà Genes. 46. aliqui fuerint ibi commemorati, nondum tunc nati, sed multis pòst annis; manifestum facit commemoratio filiorum Beniamin eo loco posita. Numerat Moses decem filios Beniamin; sic enim Hebraica & Latina lectio appellat: quos tamen omnes non fuisse à Beniamin proximè genitos, sed quosdam fuisse nepotes, & pronepotes eius, perspicuè demonstrat lxx. Interpretum in eo loco translatio. Nam licet secundùm Hebraicam & Latinam lectionem Genes. 46. Bela & Gera, & Ared, nominentur filij Beniamin; attamen Septuaginta, qui hæc distinctiùs & enucleatiùs descripserunt, Belam faciunt filium Beniamin; Geram autem, filium Belæ, & nepotem Beniamin; Ared verò, filium Geræ, & pronepotem Beniamin. Beniamin porrò, cum intrauit Aegyptũ, vigesimum tertium annum ætatis non excedebat; siquidem natum esse ostendimus suprà, eo anno quo Ioseph venditus est, aut iuxta. Non potuit igitur fieri, vt Beniamin intra viginti tres ætatis suæ annos, & filiũ habuerit & nepotem, ac pronepotem: sed necesse est nepotem & pronepotem, aliquot annis post ingressum eius in Aegyptum esse natos.

8 Altera eiusdẽ quæstionis enodandæ ratio indicata nobis est à B. Aug. Is enim quæstione vltima in Genesim docet, per ingressum Iacob in Aegyptum, non esse illud tantùm tempus præcisè intelligendum, quo ipse primùm intrauit; sed quoad ipse vixit in Aegypto post ingressum, per annos scilicet decem & septem. Vel potiùs per illum ingressum Iacob intelligere oportet omne tempus, quo vixit Ioseph post ingressum patris, per annos nempe vnum & septuaginta. Nam quia Iosepho vocante, & procurante apud Regem, Iacob venit in Aegyptum, & ibi humaniter acceptus à Rege, ac liberaliter tractatus est, atque in optimo Aegypti solo collocatus: idcirco significatio & vsurpatio ingressus Iacob in Aegyptum extenditur vsque ad finem vitæ Ioseph. Et hac ratione Augustinus soluit difficultatem, qua vehementer premi videtur translatio lxx. Interpretum in cap. 46. Geneseos: vbi omnes animas quæ ingressæ sunt cum Iacob in Aegyptum, tradunt fuisse septuaginta quinque,

cùm

cum Scriptura Hebraica, septuaginta solùm enumeret. Sed illi addiderũt ei numero quinque, partim nepotes, partim pronepotes Ioseph, haud dubiè natos post mortem Iacob. Ex quo argumentatur Augustinus, per ingressum Iacob in Aegyptum significari omne tempus, quod ab ingressu Iacob protẽditur vsque ad finem vitæ Ioseph. Idem traditur ab ipso in lib. 16. de Ciuitate Dei sub finem, ca. 40. Atque hæc sunt, quæ super proposita quæstione, in præsentia dicere habui.

SECVNDA DISPVTATIO.

De peccato Her primogeniti Iudæ, quem Scriptura dicit fuisse nequam in conspectu Dei.

Super illis verbis,

VERS. 7. Fuit Her primogenitus Iudæ, nequam in conspectu Domini: Et ideo ab eo occisus est:

Quod fuerit peccatum Her.

PRIMA quæstio hîc tractanda est, quodnam fuerit peccatum Her: Scriptura enim nullum eius peccatum nominatim exponit, contenta dicere in vniuersũ, fuisse eũ nequam in conspectu Domini. B. Augustinus. lib. 22. contra Faustum cap. 84. si- 9

S. Augustinus.

gnificat peccatum eius fuisse crudelitatis & sæuitiæ, dicens fuisse eum malignum & sæuum. Cùm enim duo sint genera hominum, vnum nocentium alijs; alterum, prodesse alijs nolentium: prius genus hominum significatum esse ait, per filium Iudæ, nomine Her, qui erat malignus & sæuus: posterius autem genus hominum, esse figuratum per alterum filium Iudæ, vocatum Onan, qui ne gigneret filios fratri suo mortuo, accedens ad vxorem, ante fundebat semen in terram. Sed huius opinionis suæ sectatores non habuit Augustinus. Alij coniectant, fuisse peccatum contra naturam, quod admittebat, abutens vxore extra vas muliebre. Coniectura istorũ, huiusmodi est: Iste dicitur fuisse nequam in conspectu Dei, & idem dicitur suprà Genes. 13. de Sodomitis: *Homines Sodomitæ* (inquit Scriptura) *pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis*: Sed prævaluisse videtur Traditio Hebræorum, quam plerique Nostrorum, etiam sequuntur. Aiunt isti, Thamar fuisse pulcherrimam fœminam, eámque perditè adamatam esse ab Her. Qui quo diutius illibata eius pulchritudine frui posset, sciens per grauidationes, & partus defloreſcere decorẽ, & venustatem muliebrẽ, in congrediendo cũ Thamar, effundebat semen extra vas illius, ne grauidari posset. Hoc secutus Caietan. Quæ fuerit, inquit, malitia Her, non dicit Scriptura: Sed Hebræi tradunt, malitiam eius fuisse studium impediendi imprægnationem vxoris, propter nimiũ amoris ardorem erga illã: Vnde & significanter appellatur malus in oculis Iehouah,

Traditio Hebræorum.

Caietanus.

hoc

hoc est, fontis essendi, seminando enim ita, vt generatio non sequeretur, malè merebatur de fonte essendi. Sic ille.

10 Cassianus peccatum istud Her, speciem facit fornicationis, nominatam à Theologis mollitiem, & à B. Paulo immunditiam. Scribit enim in cap. 11. Collationis octauę de peccato Onam, qui frater fuit Her, (simile autem fuisse peccatum vtriusq; creditur) ad hunc modum: Fornicationis tria sunt genera. Primum, quod per commixtionē sexus vtriusque perficitur. Alterum, quod absque fœmineo tactu fit, pro quo Onam, filius patriarchæ Iudæ à Domino percussus legitur. Hoc in Scripturis sanctis immunditia nuncupatur, de quo Paulus ad Colosſ. 3. *Mortificate*, inquit, *membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, &c.* Et ad Ephes. 5. *Fornicatio, & immunditia nec nominetur in vobis.* Tertium genus fornicationis est, quod animo ac mente concipitur, de quo Dominus in Euangelio Matth. 5 *Qui viderit*, inquit, *mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Hæc Cassianus. *Cassianus.*

Immunditiæ verò peccatum, censetur à Theologis peccatum contra naturam, quòd repugnet ordini naturali actus venerei, ordinati ad generationem prolis. Peccatum enim contra naturam, vt docet S. Thomas in Secunda Secundę quæst. 154. art. 11. plurifariàm potest fieri. Vel si absque omni concubitu, causa delectationis venereæ, pollutio procuretur, quod pertinet ad peccatum immunditiæ; quam quidam mollitiem vocant. Vel si fiat per concubitum cum re non eiusdem speciei, quod vocatur bestialitas. Vel si fiat per concubitum cum non debito sexu, vt maris cum mari, vel fœminæ cum fœmina, vt Apostolus ait ad Romanos primo, quod appellatur vitium Sodomiticum. Vel denique si non seruetur naturalis modus concumbendi, aut quantum ad instrumentum non debitum, aut quantum ad alios monstrosos & bestiales concumbendi modos. Inter ista autem peccata contra naturam, infimum locum tenet peccatum immunditiæ, grauissimum autem est peccatum bestialitatis, post hoc verò est vitium Sodomiticum, & post hoc est, cùm non seruatur debitus modus comcumbendi. Magis autem peccatur, si non sit debitum vas, quàm si sit inordinatio secundùm alia pertinentia ad modum concubitus. Hæc ex Beato Thoma in prædicta quæst. artic. 11. vt diximus, & item 12. *S. Thomas Quomodo peccatum immunditiæ sit peccatū contra naturam.*

11 Altera quæstio est, quibus modis peccauerit Her, & quàm multipliciprauitate actus eius deformatus fuerit. Videtur peccasse quinq; modis. Primò quidem, pessimo genere intemperantiæ. In coniugio enim, posthabito proprio eius fine, solum spectauit & quæsiuit sensum, atq; gustum, &, vt in Scholis loquimur, fruitionē delectationis ac voluptatis venereæ. Atque id non fecit repentina quapiam & vehementi perturbatione animi correptus & incitatus, vt facere solent incontinentes, sed consulta opera, firmoque proposito, atque ex electione; talem sibi videlicet, homo nequissimus, coniugij finem, fructúmque proponens. Deinde peccauit, magnam Deo ipsi iniuriam faciens, qui in humana natura vtrumq; sexum cōdidit, & omnia quæ ad generationem prolis, *Her peccasse grauiter quinque modis.* *Genes. 1. & 2.*

non solùm necessaria, sed etiam vtilia generādæ proli futura erant, copiosissimè & aptissimè, & ordinatissimè eidem naturæ indidit; & vt legitimè fieret generatio prolis, statim in exordio mundi Matrimonium instituit, edicens, vt per illud crescerent & multiplicarentur, ac replerent terram. Her igitur, quantum in ipso fuit, tam sanctam Dei & vtilem institutionem frustrabatur.

Genes. 8.

Ad hæc, maximam vxori suæ Thamar iniuriam & contumeliam faciebat, præpediens eius fœcunditatem, priuansq; eam ingenti bono, & gaudio & ornamento, quod ex generatione prolis mulieribus accedit: nec ea, vt coniuge vtens ad generationem prolis, sed tāquam vilissimo scorto abutens ad turpissimam voluptatem. Præterea, sibi ipse iniuriosissimus & nocentissimus erat, adimens sibi, quo nihil in humanis bonis optabilius homini accidere solet: quid enim optabilibus ijs qui sunt in coniugio, quàm multæ ac pulchræ prolis parentes fieri? Per filium enim pater, etiam mortuus, quodammodo viuit, ac seipsum propagat: *Mortuus est pater*, inquit Scriptura; *Et quasi non mortuus esset: similem enim reliquit sibi.* Et Aristoteles perfectum esse censet vnumquodq; in viuentibus, cùm sui simile potest producere, & alio loco naturalissimum esse dicit operum in viuentibus, quæcumque perfecta sunt, facere aliud, quale ipsum, vt ipsi semper & esse diuino participent, prout possunt: omnia enim illud appetunt, & illius causa agunt omnia, quæcumque agunt secundùm naturam. Et quia nihil contingit corruptilium, idem & vnum numero permanere, permanet non ipsum, sed quale ipsum, numero quidem non vnum, specie autem vnum. Sic Aristoteles. Postremò, ingenti damno afficiebat genus humanum, quantum in ipso erat, planè destruens illud ac tollens de medio, quippe qui coniugio, ad propagationem humani generis instituto, non ad hunc finem vtebatur, sed ad inanem tantùm, & sterilem, & obscœnam voluptatem. Celebris est illa B. Augustini sententia in lib. de bono coniugij cap. 16. Quod est cibus ad salutem corporis, hoc est concubitus (coniugalis scilicet & legitimus) ad salutem humani generis. His itaque modis grauissimè peccauit Her.

Eccles. 30.
Arist. lib. 4. Meteor. & 2. de Anim. Text. 34.
S. Augustin.

Tertia quæst. Quid est illud, *Fuit nequam in conspectu Domini.* Thostatus interpretatur *in abscondito*, quoniam, inquit, nequitia eius non patebat aliis, sed solus Deus, præter ipsum & vxorem eius conscius illius flagitij erat. Et idcirco Deus occultè occidit illum, tali tamen plaga, quæ satis indicaret, mortem eius non ei naturaliter contigisse. Atenim idem Thostatus super illis verbis cap. 13. Genesis: *Sodomitæ erant pessimi coram Domino nimis*: contrario modo exponit *Coram Domino*, videlicet pro eo quod est, palàm: & publicè sine vllo pudore, atque hominum, Deique respectu, sicut dixit Isaias: *Quasi Sodoma peccatum suum prædicauerunt, nec absconderunt.* Ast ego obseruaui in Scriptura, aliquid dici esse tale, siue in laudem, siue in culpam, *coram Deo*, quod sit verè, & simpliciter, & maximè tale. Nam cùm Deus perfectissimè cognoscat res omnes, & vt ipsæ sunt, ita de ipsis sentiat ac iudicet: idcirco cum aliquid dicitur

Quid est illud frequens in Scriptura in cōspectu Dei vel coram Deo.

11

dicitur esse tale coram Deo, significatur id esse verè, & simpliciter, & maximè tale. Ad hanc sententiam Nemrod dictus est Genes. 10. robustus venator coram Domino. Lucas cap. 1. ait Zachariam & Elizabeth fuisse iustos ante Deum, & filium eorum Ioannem, fore magnum coram Domino: & apud Ionam cap. 1. dicitur Hebraicè, Niniue fuisse ciuitas magna Deo, siue coram Deo. Verùm super hac re nos pluribus disseruimus in Tertio Tomo nostrorum Commentariorum in Genesim super cap. 13. num. 34. & 35. Ergo dicitur Her fuisse nequam coram Deo, id est, verè, atque vt ita loquar, perfectè nequam. Illud porrò quod adiungit Moses: *Et idcirco occisus est à Deo*: significat non morte naturali occidisse, sed tali genere mortis, vt satis appareret id ei vindictæ, & supplicij causâ fuisse diuinitus illatum. Nec temerè crederet quisquam, ad eum modum illum fuisse occisum, quo narratur in libro Tobiæ cap. 6. septem viros Saræ fuisse interfectos per Dæmonem. Scriptum enim ibi est, Angelum Raphaëlem dixisse Tobiæ: *Ostendam tibi qui sunt, quibus potest prævalere Dæmonium. Hi namque, qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem Dæmonium super eos.*

13 Quarta quæstio, Quid mulieris fuerit illa Thamar, quæ nupsit filiis Iudæ: ex qua gente fuerit, cuius conditionis, quibus moribus? Huic ego quæstioni respondebo verbis Philonis, quæ sunt in libro eius de Nobilitate. Hanc nobilitatem, inquit Philo, non solùm viri Deo chari, sed etiam mulieres æmulatæ sunt, oblitæ ruditatis, ac simulachrorum quæ coluerant, institutæ verò ad vnius Monarchæ notitiam, cuius solius imperio mundus regitur. Thamar nata fuit in Palæstina Syriæ, educata in patria cultrice multorum numinum: vbi omnia plena erant statuis, & delubris, & id genus cæteris superstitionibus. Sed postquam ei contigit, velut è profundissima caligine paruum quendam splendorem veritatis aspicere, capitis sui periculo ad pietatem transfugit, nihili pendens vitam, si non daretur bene viuere: rectam autem vitam in eo sitam censebat, si daretur colere adoraréque vnum Auctorem rerum omnium. Hæc duobus deinceps fratribus, ambobus scelestis nupserat; priori, puella; posteriori verò, ex decreto iudicum, quia prior sine liberis decesserat. Ea porrò mulier, seruata vitæ integritate, tum ipsa in bona existimatione fuit, tum posteris suis omnibus nobilitatis exordium præbuit. Et quamuis alienigena esset, fuit tamen ingenua, nec fortè obscuris natalibus. Sic Philo.

Qualis mulier fuerit Thamar. Philo.

TERTIA DISPVTATIO.

De peccato alterius filij Iudæ, cui nomen Onan.

Super illis verbis,

Dixit Iudas ad Onam filium suum: Ingredere ad vxorem fratris tui, & sociare illi, vt suscites semen fratri tuo. Ille sciens non nasci sibi filios, introiens ad vxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne filij fratris nomine nascerentur; & idcirco percussit eum Dominus, eo quòd rem detestabilem faceret.

PRIMA quæstio hîc agitanda est super illis verbis: *Ingredere ad vxorem fratris tui, vt suscites semen illi.* Cùm enim fuerit hoc præceptum per legem Mosis datum Hebræis, vt traditur Deut. 25. quî fieri potest, vt ista lex siue præceptum, plus ducentis triginta annis ante legẽ Mosis iam vigeret, & vim haberet obligandi? concessu enim omnium prima Lex à Deo hominibus data fuit, quæ per Mosen lata est. Sed breue responsum est: non fuisse id ante legem Mosis præscriptum & præceptum lege aliqua scripta & lata diuinitus, sed ex more & consuetudine & traditione Maiorum; quam tamen ex diuina inspiratione primam habuisse originem non temerè existimatur. Nimirum voluit Deus, Patriarchas illos populi Hebræi multa obseruare eorum, quæ postea per legẽ præscribenda eorum posteris essent: quo scilicet maiorum suorum exemplo, molliora ipsis, & leuiora legis præcepta fierent. Enimuerò distinctionem animalium mundorum & immundorum ad vsum sacrificandi obseruatam legimus Genes. 8. statim post diluuium: erectionem item altarium ex impositis lapidibus, atque eorum vnctionem & quasi consecrationem, factam legimus à Iacob Genes. 28. & ab eodem votiuam decimarum oblationem: hæc autem omnia per legem Mosis, multis pòst seculis sancita & constituta sunt. 14

Verùm non abs re fuerit verba illius legis de suscitando semine demortui fratris hîc adscribere, cum breui quadam eorum interpretatione, quo apertiùs eius legis, & qui ante legem erat, antiquissimi moris æquitatẽ, & honestatẽ agnoscamus. Verba illius legis in cap. 25. Deut. huiusmodi sunt. *Quando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti, nõ nubet alteri: sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratri suo, & primogenitũ ex ea filiũ nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Israel.* Fuit in hac lege mentio de fratribus cohabitantibus, vt bene Caietanus exponit, quia frater cohabitans, prius obligabatur ad hoc officium, quàm frater, non cohabitans, tanquam maiore vinculo coniunctus defuncto. Quod autem dicitur, vt primogenitus ex ea vxore natus, nomine fratris mortui censeatur

seatur, id pertinet ad vetustissimum morem denominandi filios ex patribus, vsque adeo, vt quorundam virorum illustrium propria nomina ignoraretur, quòd vulgo non alijs quàm patrum nominibus appellarẽtur. Et quia hoc præcipuè obseruare studuit Antiquitas, idcirco filius primò natus ex fratris mortui vxore, ritè cogebatur seruare illius nomen, quando & illius quoque fiebat hæres. Signatè autem nominatur non filius absolutè, sed primogenitus: lex enim meritò exigebat, vt primogenitus eius qui duxerat vxorem fratris defuncti, sicut illius futurus erat hæres, ita legalis filius eius censeretur, & nomen eius ferret. Reliquos autem filios ex eadem vxore susceptos, liberum putat Caietanus fuisse patri, vel sibi eos, vel fratri mortuo arrogare.

15 Sed duo isti legi siue cõsuetudini opponi possunt. Primò videtur inhonestum atque indecẽs, vt mulier quæ facta erat vna caro per cõiugiũ cum vno fratre, ea iungeretur similiter alteri fratri; & ille reuelaret turpitudinem fratris sui. Similia enim, aut etiam minora, vetita reperimus per legem Mosis. Sic enim legimus Leuit. 18. *Turpitudinem sororis patris tui non discooperies, quia caro est patris tui. Turpitudinem sororis matris tuæ non reuelabis, eo quòd sit caro matris tuæ. Turpitudinem patrui tui non reuelabis, nec accedes ad vxorem eius, quæ tibi affinitate coniungitur.* Si talia igitur coniugia, taléque concubitus turpes censentur, similiter censeri deberet coniugium fratris cum vxore fratris sui, cùm in hoc non minor cõiunctionis ratio sit, quàm in illis. Immò verò coniugium hoc fratris cum vxore fratris mortui, conceptis verbis eodem in loco Scripturæ interdictum est. *Turpitudinem*, inquit, *vxoris fratris tui non reuelabis, quia turpitudo fratris tui est.*

Duæ obiectiones contra illã consuetudinem & cõtra legem.

Verùm istas duas obiectiones benè soluit Caietanus: priorem quidẽ super caput hoc 38. Genesis hisce verbis: Nisi fuisset mos vt defuncto fratre sine liberis, Leuir acciperet fratriam in vxorem, non dixisset Iudas hæc verba. Sed arbitrati sunt Antiqui, quòd modica læsio honoris mortui fratris, quæ interuenit in hoc, quòd vxor eius effecta vna caro cum ipso, cognoscitur à fratre, vincitur à maiori bono, immò à beneficio in ipsum. Magnum siquidem beneficium censuerunt conferri mortuo sine liberis, si frater mortui, vices mortui ageret cognoscendo relictam vxorem ad suscitandum semen mortuo. Et hinc patet, non incœpisse tempore Mosis legem hanc, quæ à Mose scripta est Deutero. 25. Sic ibi Caietanus. Posteriorem verò obiectionem idem soluit super caput 25. Deut. ad hunc modum scribens: Recole prudens Lector, Leuitici 18. inhibitum esse connubium cum relicta fratris vxore, fuisséque punitum Leuit. 20. Sed, vt ibidem dictum est, ibi est sermo de connubio inter Leuirum & fratriam, in genere: hoc autem in loco sermo est de connubio inter Leuirum, & fratriam, in vno duntaxat euentu. Et propterea lex ista non aduersatur legibus illis: siquidem secundùm legem Mosis illicitum erat tale connubium, absolutè loquendo; licitum autẽ, immò præceptum, in euentu, quo frater defunctus fuisset sine filio: quia Leuir ad exercendum officium fratris sui defuncti, tanquam vices eius

Solutio superiorum obiectionum ex Caietano.

gerens, iungebatur fratriæ. Ac per hoc non solùm cessabat ratio legis promulgatæ in Leuitico, iniuriâ videlicet defuncti fratris, sed officium potiùs præstabatur fratri defuncto. Hæc Caietanus.

Philo refellitur.

16 Philo, vt ex verbis eius paulò suprà memoratis manifestum est, significat, istud de suscitando semine fratris mortui, non solùm in more apud Hebræos fuisse, sed fuisse id temporis institutum atque legẽ Chananæorum, in quorum regione tunc Iudas versabatur. Scribit enim, Thamar, mortuo sine liberis primo marito, decreto iudicum illius terræ nupsisse fratri eius, vt suscitaret semen fratri suo. Sed enim extremum hoc dictum Philonis dupliciter refellitur. Etenim narratio ipsa Mosis in hoc loco apertè demonstrat, quòd Thamar nupserit secundo fratri, id factum esse auctoritate, sententiâ, & voluntate Iudæ; non autem decreto, & præcepto iudicum. Deinde, si res ista pendebat à iudicio, & decreto iudicum; cùm Thamar vidit non dari sibi in cõiugium Selam, tertium fratrem, vti oportebat, & promissum à Iuda fuerat; adijsset ipsa iudices, egissétque vt sibi daretur Sela, etiam recusante Iuda: nec illa confugisset ad turpe illud consilium & commẽtum, per simulationem meretriciam concumbendi cum Iuda vt ex eo filios susciperet, quando non poterat ex Sela.

Vter fratrum peior fuerit Her ne, an Onan. S. Augustin.

17 Altera quæstio breuibus tractanda est circa illa verba: *Idcirco percussit eum Dominus, quòd rem detestabilem faceret*, vers. 10. Vter fratrum plus & grauiùs peccauerit, Hér ne, an Onan. S. Augustinus lib. 20. contra Faustum, cap. 84. significat peiorem fuisse Her, quàm Onã: illum fuisse malignum & sæuum, & peccasse nocendo: hunc autem peccasse, prodesse & iuuare nolendo. Non sunt, inquit Augustinus, nisi duo genera hominum, inutilia generi humano: vnum nocentium, alterum prodesse nolentium, & si quid boni habent in hac terrena vita, perdentium & tãquam in terram fundentium. Et quoniam in malo peior est qui nocet, quàm ille qui nõ prodest: ideo prior frater dictus est malignus & sęuus; de altero autem dictum est, quòd fundebat semen in terram. Atque idipsum indicãt eorum nomina. Siquidem Her interpretatur, *Pellicium*, qualibus scilicet tunicis induti sunt primi homines, & in pœnam damnationis sunt eiecti ex Paradiso. Onã verò interpretatur *Mœror eorum*, eorum nempe, quibus nihil prodest, cùm habeat vnde prodesse queat, sed id potius perdat in terrã: maius porrò malum est ablatæ vitæ, quod significat *Pellicius*, quàm non adiutæ, quod significat *Mœror eorum*. Sic Augustinus.

Auctoris sententia grauius fuisse peccatũ Onan quàm Her.

18 Verùm probabilius videtur, grauiùs peccasse Onan quàm Her. Hoc enim indicat Scriptura ipso modo loquendi, quo vtriusque factum denotat: grauioribus enim verbis arguit factum Onan, quàm Her. Nam Her, appellat nequam; Onan verò detestandum, quòd rem detestabilẽ faceret; hoc autem grauioris criminis nota est, quàm illud. Deinde, Onan, fratris sui vindicta ob simile peccatum deterreri debebat à peccando: ex quo licet æstimare quanta fuerit malitia Onan, qui tam recẽti fratris supplicio ante oculos eius posito, à simili, vel etiam maiori

pecca

peccato non se abstinuerit. Hac sanè ratione Daniel Regem Baltasarē grauiùs peccasse ostendit,quòd contemptor fuisset Dei;eo quòd à tali impietate cohiberi & deterreri debuerat, exemplo parris sui Nabuchodonosor, quia aliquot antè annis propter similem impietatem, ex altissimo humanæ prosperitatis gradu,in profundissimam calamitatum & miseriarum abyssum deiectus fuerat.Cùm enim Daniel commemorasset,quantam in calamitatem & miseriam pater eius ob superbiam & impietatem præcipitatus esset,subdit hæc: *Tu quoque filius eius Baltasar, non humiliasti cor tuum,cùm scires hæc omnia : sed aduersus Dominatorē cœli eleuatus es,&c.* Præterea grauiùs peccasse Onan quàm Her,licet argumentari ad hunc modum:Her peccauit inordinata libidine delectationis venereæ, vt suprà expositum est:at Onan peccauit maligna inuidia fraterni boni, ne primogenitus suus videlicet assignaretur fratri suo. Tantáque erat malitia eius,vt ne fratri attribueret primogenitū suum, ipse se omnino priuaret liberis: & ne ex parte prodesset fratri, ex toto nocebat sibi:excepto namque primogenito,ceteri,quos generasset,filij,ipsius erant,nec eos quoque assignari fratri,aut in more tūc erat, aut postea lege sancitum est. *Dan.c.5.*

19 Ex hoc facto Onan semen fundentis in terram,quidam coniectarūt, natum esse poëticum illud figmentum de prodigioso Ericthonij ortu, quem ferunt ex semine Vulcani in terram profuso esse generatum. Rationem huius fabulæ breuiter exponit Lactantius in lib. primo, qui est de Falsa Religione.Habebāt Aethnici inter tot deos suos,Deásque fœdissimis contaminatas flagitijs, duas tantum mulieres Deas, quas virgines fuisse iactabant,Palladem dico,& Dianam.Verùm ne illas quidē illibatam seruasse virginitatem,docet Lactātius eo loco his verbis:Sed ne illæ quidem virgines illibatam castitatem seruare potuerunt. Vnde enim putemus Erichthonium esse natum? An ex terra, vt Poetæ videri volūt? At res ipsa clamat.Nam cùm Vulcanus Dijs arma fecisset, eíque Iupiter optionem dedisset præmij quodcumque vellet postulandi, iurasséque,vt solebat,per infernam paludem,se nihil ei denegaturū:tum faber claudus,Mineruæ nuptias postulauit. Hic Iupiter Optimus Maximus,tanta religione constrictus abnuere non potuit.Mineruam tamē monuit repugnare,pudicitiámque defendere. Tum in illa colluctatione,Vulcanum in terram profudisse aiunt semen, vnde sit Erichthonius natus, ídque illi nomen impositum ἀπὸ τῆς ἔριδος καὶ χθονὸς, id est, ex certamine,atque humo.Sic Lactantius: nam cetera, quæ super ea re persequitur Lactantius, potest Lector ex eo loco requirere. Sed quia ex semine Onan fuso in terram, nihil esse natum legimus,non videtur fabula Ericthonij cum facto Onan probabilem conuenientiam habere. *Au fabula de ortu Erichthonij originem habuerit ex hac historia Onan, Lactantius.*

QVARTA

QVARTA DISPVTATIO.

An concubitus Thamar cum Iuda fuerit peccatum, nec ne?

Super illis verbis,

VERS. 19. Ad vnum igitur coitum mulier concepit.

RE s ipsa nihil secundùm disciplinam Theologicam habere videbatur difficultatis, nisi obstitisset auctoritas grauissimorum Doctorum, tam Iudam, quam Thamar, vel certè ipsam Thamar à peccato vindicantium. Ac Thamar quidem, primò non leuiter peccauit, simulans se meretricem, & libidini transeuntium expositam: tali namque specie atque ornatu, Iudam vehementer ad peccādum incitauit. Meretricius quippe habitus, locíque ipsius atque temporis opportunitas, magnam ad excitandam libidinem, patrādumque flagitium illecebram habuerunt. Deinde cōcubitus ille nurus cum socero, non solùm malus, sed etiam pessimus, atque detestandus fuit. Neque prauitatem eius diluit, quòd non ardore libidinis, sed cupidine prolis eum cōcubitum Thamar appetierit. Etenim si opus quod fit, genere suo malum est, etiamsi optimum ob finē suscipiatur, & fiat, non propterea moraliter bonum erit; bonum enim constat ex integra causa: nec bonum erit, si de ijs, quæ requiruntur ad bonitatem actus moralis, vel vnum quidpiam defuerit. Alioqui nullum esset flagitium, non furtum, non homicidium, non sacrilegium, quin facere id liceret ob bonū finem, vt ad largiendam eleemosynam, ob seruandam vitam corporalem, vel spiritualem, vel ob consequendum bonum aliquod publicum. At reclamat Apostolus, docens, Non esse facienda mala, vt inde bona eueniant. Erat sanè bona cupiditas habendi prolem, qua Thamar flagrabat; si tamen eam recta via, & legitima ratione habere voluisset: at eam ex soceri concubitu expetere, turpe, nefarium, execrandum fuit. Satius enim fuisset nunquam matrem fieri, quàm sic fieri matrem, etiam numerosissimæ, ac pulcherrimæ prolis: nō enim factū aliquod cēsetur bonū, quod ex eo magnum quodpiā bonū secutum est: sed quia ipsum bene, atque vt oportebat fieri, factum est.

Ad Rom. 3.

Nec illud arguit non peccasse Thamar, quòd Iudas de ea dixerit: *Iustior me est*, quasi eam iustam fuisse istis verbis significans. Nam rectè S. Hieronymus, & Augustinus, illud, *iustior*, interpretantur (minùs mala & culpabilis.) Minùs autem mala iudicatur Thamar, quàm Iudas, quòd illa marito sibi promisso, & debito fraudata, & flagrans cupiditate suscipiendi prolem ex stirpe illa à Deo benedicta, ad illud faciendum est adducta. At verò Iudas, & perfidiosus in Thamar fuit, non dando ei Selam maritum, vti promiserat, atque ex more debebat: neq; appetiit eius con

Quomodo intelligēdum sit Thamar fuisse iustiorē quàm Iudam.

concubitum desiderio prolis, sed turpis ardore libidinis. Adscribam hîc verba Hieronymi, & Augustini. Ille in Traditionibus Hebraicis in Genesim sic ait: In Hebræo est: *Iustificata est ex me*, non quòd iusta fuerit, sed comparatione illius minùs malè fecerit, nequaquam vaga ad turpitudinem, sed liberos requirendo. Hic verò lib. 22. contra Faustum cap. 62. hoc modo scribit: Magis illam, quàm se iustificatam esse pronunciauit Iudas, quòd ei filium suum, maritum coniungere noluisset: qua destitutione compulsa, illo modo potius, quàm nullo modo, posteritatem non aliunde quàm ab eadem stirpe conquireret. In qua sententia, non eam iustificatam, sed magis quàm se iustificatam dicens, non ipsam laudauit, sed in sui comparatione præposuit: desiderium scilicet habendæ prolis, quo ducta illa se socero suppositurat, minùs culpans, quàm libidinosi concubitus ardorem, quo ipse velut ad meretricem victus intrauerat. Sicut quibusdam per Ezechielem dictum est: *Iustificastis Sodomam*, id est: tantum peccastis, vt vobis Sodoma comparata, iusta videatur. Sic Augustinus.

S. Hieronym. S. August.

Exech. 16.

22 Iudam porrò in illo cum Thamar concubitu peccasse, nulla dubitandi ratio esse potest: nam & factum ipsum per se malum erat, & mala facientis intentio. Nempe meretricius concubitus per se malus est: Iudas item nulla, vel in speciem honesta causa impulsus est ad concubitum Thamar; sed improba & libidinosa mente, accedens ad eam, quam putabat meretricem, sola explendæ libidinis causâ. Nec prauitatē facti Iudæ eleuat, quòd postea tantopere is à Iacobo laudatus fuerit, omnibúsq; fratribus suis longè prælatus, quinetiam à Deo electus, vt ex eius stirpe generaretur Messias. Non enim propterea nō peccauit Gedeon, quòd à B. Paulo laudatus, & inter Sanctos recensitus fuerit: nec Dauidis adulterium, & homicidium, non fuit peccatum; quòd is postea amplissimis laudibus à Deo commendatus, maximísq; beneficiis cumulatus fuerit: nec ideo putandum est non peccasse B. Petrum, quòd postea Princeps fuerit Apostolorum, simulque pastor ac rector Ecclesiæ. Nimirum priora hominum peccata, ritè per pœnitentiam expiata, nihil obstant dandis à Deo postea beneficiis. Nec factum Iudæ propterea malum non fuit, quia per illud, sacrum quodpiam, magnúmque mysterium præfiguratum & significatum sit: id enim non volente ac designante Iuda factum est, sed ordinante Deo: cuius tanta est bonitas & potentia, vt mala hominum facta ad ingentium bonorum effectionem & significationem ordinare possit, & verò soleat.

Iudam excusari non posse à peccato.

Genes. 49. Ad Hebr. 11.

23 Possunt ea quæ diximus firmari auctoritate B. August. eiúsque grauissimis ac verè Theologicis sententiis, verbisq; illustrari. De peccato igitur Thamar ita scribit: At illa (Thamar) quæ socerum fefellit, non carnis eius concupiscentia, nec meretriciæ mercedis cupiditate peccauit; sed ex ipso sanguine prolem requirens, ex quo duobus iam fratribus nupta, tertio quoq; denegato, habere non potuit; patri eorum, socero suo, fœcundandum corpus fraude subiecit, pignore quidem mercedis accepto, quod non tamen ad ornamentum, sed ad testimonium

S. August. 22. contra Faust. cap. 62. Quòd Thamar peccauerit.

reseruauit. Meliùs quidem sine filiis remaneret, quàm sine iure matrimonij mater fieret: Longè tamen alia intentione peccauit, quòd filiis suis patrem prouidit socerum suum, quàm si eum sibi cõcupisset adulterum. Neque verò cùm eam Iudas iustiorem quàm se pronuntiauit, quasi iustam laudauit, sed vt minùs culpabilem sibi præposuit: quæ quia in procreandis filiis ordinatam societatem non custodiuit, meritò culpabilis inuenitur. Quòd si laudata ab illo fuit, quid mirum si mulier peccatrix ab homine peccatore laudata sit? Sic de Thamar Augustinus.

August. docet peccasse Iudã.

Idem August. eodem loco super peccato Iudæ ad hunc modum dis- 22
putat: Cõsulta, inquit, æterna illa lex, quæ ordinem naturalem conseruari iubet, perturbariq; vetat, non nisi propagationis causâ statuit hominis concubitum fieri: & hoc nonnisi socialiter ordinato connubio quod nõ peruertat vinculum pacis. Quocirca prostitutio fœminarum non ad substituendam prolem, sed ad satiandam libidinem propositarum, diuina atque æterna lege damnatur: omnem quippe dehonestat emptorem turpitudo venalis. Quapropter Iudas etiãsi grauiùs peccasset, si nurum sciens, cum ea cõcumbere voluisset: tamen eum, quantum in ipso erat, deformiter cum meretrice cubasse, non dubium est. Hæc August. cap. 61. eius libri. Cap. autẽ 63. subdit hæc: Sed (inquiunt) Manichæi) iste Iudas, qui cum sua nuru cõcubuit, inter duodecim Patriarchas computatur. Quasi verò & ille Iudas, qui Dominum prodidit, non inter 12. Apostolos numeratus sit, & cum eis ad prædicãdum Euangelium missus. Sed respondent illi, Iste Iudas post tale facinus, laqueo suo peremptus, & Apostolorum Collegio exemptus est: ille verò Iudas, post tantam turpitudinem, inter fratres suos à patre suo præcipuè benedictus, & super omnes laudatus est. Immo verò (ait Augustinus) hinc expressiùs apparet, non ad ipsum, sed ad Christum, qui ex eius tribu prænuntiabatur secundùm carnem venturus, illam pertinere prophetiam. Et idcirco magis flagitium eius diuina Scriptura tacere non debuit, sicut non tacuit, vt in verbis patris eius, quibus post illud dedecus tantoperè laudatur, quia ipse non agnoscitur, alius requiratur.

Etiã per mala hominũ facta prophetia significat futura aliqua bona olim gerenda.

Deinde Augustinus in c. 83. disputat, quamuis facto illo Iudæ præfigu- 23
ratum & præsignificatum fuerit ingẽs quoddam bonum futurum: non propterea tamen id non fuisse culpandum, & damnandum: non enim prophetica illa significatio facta est Iudæ peccantis intentione, sed Prophetæ scribentis. Neque enim Iudas (ait Augustinus) cùm ad Thamar concupiscentia victus intraret; hanc suæ libinis intentionem gerebat, vt inde aliquid significaretur, quod ad salutem hominum pertineret: sicut nec Iudas ille qui dominum tradidit, hoc intendit, vt aliquid inde gereretur quod ad eandem salutem hominũ pertineret. Ad significandum porrò per hominum facta, bona deinceps facienda, nihil interest, si facta illa quibus ea significantur, bona sint, an mala. Quid enim mea interest, cùm volo aliquid legendo cognoscere, vtrum ex minio reperiam scriptos nigros Æthiopes, & ex atramento candidos Gallos? Verumtamen, si non scripturam, sed picturam talem viderem, sine dubitatione reprehenderem: ita in factis hominũ, quæ ad imitandum, vitan-

dúmve proponuntur, magni intereſt, bonáne an mala ſint. Quæ autem ad ſignificandũ ſcribuntur, ſiue dicuntur, nihil refert quam laudem reprehenſionémve mereantur: ſi modò habẽt aliquam rei, de qua agitur, neceſſariam præfigurandi cõgruentiam. Ergo factum Iudæ ſecundùm illius libidinem malum fuit: ſed illo neſciente, magnum bonum ſignificauit. Hoc autem quod de Iuda diximus, non ſolùm ad illud eius factum, ſed etiam ad cætera valeat, ſi qua occurrerint mala opera hominum, quibus bonum aliquod à narrante prophetatum eſt. Poſthæc Auguſtinus cap. 84. declarat, quidnam boni præfiguratum & ſignificatum ſit malo illo Iudæ facto. Hactenus ex Auguſtino: cuius ſententiam vniuerſa Theologorum ſchola magno aſſenſu complexa eſt.

26 Atenim, perilluſtres in Eccleſia Chriſti, venerandæque auctoritatis Doctores S. Ambroſ. & Chryſoſt. in contraria fuiſſe videntur ſentẽtia. Chryſoſt. certè in homil. 62. in Geneſim, dupliciter expurgat factũ illud Thamar; tum quòd non libidine voluptatis venereæ, ſed honeſto prolis amore incenſa id fecerit: tum quòd id faciendo, deſeruierit, neſciens, diuinæ diſpẽſationi & ordinationi; ex tali facto magnum quoddam bonum ſignificare, immò elicere volentis, generationẽ dico Meſſiæ, & myſticam ſignificationem duorum populorum, Hebræi & Gentilis. Verùm iſtas rationes, vt infirmas, & leues, ſuprà confutauimus. Verba Chryſoſt. huiuſmodi ſunt: Thamar furari voluit ſoceri concubitum, & ex illo filios procreare, non libidinem explere concupiſcens (abſit hoc) ſed diſpenſatio erat, quod fiebat. Nullus itaq; audiens hæc, condemnet Thamar: nam, vt dixi, diſpenſationi illa miniſtrauit; & ideo nullam inde meretur reprehenſionem, ſicut nec ipſe Iudas criminibus fuit obnoxius. Ecce enim hac via procedens, inuenies ex pueris inde procreatis à Iuda, Chriſtum ſecundùm carnem genus ducere. Præterea duo iſti filij per eum nati, duorum populorum figura fuerunt, & prædictio quædam vitæ Iudaicæ & ſpiritualis. Sic Chryſoſt. Sedenim alibi Chryſoſt. non obſcurè Thamar arguit & damnat peccati. Quippe homilia prima in Matthæum, Thamar & Bethſabee, mulieres appellat de peccato celebratas. Et homilia tertia, commixtionem illam Thamar & Iudæ, vocat turpe adulterium.

Thamar & Iudam non peccaſſe, an verè ſenſerint Ambr. & Chryſoſt.

Chryſoſt.

2. Reg 11.

Ne igitur tantũ Doctorẽ, contraria ſuper eadem re ſcripſiſſe, & apertiſſimum peccatũ non vidiſſe putemus; hoc potùs modo mentẽ & ſenſum eius interpretemur. In eo quod fecit Thamar, duæ res conſiderari poſſunt; vel ipſum per ſe factũ, quod haud dubiè malum fuit; nec à peccato vindicandũ: vel perſonæ facientis animus, conſilium, intentio; quę cùm directa fuerit ad bonum finem, inculpata fuit, & honeſta, & per quam ſi non à toto, ſaltem à tanto, vt loquuntur, facinus Thamar excuſari poſſit. Chryſoſtomus itaque de Thamar diſſerens, non illud priùs, ſed poſterius hoc tantùm conſiderans, excuſat illam, & laudat.

27 Ad hoc autem quod dixi de mente Chryſoſtomi probandum & perſuadendum, non parùm valet ſententia Theodoreti, qui ſtudioſiſſimus fuit Chryſoſt. ſectator, & non rarò velut breuis quidam interpres. Is

Theodoretus.

enim quæst. 94. in Genesim, vnde laudari, aut excusari possit factum Thamar, hisce verbis ostendit: Quare Thamar ornata meretricio habitu socerum decepit? Nempe illustre nimis erat genus Abrahæ, propter eam quam colebat pietatem. Quod probè sciens Thamar, studebat ex ea progenie liberos procreare. Cùm igitur socer non eam desponsasset filio suo postremo, metuens ne decederet, quemadmodum & fratres eius; coacta est illa furari procreandæ sobolis occasiones, eo quòd illas palàm sumere prohiberetur. Præterea redarguit illa socerum suum; qui cùm minimè temperans esset, eam tamen seruare temperantiam cogeret; quod & ille confessus est, dicens: Iustiorem illam esse, quàm se. Indicant porrò quæ secuta sunt, sobolis causâ, non voluptatis, illud eius fuisse commentum. Neque enim postea vel Iudam, vel alium quempiam attigit, sed contenta fuit vocari mater eorum, qui ex illo semine nascerentur. Sic Theodoretus.

Ad eundem opinor modum interpretanda sunt, & an sanũ rectúm- 28
S. Ambrosius. que intellectum accommodãda, quæ similiter vt Chrysost. de Thamar scripsit B. Ambros. in lib. 3. Commentariorum in Lucam. Nam exponens verba illa Lucæ ca. 3. *Qui fuit Phares, qui fuit Iudæ*, ita scribit: Non otiosè vtiq; huius mulieris Euangelista nomen inseruit. Nam si veris intendas animum, non hæc mulier tam famosa, quàm iusta. Non enim temporalis vsum libidinis requisiuit, sed successionis gratiam concupiuit. Erat enim deforme, liberos non habere: quod etiam legum ciuilium fuit auctoritate mulctatum. Promiserat eam filio suo Iudas, sed diu pactarum fœdera distulerat nuptiarum: & per moram promissi defunctus est sponsus. Nondum virginitatis, nondum viduitatis, ante Christi aduentum, vernabat gratia. Dolens se fine filiis remansisse, dolum studio generationis commenta est; & Iudam consilio præuertit, vt ei se offerret ornatam, postquam defunctam eius cognouit vxorem. Vides vbiq; mulieris vitam probam; quòd non alienum præripuit thorum; non meretricio studio, quasi meretrix adornata est. Non enim vagam captauit libidinem; sed diu soceri fraudata promissis, ex ea familia quam delegerat, conuerso dolo, fructum voluit successionis adipisci. Quis itaque castior? illa, quæ tamdiu expectauit promissum, an ille, qui amorem ferre non potuit oblatum? Illa, quæ spõsi familiam non refugit; an iste, qui meretricem putauit? illa, quæ oram sui corporis volentibus non permisit ad copulam; an iste, qui quod studio cœpit erroris, ad successionis gratiam, castitatem mulieris consummauit? illa, quæ filios non habebat, & tempus conceptionis, coniugij mora timebat excludi; & quæ grauitatem maturioris elegit ætatis: an iste, qui ætatem adolescentioris adamauit? Ille vnius horæ impatiens, qui annos à puella exegerat castitatis. Deniq; illa numquam postea virum experta est; amictumque viduitatis sumpsit à coitu. Sed non ita istam defendimus, vt illum accusemus: Immò vtrumque excusamus: non autem nos, sed mysterium ipsum, quod copulæ illius fructus expressit: generauit enim mulier Phares & Zaram; & cætera, quæ deinceps subtexit Ambrosius.

Sed

29 Sedenim animaduersione dignum est, quod in istis verbis dixit Ambrosius; Selam Iudæ filium, cui desponsata fuerat Thamar, obijsse diem suum, priusquam Thamar facinus illud cum Iuda faceret; immò illius potissimùm morte adductam esse ad id faciendum. Hoc ego dictum Ambrosij, haud scio an discrepet sacrę historiæ, tum in hoc loco, tum alibi. Hic dicitur vers. 14. Thamar eo voluisse ornatu meretricio fallere Iudam, quòd iam creuisset Sela, & non eum dedisset sibi maritum. Si autem tunc mortuus fuisset Sela, hoc ipsum potiùs illa dixisset, & causata esset. Et vers. 26. idipsum non obscurè significauit Iudas, dicens: *Iustior me est, quia non tradidi eam Selæ filio meo*: quod non dixisset Iudas, si iam decessisset Sela. Deinde infrà cap. 46. numerantur quinque filij Iuda, Her, Onan, Sela, Phares, & Zara: quorum duo dicũtur fuisse mortui, Her & Onan, in terra Chanaan, ante discessum Iacob in Ægyptum. Non igitur ibi mortuus fuerat Sela. Et Numerorum 26. sic est: *Fuerunt filij Iuda per cognationes suas; Sela, à quo familia Seleitarum; Phares, à quo familia Pharesitarum; Zares, à quo familia Zareitarum.* Vixit igitur Sela post illud facinus Thamar; & aliâ ducta vxore filios procreauit, & numerosam reliquit progeniem. Præterea, si iam tunc mortuus fuisset Sela, soluta fuisset Thamar vinculo matrimonij eius, atque idcirco fuisset extra potestatem Iudæ: non igitur Iudas ius & potestatem habuisset iudicandi & condemnandi eam, vti fecit.

Animaduersio in quoddam dictum B. Ambrosii.

Rabbi Simeon Iochai in Commentarijs Pentateuchi, quos Zoar præscripsit, liberat Thamar omni crimine: ait enim non explendæ libidinis gratiâ id egisse eam, sed pio quodam instinctu, nempe vt ex Iuda, expectatum Messiam conciperet. Sed istud nihil habet verisimilitudinis: non enim mulier alienigena, & recens ascita in Hebrææ gentis familiam, scire potuit tunc mysterium illud de Messia generãdo ex Iuda: id enim nec ipse Iudas; nec alius mortalium quispiã tunc nouerat. Etenim primitus à Deo reuelatum id fuit beato Iacob, cùm iam moribũdus prophetico afflatus Spiritu, illustrissimum illud de Messia ex Iuda stirpe generando vaticinium edidit.

Refellitur sententia Simeonis Iochai.

QVINTA DISPVTATIO.

An iusta fuerit sententia Iudæ, Thamar damnantis pœna ignis.

Super illis verbis,

Dixitque Iudas: Producite eam vt comburatur. VERS. 24.

37  RIBVS ex rebus æstimari posset iniqua sententia ista Iudæ primò, quòd nullam videtur ille habuisse potestatem iudicandi & damnandi capitali pœna, atque absoluendi: tum quòd pœna combustionis videtur impendio grauior delicto Thamar: ac demum quòd iniquissimum videatur,

Prima quæstio, An Iudas legitimam potestatem habuerit damnãdi, & puniendi Thamar.

mulierem grauidam, priusquam pariat, morti addicere. Tractandæ sunt itaque in hac Disputatione tres quæstiones, quarũ prima hæc est; Quãnã auctoritate, & potestate Iudas dãnauerit pœna capitali Thamar, cũ ea potestas pertineret ad Principem; & Iudices eius loci, in quo Iuda aduena erat & peregrinus. Huic quæstioni tribus modis responsum ab Auctoribus reperio. Thostatus, Paulus Burgensis, Caietanus, Oleaster, aliique putant potestatem illam fuisse delatam Iudæ à Chananæis, inter quos versabatur, tum ob præstantem eius prudentiam, atque virtutem multis in rebus spectatam illis, probatámque: tum quòd propter matrimoniũ quod fecerat cum filia viri Chananæi; cui nomen Sua, qui eius loci princeps erat, aut certè primarius, magno erat ibi in honore, nec iam vt alienigena, sed tanquam Chananæus habebatur.

Thostatus.
Burgensis.
Caietanus.
Oleaster.

Si hoc responsum non persuadeatur Lectori, propterea quòd præter fidem videatur, Chananæos, gentẽ vtique impiam, sceleratámque, tantam detulisse potestatẽ homini alienigenæ & peregrino, & diuersæ admodum religionis, morúmque: accipiat secundùm hoc respõsum traditũ à Thoma Anglico Dominicani ordinis, viro docto & pio. Hic ait: Verba illa Iudæ: *Producite eam vt comburatur*, non esse verba hominis, sua auctoritate iubentis eam comburi, tanquam pro imperio quod in eam haberet: sed esse verba requirentis, & volentis publicam iustitiam exerceri in Thamar. Sic enim ille scribit: Non oportet intelligere, Iudã dixisse iubendo, vt combureretur; sed potiùs requirendo iustitiam ab ijs, quorum intererat. Idcirco autem requisiuit iustitiã aduersus illam, quòd insignem sibi & filijs suis videbatur Thamar iniuriam fecisse.

Thomas Anglicus.

Si neque hoc responsum Lectoris explebit animum, tertium hoc fortasse non displicebit ei. Opinantur quidam, nec ego ab ea opinione abhorreo; fuisse id temporis in more apud illas gentes, vt qui princeps erat, capútque totius familiæ, in eos qui eius familiæ sub illius gubernatione essent, plenam, & absolutam, vitæ iuxtà, necísque potestatem haberet: quemadmodum apud multas gentes, viro in vxorem adulteram animaduertere, ius & potestas erat. Iudas porrò caput erat familiæ, ad quam Thamar tanquam nurus eius pertinebat.

Cur damnata fuerit Thamar pœna cõbustionis.

Altera quæstio est, An pœna combustionis, qua Thamar damnata 31
est, fuerit iusta. Videtur enim nimio acerbior & atrocior fuisse delicto. Thamar enim simplicis fornicationis apud Iudam accusata fuerat. *Nũciauerũt Iudæ* (ait Scriptura) *dicentes, Fornicata est Thamar nurus tua*. Simplex autem fornicatio non meretur pœnam cõbustionis: nec apud vllã gentem tanto vnquam supplicio punita est. Hebræi facilè hoc expediunt: Tradunt enim Thamar fuisse filiam Sacerdotis Melchisedec; quẽ ipsi fuisse putant Sem filium Noë. Lex autem erat, Sacerdotis filiam in stupro deprehensam flammis exuri debere: Sicut traditur Leuitici 21. vbi sunt hæc verba: *Sacerdotis filia, si deprehensa fuerit in stupro, & violauerit nomen patris sui, flammis exuretur*. Verùm istiusmodi traditio Hebræorum friuola & futilis, & prorsus explodenda est. Primò falsum est quod assumunt isti, Melchisedec fuisse eandem personam atque Sem, quod

Vana & futilis traditio Hebræorum.

nos

nos euidenter argumentati sumus in 3.tomo Comment. nostrorum in Genesim, super cap.14.& numero marginali 65.

Sed esto, fuerit Melchisedec, Sem: nihilominus istam traditionem funditus euertet ratio temporum, & veritas sacræ Chronologiæ. Sem námque vixit post diluuium quingentis annis, vt scriptum est Gen.11. hoc autem factum Thamar, euenit plus quingentis & octoginta annis post diluuiũ: erat igitur mortuus Sem, amplius octoginta annos priusquam Thamar hoc fecit. Non igitur illa, quæ puella erat, filia Sem esse potuit. Quod autem dixi de obitu Sem ante octoginta annos, hoc modo colligitur ex Scriptura. A diluuio vsque ad ortum Abrahæ, numerantur anni 292. Genesis 11. Ab ortu Abrahæ, vsque ad generationem Isaac, centum anni, Genesis 21. Ab ortu Isaac, vsque ad generationem Iacob, anni sexaginta, Genesis 25. Cùm autem contigit quod hîc narratur de Thamar & Iuda, Iacob annum agebat centesimum & propè trigesimum, vt ex iis, quæ disputauimus suprà in 1. Disputat. super hoc caput, manifestum est: Istorum verò annorum summa est 580. Præter hęc, illud quoque vanitatem Hebraicæ illius traditionis ostendit, quòd filiam Sacerdotis stupri conuictam, comburi debere, fuit aliquot sæculis post istud factum Thamar lege Mosaica præscriptum & sancitũ. Quare etiamsi Thamar fuisset filia Sacerdotis, non propterea oportuisset eam comburi: sed deberent Hebræi probare, etiam ante legem fuisse istud in vsu & obseruantia apud illas gentes.

An crimen Thamar fuerit adulteriũ.

32 Lyranus & Thostatus, & Thomas Anglicus, argumentantur, crimen Thamar nõ fuisse simplicem fornicationem, sed adulterium: erat enim iam desponsata & coniuncta Selæ filio Iudæ, secundùm illam legem, siue consuetudinem de suscitando semine fratri mortuo sine liberis. Putant autem isti, coniunctionem Thamar cum Sela, fuisse instar matrimonij per verba de præsenti contracti, & iam rati, sed nondum consummati. Audiat Lector Thostatum: Thamar non damnabatur ad ignem propter simplicem fornicationẽ, sed propter adulterium. Sicut enim mulier per matrimonium iuncta viro, & ab eo cognita, si alio cũ viro misceatur, plectitur capite: ita si solùm despõsata sit viro per verba de præsenti, & necdum ab eo cognita, si ab alio cognoscatur, plectenda capite est. Thamar autem desponsata erat Selæ filio Iudæ, non quidem per verba, sed per mandatum legis, siue consuetudinis, de suscitatione seminis, quæ vetabat, vxorem defuncti sine filiis, matrimoniũ inire cũ alio, nisi frater mortui respueret eius coniugium, sic enim obseruatum fuisse colligitur ex c.25. Deut. & c.4. libri Ruth. Sela porrò nõ detrectauerat coniugium Thamar, neque pater eius Iuda: quocirca obnoxia erat Thamar matrimonio Selæ, & peccans cũ altero viro, tanquã adultera puniri debebat. Sic Thostatus: cui consonat Thomas Anglicus. Licèt, inquit, Thamar non esset actu copulata Selæ, erat tamẽ in spe, & fortiori vinculo, quàm sit contractus spõsalium. Nam eadem lege, qua post vnum fratrem, secũdo nupserat; ordinatum erat, vt nuberet tertio.

Thostatus.

33 Verùm istorum Auctorum opinionem confutat P. Burgẽsis in additione

Burgensis.

tione ad Postillas Lyrani, super hoc caput trigesimum octauum Genesis. Non videtur, ait ille, Thamar commisisse adulterium propriè dictũ: neque ob id debuisse tali morte puniri. Siquidem mulieres quæ erant alligatæ fratribus, siue cognatis mariti sui defuncti, si alij copularentur, licèt illicitè fecissent, non tamen morte puniebantur secundùm legem: alioqui Noëmi non consuluisset nurui suæ Ruth, vt remaneret in terra Moab, & ibidem cum alio contraheret, vt dicitur in libro Ruth; erat enim ligata ipsi Booz, vel alij cuipiã de cognatione mariti sui. Nec sanè fuisset excusata Thamar ab occisione, si fuisset adultera, propter hoc, quòd non fuerat data in matrimonium Selę: non enim propterea excusatur mulier ab adulterio, quòd vir suus nolit ei reddere debitum. Et quamuis illa fuisset adultera, non tamen merebatur comburi, sed alia leuiori pœna puniri: pœna enim combustionis in solas filias Sacerdotũ fornicantes, siue adulterantes constituta erat, vt patet Leuit. 21. Illud igitur, quod à quibusdam Hebræis traditur, verisimilius est: Iudã fuisse in loco illo quasi Principẽ, & potestatem habuisse iudicandi, & damnãdi, non secundùm aliquas leges scriptas, sed pro arbitrio, & iudicio suo: quod ex eo apparet, quòd à principio statim eam damnauit; & vbi resciuit eius innocentiam, statim etiam absoluit. Sic Burgensis. 33

Auctoris sententia.

Etsi Burgensis opinionem illud præterea adiuuat, quòd Iudas statuerat de non dare Selam in matrimonium Thamar, immò dedit ei aliam vxorem: ex quo videbatur Thamar soluta vinculo matrimonij quo fuerat alligata Selæ: illud tamen valdè pugnat contra Burgensem: si enim ita fuisset, vt ipse ait, iam Thamar nihil pertinuisset ad Iudam, nec obnoxia fuisset eius potestati, eiúsque sententiæ & damnationi. Neque Iudas ostenderat, nolle se dare ipsi Selam in matrimonium; neque causa non dandi ei Selam, vsque ad illud tempus, fuerat voluntas dandi ei aliã vxorem; sed consilium & voluntas longè differẽdi tempus matrimonij, quo scilicet magis adolesceret, & robustior fieret Sela; ne propter infirmitatem ætatis idem ei contingeret quod acciderat fratribus eius. Cur igitur, dicet aliquis, Iudas post hæc non dedit Selam maritum ipsi Thamar? An quia visum est indecens ac turpe, vt filius eam mulierem duceret vxorẽ quæ cum patre mixta fuerat, atque ex eo filios genuerat? Verùm, cur si tanquam adultera damnata est, non potiùs supplicio lapidationis, quod secundùm legem decretum fuit in adulteram, Deuter. 22. quàm pœna ignis damnata est? Sed lex illa Mosis nondum erat lata: & iudicium illud, & damnatio facta est, aut secundùm mores & instituta illius regionis, & gẽtis: aut quia Iudas caput erat familiæ, secũdùm proprium eius arbitrium ac voluntatem. Is autẽ indignitate flagitij maiorẽ in modũ cõmotus ac perturbatus præcipitauit sentẽtiam & atrociorẽ, quàm æquum erat, pœnam statuit. Probabilis itaque videtur opinio Lyrani, Thostati, & Thomæ Anglici, quam suprà exposuimus. 34

An fuerit iniquum, morte damnare Tha-

Restat tertia quæstio; An illa damnatio Thamar prægnantis, & fœtum iam animatum gerentis vtero, fuerit iniqua & crudelis? Caietanus, & Lippomanus in Catena non dubitant dicere, istam Iudæ sentẽtiam 35

fuisse

fuisse nimis sæuam & iniquam. Et meritò. Nec laborandum est in excusando Iudam ab isto peccato, sicut nec excusamus eum à peccato Fornicationis cum Thamar, nec à peccato perfidiæ non seruando quæ promiserat nurui suæ Thamar; nec à peccato venditionis Ioseph, cuius fuit ille auctor. Quòd autem capitalis damnatio Thamar, tunc grauidæ, nõ expectato eius partu, fuerit iniqua, tribus modis probari potest; auctoritate diuinæ Scripturæ, ratione, & nobilissimarũ ac prudentissimarũ gentiũ institutis & legibus. Scripturæ sententia euidenter cõtraria est sententiæ Iudę in Thamar. Deus enim per Ezech. c. 18. ait: *Anima quæ peccauerit ipsa, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater nõ portabit iniquitatem filij: Iustitia iusti super eum erit, & impietas impij super eum erit.* In his verbis ponitur *anima* pro homine, vt sæpe fit in Scriptura. Apertè igitur Deus hisce verbis declarat, vnũquemq; puniri debere pro peccato suo, non autem pro alieno: nec filiũ portare debere iniquitatem patris sui, id est luere pœnas peccatis patris sui meritas debitasque: solet namque non rarò in Scriptura vocabulum iniquitatis vsurpari, non solùm pro culpa peccati, sed etiam pro reatu pœnæ, cui obnoxium est peccatum.

mar vnà cum filio quo erat grauida. Caietanus. Lippoman.

Locus Ezechielis cap. 18.

Romanorum, Athenienſiũ, Aegyptiorum lex de ſupplicio mulieris grauidæ differendo vſque ad partũ eius.

Hanc naturalem æquitatem secuta est lex Mosis, vetans, pro peccatis parentum, occidi filios innocentes. Verba legis in cap. 24. Deuter. huiusmodi sunt: *Non occidẽtur patres pro filijs, nec filij pro patribus: sed vnusquisque pro peccato suo morietur.* Contrà fecit Iudas: damnãdo enim Thamar ad ignem, voluit etiam filium in vtero eius contentum, ob matris peccatum, cuius ille particeps nullo modo erat, necare. Idem quoq; confirmatur hac ratione: pœna, si iusta est, necessariò respondet culpæ antecedẽti: nam vbi nulla est culpa, ibi pœna esse non potest nisi iniusta: in filio autẽ Thamar nulla fuit culpa, nulla igitur ei debebatur pœna: quare æquali supplicio matrem atque filium, id est, nocentem atque innocentem damnare planè iniquum, & sæuum & barbarum fuit.

36 Eius porrò iniquitatis & inhumanitatis, atque crudelitatis magnum est argumentum, quod id ipsum gentium institutis atque legibus repudiatum, atque interdictum fuit. Etenim prægnantis mulieris vltimo supplicio damnatæ, pœnam Romanorum legibus differri quoad peperisset, Romanæ antiquitatis peritis ignotum esse non potest. Hoc enim testatur Clemens Alexandrinus lib. 2. stromatum: Idque Quintilianus scitè accommodat ad argumentum eius Declamationis, cui titulus est *Prægnans Adultera*. Nec verò proprium hoc ius fuit Romanorũ: eo namq; antea vsos esse Athenienses, indicio est, quòd mulierem prægnantem, veneficij apud Areopagitas accusatam, cùm capitis damnanda esset, de concilij sententia seruata fuit quoad partum edidisset. Hoc enim litteris mandauit Aelianus libro quinto de varia historia, cuius hæc sunt verba, Areopagitæ venefícam mulierem captam non priùs morte mulctabant, quàm edidisset id quod conceperat, cùm capta fuit. Atque ita innocuum infantem à supplicio liberantes, eam quæ meruerat, puniebant. Idipsum fuisse in more atque legibus veterum Aegyptiorum, tradit Plutarchus in libro de sera Numinis vindicta.

Clemens Alexandr. Quintilianus.

Aelianus.

Plutarch.

Quocirca execranda fuit Claudij Imperatoris crudelitas, quę ne supplicio quidem prægnantium mulierum abstinuisse, Dion. lib. 57. prodidit; cùm tamen iuris sanctio non capitalem modò pœnam sumi, sed ne quæstionem quidem de prægnante haberi patiatur. Est præterea lex vigesima octaua in Titulo de statu hominum, Digestorum libro primo his verbis: Imperator Adrianus Publio Marcello rescripsit: liberam, quæ prægnans vltimo supplicio damnanda sit, liberum parere, & solitum esse seruari eam, dum partum ederet. Est item Lex tertia in Titulo de Pœnis lib. 48. Digest. in hanc sententiam: Prægnantis mulieris damnatæ pœna differtur, quoad pariat. Ego quidem, & ne quæstio de ea habeatur, scio obseruari quandiu prægnans est. Ex his liquidò apparet, sententiam illam Iudæ fuisse iniquam.

Dion. Cass.

Instante autem partu, apparuerunt gemini in vtero: atque in ipsa effusione infantum vnus protulit manum: in qua obstetrix ligauit coccinum, dicens: Iste egredietur prior.

EXPLORATE cognosci potuit, tum ab ipsa prægnante, tum ab obstetrice, duos esse intra vterum infantes, partim ex diuerso motu, quem simul illi diuersas partes versum faciebant; partim ex mutua collisione, qua se inuicem agitabant, ac trudebant in vtero. Fuit igitur consimilis generatio horum infantium, generationi Iacob & Esau: nam & illos inuicem collisos esse intra vterum, & quasi concertasse, vter egrederetur prior, supra narrauit Moses Gene. 25. & vtrobique partus prodigiosus fuit: sicut enim illic, Esau priùs egredientem proximè subsecutus est Iacob, plantam pedis eius tenens manu: ita hic vnus manum extra vterum protulit, quasi prior egressurus: sed statim retrahens manum, & quasi primatu natiuitatis cedens, locum alteri dedit prius nascendi. 37

Oleaster. Circa illud, *In qua obstetrix ligauit coccinum:* Oleaster huiusmodi facit adnotamentum, Meo iudicio, inquit, *Sani* non est à *Sen*, quod est dēs, & ebur, sed à *Sanah*, quod est duplicare: & significat, aut duplicatum colorem, id est, valdè intensum, vel duplicatum filum, quæ significatio mihi arridet magis. Sic enim accipitur Prouerb. 31. *Omnis domus eius induta est Scanim, id est duplicibus:* Et secundo Samuelis capite primo: *Qui indere faciebat vos Scanium*, id est, duplicatis, scilicet vestibus potiùs, quàm coccineis. Vnde hîc posset verti: *& ligauit super manum eius duplicatum* scilicet *filum*, quæ mihi videtur germanior lectio. Sic Oleaster. At enim omnes verterunt coccinum; Septuaginta, & Hieronymus, & Interpres Chaldæus, & recentiores Interpretes: filum enim coccineum, insignior erat nota distinctionis quam vtique obstetrix facere volebat.

Thostatus. Thostatus, exponens vocem illam *Coccinum*, quod ait fuisse filium valde nigrum, Coccus, inquit, est nomen serici, quod postea ad ruborem, vel nigredinem valdè tingitur, ita vt color ille non facilè diluatur. Iccirco Deus quasi pro miraculo, dixit apud Isaiam, capite primo: *Si fuerint* 38

Locus Isai. cap. 1.

peccata

peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: id est, si fuerint ita nigra, vt est coccus bis tinctus, dealbabũtur vt nix. Et quod hîc sumatur coccinum pro nigro, clarè ostendit quod proximè adiungitur tãquam quid diuersum: *Et si fuerint rubra vt vermiculus, erunt quasi lana alba.* Sic Thostatus. Verùm falsus est dupliciter, putans, coccum esse sericum, & coccinum sumi pro valdè nigro: vtrumque enim falsum est. Coccum porrò Græcis vniuersè significat granum, sed propter excellentiam, vsurpari solet pro grano valde rubro, & rotundo, cuius vsus est in tingẽdis vestibus. Est autem arbuscula, in qua nascitur coccus, similis ilici. Plinius libro 9. cap. 41. Coccum, inquit, Galatiæ rubens granum, circa Emeritam Lusitaniæ, in maxima laude est. Anniculo grano languidus succus: idem à quadrimo euanidus. Ita nec recenti vires, neque seneſcenti. Et in libro 21. cap. 8. Cocci colorem esse ait, qualis micat in rosis, gratius nihil traditur aspectu. In his granis seu coccis, parui & nigri vermiculi gignuntur, optimi odoris, qui paulò pòst coccis exeuntes, & præstanti vino albo insperſi, móxque arefacti, contunduntur in puluerem, rubefaciendis lanis laudatissimum. Hebræis vermis hîc dicitur Tholaad, nomine communiter omnibus vermibus conueniente: de quo est illud Isaiæ capite primo: *Et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Vestes autẽ coccineæ, nobilium erant atque diuitum: vt patet secundo Regum primo, Threnorum quarto, & Matthæi vigesimoseptimo.

Quid sit coccum, & lapsus Thostati.

Plinius.

Quare diuisa est propter te maceria? Et ob hanc causam vocatum est nomẽ eius Phares. Postea egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum: quem appellauit Zara.

VRRS. 28 & 29.

39 HVNC locum exponens sanctus Hieronymus in Traditionibus in Genesim: Pro maceria, inquit, diuisionem Aquila & Symmachus transtulerunt, quod Hebraicè dicitur Phares. Ab eo igitur quòd diuiserit membranulam secundinarum, diuisionis nomen accepit. Vnde & Pharisæi, qui se quasi iustos à populo separauerant, diuisi appellabantur. Nomen autem Zara, interpretatur *Oriens*: qui sic dictus est, quia primus apparuit, vel quia plurimi iusti ex eo nati sunt, vt in lib. Paralip. continetur. Sic Hieronymus. Est porrò Maceria, paries ex lapidibus temerè congestis, sine calce aut luto cõstructus, quo circũquaq; vineæ claudi solent. Græcè est φράγμα, id est sepes & repagulũ. Hebræa hoc sonant ad verbũ: Quare propter te, vel super te, diuisa est diuisio? Chaldæus diuersè admodum vertit hunc locum, sic nimirum, *Quàm multa tibi fortitudo est, vt prænalueris?* Vocabulo igitur maceriæ, vel sepis, vel diuisionis, significatur membrana, qua intra vterum obuolutus & contectus est fœtus: hanc rumpendo, & ruptam trahendo secum forâs, exit fœtus ex vtero: quam membranam Latini vocant secundas, vel secundinas. Germana igitur horum verborum sententia, hæc est: Cur membranã qua operiebaris, rupisti, vt prodires ante fratrem tuum? Sunt

Hieronym.

autem hæc verba obstetricis, ægrè ferentis præreptum esse Zaræ à Phares exitum ex vtero,& consequenter ius primogenituræ.

SEXTA DISPVTATIO.

De Allegorica expositione eorum, quæ super generatione Phares & Zara, historicè tradita sunt à Mose.

PERMIRA fuit generatio Phares & Zara, non minùs quàm 40
Iacob & Esau, & quantũ ad commixtionem parentum,& quantum ad modũ generationis ipsorum. Quocirca Patres haud quaquam dubitarunt, quin opertum huiusmodi historia ingens contineretur mysterium. Ac de eo quidem conuenit inter omnes, istos fratres præfiguraſſe duos populos postea venturos, Iudaicum,& Gentilem: sed vter frater, vtrius populi figura fuerit, discordant Patres. Iræneus, Chrysostomus,& Theodoretus, Zaram, figuram faciunt populi Gentilis, Phares autem populi Iudaici. Contrà verò
S. Irenæus. Cyrillus, Isidorus,& Rupertus. Ponam hîc verba Irenæi, quæ propter vetustissimi & sanctissimi scriptoris,& martyris auctoritatem, venerandam referunt veluti imaginem quãdam antiquæ illius ecclesiasticæ doctrinę. In lib. 4. aduersus hæreses ca. 42. ita scribit: Hoc etiam per Thamar, Iudę nurum, typicè ostenditur. Cum enim concepissent geminos, alter eorum prior protulit manum suam: vt cùm obstetrix putaret eum primogenitũ esse, coccinum alligaret signum in manu eius. Cùm autem ille retraxisset manum suã, prior exiuit frater eius Phares, & deinde secũdus ille, in quo erat coccinum, Zara: clarè manifestante Scriptura eum populum, qui habebat coccinum, signum, id est eam fidem, quæ est in præputio, præostẽsam primùm in Patriarchis: pòst deinde subtractam, vti nasceretur frater eius: Deinde sic eum, qui prior esset, secundo loco natum. Hic est cognitus per signum coccinum, quod quidem est passio Christi, & initio præfigurata in Abel,& descripta à Prophetis, perfecta verò in nouissimis tẽporibus à Filio Dei: Oportebat enim quædã prænunciari paternaliter à Patribus, quædam autem præfigurari legaliter à Prophetis: quædã verò deformari secundùm deformationem Christi ab ijs, qui adoptionem perceperunt. Sic Iren.

S. Chrysost. Sed hoc ipsum apertiùs & distinctiùs tradit S. Chrysostomus in Ho- 41
milia 62. in Genesim, hunc in modum scribens: Quòd nõ temerè & sine causa hæc facta sint, sed quòd figuræ futurorũ fuerint, res ipsæ daclarãt. Non enim iuxta naturæ ordinem hæc facta sunt. Quomodo enim erat possibile, vt postquam Zara protulisset manum extra vterum, atq; ea coccino ligata esset, hanc ille mox retraheret,& daret posteriori transitũ, nisi diuina quædam virtus hæc priùs dispensasset, & sicut in vmbra quadam præfiguraſſet, quòd statim ab initio, Zara (id autẽ est Oriens) figura esset

Ecclesiæ & fidelium ante legem? Fuerunt enim sicut Zara, qui manum protulit, & in ea coccinum habuit, Noë & Abraham, & ante illos, Abel, & Henoch; quibus magnum studium fuit, vt placerent Deo. Postquam verò in multos propagati, multa peccatorum onera collegerunt, quo vel paruam aliquam consolationem haberent, data est lex tanquam vmbra quædam, non peccata tollens, sed tantùm demonstrans. Verùm quia neque Lex eis profuit, sed nihilominus peccatis immergebantur, adueniens communis Dominus noster, spiritualem hãc, & virtutibus claram vitam, humano generi largitus est, cuius figuram Zara implebat. Non igitur inconsideratè transeamus quæ in diuinis Scripturis sunt prodita, neque superficie tenus salutemus, sed in profundum eorum penetremus: vt cùm diuitias ibi reconditas cognouerimus, glorificemus Dominum nostrum qui cum tanta sapientia dispensat omnia. Hactenus ex Chrysostomo. *Chrysostom.*

Chrysostomum sequens, vt solet, Theodoretus, ponit hanc quæstionẽ, quæ est num. 95. earum quæstionum, quas in Genesim scripsit: Quid indicabat quod Zaræ & Phares accidit? Ad quam respondens, subdit: denotabat duos populos, Phares populum Iudaicum, Zara verò Gentes, quæ crediderunt. Nam ante legem fuerunt etiam plerique pietatis alumni, secundùm fidem, non secundùm legem viuentes. Quocirca Zara tale vitæ genus demonstrans, manum porrexit: permulti enim fuerant ante legem, vt diximus, pietatis & virtutis studiosi. Funiculus autem coccineus Antiquorum sacrificia denotabat: nam & illi sacrificijs Deum placabant, vt Abel, Henoch, Noë, Melchisedec, Abraham, Isaac, & Iacob. Deinde cùm Zara manum retraxisset, egressus est Phares. Lex enim intercessit media inter eos qui ante legem & post legem fuerunt. Quapropter B. Paulus inquit: *Lex autem subintrauit*, docens etiam ante legem secundùm fidem iustificatos esse: & item splenduisse gratiam Dei. Sic Theodoretus. *Rom. 7.*

42 At verò eandem Historiæ allegoriam contrario modo tractarunt, & exposuerunt Cyrillus, Isidorus, & Rupertus, Zaram facientes figuram populi Iudaici: Phares autem, populi Gentilis. Cyrilli verba, vt memorantur in Catena in Genesim, huiusmodi sunt: Quòd Phares prior egressus sit, non obscurum signum est, Gentes priùs ad fidem vocandas, quàm genus Israel. Coccinum verò sanctissimum Christi sanguinem signat. Quis autem maceriam soluit, nisi Christus? Isidorus autem super hoc loco ita scribit, Zara significabat antiquum Israeliticum populum sub lege constitutũ: qui prior quasi manum emisit, quando dictis propheticis, & legalibus sacrificijs natiuitatem, & passionem Domini in carne prænuntiauit. Sed instante partu manum subtraxit: quia adueniente plenitudine temporum, credere in Dei Filium noluit: & eum in præsenti positũ despexit: de quo tamen multa in posterum prædixit. Phares porrò, qui interpretatur *diuidens*, priùs egressus est: quia postquam cæcitas in Israel facta est, plenitudo Gentium introiuit, & sic postmodum Israel saluus erit. Sic Isidorus. *Cyrillus.* *Isidorus.*

Verùm huiusmodi interpretationem enucleatiùs tractauit Rupertus c. 31. libri 8. Commentariorum in Genesim super illis verbis huius capitis: *Rupertus.*

Instante partu, apparuerunt gemini in vtero eius: Sic enim ibi scribit: Tempus est, vel dies partus, hoc tempus acceptabile, & hic dies salutis ab hora passionis Christi: cuius amaritudo (sic enim interpretatur nomen Thamar) id est, mors, omnem hominem, tam Iudæum quàm Gentilem ad æternam vitam parturiuit. Nam isti sunt duo Gemini, qui in vtero Thamar reperti sunt inter se discordantes, & quasi de priuilegio nascendi contendentes: quos Apostolus exæquare, & ad pacis concordiam formare cupiens, partim exterret minis, partim demulcet promissis: *Ira*, inquit, *& indignatio, & tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm & Græci. Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm, & Græco: non enim personarum distinctio apud Deũ:* Sed quid præsignat quod in effusione infantium vnus protulit manum? Nimirum iste manum proferens, præsignauit Iudæum; qui primus Legẽ accepit, & cui primùm oportebat loqui verbum Dei. At ille repulit illud, & indignum se iudicauit æternæ vitæ. Manum ergo coccino ligatam citò retraxit, id est, conscientiam Christi sanguine pollutam auertit, alter protinus egressus est, quia Gentilis populus ad lucẽ Fidei venit, & Deo natus est: *Quare diuisa est propter te maceria?* Hoc illa profectò non à semetipsa dixit, sed verum prophetauit quod nunc palàm factum est. Cæcitas videlicet ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Hæc interruptio Israel, diuisio maceriæ est quã & significat Phares, quod interpretatur *diuisio. Alterum appellauit Zaram.* Quo nomine pellenda designatur cæcitas quæ contigit in Israel: vt post præsentem infidelitatis noctem, videat veram lucem, respiciens ad Orientem qui est Christus Dominus; Zara nanque interpretatur *Oriens.* Sic Rupertus.

BENE

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA IN CAPVT TRIGESIMVM NONVM GENESIS.

ARGVMENTVM.

Ioſepho in Aegyptum ducto, proſperè fuit apud Dominum ſuum: Sed quia nefariæ libidini dominæ ſuæ aſſentiri noluit, apud dominum ab ea falsò accuſatus, detruſus eſt in carcerem: vbi tamen apud Principem carceris gratioſus fuit.

IGITVR Ioſeph ductus eſt in Aegyptum, 1
emítque eum Phutiphar Eunuchus Pharaonis, princeps exercitus, vir Aegyptius, de manu Iſmaelitarum, à quibus perductus erat. Fuítq; Dominus cum eo, & erat 2
vir in cunctis proſperè agens: habitauítq; 3
in domo domini ſui, qui optimè nouerat Dominum eſſe cum eo: & omnia, quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius. Inuenítque Ioſeph gratiam corã Domino ſuo, & 4
miniſtrabat ei, à quo præpoſitus omnibus, gubernabat creditã ſibi domum, & vniuerſa quæ ei tradita fuerant: benedixítque 5
Dominus domui Aegyptij propter Ioſeph, & multiplicauit tã in ædibus, quàm in agris cunctam eius ſubſtantiam: nec quidquam aliud nouerat, niſi panem quo veſcebatur. Erat autem 6
Ioſeph pulchra facie, & decorus aſpectu. Poſt multos itaque 7
dies

dies iniecit domina sua oculos suos in Ioseph, & ait: Dormi
8 mecum. Qui nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad
eã: Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid
9 habeat in domo sua: nec quidquam est, quod non in mea sit
potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es:
quo modo ergo possum hoc malum facere & peccare in Deũ
10 meum? Huiuscemodi verbis per singulos dies & mulier mole-
11 sta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum. Accidit autem
quadam die vt intraret Ioseph domũ, & operis quippiã absq;
12 arbitris faceret: & illa apprehensa lacinia vestimenti eius, di-
ceret, Dormi mecum. Qui relicto in manu eius pallio fugit, &
13 egressus est forâs. Cúmque vidisset mulier vestem in manibus
suis, & se esse contemptam, vocauit ad se homines domus suę,
14 & ait ad eos: En introduxit virum Hebræum, vt illuderet no-
bis: ingressus est ad me, vt coïret mecum: cúmque ego succla-
15 massem, & audisset vocem meam, reliquit pallium quod tene-
16 bam, & fugit forâs. In argumentum ergo fidei retentum pal-
17 lium ostendit marito reuertenti domum, & ait: Ingressus est
18 ad me seruus Hebræus quẽ adduxisti, vt illuderet mihi: cúmq;
audisset me clamare, reliquit pallium quod tenebat, & fugit
19 forâs. His auditis dominus, & nimium credulus verbis coniu-
20 gis, iratus est valdè: tradiditque Ioseph in carcerem, vbi vin-
21 cti regis custodiebantur, & erat ibi clausus. Fuit autem Domi-
nus cum Ioseph, & misertus illius, dedit ei gratiam in conspe-
22 ctu principis carceris. Qui tradidit in manu illius vniuersos
vinctos qui in custodia tenebãtur: & quidquid fiebat sub ipso
23 erat. Nec nouerat aliquid cunctis ei creditis: Dominus enim
erat cum illo, & omnia opera eius dirigebat.

PRÆFATIO.

De laudibus castitatis Sancti iuuenis Ioseph.

DVO in sacris litteris traduntur perinsignia castitis exempla: alterum in Ioseph, virgineæ castitatis; alterum in Susanna, coniugalis pudicitiæ. Vtriusque porrò castitas perfectè, duplici argumento explorata atque probata est: nam & vter

vterq; tutò sine metu pœnæ atque infamiæ peccare potuit: & nõ peccare, sine maximo vitæ, ac famæ discrimine nõ potuit. Sed illud maius in Ioseph, quòd ad peccandum plura & acriora habuit incitamenta, iuuenilẽ ætatẽ, secretum loci, opportunitatem temporis, securitatem criminis, flagrantissimam dominæ suæ voluntatem vltrò expetentis, atque adeo instanter flagitantis: cui nempe si assentiretur, ingentia sperare commoda potuit; si repugnaret, extrema timere mala debuit. Verùm de castimonia Susannæ disputatum à nobis est in 15. Commentariorum nostrorum libro in Danielem: nunc de sancto Ioseph dicendum. Insignis porrò & excellens castitas non solùm in populo Dei, verùm apud Ethnicos etiã magno semper in honore, & admiratione fuit: nam quo rarior hæc apud illos virtus, eo admirabilior & glorioſior habebatur. Pauca quidem sunt apud illos præstantis exempla castimoniæ; sed ea tamen summis celebrata laudibus in cœlum efferuntur: Ego aliquot, quæ memoratissima sunt, hîc strictim attingam, vt ex comparatione pudicitia Ioseph clariùs exsplendescat.

Exempla castitatis apud Ethnicos.

Aelianus libro tertio de Varia Historia, hæc singularis continentiæ atque eximiæ pudicitiæ memorat exempla; Amabæus, inquit, Cytharædus, tanta fuit castitate, vt vxorem, quam formosissimam habebat, nunquam attigerit. Diogenes Tragœdiarum actor, similiter ab vxore perpetuò se abstinuit. Fuit in Clitomacho Pancratiaste tanta continẽtia, vt si fortè canes coëuntes vidisset, continuò vultùm auerteret, & si quis inter conuiuia impudicus sermo effluxisset, confestim illinc decederet. Idem libro decimo quarto de Architæ verecundia, & pudicitia hæc scribit: Architas adeo modestus, & continens erat, vt verba parum decora abhorreret. Cùm autem aliquando nescio quid minus honestum cogeretur dicere, non potuit adduci vt id faceret, sed omnino reticuit: illud verò in pariete descripsit: ostendens se quamuis coactum, non tamen dixisse id quod maximè cogeretur dicere. Verùm memorabilius illud est, quod de Spurina quodam Etrusco, libro quarto prodidit Valerius Maximus in hæc verba: Cùm in ea regione excellentis esset pulchritudinis adolescens nomine Spurina, atque ob eam rem complurium fœminarum illustrium sollicitaret oculos, ideóque viris, ac parentibus earum suspectus esset, quo talem suspicionem amoliretur, oris decorem vulneribus confudit, deformitatémque, sanctitatis suæ fidem, quàm pulchritudinem formæ, irritamentũ alienæ libidinis esse maluit. In lib. 6. facinus Hipponis fœminæ Græcæ mirè prædicat: nã cùm illa hostium classe esset excepta, in mare se, vt pudicitiã morte tueretur, abiecit. Cuius san-

Aelianus.

Amabœus.

Diogenes.

Clitomac.

Archita.

Valerius Maximus.

Hippo.

ctitatis gloriam æternæ traditam memoriæ, Græcia laudibus suis celebrã do quotidie florentiorem effecit. Sic Valerius Maximus. Consimile fuit Lucretiæ facinus, Romanorum scriptis, nec satis iusta causa, & sine modo laudatum.

Hæc sunt de insignibus castitate viris, & fœminis in antiquis Ethnicorum historijs prodita. nam quæ iactantur de continentia Bellerophontis & Hippolyti hîc prætereunda sunt, tanquam fabulosa Poëtarum cõmenta, fortasse ad similitudinem eorum, quæ in hoc loco narrãtur de continentia Ioseph, ab illis composita & conficta. Et verò, aliquot sæculis antiquior illis fuit Ioseph: & qui ea cõmenti sunt Poëtæ, haud paulò Mose posteriores extiterunt. Hæc igitur exempla castitatis ab Ethnicis celebrata, si vera sunt, equidem digna esse commemoratione, & cõmendatione non abnuo, verùm ea nihil ad Ioseph; cuius profectò virtus quanto fuerit præstantior, in ipso tractatu & explicatu historiæ eius ostendemus. Nec sanè castitas Ioseph virtus quædã solitaria fuit, sed alijs pluribus, ijsque clarissimis comitata & condecorata virtutibus. Rupertus certè docet in egregio illo facto Ioseph quatuor eminere ac elucere eximias virtutes: hæc sunt enim in lib. 8. Commentariorum in Genesim, cap. 33. eius verba: In hac tribulatione Ioseph, in hoc abscondito tempestatis discrimine, vbi vehementer exercitus & probatus est, quatuor agnoscimus virtutes eius, temperãtiam, iustitiam, fortitudinem, prudentiã. Quid enim temperantius eo, qui non cuilibet, sed dominæ suæ dicenti, Dormi mecum, *cùm adolescens esset, non inclinauit animũ? Quid iustius eo quod ille dixit:* Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua: nec quidquã est, quod nõ in mea sit potestate, præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malũ facere, & peccare in dominum meũ? *Quid fortius ea perseuerantia, qua vsq; in finem cõstanter restitit dominæ sæpius, & instantiùs sollicitanti, sicut ait Scriptura:* Huiusmodi verbis per singulos dies loquebatur, & mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum? *Quid prudentius eo, qui cùm apprehenso à muliere pallio suo, ad flagitium cõpelleretur; relicto in manibus eius pallio, aufugit, & se forãs proripuit? tutius nempe iudicauit, vestimentũ suum cum temporali dispendio excutere, & ignem procul à se abijcere; quàm silentio diu flammã fœmineam in sino suo alligare cum periculo animæ suæ. Rectè igitur hunc Psalmista virum nũcupauit, dicens:* Misit ante eos virum. *Hactenus ex Ruperto.*

Rupertus. Quatuor insignes virtutes Ioseph.

Concludã hanc castitatis Ioseph laudationem breui eius dẽ viri atq; eleganti 3

eleganti præconio, quod S. Auguſt. in ſerm. 82. de Tempore ſcriptum reliquit: quanquã id ex B. Ambroſ. in lib. de Ioſeph, c. 5. maxima ex parte, iiſdem planè verbis, nõ modo ſententijs, ſumptũ videtur. Sic autẽ ſcribit Auguſt. Sanctus & fidelis Domini famulus Ioſeph, tribulationibus iuſtior oſtenditur. Qui primò per inuidiã fratrũ, Iſmaelitis in ſeruũ addictus; & ab eis venditus, à quibus ſe viderat adorandũ; deinde Aegyptio domino traditus, ſemper tamen ingenui animi tenuit bonitatẽ, docuítq; exẽplo ſuo & ſeruos, & liberos in peccãdo nõ conditione æquales eſſe, ſed mente. Cùm eſſet facie decorus, & ſpecioſus valdè, pulchritudinẽ ſuã nõ ad alienã deriuauit iniuriã, ſed ad ſuã gratiam conſeruauit: hoc ſe pulchriorem iudicans, ſi non diſpẽdio caſtitatis, ſed cultu pudoris ſpecioſior probaretur: & illũ eſſe verum decorẽ, qui nõ alienos oculos captaret, nec mentes fragiles vulneraret. Magnus planè vir, qui venditus ſeruire tũc neſciuit; adamatus, non redamauit; rogatus, non acquieuit; apprehenſus, aufugit. Concupiſcitur adoleſcens à domina, ſed ad concupiſcentiã prouocatus & rogatus, refugit. Illa, quæ in ceteris imperabat, vna hac in re blãdiendo humiliter ſupplicat. Sed ille nouerat videre quæ illa nõ videbat. Pulchrior erat intus Ioſeph quàm foris, pulchrior in luce cordis quàm in facie corporis, quò illius fœminæ oculus non penetrabat, inibi ſua ipſe pulchritudine fruebatur. Intuens ergo interiorem pulchritudinem caſtitatis in ſpeculo conſcientiæ ſuæ, quomodo illam maculari, quomodo violari fœmineæ tentatione permitteret? Hæc Auguſtinus.

Præconiũ caſtitatis Ioſeph ex S. Auguſt.

Inuenit Ioſeph gratiam corã domino ſuo, & miniſtrabat ei: à quo præpoſitus omnibus gubernabat creditam ſibi domũ, & vniuerſa quæ ei tradita fuerant.

VERSV. 4

4 HVNC locum pulchrè ad hunc modũ Philo enarrat: Ioſeph in Aegyptum abductus, & Eunucho in ſeruitutem traditus: cùm ante paucos dies, egregiæ honeſtatis, & generoſitatis magnũ dediſſet ſpecimen: cõſeruis eſt præpoſitus, curator totius familiæ. Iam enim herus multis argumentis liquidò cognouerat, eũ non ſine diuina prouidentia ſingula tum dicere, tum facere. Ergo in ſpeciem ab emptore ſuo domui præpoſitus eſt; reuera autẽ à natura cõciliãte illi magnæ gẽtis ac regionis principatũ. Oportebat enim futurũ adminiſtratorẽ Reipublicæ priùs exerceri in rebus œconomicis: nã & domus eſt quædã parua ciuitas; & œconomia eſt velut cõpendioſa Reſpublica: ſicut etiam ciuitas eſt magna quædam domus; & Politia eſt cõmunis quædã Oeconomia. Ex quo facilè intelligitur, eundẽ eſſe idoneum & aptũ diſpenſationi domeſticæ, atque publicæ adminiſtrationi; quamuis hæc multitudine & magnitudine differant. Id quod etiã in pictura, & fictura videre eſt:

Philo in libro de Ioſeph.

nam bonus statuarius vel pictor, siue colosseas magnitudines faciat, siue parua opera, eandem artem ostendit. Sic Philo.

VERS. 6. Nec quidquam aliud nouerat, nisi panem quo vescebatur.

HÆc verba possunt referri ad Phutipharem, & ad Ioseph. Relata ad Phutipharem tripliciter exponuntur. Prima expositio est Rabbini Salomonis, qui nomine *panis* metaphoricè significari putat vxorem: & vult hunc esse istorum verborum sensum: Phutiphar nihil rerum suarum curabat, omnia permittens curæ & industriæ Ioseph; excepta vxore, quam solam in eius potestatem minimè tradiderat. Nam & hoc Ioseph dixit dominæ suæ; *Ecce, omnibus mihi traditis, dominus meus ignorat quid sit in domo sua, nec est aliquid, quod non mihi tradiderit, præter te, quæ vxor eius es.* Quòd autem nomine *panis* nonnunquam significetur in Scriptura mulier, probat iste Rabbinus verbis illis Salomonis Prouer. 9. *Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior*, quibus verbis significatur vxor aliena, quam occultè quispiam cognouit. Verùm hæc interpretatio nimis dura est, & talis locutio tam allegorica à simplicitate & perspicuitate narrationis historicæ longè videtur remota & aliena. Altera expositio est Aben Esræ, sic interpretantis hæc verba; Phutiphar omnia sua communicabat cum Ioseph, præter panem, id est, cibaria, quæ nolebat habere communia cum Ioseph: siquidem, & infrà dicitur Gene. 43. illicitum erat Aegyptiis comedere cum Hebræis, & profanum putabant huiusmodi conuiuium: Tertia expositio, quæ simplicior, & rectior, & apertior est, ideóque probabilior, huiusmodi est: Phutipharem adeo curam omnem rerum suarum contulisse in Ioseph, vt ipse nihil prorsus curaret, nisi edere, & bibere: vt sit Hebraismus, significans, eum fuisse omnino vacuum à cura rerum suarum, nihilque earum sollicitum.

Rabbi Salomonis.

Aben Esra.

Si autem verba ista referantur ad Ioseph, vt quidam putant referri debere, hanc reddunt sententiam: Ioseph cùm in potestate sua haberet omnia bona domini sui, cúmque multa ex illis deriuare posset in emolumentum suum, nihil planè sumpsisse sibi ex illis; sed pro tam fideli, & industrio, & laborioso seruitio suo, nihil mercedis accepisse præter quotidianum cibũ. Atq; hunc fuisse panem siccum, qui erat cibus seruorũ. Hoc autem Scripturam commemorasse, quò admirabilius esset quod mox subdit, eum fuisse decoro vultu, & eleganti facie, cùm tam pauco & vili cibo vesceretur: videlicet, simile quid contigit Ioseph, eius quod accidisse legimus Danieli, & sociis eius; qui leguminibus tantùm vescentes, & aquam bibentes, pinguiores erant atque pulchriores quàm alij qui cibatu & potu regio nutriebantur. Ergo significatur illis verbis, Ioseph pro seruitute sua & labore nihil mercedis præter diurnum & quotidianum cibum, seruis præberi solitum, accepisse. Aristoteles lib. 1. Oeconomicorum, cap. 5. qualis cibus potúsque præbendus sit seruis, hunc in modum præcipit: Quoniam vini potus etiam liberos ad insolentiam impellit,

Daniel. 1.

Aristot.

& apud

& apud multas nationes ingenui quoque ab illo se abstinent, vt Carthaginenses dum militant: patet, vini aut nihil, aut perparum dandum esse seruis. Tria verò cùm sint, opus, cibus, & castigatio; cibus quidem sine castigatione & opere petulantes reddit seruos: opus verò & castigatio sine cibo, violenta res est, & infirmum facit seruum. Restat igitur vt opus faciendum illi tribuat, & cibũ sufficientem: sine mercede enim dominandum non putant; merces autem seruis, cibus est. Oportet item indulgere illis, & permittere singula secundùm merita, & cibum, & vestem, & quietem, & castigationem verbo & opere. Hæc Aristoteles. Cuius sententiæ mirè consona sunt quæ legimus in lib. Ecclesiast. cap. 33. his verbis: *Cibaria, & virga, & onus, Asino: panis, & disciplina, & opus seruo.*

Erat autem Ioseph pulchrâ facie, & decorus aspectu. VERS. 6.

6 VNC locum tractans Chrysostomus homil. 62. in Genesim: *Chrysostom.* Mala bestia, inquit, est Diabolus: vt primũ enim vidit Ioseph gratiosum esse apud dominum suum, & in rebus aduersis clariorem fieri; fremit dentibus, & insanit, nec videre potest iustum in dies magis clarescere. Quocirca profundum barathrum effodit, & horrendum præcipitium parat, quo illum maximo, vt sperabat, damno præcipitet: & grauissimam tempestatem excitat vt violentum ille naufragium faciat: sed denique intelligit, & contra stimulum calcitrare, & in damnum suum recidere quæ parabat in exitiũ illius. ecce tibi, ex pulchritudine Ioseph occasionem capit perdendi eum, vnde subdit Scriptura: *Erat Ioseph pulcher specie, & formosus aspectu:* Hæc enim de eo narrat Scriptura, vt ostenderet pulchritudine adolescentis captam dominam eius, ad nefarium eius concubitum fuisse incitatam. Hæc Chrysostomus.

Cur memoratur pulchritudo Ioseph.

Memoratur igitur in hoc loco insignis pulchritudo Ioseph, præter causam proximè dictam ex sententia Chrysostomi, duas alias ob causas. Ac primò quidem sic magis commendatur virtus castimoniæ Ioseph, qui tãta præditus pulchritudine, nihilominus studiosè, ac religiosè castitatẽ animi & corporis coleret. Pulchritudo nempe corporis plerumque magnum est castitatis periculum, & laqueus Diaboli, & illecebra voluptatis, & irritamentum peccati. Pulchritudo item superbiam gignit; superbia facit incogitantiam, & incuriam sui, & rerum cautè agendarum imprudentiam, atque negligentiam; negligentia porrò procliuitatem facit ad labẽdum in flagitia. Itaque pulchritudo corporis sine animi pulchritudine, quam facit virtus, non solùm hominem non decorat, verùm sæpe ingens occasio est maioris eius deformitatis & turpitudinis. Audi Salomonem Prouerb. 11. *Circulus aureus*, inquit, *in naribus Suis; mulier pulchra, & fatua.* Quam sententiam apertiùs ita reddiderunt lxx. *Sicut inauris aurea in naribus Suis, sic mulieri vecordi pulchritudo:* Cuius similitudinis, & comparationis hæc est vis & sententia: sicut annulus aureus positus in naribus Suis, non ornat, nec decorat Suem; sed contra Sus nitorem eius conspurcat & fœdat, rictu terram fodiendo, & nares cœno immergendo:

ita mulier pulchrâ, sed improba, pulchritudinem corporis dedecorat & turpat, animum flagitijs inquinans. Haud talis profectò Ioſephus fuit, in cuius pulchro corpore pulchrior animi virtus habitabat: nec tam hominibus ob corporis pulchritudinem, quàm Deo propter pulchritudinem animæ gratus & amabilis erat.

VERS. 7. Post multos itaque dies iniecit domina sua oculos suos in Ioseph, & ait, Dormi mecum.

Philo in libro de Ioseph.

HISTORIAM huius rei breuibus sic enarrat Philo: Postquã Ioseph egregiam laudem in dispensatione herilis domus, omniúmque rerum eius consecutus fuerat, insidias herilis vxoris pertulit, insano amore correptę. Capta si quidem est adolescentis pulchritudine: & affectu indomito rabida, de stupro eum tentauit repugnantem validè, ac ne audire quidem tale sustinentem, propter innatam sibi, & continua meditatione confirmatam honestatem, atque temperantiam. Sed vbi crescente in dies flammâ cupidinis, atque incesta concupiscentiâ, continuè tentando, semper repulsam passa est mulier, tandem impotens animi, atque impatiens libidinis, ad vim conuersa, in adolescentis pallium manus coniecit; magna illum contentione trahendo in thalamum suum, robur videlicet dante affectione, quæ solet, etiam timidos & debiles, audaces & fortes facere. Sic ille. 7

Quando euenerit hæc tentatio Ioseph.

Post multos dies, id est, multo pòst tempore, quàm venditus fuerat Ioseph Phutiphari Aegyptio, & magna cum laude fidei, & industriæ, & diligentiæ in domo eius versatus fuerat. Sed quot annis post eius venditionem euenit, quod hîc narratur? Decem fortasse vel vndecim citciter annis, vt quo tempore tentatus, & sollicitatus est à domina sua, iuuenis fuerit septimum & vigesimum circiter annum agens, nempe in ipso iuuentutis flore. Hoc autem colligi ex ipsa Scriptura posset ad hunc modum: Cùm venditus est isti Phutiphari, nondum expleuerat decimum septimũ annum, vt ex superiori cap. 37. manifestum est: statim autem post hanc tentationem dominæ suæ missus est in carcerem; vbi non multo pòst exposuit somnia pincernæ & pistoris regis Pharaonis, vt patet ex ca. 40. Geneſis: post duos autem annos eductus est de carcere vt interpretaretur somnium Pharaonis, quo tempore 30. erat annorum, vt ex ca. 41. perspicuum est. Videtur igitur tentatio hæc castitatis Ioseph accidisse triennio fermè antequam è carcere educeretur, id autem est, anno ætatis suæ vigesimo septimo. 8

Iniecit domina sua oculos suos in Ioseph. Ecce tibi noua, & prioribus periculosior tentatio & vexatio Ioseph. Vixdũ respirauerat à prioribus malis, & malum aliud atrocius & formidabilius in eum inuadit. Non enim patitur Diabolus sanctos Dei seruos quietè agere, sed infestat & vexat eos identidem, vt assidua tentationis molestiâ inquietans ac perturbans eos, de proposito & studio colendæ virtutis detrahat: nam quo magis crescit 9

eorum

eorum virtus, hoc magis crescit eius inuidia, & cupido perdendi bonos. Sedenim tentatio Ioseph partim à Deo permissa est, quò magis exercita & probata eius virtus crescceret meritis & præmijs; & clarissimum eius castitatis exemplum maximo esset posteris ad eius virtutis studium cultúmque incitamento. Partim tentatio illa fuit à Diabolo, conante per muliebres lasciuias & illecebras, & dulcem carnis voluptatem sanctissimum iuuenem perdere. Vsus porrò est ad id perficiendum muliebri instrumento, sæpius nimirum expertus id sibi ex voto successisse: nam & per Euam perdiderat Adamum, & per speciosas mulieres, filios Dei: quam ob causam exitium hominum per diluuiũ euenerat. Consimiliter nunc ad expugnandum sanctissimi iuuenis animum adhibet dominam eius ad id efficiendum, & muliebri pulchritudine ac lasciuia, herilique auctoritate, gratiáque præpotentem. *Genes 3. & 6.*

10 Sed perpendenda sunt verba illa: *Iniecit oculos in Ioseph.* Nimirum nisi mulier lasciua intentis oculis atque animo pulchritudinem Ioseph aspexisset, non eum tam insanè, ac perditè adamasset. Mors itaque ad eam per fenestras ascendit, & oculus eius deprædatus est animam eius. Non igitur Ioseph aspectum dominæ ambiuit, non se oculis eius obiecit; non aspectari & amari ab illa concupiuit: illa petulanter aspexit, illa lasciuos oculos in castum iuuenem coniecit impudenter. Rectè itaque B. Ambrosius hoc ipsum pensitans. Illa petulantibus, inquit, aspexit oculis; illius crimen solius est quæ male vidit; non huius, qui se malè videri noluit. Nec in eo quòd visus est, culpa est: non enim erat in potestate seruuli vt non videretur, maritus cauere debuit oculos vxoris. Sed quia hic nihil timebat de coniuge, arbitrabatur Ioseph testimonium esse castimoniæ, non remissionem iniuriæ. Discant etiam viri cauere oculos fœminarum: adamatur enim, etiam qui noluit amari: denique adamatus est Ioseph, qui amantem contempserat. Et bene Scriptura excusauit Ioseph, dicens: *Immisit oculos vxor domini eius in Ioseph*, hoc est, non iste se ostentauit, nec cepit incautam: sed ista retia sua misit, & indagine sua capta est: laqueos suos sparsit, & suis ipsa hęsit vinculis. Sic Ambrosius. *Hiere. 9. Toren. 3.* *Ambros. in li. de Ioseph. c. 5.*

11 Tria porrò procacis & lasciuæ mulieris tela sunt quæ vibrat in vecordes amantes. Primum telum est oculorum ipsius, alterum verborum, tertium assiduæ interpellationis, & sollicitationis. Hisce tribus telis voluisse dominam Ioseph animam eius confodere, non obscurè indicat Scriptura: nam de primo telo ait: *Iniecit oculos suos in Ioseph*: de secundo: *Et ait dormi mecum*, de tertio, *huiusce modi verbis, per singulos dies loquebatur, & mulier molesta erat adolescenti.* De tribus autem huiusmodi telis eleganter Ambrosius: Prima, inquit, adulteræ oculorum tela sunt: secunda verborum. Sed qui non capitur oculis, potest verbis resistere: Suppetit enim defensio, vbi adhuc liber est affectus, ideóque scriptum est, *Quia ille noluit.* Primùm igitur Ioseph congressione mentis superauit, tanquam scuto animi in se repellens irruentem: deinde sermone, tanquam hasta vibrauit, vt se illa reuocaret, *Et dixit vxori domini sui*, Rectè vxor domini, non ipsa Domina dicitur, quia non potuit extorquere quod voluit imperare. *Ambrosius.*

Nam

Nam quo modo domina, quæ seruulis incentiua libidinis præstabat? Ille Dominus, qui amantis non excepit faces; qui lenocinantis vincula non sensit: quem nulla mortis formido perterruit: qui maluit liber criminis mori, quàm criminosæ potentiæ eligere consortium. Ille liber, qui turpe credidit vicem gratię non referre. Sed tanquam beneficij herilis, & innocentiæ suæ debitor fugit crimen ingrati; peccatíque labem, & culpæ contagium, quasi iustus horrescit. Tertium spiculum adultera interpellandi assiduitate vibrabat: sed Ioseph non audiebat eam. Habes post prima verba quid caueas. Non solùm lubrica, sed etiam procax, & importuna, & petulans est libido, nec habet quod vereatur adultera, quæ dispendia pudoris prius non doluit, insidiatur vt capiat. Hactenus ex Ambrosio.

Cic. ad Luceiũ lib. 5. Epist.

Et ait, Dormi mecum: Verum esse animaduerto in hac muliere, quod quidam festiuè dixit: Qui semel verecundiæ fines transierit, eum benè ac nauiter oportet esse impudentem. Adeóne mulier ista omnem penitus animo atque ore pudorem exuerat, vt tam apertis & obscœnis verbis, rem adeò flagitiosam & fœdam, atque probrosam à seruo suo flagitare non erubuerit? Sed quæ pudorem ex animo & oculis abiecerat, quid mirum, eam in verbis tam inuerecundam atque impudentem fuisse? Habes igitur in Domina Ioseph exemplum mulieris insigniter impudentis, & lasciuæ; cuius contemplatione admirabilior exstitit virtus castimoniæ & constantiæ animi Ioseph. 12

VERS. 8. & 9.

Qui nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam, Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua: nec quidquam est, quod non in mea, sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?

S. Bernard.

IOSEPH, cùm domum & omnia bona Ægyptij domini sui sibi credita sciret (ait Bernardus sermone 13. in Cantica) dominam non ignorauit exceptã, & ob hoc non acquieuit contingere eam. Mulierem quippe nouerat gloriam esse viri, & iniquum sibi iudicauit, vice contraria, inglorium facere eum qui se fecerat glorioſum. Aduerit nimirum Ioseph, vir sapientiâ Dei prudens, virũ, vxorem suã fortiter, tanquam propriam zelare gloriam, sibíque ipsi retinuisse seruandam, non alij credidisse, & ideo manum ille ad non concessum extendere non præsumpsit. Sic Bernardus. Verùm super istiusmodi verbis Ioseph, pleniori ac luculentiori oratione disputat Sanctus Gregorius libro 30. Moralium cap. 18. vel secundùm aliam editionem cap. 9. hoc modo scribens: Ecce alius dum mundi huius successibus proficit, lenocinante cordis lætitiâ, tentari se luxuriæ stimulis sentit. Sed si Ioseph factum ad memoriam reuocat, in arce se castitatis seruat. 13

1. Cor. 11.

S. Gregor.

seruat. Qui cùm sibi à domina cõspiceret pudicitiæ damna suaderi, ait: *Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua:* Quibus verbis ostenditur, quia bona quæ assecutus fuerat, repentè memoriæ intulit; & malum quod se pulsabat, euicit: & quia perceptæ gratiæ meminit, vim culpæ imminentis fregit. Cùm enim voluntas lubrica teneat in prosperis, hæc ipsa sunt prospera aculeo tentationis opponenda, vt eo rubescamus praua committere, quo nos à Deo meminimus gratuitò dona percepisse: & illatam gratiam exteriorum munerum vertamus in arma virtutum, vt sint ante oculos quæ percipimus; & quæ nos alliciunt, subiiciamus. Quia enim voluptas ipsa in prosperitate nascitur, eiusdem prosperitatis est consideratione ferienda, quatenus hostis noster, vnde oritur, inde moriatur. Considerandum quoque est, ne acceptum munus vertamus in vitium, ne per fauorem vitæ nos absorbeat vorago nequitiæ. Iram namque contra nos superni Iudicis inextinguibiliter accendimus, si contra benignitatem illius, etiam ex ipsa sua largitate pugnemus. Sic Gregorius.

14 Cæterum orationem Ioseph tale flagitium recusantis atque auersantis, paucis verbis expositam à Mose, Philo multis atque illustribus sententiis exornans atq; amplificans, ad hanc fermè sententiam scribit: Ioseph præsentem importunitatem mulieris fortiter submouens, in has liberas, & suo genere dignas voces erupit. Quid molesta es? bonis moribus & legibus vtimur nos Hebræi. Aliæ gentes puberibus 14. annum ætatis egressis permittunt vsum scortorum: apud nostrates, nulla est meretrix, capitali supplicio proposito talem quæstum exercentibus. Ante legitimam copulam, alios congressus cum muliere nescimus: casti castis, & virgines virginibus cõiungimur, nõ voluptatis, sed liberorum conquirendorum gratiâ. Qui ad hanc diem purus mansi, non incipiam ab adulterio leges contemnere, flagitio pessimo, qui etiam si aliàs perperam educatus essem, & obsecutus ætatis cupiditatibus, aut vestram imitatus lasciuiendi licentiam, non tamen deberem alieno insidiari matrimonio; quod crimen, cui mortalium non cædæ vindicandum videtur? nam de cæteris dissentire solent, in hanc solã omnes conspirant sententiam: ita vt vbique gentium, & terrarum, capitale scelus pronuntient adulterium, & deprehensos, iniudicatos dedant ei qui læsus est, necandos. Tu verò quasi res ista per se parum damnata sit, eam tertio scelere cumulas, cogens me non tãtum ad adulterium, sed etiam ad tori herilis iniuriam. An ideo in vestras ædes veni, vt relictis seruilibus ministeriis inebrier, & debaccher in spes domini mei, coniugium, familiam, cognationem eius adulterans? Atqui nõ solùm officium ei, vt hero, sed & honorẽ vt benefactori debeo, qui omnia sua cõmisit fidei meæ, nihil excipiens, nisi te, amorem suum. Hánccine igitur gratiam, vt illi referam, auctor es? Bonam scilicet gratiam, dignámque illius meritis. Herus me ex captiuo & extero, sua benignitate libertum & ciuem reddidit, tractatũ liberaliter: ego verò seruus domino iniuriam, ne captiuo quidem & extero tolerãdam inferam? Et qua fronte potero post

Philo in lib. de Ioseph.

admissum tantum scelus, illum aspicere? Conscientia,carnifex intestina, non sinet me oculos in illum erigere, etiam si nemo alius prodat flagitium. Quanquam non deerunt qui prodant, præstò sunt enim latentes exploratores plurimi,quibus silere non licet. Taceo,quòd licèt factum nemo enunciet,vel sentiat,ipse meus ero proditor,colore,aspectu,voce,detegens conscientiam. Sed sac nullum delatorem fore; assidentem Deo iustitiam res cunctas inspicientem non timebimus, non reuerebimur,non perhorrescemus? Hactenus ex Philone.

Verumenimuero ponderanda sunt; magnam enim habent emphasim verba Ioseph dominæ suæ libidini assentiri nolentis. Duabus enim rebus tanto scelere admittendo se prohiberi ait:primò quidem insigni beneficentia domini erga se:cuius tot & tanta beneficia,si tanto maleficio rependat, ingratissimus & iniquissimus futurus sit, & nullo non dignissimus supplicio. Deinde, ab eo scelere deterreri se affirmat contemplatione ac reuerentia Dei præsentis in omni loco, cunctáque inspicientis:cuius scientiam,vt nullum potest fallere peccatum hominis; ita nec iustitiam eius vindicem scelerum impunè potest effugere. *Ecce dominus meus,omnibus mihi traditis* O gratitudinem animi! ait Chrysost. Enumerat beneficia domini sui, vt doceat quantam ipse gratitudinem & reuerentiam erga dominum & coniugem eius habere debeat. Num ego,inquit,famulus sum?num peregrinus? num captiuus? Tanta fruor domini mei securitate, vt omnia sua in manum meam tradiderit, nullo excepto, præter te:& cum aliis omnibus ego præsim,tibi subiicior,quę extra meam es potestatem. Deinde, vt lethalem ei plagam inferret, & recordari faceret viri beneuolentiam, & persuaderet ei ne tam ingrata esset erga coniugem suum, adiunxit, *Quæ vxor eius es.* Quibus verbis obliquè ac latenter admonuit eam conditionis suæ, & officij, & fidei, quam in vxorio contractu promiserat, & debebat marito: *Non enim* vxor,auctore B. Paulo,potestatem habet corporis sui,sed vir. 15

Chrysost.

Quomodo ergo possum hoc malum facere? Magnum nempe malum est adulterium: nam præter illicitæ voluptatis turpitudinem, est præterea cum ingenti coniunctum iniustitia, propter insignem, quæ marito fit, iniuriam;violata scilicet vxore,qua nihil est illi cõiunctius. Est quoque in adulterio execrandum perfidiæ crimen, nefariè prodita fide coniugalis pudicitiæ. Est item magna iniustitia aduersus mariti prolem. siquidem non rarò fit, vt ex adulterio geniti, pro veris mariti filiis habeantur:& adulterinus filius interdum censeatur primogenitus, sitque bonorum hæres; legitimis filijs atq; hæredibus per summam iniuriam hæreditate fraudatis atque priuatis. Sed quid est illud, *Quomodo possum hoc malum facere?* Id enim perinde est, quasi dixisset, Nullo modo possum facere. At enim Ioseph libero erat præditus arbitrio, ad malum procliui, non solùm flexibili. Num istud dicens Ioseph oblitus fuerat humanæ fragilitatis,atq; propensionis ad peccandum,de qua nimirum dictum à Deo fuerat,vt legimus Gen.8. *Sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Enimuerò in arduo est virtus,

tus, peccare autem in procliui & lubrico. Verè tamen illud dixit Ioseph: non quidem humanam libertatem, & natiuam eius ad malum procliuitatẽ abnegando, sed alia ratione, quam hîc paucis aperiemus. Hoc nẽpe inter homines improbos atq; probos, & sanctos viros interest: quòd illis malè facere, promptũ est, nec modò facilè, verùm etiam iucundũ, *lætantur enim*, inquit Scriptura, *cùm malè fecerint, exultant in rebus pessimis, & per risum atque iocũ scelus operãtur.* Contra verò benefacere, est illis difficillimũ, quin etiam quodãmodo impossibile. Sic enim de huiusce modi hominibus loquitur Hier. c. 13. *Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus varietates suas: & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* At verò sancti viri promptissimi & velocissimi sunt ad faciendum bonum; malum autem facere, videntur sibi nec scire, nec posse: Simplices vtique in malo, & prudentes in bono. Tanta quippe ad bonum propensio eorum est, & auersio à malo; & ita per Dei gratiam stabiliti, & firmati in bono, & alienati à malo sunt, vt idem videatur ipsis fieri aliquid non debere, atque non posse. Vulgò etiam itidem loquimur: nam quem vnicè diligimus, de eo solemus dicere, Non possum ei non bene velle: contrà autem quem valdè odimus, dicimus non posse nos eum aspicere, nec humaniter alloqui: Hoc sanè modo Genesis 37. scriptum est de fratribus Ioseph: *Oderant eum, nec poterant ei quicquam pacificè loqui.*

17 *Et peccare in Deum meum.* Tria sunt quasi vincula, quibus viri Sancti fortissimè constrictos se, atque compeditos sentiunt, ne possint Deum offendere. Primum vinculum est reuerentia diuinæ maiestatis vbique præsentis, & cuncta cernentis. Sancti enim viri semper in conspectu Dei ambulantes, videntur sibi non posse non omnia castè sanctéque facere, & ne præsens numen vlla re offendant, ab iis omnibus, quæ displicent ei religiosissimè cauere debere. Contrà quàm faciunt homines improbi: de quibus dicitur Psalm. 53. *Non proposuerunt Deum in conspectu suo.* Et Psal. 9. *Non est Deus in conspectu eius, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore, auferuntur iudicia tua à facie eius.* Et de senibus illis accusatoribus Susannæ scriptum est Dan. 13. *Euerterunt sensum suum, declinauerunt oculos suos, vt non viderent Cœlum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.*

De tribus vinculis quibus sancti viri tenentur adstricti, & cohibentur à peccando.

18 Alterum vinculum, quo ita fortiter sancti viri obstricti Deo tenentur, vt videantur sibi non posse in eum peccare, est recordatio beneuolentiæ ac beneficentiæ Dei erga ipsos, & beneficiorũ eius, partim iam acceptorum, partim in futurum promissorum: Validissimum esse hoc vinculum, declarauit Dominus per Oseam cap. 11. illis verbis: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis:* Quid est, *traham eos?* num violenter? nequaquam; sed efficaciter mouebo eos, & omnino venire ad me, mihiq; adhærere faciam: sicut in quadam Oratione dicit Ecclesia: Et nostras ad te rebelles compelle propitius voluntates. Quid est, *In funiculis Adam?* id est, ijs funibus, quibus trahi solent homines. Est enim eo loco nomen Adã non propriũ primi hominis, sed cõmuniter

significans hominem: sunt autem huiusmodi funes & vincula, amor & beneficia, vnde subdit, *In vinculis charitatis*: Hoc etiam in vulgari sermone vsurpari solet, vt cùm dicitur, Obligauit vel obstrinxit me sibi amore & beneficiis. Si autem Ioseph propter aliquot beneficia, quæ à domino suo acceperat, adeo se obligatũ illi, atque obstrictũ sentiebat; vt ex animo diceret, se in eum peccare non posse; quanto magis videri nobis deberet impossibile in Deum peccare, cuius in nos tot & tanta exstant beneficia, pręterita, præsentia, futuráq;? & in quo viuimus, mouemur, ac sumus; & cuius est beneficium, quicquid boni, corpore, animóq; habemus?

Actor. 17.

Tertium vinculum, est timor Dei, quem generat in animis nostris contemplatio seuerissimi iudicij, & inflexibilis iustitiæ Dei incredibili rigore vindicantis peccata, nec vllum relinquentis impunitum. Recordatio item iudiciorum Dei aduersus multos peccatores, quos etiam in hac vita grauissimis & atrocissimis suppliciis puniuit. Verùm super omnia à peccando reprimit, & quasi refrænat intenta consideratio illius generalis atque horrendi iudicij, quo Deus post sæculi consumationẽ, mortales omnes iudicaturus est, & redditurus cuique secundùm opera eius. Quod quidẽ iudicium prohetica oratione graphicè depinxit Dan. c. 7. Atque hoc probè intelligens Dauid, flagrantissimè optabat, atque obnixè petebat, hoc Dei timore non solùm constringi animum suum, sed etiam configi carnes suas. *Confige*, inquit, *timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.* De huiusmodi porrò timore diuini iudicij, quo vehemẽter reprimimur à peccando, grauissimam & disertissimam Magni Basilij orationem lubet hîc adscribere: quam equidem dum lego, ita motibus quibusdam diuini timoris, pulsibúsque animum meum quati, afficiúque, atq; inhorrescere sentio, quasi coràm iudicium illud spectarem. Verba Basilij super illo versu Psal. 33. *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos*, huiusmodi sunt: Cùm te appetitus inuaserit peccandi, velim cogites horribile illud & intolerabile Christi tribunal, in quo præsidebit Iudex in alto & excelso throno: astabit autem omnis creatura ad glorioſum eius conspectum contremiscens. Adducendi etiam nos sumus singuli, eorum quæ in vita gessimus rationem reddituri. Mox illis, qui multa mala in vita perpetrarunt, terribiles quidam & deformes assistent Angeli, igneos vultus præ se ferentes, atque ignem spirantes; ea re, propositi & voluntatis suæ acerbitatem ostendentes: noctiúque vultu similes, propter mœrorem & odium in humanum genus. Adhęc, cogita profundum barathrum, & inextricabiles tenebras, & ignem carentem splendore, vrendíque vim habentem, sed priuatum lumine: deinde vermium genus venenum immittens, & carnem vorans, inexplebiliter esuriens, neque vnquam saturitatẽ sentiens, atque intolerabiles dolores corrosione ipsa infigens. Postremò, quod supplicium omnium grauissimum est, considera opprobrium illud & confusionem sempiternam. Hæc time, & hoc timore instructus, animam à peccatorum concupiscentia, tanquam fræno quodam reprime.

18

Locus psalmi 118.

Memorabilis sententia B. Basilij.

rum-

Sic Basilius. Hoc igitur triplici funiculo & vinculo, quod difficile rumpitur, adeo se constrictum, atque impeditum sentiebat Ioseph, vt diceret se malum illud facere in dominum suum non posse.

Huiuscemodi verbis per singulos dies loquebatur, & mulier molesta erat adolescenti: & ille recusabat stuprum. VERS. 10.

20

IMPORTVNA res est mulier, nec acquiescens vnquam, quoad optatis suis annuatur, & satisfiat postulatis. Mulier enim libidinosa & lasciua facilè vincit etiã fortissimos, vel procacitate petendi, vel importunitate flagitandi. Perillustre habemus exemplum huius rei in Samsone, quem inuictum atque insuperabilem hostibus petulans illa muliercula Dalida assiduitate, atque importunitate precum vicit, & perdidit. Sic enim legimus in lib. Iudicum cap. decimo sexto: *Cúmque molesta esset ei* (Dalida) *& per multos dies iugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, defecit anima eius* (Samsonis) *& ad mortem vsque lassata est. Tunc aperiens veritatem rei dixit ad eam*, &c. Aestima hoc loco, prudens Lector, robur virtutis, atque animi constantiam Ioseph. Iuuenis erat, quæ ætas feruore sanguinis, & ardore cupiditatum procliuis est ad libidinem: incitabatur, & sollicitabatur à domina sua, à qua, si ei assentiretur, ingentia expectare bona poterat: sin autem repugnaret, grauissimas calamitates & mala timere debebat. Nec semel tantùm, aut leuiter: sed vehementer, & instanter, & assiduè sollicitatus est. Etiam ingentes arbores magnis crebrísque percussæ ictibus concidunt: etiam durissima saxa minutissimis assiduè cadentibus guttis excauantur: quanto magis homo magnitudine, & assiduitate tentationum superabilis est: cuius caro non est ænea, vt inquit Iob, nec fortitudo eius est fortitudo lapidum? Hoc igitur exemplo Ioseph satis apparet, nullã esse nec iustam, nec idoneam, nec probabilem peccandi excusationem: non humanæ naturæ infirmitatem, non ad libidinem iuuenilis ætatis procliuitatem, non obiectas extrinsecus occasiones, non illecebras, non irritamenta, non magnas spes commodorum, non ingentem metum calamitatum, & malorum terrorem, non assiduam atque importunam sollicitationem: his enim omnibus grauissimè tentatus est Ioseph: & hisce quasi machinis vehementer appetitus, validè oppugnatus, diu multúmque vexatus, nec vinci potuit, nec de proposito colendæ castitatis, vel transuersum, vt aiunt, vnguem dimoueri. Malum igitur est peccare, sed peccatum excusando, aut eleuare, aut penitus à se amouere conari, insignis est prauitatis: quam abesse cupiens à se Dauid, precabatur Deum, dicens: *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.* Iob 6. Psal. 40.

VERS. 11. Accidit autem quadam die, vt intraret Ioseph domum, & operis quidpiam absque arbitris faceret: & illa apprehensa lacinia vestimenti eius diceret, Dormi mecum.

HIus rei, quam strictim attigit Moses, historiam, enucleatiùs, pleniúsque, appositis quibusdam circumstantiis & illustribus sententiis, enarrat Iosephus 1. libr. Antiq. hunc in modum scribens: Mulierem semel data repulsa, magis etiam accendebat, quòd non putaret Iosephum repugnaturum: & non cessante morbo, secundas illi pergit admouere machinas. Ergo, publico festo instante, cuius celebritatem à fœminis quoque frequentari mos erat; fingit illa morbũ apud maritum, captãs solitudinem, & ad sollicitandum Ioseph opportunitatem. Quam nacta, supplex talibus eum blanditiis adoritur: Satius fuerat primis meis precibus cedere; ídque vel dignitati precantis deferre, vel amoris flagrantiæ, qua cogente, oblita me domin ãesse, ad tam abiecta verba descẽdi. Sapies tamen, si vel nunc cedes, & prius erratum corriges. Siue enim iterum rogari cupis, iam id facio nũc etiam vehementiùs quàm antea; nam & ad hoc simulaui ægritudinem, & festi lætitiam tua causa contempsi: siue priùs diffidebas, tentari te putans malitiosè; nunc certò potes argumento colligere, ex animo me agere, atque in eadem perstare voluntate. Quare aut elige meæ obsequi voluntati, & amanti morem gerere, maiora in dies commoda expectans, aut odium meum, & vindictam perhorresce, si meæ gratiæ, castitatis opinionem & studium antepones. Nihil ea te iuuabit, mihi crede, si ad maritum te deferam, & me de stupro à te appellatam dicam: quantumlibet tua veriora fuerint verba, mea tamen credibiliora erunt marito. Adhæc verba, lacrymásque verborũ testes, nec blanditiis illici, nec miseratione flecti, nec terrore cogi potuit Ioseph, quo minus perstaret in suo tuẽdæ pudicitiæ proposito: constantérque restitit intentanti iniustam afflictionem, malens acerbissima quæque perferre, quàm oblatis perfrui voluptatibus: non ignarus iusto se dignum fore supplicio, si quidquam tale in mulieris gratiam admitteret. Hactenus ex Iosepho.

Oratio dominæ ad Ioseph.

Accidit autẽ quadã die, vt intraret Ioseph domũ, &c. Solitudo, & secretũ loci, permagnum est inuitamentum peccati, atque incitabulum libidinis. Mulier quædã incesto priuigni sui amore capta, talibus quibusdã verbis eum incitabat ad patrandum flagitium: Habes, inquit, solitudinis plenam fiduciam, habes capax admittendi facinoris otium. Nam quod nemo nouit, penè non fit. Poëta etiam ille, turpium amorum doctor simul & medicus, docet solitudinem amantibus apprimè periculosam & noxiam esse tutiúsque esse in oculis omnium versari:

Apuleius de Asino aureo.

Ouidius.

Quisquis amas (loca sola nocent) loca sola caueto.
Quò fugis? in populo tutior esse potes.
Nam tibi secretos augent secreta furores.
Est opus auxilio? turba futura tibi est.

Hanc

Hanc ob causam Homerus honestas & pudicas matronas inducit cum magno famularum comitatu, & nunquâ incomitatas solásque incedentes: tanquam solitudo mulieris, impudicitiæ suspecta sit. Pro illo, *Operis quidpiã absque arbitris faceret.* Chaldaicè est: *Vt inuestigaret scripta rationis suæ:* Id autem est, vt tanquam dispensator, procuratórque bonorum herilium, exquireret & scrutaretur libellos dati & accepti. Non igitur ingressus iste Ioseph in domum heri sui culpabilis est, vtpote officij sui exequendi necessitate, vel diligentiâ factus.

Qui relicto in manu eius pallio fugit, & egressus est forâs. VERS. 12.

23 NON tam admirabile fuit, vt mihi videtur (ait Chrysostomus hom. 62. in Genesim) tres illos iuuenes in mediis Babylonicæ fornacis flammis illæsos atque intactos permansisse, quàm admirabile & rarum est hoc, quod de sancto Ioseph dicitur: qui ne retineretur vestimentis ab illa polluta, & lasciua muliere, relictis propriis vestibus in eius manibus, resiliuit. Sicut autem tres illi pueri propter virtutis suæ præstantiam, superiores igne fuerunt: ita & hic, quia quod erat in se, offerebat Deo, & continentiæ certamina, magno robore, & constantia animi peragebat, idcircò insuperabili præsidio Dei muniebatur: neque enim potuisset, nisi dextera Dei protectus, & adiutus, tantum certamen superare, & ex retibus illius libidinosæ mulieris euadere. Videre igitur erat admirabilem iuuenem, nudum quidem corporis vestibus exire, sed pretiosis continentiæ vestimentis pulchrè indutum atque ornatum, & quasi ab incendio illæsum effugere, nec solùm non adustum, sed multo etiam clariorem ac splendidiorem factum. Sic Chrysostomus. *Chrysost. Dan. 7.*

Sanctus Hieronymus in lib. 1. aduersus Iouinianum, hoc exemplo Ioseph, qui apprehensus pallio à lasciua muliere, reliquit ipsum in manibus eius, ne vel eam tangeret, vel ab ea tangeretur, docet, vel ipsum mulieris tactum, quasi contagiosum & venenatum, esse viro fugiendũ, non minùs quàm rabidissimæ canis morsum. Verba Hieronymi hæc sunt. Animaduertenda est Apostoli prudentia: Non dicit: Bonum est vxorem nõ habere, sed: *Bonum est mulierem non tangere,* quasi & in tactu periculum sit, quòd qui illam tetigerit, non euadat, nempè quæ virorum precios as animas rapit, & facit adolescentium euolare corda. Alligabit quis in sinu ignem, & non comburetur? aut ambulabit super carbones ignis, & non ardebit? Quomodo igitur qui ignem tetigerit statim aduritur: ita viri tactus & fœminæ, sentit naturam suam, & diuersitatem sexus intelligit. Narrant & gentilium fabulæ, Mithram, & Erichthonium, vel in lapide, vel in terra de solo æstu libidinis esse generatos. Vnde & noster Ioseph, quia tangere volebat eum Aegyptia, fugit ex manibus eius; & quasi ad morsum rabidissimæ canis, ne paulatim virus serperet, palliũ quod tetigerat, abiecit. Hęc ex Hieronymo. *S. Hieron. 1. Cor 7. Vel ipsum mulieris tactum, quasi contagiosum, & venenatum, esse viro fugiendum.*

Iosephus

Oratio Ioseph reuocantis dominam suam à turpi proposito, & libidine, Authore Iosepho.

Iosephus lib. 1. Antiquitatum, egregiam refert orationem, qua vsum 24
esse ait sanctum iuuenem Ioseph, à nefario illo proposito, turpique libidine dominam suam reuocare conantem. Ipsam quoque mulierem, Iosephus inquit, admonuit sanctus iuuenis Ioseph officij sui, iurisque coniugalis ac consuetudinis: suadens, huius maiorem habere rationē, quàm momentaneæ libidinis: huic enim præstò esse pœnitentiam, quæ factum quidem doleat, infectum autem reddere non possit: adesse item continuum timorem, qui pro magno habeat non prodi suum dedecus. At coniugalis consuetudo voluptatem habet & honestam, & securam, & conscientiæ fiduciam, tam apud Deum, quàm apud homines. Quin etiam conducibilius illi esse affirmabat, si impolluta ipsa manens, haberet se herili iure subditum sibi, potius quàm flagitij communis conscium: satius enim esse conscientia rectè factorum, quàm peccati latebris fidere. His & aliis similibus verbis impetum mulieris retundere conabatur, eámque à praua cupidine ad rectæ rationis arbitrium reuocare. Ast illa vehementiùs instabat, & cùm verbis nihil proficeret, iniectis manibus, adolescētem ad suæ libidinis assensum, atque obsequium cogere nitebatur. Ibi verò Ioseph intemperiem mulieris vlteriùs non ferens, relicta etiam interula, ex qua retinebatur, prosiluit ex cubiculo. Hactenus ex Iosepho.

De duplici allegorico tractatu historiæ huius, altero Philonis, planè philosophico & politico: altero Ruperti, Theologico.

PHILO beatum Ioseph, vt suprà non semel dictum est, facit 25
ceu imaginem quandam viri ciuilis, qui versatur in administratione Reipublicæ, & publica tractat rerum ciuilium munera. Dominus Iosephi, significat populum, penes quē suprem m est ius, & potestas & dominatio, vel ex toto, vel magna in parte. Vxor domini Ioseph, significat concupiscentiam, & libidinem animi, qua populus & vulgus hominum, plurimùm duci & regi solet; & qua vel maximè impellitur ad agendum, vel ab agendo reuocatur. Multa porrò incidunt inter administrandum Rempublicam, quibus tentatur & sollicitatur animus viri ciuilis; vt populo gratificari, & voluptati atque cupiditatibus eius obsequi studeat, omisso honesti, & recti, iustique respectu ac studio: hinc enim multa sperari posse commoda, contrà verò timeri debere populi offensam, & quæ hanc consequuntur incommoda. At vir ciuilis, si bonus sit, & sincerus publici boni amator, & consultor, curatórque, quiduis perferre potiùs inducet animum, quàm contra fidem, cōtra honestatem & iustitiam, & contra publicum bonum atque vtilitatē quidquā agere vel dicere. Verùm hæc ipsa, quæ hìc perstrinximus, mirum dictu, quanto maiora & illustriora fiant amplitudine illa grauitatéq; Philonianæ orationis: ea verò huiusmodi est.

Quemad

Philonis pulchra disputatio allegorica super hac historia Ioseph, ex libro eius de Ioseph, seu viro ciuili.

Quemadmodum impudica illa mulier castum adolescẽtem Ioseph, ita concupiscentia virum ciuilem adamat, sic eum alloquẽs: Quid agis? prodi ad vulgus cum quo habitas: obliuiscere morum tuorum, studiorum, dictorum, factorúmq; in quibus educatus es: mihi obsequere, me cole, age quicquid mihi placitum fuerit. Nam hominem tetricum, tenacem propositi sui, veritatis amicum, rigidum, nunquam flexibilem, publica commoda tantùm spectãtem, nihil sollicitum quid iucundum sit auditoribus, non fero: sicut nec quorundam calumnias, quæ deferuntur ad vulgus, maritum meum, & dominum tuum. Videris adhuc nimis abusus libertate, oblitúsque te seruire tyranno domino. Si scires, liberos suum agere negocium, seruos autem alienum; intellexisses, omissa tua peruicacia, me concupiscentiam, domini tui vxorem, super omnia colendam, meóque arbitratu facienda tibi esse omnia, vt charus sis domino tuo. Atenim vir ciuilis, etsi non ignorat penes populum esse potestatem tanquam dominum; se tamen non profitetur seruum, sed liberum, suíque arbitrij & voluntatis. Itaque reclamans dicet, Populi fauorem aucupari nec didici, nec vnquam volui: sed magistratum mihi commissum bona fide gerere, vt bonum decet procuratorem, aut patrem beneuolum, absque dolo, & mihi semper inuisa simulatione. Hanc meam voluntatẽ perpetuò retinebo, nihil subtrahens, aut celans furis in morem; sed conscientiã velut in Sole ac luce aperiens; est enim lux, veritas. Nec me terrebit vllum intentatum periculum, ne mors quidem ipsa: mori malo, quàm simulare. Cur enim simulem? Si populus est dominus, ego certè ingenuus sum, qui cumprimis in ciuitatem optimam atque maximã, hunc dico mundum, ascribi cupio. Cùm enim nec muneribus, nec precibus, nec ambitioni, nec arrogantiæ, nec simulationi, nec luxui, nèc timori, nec vlli affectui, aut vitio seruiam; cuius timere debeo dominum? An fortasse hominum? At hi potestatẽ in corpus meum, non in me habent. Ego verò me à potiore mei parte censeo: iuxta quam decreui viuere, parum sollicitus de mortali corpore, quod in conchæ modum, adhærens mihi, etiamsi conteratur à quopiam, non equidem feram ægrè molestis me affectibus animi exsolui, & effugere necessitatem grauissimam. Ergo si iudicandum mihi erit, iudicabo sincerè ac iustè: nec diuiti propter opes gratificans, nec pauperi propter misericordiam: sed omisso respectu miseriarum, incorruptè pronuntiabo quod iustum apparebit. In Senatu auctor ero sententiarum Reipublicæ, conducibilium, etiamsi parum iucundæ auditu fuerint. Pro concione quoque, si dicendum erit, adulationes relinquam aliis, veris atq; vtilibus vtens sententiis & verbis; increpans, admonens, castigans, non arrogantem atque insanam, sed sobriam, & grauem, & finceram præ me ferens libertatem.

Si quis porrò tales castigationes non amat, reprehendat parentes, & tutores, & præceptores, & omnes curatores; hi enim suos liberos, pupillos, & discipulos obiurgare nõ desinunt, interdum etiam verberare: nec tamen sæuire illi, sed amanter castigare dicuntur. Indignum planè

facinus esset, si cùm fidei meæ commissa Reipublicæ administratio sit, in prouidendis comparandísque eius vtilitatibus, cederem cuiuis medicinæ professori. Ille quippe in ægroto, quem suscepit curandum, nullam splendoris fortunæ rationem habet: nec quòd pernobilis, aut prædiues, aut præpotens, aut etiam rex sit: vnum hoc spectat quomodo seruare queat hominem, ac si fortè opus esset viderit sectione, vel vstione, secat vritq; principem suum ac dominum, seruus ipse, atque eius omnino subiectus potestati. Ego, qui non vnum virum curandum suscepi, sed integram ciuitatem, laborantem morbis impendio grauioribus, contractis ex multiplici concupiscentia, quid agere debeo? Num prodita & deserta vtilitate publica, huius, vel illius aures mulcere adulatione illiberali, & ne seruo quidem decora? Emori præstat, quàm loqui ad gratiam, dissimulata veritate, & publica vtilitate neglecta. Vsurpandum est hîc dictum illud Poëtæ Tragici.

Accedat ignis, accedat & gladius,
Combure carnem hanc, concrema, repleto te
Meo cruore: nam prius vel sidera
Terram subibunt, terra vel scandet polum,
Quàm mollis à me extorqueatur vox tibi.

Hanc tam virilem mentem ab omnibus alienam, & inuictam affectibus, non fert in viro ciuili dominus populus: sed hominem amicum atque beneuolum, pro inimico arripit: nec tam illum, quàm seipsum afficit pœna grauissima, videlicet inscitia: quippe qui non didicit id, quod in omni vita vtilissimum est, vtiliter imperata, libenter facere; vnde imperandi quoque scientia discitur. Sic Philo.

Ruperti allegoria.

Rupertus verò hanc eandem historiam, allegoricè transferens, & 16 accommodans ad Christum & Synagogam, mulierem Ægyptiam, quæ pulchritudinem Ioseph carnaliter & turpiter adamauit, interpretatur Synagogam Iudaicam, vaticinia Prophetarum de incomparabili pulchritudine & magnificentia Messiæ, & de amplissimis bonis, quæ allaturus erat populo suo, carnaliter intelligentem, & Messiam expectantem, tanquam regem quempiam opulentissimum & magnificentissimum, totiq; terrarum orbi dominaturum, & in terrena Hierusalem splendidissimè regnaturum, & Iudæos omnibus bonis terrenis cumulaturum. sed talem sensum carnalem, talémque sui expectationem, & amorem, & cultum, Christus Dominus aspernatur, & repudiat, & abiicit; & moribundæ Synagogæ relinquens tanquam pallium, quo tectus & velatus in Prophetarum vaticiniis, & cæremoniis legis occultabatur, egressus est forâs, id est, derelicta Synagoga se contulit ad Gentes, & in Ecclesia ex Gentibus collecta, in spiritu & veritate agnoscitur, adoratur, & colitur. Scribit autem Rupertus in libro 8. cap. 34. ad hunc modum: Rectè Scriptura dixit, Ioseph, (qui fuit Christi figura) fuisse pulchra facie, & decoro aspectu. Omne enim quod de Christo prædicat Scriptura, pulchrum ac decorum est, sed non absq; eo quod intrinsecus latet: Verbi gratiâ, illud: *Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumi*

flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent reges Tharsis, & insulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent. Et quicquid aliud eiusmodi de Christo canitur & legitur, decorum valdè & pulchrum est. Sed vnam eandémque pulchritudinem, aliter Synagoga carnalis, & aliter Ecclesia spiritualis intuita est. Illa, quam nihil delectat nisi quod in mundo pulchrum est; quæ dicitur concupiscentia carnis, & oculorum, & ambitio spiritus, & superbia vitæ; Illa, inquam, cùm legeret venturum Messiam, futurúmq; regem magnũ, & speciosum forma præ filiis hominum, totum hoc intelligebat carnaliter, sperãs eum temporaliter sessurum in solio Dauid, & corporaliter regnaturum in Hierusalem, & dominaturum vsque ad extremos terrarum terminos, cunctisque gentibus offerentibus ei munera, & auaritiæ Iudaicæ, sub tanto rege, seruientibus. Nimirum talia de Christo carnaliter sentire & spectare, id erat, petulantem mulierem incestos oculos in pulchrum Ioseph iniicere. Sed Christus istiusmodi carnalem intellectum non admittit: immò taliter intelligentem & sentientem, & expectantem Synagogam spreuit: effugiénsque cum suo viuificante spiritu, solam illi occidentem litteram reliquit. Bene igitur Ioseph relicto in manu adulteræ pallio, aufugit, & egressus est forâs. Fugientis enim Christi, & à Synagoga recedentis fuêre verba illa: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta:* Et, *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus:* In argumentum ergo fidei, mulier illa retentum pallium ostendit marito reuertenti domum, & ait: *Ingressus est ad me vt illuderet mihi:* Sic illa Synagoga quasi pallium Christi ostendens coram Præside suo, vana protulit contra eum testimonia Scripturarum, quòd esset seductor & illusor, *Nos* (inquiunt) *legem habemus, & secundùm legem debet mori, quoniam filium Dei se fecit.* Et item: *Commouit vniuersam Iudæam, docens à Galilæa vsque huc, & dicens se Christum regem esse.* Pilatus verò, vel potiùs Cæsar, talis Synagogæ tunc maritus fuit, qualem per Eunuchum Ægyptium significari decuerat. Nam sicut illa, quæ maritum habet Eunuchum, nec verè maritum habet, nec à lege viri soluta est, vt cuicumque voluerit, nubat: Sic Iudæa tunc nec Deum verè colebat, qui se maritum eius per Prophetas sæpe vocauit: neque tanquam vidua siue virgo erat, quia Regem suum non habens Deum suum, adulando ambiebat quasi Cæsaris coniugium, dicens: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Sic Rupertus.

Cant. 4. Psalm. 71. 1. Ioan. 2. Psalm. 44. 2. Cor. 3. Matth. 23. Supra 21. Ioan. 19. Luc 23. 1. Cor 7. Roman. 7. Ioan 19.

27 S. Ambros. egregiũ hoc facinus Ioseph, exemplumq; singulare castitatis admirabundus, maximis effert laudibus. Magnus, inquit, profectò vir Ioseph, qui venditus, seruile tamẽ nesciuit ingenium; adamatus, non redamauit; rogatus, non acquieuit; apprehensus aufugit. Qui cùm ab vxore domini sui conueniretur, teneri veste potuit, animo capi non potuit; ac ne ipsa quidem verba diu passus est. Contagium enim iudicauit, si diutiùs moraretur; ne per manus adulteræ libidinis incentiua transirent. Itaque vestem exuit, crimen excussit, & relictis quibus tenebatur exuuiis, spoliatus quidem, sed non nudus aufugit, qui erat tectus

S. Ambros. in lib de Ioseph. cap. 5.

indumento pudoris: non est enim nudus, nisi quem culpa nudauerit. Reliquit igitur vestimenta Ioseph, & nudauit adulteræ inuerecundiam, quæ postea latere non potuit; & cætera, quæ ibi persequitur Ambrosius.

VERS. 13. vsque ad 19. Cúmque vidisset mulier vestem in manibus suis, & sese contemptam, vocauit ad se homines domus suæ, & ait ad illos: En introduxit virum Hebræum, vt illuderet nobis: ingressus est ad me: vt coiret mecum: Cúmq; ego succlamassem, & audisset vocem meam, reliquit pallium quod tenebam; & fugit forâs. In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito reuertenti domum, & ait: Ingressus est ad me seruus Hebræus, quem adduxisti, vt illuderet *mihi*: Cúmque audisset me clamare, reliquit pallium quod tenebat, & fugit forâs.

Iosephus

PLVRA, quàm hîc à Mose commemorantur, dixisse mulierem illam, accusando Ioseph de intentato sibi stupro, refert Ioseph lib. 1. Antiquitatum, his verbis: Illa partim repulsæ dolore, partim metu, ne suam impudicitiam maritus cognosceret, decreuit prior Iosephum falsò deferrre, & hac ratione vindictam de eo sumere; dignum rata muliebri astutia, si accusationem præoccuparet. Itaque sedebat mœrens & perturbata, & dolorem suum ex frustata libidine verè natum, esse indignationem tentatæ pudicitiæ suæ simulabat. Marito autem domum reuerso, & ad hunc aspectum turbato, causámque sciscitante, Ne viuas, inquit, marite, ni sceleſtum istum seruum, cubile tuum violare conatum, digna pœna mulctaueris; oblitum, & qualis in ædes nostras venerit, & quanta beneuolentia, & gratia sit à te dignatus. Hic cùm ingratissimus habẽdus esset, nisi omnibus modis se modestum & frugalem gereret in domo tua: ne à coniugio quidem tuo iniuriam abstinuit, idque die festo, obseruata videlicet absentia tua, vt facilè appareat, modestiam, quam priùs ille præ se ferebat, ab herili metu, non à recta indole fuisse profectam. Quod vt auderet, à te præter spem ac meritum indulgente, corruptus est. Videns enim omnia tua bona fidei suæ ac dispensationi esse credita, séque grandioribus seruis præpositum, æquum putauit vxorem quoque tuam attrectare. Sic illa: & vt verbis suis fidem astrueret, protulit tunicam Ioseph, quasi in colluctatione ab eo relictam. Hæc Iosephus. 28

Oratio mulieris apud maritum falsò accusantis Ioseph.

Ambros. in li. de Ioseph. 5.

S. Ambros. hoc ipsum enarrans, Iosepho, inquit, forâs egresso, mulier adulterij sui tentamenta vulgauit, exaltans vocẽ suam, eo quòd relictis vestibus Hebræus aufugerat. Ipsa igitur quod celare debuerat, prodebat, vt cõposito crimine læderet innocentem. Iustus autẽ accusare non nouit; & ideò impunè hoc mulier impudica faciebat. Illã igitur ego verè exutam dixerim, etiam aliena vestimenta seruantẽ, quę omnia amiserat

Dan. 13.

amiserat velamina castitatis: illum contrà satis ornatum, satísque defensum; cuius vox non audiebatur, & innocentia loquebatur. Sic Susanna tacẽs in iudicio, meliùs locuta est oraculo: & ideo Prophetæ meruit defensionem, quæ propria voce auxilium non quæsiuit. Sic Ambr. *Dan.13.*

His auditis dominus nimiùm credulus verbis coniugis, iratus est valdè: tradidítque Ioseph in carcerem, vbi vincti regis custodiebantur, & erat ibi clausus. VERS. 19.

29 PHVTIPHAR autem victus oratione ac lacrymis mulieris (ait Iosephus) & coniugis amori plus æquo tribuẽs; omissa ampliori veritatis inquisitione, collaudatáque vxoris fide, audacis facinoris Iosephum damnatum, in maleficorum carcerem coniecit: atque ob vxoris pudicitiam, tanto experimento sibi probatam, magis sibi placebat, testis etiam ipse compertæ ipsius honestatis. Ioseph porrò innocentiam suam Deo committens, neque se defendere curauit, neque rem, ita vt gesta erat, indicare: sed vinculorum necessitatem tacitus ferens, vna se hac spe cõsolabatur & sustentabat, nimirum potentiorem esse Deum iis qui se vincirent. Et sanè spe sua nequaquam frustratus, mox eius singularem erga se prouidentiam expertus est. Hæc Iosephus. Super hoc ipso loco differens Ambrosius, ita scribit: Illum ego beatiorem dixerim, cùm in carcerem mitteretur, quia subibat pro castitate martyrium. Bonum enim munus pudicitia: sed minoris meriti, cum periculum abest: vbi verò etiam salutis periculo defenditur, ibi pleniùs coronatur. Inaudita causa, inexplorata fide veri, tanquam reus criminis in carcerem Ioseph mittitur: sed eum Dominus nec in carcere deserebat. Sic Ambrosius. *Iosephus lib.1. Antiq.* *Ambrosius vbi suprà.*

Sed quærat fortasse quispiam, cur Dominus Ioseph, credens illum tanti criminis esse reum, nõ iusserit occidi: dignus enim ob tam audax & nefarium scelus capitali supplicio videri ei debuit. Respondet Sanctus Chrysostomus, Deum, qui erat beati Ioseph tutor & protector, non esse passum id fieri, neque id venire in mentem domino Ioseph: sed animũ eius demitigasse, & complacasse aduersus Ioseph, à consilio & voluntate necandi eum prorsus auertendo. Posset etiam dici, illum indulsisse hoc singulari beneuolentiæ atque amori, quo diu multúmque dilexerat ipsum: maximè verò id cõdonasse multis, & magnis eius erga se officiis & meritis; quippe qui fidelissimã sibi, & liberalissimam, atque vtilissimam seruitutem multis annis seruierat. Verba super hac re beati Chrysost. in hom. 62. in Gen. hæc sunt: Considera hoc loco Dei misericordiam erga Ioseph. Sicut enim à fratribus eum eripuit volentibus interficere ipsum: & primô quidem effecit, vt iuxta consilium Ruben demitteretur in cisternã, & postmodũ ex consilio Iuda negociatoribus venderetur, vt præsignificatus euentus somniorũ cõpleretur: ita & nunc superna Dei manus barbarũ ilium detinuit, ne in Iusti cædem rueret, *Cur dominus Ioseph nõ iusserit eum occidi.* *Chrysost.*

Quid enim aliud prohibuisset hoc eum facere, cùm intelligeret attentasse eum violare thorum suum? Verùm omnipotens Deus tantam fecit illi exhiberi clementiam, vt iniectus in carcerem, etiam illic suam declararet virtutem, & sic ad principatum Regni perueniret. Si enim ille non credebat reum esse Ioseph, cur in carcerem coniecit? Si autem credebat verum esse quod vxor dixerat, tunc non carcere dignus, sed extremo supplicio, capitalíque pœna iudicandus erat. Verùm quando suum auxilium dextra superna ostendit, omnia fiunt leuia & facilia, & quantumuis feroces animi mansuescunt. Sed vide quanto silentio & lenitate animi, Ioseph benè sibi conscius innocentiæ suæ tulerit calamitatem illam. Scitis enim, eos, qui non sibi conscij vllius sceleris, tanquã rei condemnantur, magna sæpe vti confidentia, & dicendi libertate superbire, insurgentes cõtra eos qui insontibus crimen intentarunt. Non sic Ioseph, sed corde tacito, mens eius bene sibi cõscia, cõseruabat mãsuetudinem, & patiẽtiam, expectans Dei auxilium. Sic Chrysostomus.

Ioseph non solùm in carcere, sed etiam in vinculis & compedibus fuisse.

Ioseph porrò non solùm in carcerem esse detrusum, sed etiam durissimis vinculis & compedibus fuisse constrictum, liquidò intelligitur ex duobus Scripturæ locis: tum ex Psal. 104. tum ex cap. 10. libri Sapientiæ. Illic ita scriptum est, *Misit ante eos virum, in seruum venundatus est Ioseph. Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius,* id est, ferreis illis vinculis & compedibus, aliísque calamitatibus anima & vita eius valdè afflicta & cruciata est. Hic verò sic est: *Hæc* (Sapientia) *venditum iustum* (Ioseph) *non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum; descenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum: donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant, & mendaces ostendit qui maculauerant illum, & dedit illi clariratem æternam.*

VERS. 21. vsque in finem cap.

Fuit autem Dominus cum Ioseph, & misertus est illius, & dedit ei gratiam in conspectu principis carceris; qui tradidit in manu illius vniuersos vinctos qui in custodia tenebantur: & quicquid fiebat, sub ipso erat. Nec nouerat aliquid cunctis ei creditis. Dominus enim erat cum illo, & omnia opera eius dirigebat.

Quemadmodum se in carcere gesserit Ioseph ex Philone.

APPOSITISSIMA est atque grauissima, & disertissima huius loci atque historiæ enarratio, quę est apud Philonem in lib. de Ioseph, ad hunc modum super hoc loco disputantem: Adolescens Ioseph ab insana amatrice apud herum accusatus criminis, quod in ipsam competebat, inauditus in carcerem ducitur, vbi tanta virtutis edidit exempla, vt etiam facinorosis illis miraculo esset, ad suæ calamitatis solatium credentibus eum sibi virũ esse datum. Nota est custodum carceris crudelitas; qui ingenio feroces, magis efferantur assuetudine, in dies crescente sæuitia, dum nihil boni vi-

dent

dent,nec dicunt, nec faciunt,sed sæua omnia atque violẽta. Nam sicut bene compacta corpora firmantur magis exercitatione, & robustiorẽ atque inuictam habitudinem acquirunt: ita ferox & immitis natura, occupata sui similibus studiis, duplo fit durior,& inaccessa misericordia, qui vnus affectus bonus & humanus est. Et quemadmodum qui cum bonis viris habent familiaritatem, ex iocundissimo eorũ conuictu in melius proficiunt moribus:sic etiam,qui cum malis versantur,affricant sibi eorum vitia: facilè enim consuetudo abit in naturæ similitudinem. Degunt autem carceris custodes inter plagiarios, fures,homicidas, adulteros, & sacrilegos, aliorúmque scelerum turpissimis notis insignitos; à quorum singulis nonnihil nequitiæ contrahunt,vt ex huiusmodi collatione, & miscellanea, vna quædam conficiatur sceleſta malorum colluuies. At enimuerò custos eius carceris, in quem innocens Ioseph deiectus fuerat,honestissima indole adolescẽtis mitigatus, nõ solùm securitatem & otium ei præstitit, sed etiam vinctis omnibus eum præfecit, ita vt penes ipsum species nomẽnque custodis esset,rem autem & officium adolescenti cederet: id autem non parum carcere inclusis profuit, deinceps enim locus ille non tam carcer, quàm disciplinæ mediatorium fuit. Omissis enim tormentis,quibus antea die,noctúque cruciari solebant,variis malis obruti,admonebãtur, atque erudiebantur sermonibus & præceptis philosophicis: sed maximè ipsius doctoris exemplis vtilissimis. Postquam enim suam ipse vitam, continentiæ cæterarúmque virtutum plenam, tanquam in tabula bene picta imaginem,spectandam illis in medium posuit;conuertit etiam eos,qui videbantur insanabiles,inueteratis nempè morbis animi affectos,ita vt iam damnarent vitam præteritam, exprimentes has voces resipiscentiæ: Vbi tantum bonum tamdiu latuit, à quo tamdiu aberrauimus? Ecce iam effulgente hoc tanquam in speculo, nostra dedecora videntes erubèscimus. Hactenus ex Philone.

31 In eandem fermè sententiam spectat quod scribit B. Ambrosius, in libro de Ioseph, cap. 5. hanc ipsam loci huius historiam pertractans: Inaudita causa, inquit, & inexplorata fide veri, tanquam reus criminis in carcerem Ioseph mittitur, sed eum Dominus nec in carcere deserebat. Non turbentur innocentes, cùm falsis criminibus appetuntur, & oppressa iustitiâ detruduntur in carcerem: Visitat Deus, & in carcere suos; & ideo ibi est plus auxilij vbi est plus periculi. Sed quid mirum, si visitat Deus in carcere positos, qui seipsum in suis, in carcere inclusum esse memorauit, sicut habes scriptum: *In carcere eram, & non visitastis me.* Quò non penetrat diuina misericordia? Inuenit Ioseph huiusmodi gratiam, vt qui fuerat clausus in carcere, ipse potiùs carceris claustra seruaret: cederet munere clauicularius, & inclusos omnes in potestatem eius committeret. Itaque Ioseph non solùm carcerem non sentiebat,sed alios quoque carceris leuabat ærumna. Sic Ambrosius. *S. Ambros.*

32 Cæterum Rupertus allegoricè interpretans de Christo verba illa quæ hoc loco scripta sunt de Ioseph: *Dedit ei gratiam in conspectu Principis* *Rupertis allegoria.*

Principis carceris, qui tradidit in manu illius vniuersos vinctos, &c. Disputat etiam hac in re, Ioseph insignem fuisse atque illustrem Christi figuram, ita scribens: Christo, qui propter peccata nostra descendit in carcerem mortis; scimus quia Deus Pater maximam gratiam dedit: Scriptum enim est quòd *Gratia & veritas per Christum facta est*. Et item: *Vidimus enim eum quasi vnigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis*. Dedit autem illi gratiam in conspectu Principis carceris, id est, in conspectu suo, qui solus potestatem habet vitæ & mortis. Quamuis enim secundùm historiæ veritatem, alius homo fuerit Rex Pharao, & alius qui sub illo Princeps erat carceris: attamen secũdùm spiritualem hunc sensum, vnus idémque, & altissimi solij Rex, & inferni princeps carceris est. Dici quidem potest Diabolus, sicut dicitur, princeps mundi huius: at non ita princeps est carceris, vt à carcerali pœna & vinculis sit ipse liber, quemadmodum liber erat ille cuius gratiam Ioseph innocens habuit: sed sic est Diabolus princeps carceris, vel præpositus mortis, vt principalem accipiat ipse damnationis sententiam. Ideirco autem in carcerem passionis, vt obediret Patris præcepto, descendit Christus; vt gratiam inueniret apud Deum, & misericordiam oportunam captiuis impetraret, diceretque, iuxta Prophetam: *Iis qui vincti erant, exite: & iis qui in tenebris, reuelamini*. Bene autem in Christo competit quod hîc dicitur de Ioseph: *Tradidit in manu ipsius vniuersos vinctos: & quicquid fiebat, sub ipso erat*. Hoc nimirum est, quod dixit ipse, priusquam traderetur passioni: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*. Omnia, inquã, & cœlestia, & terrestria, & inferna, vt in nomine eius, sicut ait Apostolus, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum. Sed priùs infernorum, & deinde cœlestium, & post hæc terrestrium: prius enim ad inferna descendit, & mortuis vitam, vinctisque solutionem reddidit. Deinde cœlos ascendit adorandus ab omnibus, qui erãt in cœlo. Et post hæc, prædicatum est nomen eius Gentibus, vt adorarent eum omnes Reges terræ, & omnes gentes seruirent ei. Constat igitur quia princeps carceris vniuersos vinctos tradidit in manu eius: nec quidquam ille nouerat, cunctis ei traditis: Pater enim non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio; qui in iudicio nullius personam accipit, sed cum æquitate iudicans, & cum iustitia, reddit vnicuique secundùm opera sua. Hæc Rupertus.

Rupertus.

Ioan. 1.

Ibidem.

Ioan. 14.

Isaiæ 49.

***

BENE

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA IN CAPVT QVADRAGESIMVM GENESIS.

ARGVMENTVM.

Ioseph in carcere præsidens carceri, & inter vinctos liber, interpretatur duo somnia, futurarum rerum præsagia; alterum pincernæ regis Pharaonis, alterum pistoris; mox euentu ipso veritatem interpretationis comprobante.

HIS ita gestis, accidit vt peccarent duo Eunuchi, pincerna regis Aegypti, & pistor, domino suo. Iratúsq; contra eos Pharao (nam alter pincernis præerat, alter pistoribus) misit eos in carcerem principis militum, in quo erat vinctus & Ioseph. Atcustos carceris tradidit eos Ioseph, qui & ministrabat eis: aliquantulum temporis fluxerat, & illi in custodia tenebantur. Viderúntque ambo somnium nocte vna iuxta interpretationem congruam sibi: ad quos cum introisset Ioseph manè, & vidisset eos tristes, scisitatus est eos, dicens: Cur tristior est hodie solito facies vestra? Qui responderunt, somniũ vidimus, & non est qui interpretetur nobis. Dixítque ad eos Ioseph: Nunquid non Dei est interpretatio? referte mihi quid videritis. Narrauit prior præpositus pincerna- 1 2 3 4 5 6.7 8 9

10 rum,ſomnium ſuum:Videbam coram me vitem,in qua erant
tres propagines,creſcere paulatim in gemmas, & poſt flores,
11 vuas matureſcere:calicémque Pharaonis in manu mea:tuli er
go vuas,& expreſſi in calicem quem tenebam, & tradidi po-
12 culum Pharaoni.Reſpõdit Ioſeph:Hæc eſt interpretatio ſom-
13 nij;Tres propagines,tres adhuc dies ſunt: poſt quos recorda-
bitur Pharao miniſterij tui,& reſtituet te in gradum priſtinũ:
dabíſque ei calicem iuxta officium tuũ,ſicut antè facere con-
14 ſueueras. Tantùm memento mei,cùm bene tibi fuerit,& fa
15 cias mecum miſericordiam:Vt ſuggeras Pharaoni vt educat
me de iſto carcere:quia furto ſublatus ſum de terra *Hebræo-*
rũ,& hîc innocens in lacum miſſus ſum. Videns Piſtorum ma
16 giſter,quòd prudenter ſomnium diſſoluiſſet,ait: Et ego vidi
17 ſomnium; Quòd tria caniſtra farinæ haberem ſuper caput
meum:Et in vno caniſtro quod erat excelſius,portare me om
nes cibos qui fiunt arte piſtoria,auéſque comedere ex eo. Re-
18 19 ſpõdit Ioſeph:Hæc eſt interpretatio ſomnij: Tria caniſtra,tres
adhuc dies ſunt:poſt quos auferet Pharao caput tuũ,ac ſuſpẽ-
20 det te in cruce,& lacerabũt volucres carnes tuas. Exinde dies
tertius natalitius Pharaonis erat:qui faciens grande conuiuiũ
pueris ſuis,recordatus eſt inter epulas magiſtri pincernarũ,&
21 piſtorum principis. Reſtituítq; alterum in locum ſuũ,vt porri
geret ei poculum:alterum ſuſpendit in patibulo, vt coniecto-
22 ris veritas probaretur.Et tamen ſuccedentibus proſperis,præ-
23 poſitus pincernarum oblitus eſt interpretis ſui.

PRÆFATIO.

Ioſephus.

IN Præfationis loco lubet hîc apponere breuem,ſed concinnam huius capitis,quaſi paraphraſticam expoſitionem,tra[1]
ditam à Ioſepho in primo libro Antiquitatum; ea quippe dilucidiorem atque expreſsiorem faciet huius hiſtoriæ,ac Moſaicæ narrationis intelligentiam. Ille autem ſcribit ad hunc modũ: Cuſtos carceris,tum fidem & diligentiam Ioſeph in abſoluendis operũ penſis conſiderans,tum formæ dignitatem;ſoluens eum vinculis, calamitatem eius atque miſeriam aliquanto leuiorem reddidit; victu inſuper commodiore quàm reliquos vinctos vti eum permittens. Cæterùm ÿs

rùm ijs qui in eodem erant carcere, quoties labor intermitteretur, confabulantibus, ita vt solent, miseriarum socijs, & suæ damnationis causam inuicem percontantibus, pincerna regi charus, per iram ab illo damnatus ad compedes, familiaritatem cum Ioseph contraxit. Et quia sagacem & prudentem eum nouerat, visum à se somnium exposuit ei, orans indicaret, si quod subesset præsagium; simúlque deplorans suum infortunium, cui non satis esset mali, indignatio regis, nisi somnijs etiã per quietem turbaretur. Aiebat, se in quiete vidisse trium palmitum vitis vuas, è singulis palmitibus natas pendere grandes iam & vindemiæ tempestiuas, eásque se exprimere, subdente rege phialam, colatúmq; inde mustum, se regi obtulisse, atque illum perlibenter bibisse. Narrato tali somnio, rogabat Iosephum vt si quid scientiæ datum sibi à Deo haberet, interpretari eiusmodi visionem dignaretur. At Ioseph bono animo hominem esse iubet, & expectare intra triduum solutionem à vinculis, rege ipso ministerium eius requirente, ad quod ei denuò redeundum sit. Interpretabatur enim, vitem afferre fructũ mortalibus in bonũ vsum, quandoquidem eo conciliante, fides & amicitia inter homines sanciatur, & inimicitiæ dissoluantur, ad hæc molestiæ ac mœrores: anxietatésque vsu eius discutiantur, atque in earum locum hilaritas & lætitia succedant. Scito igitur bonum tibi somnium oblatum; & significare, huius miseriæ tuæ remissionem intra tot dies, ex quot palmitibus fructum vindemiasti in somnijs. Tu verò memento mei, postquam euentus ipse faustam hanc prædictionem meam, veram fuisse comprobauerit. Neque enim nos in hæc vincula sontes coniecti sumus, sed ob virtutem ac modestiam, quasi malefici punimur: quòd potiorem habuerimus honorem domus, in qua versabamur, atque eius, qui nos huc detrusit, quàm propriam voluptatem. Alius verò quidam, regis pistoribus præpositus, & in eisdem vinculis degens cum pincerna, ex tam fausta Iosephi interpretatione bonam spem animo concipiens, cùm & ipse somnium vidisset, rogat vt eius significationem sibi etiam exponeret. Erat autem somniũ huiusmodi: Tria, aiebat ille, canistra super caput gestare mihi videbar: ex his duo plena erant panibus, tertium carnibus, & varijs edulijs, qualia regibus apparari solent. Tũ vidi deuolantes aues absumpsisse omnia, me licet vehemẽter arcente, nihil deterritas. His dictis, simile priori præsagiũ expectabat. Tũc Iosephus, cõiectura somnij facta, præfatúsq; quòd mallet ei lætiora prænuntiare, quàm quæ somnium portenderet; dixit, duos tantùm dies vitæ ipsi superesse; hoc enim significare canistra, tertia verò, cruci suffixum, ab auibus deuoratum iri, quas à se arcere nõ posset.

Nec aliter euenit vtriſq; quàm fuerat à Ioſepho prædictum. Ad præſcriptam enim in ſomnijs diem rex natalitium epulum celebrans, præpoſitũ piſtorum in crucem egit: pincernam verò exemptum vinculis, priſtino reſtituit miniſterio, ac dignitati. Hactenus ex Ioſepho.

VERS. 1. & 2. His itaque geſtis, accidit vt peccarent duo Eunuchi, pincerna regis Aegypti, & piſtor, domino ſuo. Iratúſq; cõtra eos Pharao, (nam alter pincernis præerat, alter piſtoribus) miſit eos in carcerem principis militũ, in quo erat vinctus & Ioſeph.

QVANTO tempore poſtquam Ioſeph coniectus eſt in carcerem, acciderint ea quæ narrantur hoc capite, incertum eſt. Sed 2
veriſimile fit, nõ diu pòſt, ſed primo illo anno carceris Ioſeph euenisſe. Latina lectio initio capitis vocat iſtos, Eunuchos: quo nomine tamen nec Hebraicè, nec Chaldaicè, nec Græcè hoc loco appellantur. Verùm eos fuiſſe eunuchos, paulo pòſt indicat Scriptura, ibi, *Iratus contra eos Pharao:* pro quo Hebraicè eſt: Iratus contra Eunuchos Pharao. Latinus igitur interpres, nomẽ *Eunuchi* paulò pòſt Hebraicè poſitum, maluit in principio hiſtoriæ ponere, quò apertior eſſet narratio. Pro nomine *pincernæ*, LXX. Interpretes habent *Præpoſitum vinariorum*, ſuper qua lectione hæc annotauit ſanctus Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Geneſim: Pro principe vinariorum, Hebraicè ſcriptum eſt *maſcheeh* illud verbum, quod in nomine ſerui Abraham ſuprà legimus Gene. 15. Nos autem poſſumus more vulgi vocare pincernam. Nec vile putetur officium: cum apud reges barbaros vſque hodie maximæ dignitatis ſit regi poculum porrigere. Poëtæ quoque de Catamito & Ioue ſcriptitant quòd amaſium ſuum huic officio manciparit. Sic Hieronymus. Aduertendum autem eſt hoc loco eundem hominem hîc vocari principem militum, atque principem & cuſtodem carceris. Ex quo licet intelligere, penes eundem hominem fuiſſe iſta duo munera: idque ob id fuiſſe inſtitutum, quo videlicet tutior eſſet cuſtodia carceris, valido militum præſidio munita.

S. Hieronym.

De vetuſtate muneris pincernarum.

Hinc porrò apparet quàm vetuſtus pincernarum vſus fuerit in menſis Principũ: vt nõ temerè quiſpiam crediderit, tanta eius muneris vetuſtate 3
adductũ eſſe Homerũ, vt ne Deos ipſos cœleſtes pocillatorũ obſequio in ſuis conuiuiis carere voluerit; Ganymedem Iouis pincernam faciens; cæterorum autem deorum Heben iuuentutis deam. De illo ſic ſcribit:

Homer. Iliados y.

Egregius forma, raptus ſublimis in auras,
A ſuperis cœlo poſitus, diuûm inter honores,
Pulcher, vt ante Iouem miſceret pocula menſis.

De hac verò, ſic ait:

Ante Iouem interea Diuûm conuenerat ordo
Sydeream in ſedem, cunctiſque loquentibus, Hebe
Nectarios paſſim miſcebat diua liquores.

Hanc

Hanc poëticam Homeri fictionem carpens in prima Tusculana Cicero, longè à diuina maiestate esse putat, nectare & ambrosia victitare, & à poculis ministros habere. Non enim, inquit, ambrosia Deos, aut nectare, aut iuuentute pocula ministrante lætari arbitror. Nec Homerum audio, qui Ganymedem à dijs raptum ait propter formam, vt Ioui pocula administraret: non iusta causa cur Laomedonti tanta fieret iniuria. fingebat hæc Homerus, & humana ad Deos transferebat; diuina mallem ad nos. Sic ibi Cicero. Veteres Medorum reges, auctore Xenophonte, pocillatores habebant miræ dexteritatis in vino infundendo & porrigendo, eleganter vinum administrando, & mundè infundendo, atque tribus digitis phialam ferendo: donec qui bibiturus erat, poculum aptissimè accepisset. Eosdem pocillatores, ait, vbi phialam impleuerint, ex illa in cyathum in sinistra manu fundere atque sorbere, vt si venenum infusum esset, ipsis obesset. *Cicer. Homerū carpit.* *Xenoph. libr. 1. Cyrpæd.*

Antiquissimus item pistorum vsus ex hoc loco cognoscitur: vt mirum sit, tandiu istorum ministerio caruisse populum Romanum. Audiat lector Plinium: Pistores, inquit, Romæ non fuerunt ad Persicum vsque bellū, annis ab Vrbe condita super quingentos octoginta. Ipsi panem faciebant Quirites: mulierúmque id opus erat, sicut etiam nunc in plurimis gentiū. Certúmque est, Atteij Capitonis sententia, tostum panem Lautioribus coquere solitos: pistorésque tantùm eos, qui far pinsebant, nominabant. Nec coquos verò habebant in seruitijs, eósque ex macello conducebant. Sic Plinius. Sed antiquitus apud multas gentes seruitium molendi tritici, panísque conficiendi & inferendi mensis, non virorum, sed mulierū fuit; vt multis in locis indicat Homerus, & Plinius verbis proximè positis. *Plin. li. 18. c. 11.*

Sed quid illi Eunuchi peccauerant in regem? Quia scriptura id tacuit, affirmare super eo quidquam, planè diuinare est. Nisi fortè lector audiat Hebræos, qui more suo nugantur, illos esse damnatos à rege, quòd in potu reperisset muscam, & in pane lapillum. Scilicet credibile est, adeo stultum, & barbarum, & crudelem fuisse illum regem, vt ex musca faciens elephantem, sicut dici solet, & ex vno lapillo olympum montem, ob leuissimam causam tam atroci eos supplicio damnauerit. Equidem crediderim, si libet diuinare, peccasse eos infidelitate, vel in regis vitam, vel in bona; aut luxuriosè prodigendo, aut auarè in suum emolumentum deriuando, vt infideles muneris & ministerij, quo fungebantur, dispensatores fuerint. Huic coniecturæ adstipulari videtur Philo scribens, eos à rege damnatos esse, quòd non rectè ministerijs suis fungerentur.

Numquid non Dei est interpretatio? Referte mihi quid videritis. VRRS. 8.

TRIA his verbis significantur. Primò indicatur, somnia illa non potuisse sagacitate ac ratione humana exponi; sed eorum interpretationem ex Deo peti oportuisse. Significauit etiam Ioseph istis verbis, se non more aliorū coniectorum, humanæ

solertiæ coniecturis, vel suggestu Diaboli; sed inspiratu, ac reuelatione Dei somnia illa interpretaturum. Illud præterea indicauit non fuisse antea sibi reuelatum, qualia ipsis somnia contigissent: alioqui vltrò ipse prænarrasset illis somnia eorum, quò nimirum maiorem apud eos interpretationis suæ fidem faceret: nec dixisset illis, vt scriptura refert hoc loco: *Referte mihi, quid videritis.* Illa porrò sententia Ioseph: *Numquid Dei non est interpretatio?* concordat cum altera eiusdem sententia, quam duobus pòst annis dixit Pharaoni, similiter somnium eius interpretaturus.

Genes. 41. Cùm enim ei dixisset Pharao: *Vidi somnia, nec est qui edisserat: quæ audiui te sapientissimè coniicere:* respondit ei Ioseph: *Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni.* His quoque consona sunt, quæ Daniel regi Nabuchodonosori dixit enarraturus eius somnium:

Dan. 2. *Mysterium* (inquit) *quod rex interrogat, Sapientes, Magi, Arioli, & Aruspices nequeunt indicare regi: Sed est Deus in cœlis reuelans mysteria. Mihi quoque non in sapientia, quæ est in me plusquam in cunctis viuentibus, sacramentum hoc reuelatum est; sed vt interpretatio regi manifesta fieret.*

VERS. 14. Tantùm memento mei, cùm tibi bene fuerit: & facias quæso mecum misericordiam, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere: quia furtim sublatus sum de terra Hebræorum, & hîc innocens in lacum missus sum.

Discutitur opinio S. August. existimantis peccasse Ioseph, cùm verba illa dixit.

PVTAT S. Augustinus, cùm Ioseph illa verba dixit, peccasse eum, plus nimio confidendo promissis, & gratiæ, & beneuolentiæ illius pincernæ, minorémque quàm oportebat, diuinæ prouidentiæ & auxilij spem & fiduciam habendo. Quapropter vt ab eo peccato per diuturniorem tribulationem purgaretur Ioseph, noluit Deus eum citò liberari carcere; sed liberationem eius in biennium

S. Augustinus. vsque prorogauit. Quæ in hanc sententiam scripta reliquit Augustinus in Sermone quodam de tempore, qui numeratur 82. huiusmodi sunt: Quamuis serui & amici Dei capitalia crimina vitauerint, & multa opera bona fecerint; eos tamen sine minutis peccatis fuisse non credimus. Non

Iob 25. secundũ 70. Interpr. 1. Ioan. 1. enim mentitus est ille, qui dixit: *Non est mundus à peccato nec infans: cuius est vnius diei vita super terram.* Et beatus Ioannes, qui vtique meritis non erat inferior sancto Iacob, aut Ioseph, clamans dicit: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quoniã igitur sine istis minimis peccatis Sancti non viuunt, volens Deus parua illa peccata in hoc mũdo igne tribulationis consumere, implet in illis quod

Locus Eccles. 27. & ad Heb. 12. ipse dixit: *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos caminus tribulationis.* Et illud: *Flagellat Deus omnem filium quem recipit.*

Hoc autem apertè licet intelligere in sancto Ioseph. Nam cùm Dominus esset cum eo, & gratiam ei apud dominum suum, & apud principem carceris dedisset, vt ait Scriptura Genesis 39. & 40. præuentus tunc est, vt à magistro pincernarum auxilium postularet, dicens ei: *Memento mei, cùm*

cùm tibi bene fuerit, & supplica Pharaoni, vt educat me de isto carcere. Et quia nondum scriptum erat: *Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in homine,* cùm in omnibus Dei gratiam meruisset, subreptum est illi vt ab homine auxilium peteret. Pro qua re additi sunt duo anni, quibus adhuc teneretur in carcere. Tanquam diceret ei Deus, Ego tibi ostendo, vt magis à me, quam ab homine debeas auxilium postulare. Sine vlla enim dubitatione credendum, quòd pro castigatione sancti Ioseph non permisit Deus magistrum pincernarum recordari eorum quæ Ioseph exeunti ipsi de carcere supplicauerat. Et quia etiam ipse Ioseph, quamuis Sanctus, tũc sine peccato esse non poterat, ideo tanto tempore fuit in carcere clausus: vt in eo impleretur quod scriptum est: *Ego quos amo, arguo; & quos diligo, castigo.* Hæc S. Augustinus. *Psal. 117.* *Apoc 3.*

Sedenim videtur mihi potuisse Ioseph illud dicere, & auxilium illud postulare à pincerna, sine vllo peccato. Etenim ad ingens aliquod malum à se propulsandum, vel magnum quodpiam bonum sibi comparandum (siquidem vtrumque honestum & iustum sit) vti hominum industria, beneuolentia, gratia, potentia, aliisve humanis artibus & præsidiis, & adminiculis, non culpandæ est ambitionis, sed laudandæ prouisionis & cautionis, probabilisq; prudentiæ. Talibus enim hominum adiumentis vsos esse legimus, nõ solùm in veteri Testamẽto Patriarchas & Prophetas, verumetiã in Nouo Testamento Apostolos, aliósque celebratissimæ sanctitatis viros. Huiusmodi namque adiumenta vel naturalia, vel humana, in ipsa prouidentia & prædestinatione diuina continentur, per quæ videlicet Deus, sanctos viros, ad prædestinatos effectus & fines promouere & prouehere sæpenumerò solet. Talium igitur rerum vsus, spem & fiduciã diuini auxilij nec tollit, nec minuit: quin potiùs exequitur & implet Dei prouidentiam ac prædestinationem, & spem ac fiduciam diuini auxilij (sicut à Deo fuerat destinatum) ad optatos effectus, & exitus perducit. Ioseph porrò, cùm illa verba dixit, peccasse, vel diffidentiâ diuini auxilij, vel nimia fiduciâ & confidentiâ humani adiumenti, nec probari potest, nec de tam sancto viro arbitrari fas est.

7 Sed quid est illud quod dixit Ioseph: *Quia furtim sublatus sum de terra Hebræorum?* Ismaëlitæ siquidem, à quibus Ioseph in Ægyptum ductus est ex terra Chanaan (quam ipse vocat hîc terram Hebræorum, quòd in ea posteri Abrahæ, qui primus appellatus est Hebræus Genes. 14. Iacob dico, & posteri eius, tunc temporis versabantur, non eum furto sustulerunt inde, sed palàm, & certo pretio emptum à fratribus eius deduxerunt in Ægyptum. Non est profecto furtũ istud Ioseph referendum ad Ismaëlitas: sed referri debet ad fratres eius, qui vendentes eum Ismaëlitis furtum fecisse dicuntur, idque dupliciter. Nam hominem, nec iusta emptione, nec iure belli, nec vllius criminis reatu seruum factum, sed planè liberum atque innoxium capere ac vendere inuitum, furari est, vt loqui solet Sacra scriptura. Sic enim legitur Exodi 21. *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, conuictus noxæ, morte morietur.* Deinde Ioseph cùm nondum emancipatus esset, sed in iure ac potestate patris esset, & iccir

Quomodo fratres Ioseph vẽdentes eum, verè dicantur ipsum furati.

& iccirco esset velut possessio quædã, & res ipsius patris sui, quemadmodum scribit Aristot. lib. 5. Ethicorum de filijs nondum emancipatis; fratres eius auferentes eum patri suo, & vendentes alij, verè dicuntur furati eum: quid enim est aliud furtum, nisi rei non suæ, inuito eius domino, vel ablatio, vel retentio, vel alienatio?

Aristoteles.

VERS. 18. Respondit Ioseph: Hæc est interpretatio somnij: Tria canistra, tres adhuc dies sunt, post quos auferet Pharao caput tuum, & suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.

NON temerè quispiam credat, Ioseph vrbanè, comitérque 8
præfatum esse aliquid ante somnij enarrationem; quò præliniret animum illius pistoris, cui acerbissimum casum, atq; exitium, somnio illo præmonstratum, denunciaturus erat. Nempe hoc fecit Daniel tristissimum atque calamitosissimum somnium Regi Nabuchodonosor enarraturus. Cùm enim rex somnium quod sibi acciderat exposuisset Danieli, subdit scriptura: *Tunc Daniel cœpit intra semetipsum tacitus cogitare, quasi vna hora: & cogitationes eius conturbabant eum. Respondens autem Rex ait, Balthasar, somnium, & interpretatio eius non conturbent te. Respondit Baltasar, & dixit: Domine mi somnium his qui te oderunt: & interpretatio eius, hostibus tuis sit.* Philo certè in lib. de Ioseph refert Ioseph ante somnij pistoris expositionem, ad præmulcendum eius animũ, huiuscemodi quædam esse præfatum: Vtinam tale somnium non vidisses, aut non enunciasses! aut si narrandũ erat, procul à meis auribus, ne exaudirem quod non liebt. Piget enim me infœlicitatis tuę. nuncium esse; quia compatior miseris, memor communis sortis hominum. Sed quia somniorum coniectoribus veritas est necessaria, tanquam vatibus & oraculorum interpretibus nihil celabo: quandoquidem mendacium vbique fugiendum in sacris consultationibus etiam religio verat admittere. Et hęc apud Philonem.

Dan. 4.

Philo.

Circa illud: *Suspendet te in cruce*, vel vt paulò post dicitur, *in patibulo*, 9
æstimet lector, quàm sit antiquum Crucis supplicium: immò primum omnium suppliciorum ad puniendos fontes, memoratur in Scriptura supplicium Crucis; ante hunc enim locum, nullius supplicij hominum factamentio est. Hoc autem Crucis supplicium semper est habitum atrocissimum, simúlque ignominiosissimum. Quocirca beatus Paulus exaggerãs Christi Domini obedientiã, & humilitatem, dixit: *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis.* Illa repetitio, *mortem autem crucis*, magnam habet emphasim: quasi diceret, non quamlibet mortem, sed turpissimam, & probrosissimam. Et in libro Sapientiæ cap. 2. inducuntur loquentes impij Iudæi, de morte qua Christum condemnaturi erant, *Morte*, inquiunt, *turpissima condemnemus eum.* Idem quoque apud Ethnicos de tali supplicio sensus & iudicium fuit.

De antiquitate atrocitate, atque ignominia supplicij crucis.

Locus Pauli ad Philippẽ. 2. & li. Sapiẽ. c. 2

Virgi

Virgilius patibuli mortem appellat informem, quasi dedecorem & probrosam, *Virgil.*

Et nodum informis lethi trabe nectit ab alta.

Hinc illa tantopere celebrata Ciceronis sententia, cum magna comploratione crucem Romani ciuis detestantis: Facinus est, inquit, vincire ciuem Romanum: scelus verberare: propè parricidium necare: quid dicam in crucem tollere? *Cicero 7. Verrina.*

Quamuis autem secundùm legem Iudæorum, qui suspensi fuerant in patibulo, eo ipso die deponi deberent; id enim præceperat Deus verbis illis: *Quando peccauerit homo, quod morte plectendum est, & adiudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, sed in eadem die sepelietur: quia maledictus à Deo est qui pendet in ligno: nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem*, quamuis, inquam, hoc lege Mosis sancitum esset, & à Iudæis religiosè obseruatum, non itidem tamen obseruabatur ab aliis gentibus; sed suspensos in patibulo, relinquebant inibi vsque ad putrefactionem cadaueris, & laceration em auium. Vnde hîc dictum est: *Lacerabunt volucres carnes tuas.* Atque huc spectat illud Theodori Cyrenæi percelebre dictũ, qui Lysimacho regi mortem minitanti non quamlibet, sed crucis, respondit: Terribilis hæc sit purpuratis tuis: mea quidem nihil interest, humine, an sublimè putrescam. *Locus Deuteronomij ca. 21.* *Cicero 1. & 5. Tusculan. & Valerius Max. lib. 6. ca. 2.*

Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat: qui faciens grãde conuiuium pueris suis, recordatus est inter epulas magistri pincernarum, & pistorum principis. Restituítq; alterũ in locum suum, vt porrigeret ei poculum; alterum suspendit in patibulo, vt coniectoris veritas probaretur. VERS. 20. 22. 23.

10 VIDE quàm sit antiqua superstitio hæc apud principes huius mundi, diem suum natalem ingenti magnificentia, luxúq; celebrandi. Fuit hoc in more apud antiquos illos Persas, totius Asiæ regnatores, vt meminit Plato in primo Alcibiade. Cùm primus natu, inquit, filius regi natus fuerit, & cuius regnum est futurum, natalem eius primo colebant omnes qui in regia sunt, & quibuscunque dominaturus est: deinde in reliquum tempus, eiusdem natalem diem omnis Asia celebrat, & sacrificat. Idem factitasse reges Medorum, qui ante Persas imperarunt Asiæ, intelligere licet ex primo libro Xenophontis de Cyropædia. A barbaris porrò transijt hæc superstitio ad Græcos; nec ad Principes tantùm, verùm ad Philosophos etiam, &, quod mirari est magis, ad eos maximè, ad quos minimè omnium pertinere videretur. Epicurum certè M. Cicero acutè ac festiuè incessit, quòd qui animos hominum faceret mortales, nihílque hominis post mortem supereſſe censeret, is tamen accuratè ac diligenter testamento suo sanxerit, vt hæredes ipsius aliquantum pecuniæ quotquot annis, ad natalem suum mense Gamelione celebrandum conferrent. Hæc ego, inquit Cicero, non possum *Antiquitas & amplitudo superstitiosa consuetudinis natalem diem celebrandi.* *Plato.* *Persarum & Medorũ reges.* *Xenoph.* *Epicuri Vanitas.* *Cice. lib. 2. de finibus.*

dicere non esse hominis, quamuis & belli, & humani: sapientis verò nullo modo: Physici præsertim, quem se ille vult, putare vllum esse cuiuspiam diem natalem. Quid? veréne potest esse dies sæpius, qui semel fuit? Certè non potest. An eiusdem modi? Ne id quidem, nisi cùm multa annorum interceſſerint millia, & omnium syderum, eôdem, vnde profecta sint, fiat ad vnum tempus reuersio. Nullus est igitur cuiusquam dies natalis. Atque hac ratione Cicero vanissimi hominis superstitionem confutauit.

Suetonius in Caligul.

Idem moris fuisse postea apud Romanorum Imperatores, ex Romanis historiis notum est. Monstrum illud, & pestis humani generis, Caligula Imperator. Consulibus Romanis oblitis de natali suo edicere, abrogauit magistratum. Refert Gellius Epistolam Augusti Cæsaris scriptam ad Caium nepotem in hanc sententiam: Aue mi Cai, meus occellus iucundissimus, quem semper mediusfidius desidero, cum à me abes, sed præcipuè diebus talibus, qualis est hodiernus, oculi mei requirũt meum Caium: quem, vbicunque hoc die fuisti, spero lætum & bene valentem, celebrasse quartum & sexagesimum natalem meum: nam, vt vides, κληρικτῆρα communem seniorum omnium, tertium & sexagesimum annum euasimus. Sic ille. Amici etiam amicorum, quin etiam multo antè mortuorum hominum, quos videlicet maximè diligebant, & honorabãt, natalitium diem agebant. Plinius certè lib. 3. Epistolarum scribit, Silium Italicum vsque adeo Virgilij memoriam coluisse, vt natalem eius religiosiùs quàm suum celebraret. Neapoli maximè, vbi monimentum eius adire vt templum solebat.

Gellius. Augustus Cæsar.

Annus Climactericus.

Plinius.

At enimuerò neminem offendimus in sacris litteris, (quantum in præsens suppeditat memoria) laudatæ virtutis & sanctitatis virum, natalem suum celebrasse; sed id tantùm de duobus memorari regibus, Pharaone & Herode; altero Gentili, in hoc loco; altero Iudæo, sed improbo atque impio, apud Marcum capite sexto. Immò verò legimus sanctissimos viros conceptum & ortum suum multis & lacrymis deploraſſe, atque etiã maledictis insectatos esse. Nota est querimonia illa Iob: *Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est, Conceptus est homo.* Et cetera, quæ ibi subduntur. Similis est comploratio & querimonia atque insectatio apud Hieremiam: *Maledicta* (inquit) *dies in qua natus sum: dies in qua peperit me mater mea, non sit benedicta.* Hæc scilicet sancti viri dicebant cum animo suo reputantes se conceptos & natos esse cum peccato & naturâ filios iræ; & in hunc modum tanquam in ærumnosissimum & calamitosissimum exilium venisse plurimis & grauissimis doloribus ac miseriis obnoxios, cuius rei manifestũ esse signum ait Plinius, solum animalium hominem, cum planctu vagitúque nasci. Hominem tantùm, inquit, nudum, & in nuda humo natali die abiicit ad vagitus statim, & planctum natura, nullúmque tot animalium aliud ad lacrymas, & has protinus vitæ principio. Nec risus, etiam præcox ille & celerrimus, ante quadragesimum diem vlli datur. Et paucis interpositis; Itaque multi exstitêre, inquit, qui non nasci optimum censuerunt, aut quàm ociſſimè aboleri.

Locus Iob ca. 3, & Hier. 20

Plinius initio libri 7.

Sic

Sic Plinius.

Populus autem Christianus trium duntaxat natales dies festos agit,& religiosè celebrat,Christi Domini,Deiparæ Virginis,& Præcursoris Domini Ioânis Baptistæ.Cur autem id faciat,& iusta & manifesta causa est. Nam,vt alia taceam ad ortum Saluatoris nostri celebrandum, Angelorũ exemplo documentóque incitatus est. Scriptum enim est, nato Domino dixisse Angelum pastoribus: *Ecce euangelizo vobis gaudium magnũ, quod erit omni populo,quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus:& subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudamiñ Deũ, & dicentium,Gloria in altissimis Deo:&c.* de beatissima Virgine canit Ecclesia: *Natiuitas tua Dei Genitrix Virgo ,gaudium annunciauit vniuerso mundo:ex te enim natus est sol iustitiæ Christus Deus noster*, &c. De sancto præcursore Baptista Angelus dixit Zachariæ:*Uxor tua Elisabeth pariet tibi filium,& vocabis nomen eius Ioannem: & erit gaudium tibi & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt,erit enim magnus coram Domino.* Cæterorum verò Sanctorum Ecclesia non ingressum in hunc mundum celebrat,sed egressum ex hoc mundo in cœlum,atque eum diem verè appellat eorum natalem:quippe qui non eos mundo miseros edit,sed cœlo parit beatos.

Cur natalis dies Christi Domini nostri, & Beatæ Virgin.& S.Ioannis Baptistæ celebretur. Duo loci Scripturæ obiter exponuntur. Luc.1.

De duplici allegoria huius historiæ: altera Philonis, quæ est Philosophica & politica: altera Ruperti, Theologica.

12 PHILO super interpretatione duorum somniorum pincernæ,& pistoris,quam illis tradidit Ioseph, philosophica eruditione & grauitate disputans,docet,humanam vitam, réſq; mortalium,somniorum esse similimas: vt scitissimè dictum fuerit à Platone,hominum spes somnia esse vigilantium. Huiuscemodi autem somniorum idoneum esse ac peritum Interpretem,virum ciuilẽ, cuius imaginem & factis,& dictis,& moribus, & casibus suis tam prosperis,quàm aduersis insigniter gessit Ioseph.Scribit autem super hac re Philo ad hunc modum:Ego non dissimulanter dico ciuilem virum esse somniorũ interpretem:non quales sunt isti nugatores, & garruli,& mercenarij Sophistæ,quæstum facientes ex nocturnis somniorum ludibriis: sed qui magnum illud somnium,commune, publicúmque, atque vigilantium,non dormientium hominum exactè intelligat:id somnium, ne quid mentiar,vita hominum est.Nam sicut in somniorum visionibus videntes non videmus,audientes non audimus, loquentes non loquimur, deambulantes non deambulamus:sed cùm videmur talia facere,nihil tamen reuera tale facimus, mente scilicet inaniter,sine vllis veris obiectis,

Aelianus, de varia historia.

Philo. Vitã hominũ, réſque mortalium esse quasi somnia.

fingente sibi simulacra rerum non existentium tanquam existētium. Eodem planè modo vigilantiū imaginationes somniis sunt quàm simillimæ: veniunt,abeunt,occurrunt,refugiunt, & priusquàm comprehendantur, auolant. Disquirat quisque apud se,& domi suæ testimonium huius rei, etiam me tacente,inueniet,præsertim si fuerit ætate prouectior. Fuit ipse primò infans,mox puer,tum adolescens,deinde iuuenis,postea vir,denique senex:sed non simul ista omnia. Nónne infans puero cedit,puer adolescenti,adolescens iuueni,iuuenis viro,vir seni,senectus morti? Ac singulæ quidem ætates decedendo,quasi præmoriuntur; naturâ nos paulatim docente non timere mortem extremam omnium,quando facilè tulimus occasum infantię,pueritiæ,adolescentiæ,iuuentutis,virilitatis;quę omnes ætates ante senectutem euanuerunt. Quid aliæ res corporis,nónne somnia sunt? Nónne pulchritudo momētanea,penè priùs marcescit quàm floreat? sanitas vsque adeo fragilis & tot morbis obnoxia: Robur per occasiones plurimas expugnabile.

Quid de rebus externis dicam? ingentes opes sæpe vna dies abstulit: multi anteà honoratissimi,versis rerum vicibus in vilissimum venêre cōtemptum atque ignominiam; imperia Regum maxima, breui temporis spatio funditus subuersa sunt. Fidem meis verbis astruit Dionysius quondam tyrannus Siciliæ,mox pulsus,& Corinthum profugus,ludi magister è tanto Principe factus. Atteſtatur & Crœsus rex Lydiæ, & regum ditissimus,qui sperans deleturum se Persarum potentiam,non modò propriū regnum amisit,& viuus ipse in potestatem hostium venit, sed minimum abfuit quin exureretur. Testimonium quoq; huic veritati humanorum somniorum perhibent,non singuli tantùm homines,sed ciuitates,gentes, regiones,Græcia,Barbaria. Insularum,atque continentis incolæ,Asia,Europa,Africa,Oriens,& Occidens: nihil enim vsquam permanet sui simile. Aegyptus quondam multas in gentes imperium habuit: nunc ipsa seruit. Macedones aliquandiu tanto floruêre imperio,vt iura toti orbi redderent: nunc imperatas à dominis pecunias, quæstoribus, tributi nomine,quotannis numerant. Vbi est illa Ptolemæorum familia,cuius splendor per singulos successores,ad extremos terræ,marisque terminos emicuit? Persæ Parthis imperauerunt: nunc eis seruiunt; versa rerum humanarum alea; Adeo instabilis & anceps est fortuna; rebus humanis tanquam in statera pendentibus,& inæquali pondere nunc huc, nunc illuc vergentibus.

Dionysius Tyrannus.

Crœsus.

Ptolemæorum familia.

Sic profectò est: tanquam altùm dormientes erramus, non valentes quicquam ratiocinatione vel penetrare,vel certò comprehendere, quòd omnia vmbris spectrisque sint similia. Et sicut cùm pompæ traducuntur, prima quæque conspectum prætereunt,& item in torrentibus, fallente visum celeritate,vndæ præterfluunt: sic vitæ humanæ negotia irrequietè currentia,licèt videantur manere,præterlabuntur tamen, nec pūcto quidem temporis in eodem statu permanentia. Hoc ipsum etiam in cognitione & scientia cernere licet: nam & qui vigilant, quantum ad incertam rerum perceptionem attinet,nihil à dormientibus differunt, cùm seipsos fallant,

fallant, putantes se naturas rerum perspicere, quamuis interturbantibus scientiam sensibus per spectaculorũ, saporũ, odorum, sonorúmque illecebras; quibus inescatus animus, non sinitur rectè atque inoffensè per viã publicam veritatis progredi: itaque confusis altis cum humilibus, magnis cum paruis, obscuris cum lucidis, exoritur ingens quædam inæqualitas crassissimam animis caliginem atque vertiginem afferens.

Quemadmodum vir ciuilis optimus sit interpres humanorum somniorum.

13 Cùm igitur tanta in perturbatione atque obscuritate mortalium vita versetur, oportet interuenire virum ciuilem, tanquam doctum somniorũ interpretem, qui valeat humana somnia, visionésque hominum qui vigilare sibi videntur, diiudicare coniecturis verisimilibus, & persuasionibus rationi consentaneis, quid facere quemque oporteat, quid fugere, persuadere singulis. Sapiens igitur vir ciuilis, qui est optimus humanorum somniorum interpres, istiusmodi somnia vigilantiũ hominum prudenter exponat: & plerosque mortalium vanissimarum opinionum erroribus liberans, dicat: Hoc honestum est, illud turpe: hoc iustum, illud iniustum: hoc prudenter factum, illud fortiter: hoc piè & sanctè & vtiliter: ex aduerso, hoc factum imprudenter, timidè, impiè, ambitiosè, noxiè. Item hoc alienum est, ne concupiscas: hoc tuum, vtere eo, & caue abuti. Affluunt opes? impartire: nam diuitiarum pulchritudo non in arca, vel in crumenis est, sed in egentium auxilio. Pauca possides? caue inuideas diuitibus: nempe inuidum pauperem nemo quisquam miserabitur. Honoratus es? fuge insolentiam. Ignobilis es atque humilis? noli despondere animum, nec ad vilia abijcere. Omnia tibi ex sententia, votóque succedunt? cogita fortunæ inconstantiam, mutationémque time. Offendis sæpius? bene sperato: nam res humanæ mutantur in contrarium. Solæ res cœlestes, Sol & Luna, cæteráque astra, & cœlum vniuersum, perpetuò manent eadem, veris definita regulis, ordinatis motibus, aptis & inter se optimè congruentibus. Contra verò res terrenæ sunt perturbatæ, incompositæ, inordinatæ, & quas profundissimis tenebris mersas esse licet dicere. Si quis igitur velit res ipsas propriùs atque interiùs inspicere, comperiet cœlum esse diem sempiternum, vmbræ ac noctis prorsus expers, illustratum videlicet inextinguibilibus purissimísque splendoribus. Et quanto apud nos sunt potiores vigilantes dormientibus: tanto in hac mundi vniuersitate cœlestia terrestribus præstant; vt quæ insopita vigilant propter certas & irrequietas vires, nunquam frustratas suis effectibus. At verò terrestria & humana, etiamsi paulisper excitentur, & tanquam expergiscantur, rursus degrauata in somnum decidunt, deficiente visu animæ: vt errare necesse sit, & passim offensare. Hactenus ex Philone.

Ruperti allegoria ad mysterium prædestinationis, & reprobationis hominum pertinens.

14 Sed Ruperti super eadem historia disputatio allegorica multò est diuinæ Scripturæ congruentior, & profundissimum Theologię mysterium circa prędestinationem ac reprobationem hominum propriè attingit. Ait Rupertus historiam duorum istorum eunuchorum, perinsignem fuisse figuram incomprehẽsibilis iudicij Dei super hominum, aliorum quidem electione, aliorũ verò reprobatione; quod homines insipientes atq; impij

accusare & reprehendere non verentur. Erant illi duo Eunuchi eiusdem regis serui: peccauerant in eundem Regem: vtrisque Rex iratus est: ambo detrusi sunt in carcerem: & ambo mortis supplicio erant obnoxij: eorum tamen alterum carcere liberatum Rex in suum ministerium, pristinámq; dignitatem restituit: alterum prosequens odio, dãnauit, & suspendio puniuit. Vterque supplicium merebatur: neuter gratia Regis dignus erat: Rex tamen nec gratiam, nec supplicium vtrique tribuit æqualiter, sed cui voluit, gratiam; & cui libuit, supplicium; neque in eo quisquã meritò iudicium Regis reprehendere potest. Consimili ratione, cùm omnes homines propter peccatum originale peccatores essent, atque inimici Dei, vt Paulus loquitur, naturâ filij iræ, & rei mortis æternæ: eorum tamẽ quosdam ab æterno Deus diligens, elegit ac prædestinauit in vitam æternam, alios verò in illa perditionis massa dereliquit, ac perire denique permisit. Omnibus debebatur supplicium, nulli gratia: Fuit igitur misericordiæ diuinę, quorundam misereri; fuit iustitiæ, alios derelinquere & sinere in perditionem ire.

Ephes. 2.

Verba Ruperti super hac re huiusmodi sunt. Equidem ab eis qui iudicia Dei scrutari & reprehendere audẽt, quale est illud dicentis ad Mosen, *Miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit*, de quo dicere solent: *Ergo cui vult miseretur, & quem vult indurat*: Ab istis inquam diuinorum iudiciorum scrutatoribus & reprehensoribus quærendum est in lectione huius historiæ, An Pharaonem quoque de eo quod fecisse dicitur illis Eunuchis, reprehendere velint? Ambo quippe in eum peccauerant: ambobus iratus ille fuit: ambos in carcerem misit. Exinde recordatus amborum, alterum eorum restituit in pristinum gradum; alterum in patibulo suspendit. Ecce, & hic rex misertus est cui voluit; & clemens fuit, in quem sibi placuit. Poterat vtrique peccatum condonare & remittere supplicium, quoniam aduersus ipsum vterque peccauerat. Hoc namque iudici concedit iustitia, vt factam sibi iniuriam donet cui velit: & hęc donatio non solùm non est reprehensibilis, verùm etiam valdè laudabilis. Communem ergo iram vtrique infligere, vel communem vtrique poterat exhibere clementiam: neutrum tamen, pro sua potestate, facere voluit; sed medium tenens, iram quidem erga alterũ: erga alterũ verò clementiam ostendit. An hoc in illo rege quisquam meritò reprehendat? Minimè. Nam sicut clementia honor est Principis; sic & honor regis iudicium diligit. Siquidem vbi totum punitur, regia seueritas crudelitate polluitur: vbi verò totum remittitur, facies maiestatis sine metu disciplinæ contemnitur.

Locus Exo. 23 Ad Rom. 9.

Psal. 98.

Quis porrò nesciat mundum vniuersum, totámque humani generis massam sic fuisse in manu Dei, tanquam duos illos reos & vinctos in manu Regis? Etenim ex quo pater omnium Adam peccauit, vniuersi eius posteri propter illum rei fuimus & vincti. Ergo duo sunt rei, sed vnus assumitur, & alter relinquitur. Tu igitur, ô homo, quis es, vt respõdeas Deo, cùm Pharaoni similiter facienti respondere non possis? Quoniam omnes rei, & omnes sunt vincti; ánnon habet potestatẽ Deus, contra quẽ reatus admissus

Rom. 9.

admissus est, saltem æquè vt Pharao, vni donare offensam, ab alio autem pœnam exigere? Immò, quoniam homo, qui per gratiam factus fuerat ad gloriam imaginis & similitudinis Dei, per suum ipse peccatum factus est lutum; non habet Deus potestatem, vt ait Apostolus, quasi figulus, de eodem luto facere aliud vas in honorem, & aliud in contumeliam? Non enim dixit Paulus; Non habet aurifex seu argentarius potestatem facere de eodem auro, siue de eodem argento, aliud vas in honorem, & aliud in contumeliam, quia id fortasse indignum posset iudicari: sed à figulo luti argumentum similitudinis competenter sumpsit. Figulus namque luti nihil luto dignitatis adimit, si ex ipso faciat vas in contumeliam, cùm ipsum per se lutum vile, & quasi contumelioſum sit: multum autem illi dignitatis confert, si faciat ex eo vas in honorem, & gloriam: *Et nunc Domine* (ait Isaias) *pater noster es tu, & nos lutum: & fictor noster; & opera manuum tuarum omnes nos.* Lutũ sumus, non solùm quia de luto facti sumus, quod ad querelam nostram non pertinet: verumetiam quia cum argentea ratione, vel aurea plaste nostri Dei similitudine splendescere debuimus, parente primo nostro peccante, omnes cum illo in lutum recidimus, & mortales facti sumus. Quod vtrumque vir sanctus Iob dolens, dixit: *Comparatus sum luto, & assimilatus sum fauillæ, & cineri.* Obstruitur itaque omne os: nihil enim Deus adimit eis, quos esse vasa contumeliæ permittit, quia suo vitio lutum facti sunt: facit autem gratis quod non debuit, cùm ex vasis contumeliæ aliqua commutat in vasa honoris & gloriæ.

Ibidem.

Locus Isa. 64.

Iob. 30.

15 Ad hæc Rupertus adijcit, eandem hanc historiam duorum Eunuchorum fuisse præterea figuram eius quod euenit Christo Domino in cruce inter duos latrones pendenti. Sicut enim Ioseph in carcere, & inter duos vinctos positus, vni eorum faustum prædixit successum, alteri exitioſum: ita Dominus in cruce pendens inter duos Latrones, alteri Paradisi fœlicitatem promisit, alterum in suo peccato dereliquit. Verba Ruperti sic habent. Pulchrè Ioseph duorum medius vinctorum in carcere, & vtrique somnij sui congruam proferens interpretationem, in hoc quoque figura est vel vmbra Saluatoris nostri, qui duorum medius in cruce latronum, vtrique iuxta fidem, vel meritum suum dignam dedit sententiam. Et illic quidem figura, hîc autem exemplum est: sed vtrobique mysterium latet. Nam sicut pincernam Pharao restituit in pristinum ministerium, & honoris gradum: magistrum autem pistorum suspendit in patibulo: & sicut latronum alter confitens, Paradisum cum Domino introiuit, alter verò non credens mortuus est in peccato suo: sic per Christi passionem Gentilis populus in gratiam recipitur, & Iudaicus in iram missus est. Vnde Apostolus huic, tanquam pincernæ poculum regi suo laudis porrigenti, vel tanquam latroni Paradisum introëunti dixit: *Vide ergo bonitatem, & seueritatem Dei: in eum quidem qui cecidit, seueritatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate*: & cætera. Quod autem Ioseph eloquio DEI inflammatus, vt

Locus Luc. 23.

Ad Rom. 11.

Psal. 104.

vt dixit Dauid, occulta somniorum, quæ nemo aperire potuerat, solus interpretatus sit, id quoque ad mysterium & typum Filij Dei pertinet: super quem septiformis Spiritus adeo requieuit, vt Prophetias omnes adimpleret, sensúmq; Apostolis suis ad intelligendas diuinas Scripturas aperiret. Nimirum ipse est Agnus ille, quem vidit Ioannes in Apocalypsi, qui librum signatum, quem nemo aperire, & signacula eius soluere potuit, solus aperuit, & quæ in eo continebantur, manifestauit. Atque hæc est allegorica Ruperti super hac historia disputatio.

Luc. 24.

Locus Apo. 4.

***

BENE

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA IN CAPVT QVADRAGESIMVM PRIMVM GENESIS.

Ioseph eductus è carcere, sapienter interpretatus est duo Pharaonis somnia futuræ in Aegypto septennis abundantiæ, & postea totidem annorum sterilitatis præsagia: quam ob causam valdè honoratus à Rege, & annonæ in vniuersa Aegypto præpositus est; ductáque vxore Aegyptia, duos filios procreauit.

POST duos annos vidit Pharao somnium. 1
Putabat se stare super fluuium, de quo 2
ascendebant septem boues pulchræ, & crassæ nimis: & pascebantur in locis paluſtribus. Aliæ quoque septem emergebant 3
de flumine, fœdæ, confectæque macie: & pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus: deuorauerúntque eas, quarum mira species, & habitudo corporum erat. Expergefactus Pharao, rursum dormiuit, 4
& vidit alterum somnium: septem spicę pullulabant in culmo 5
vno plenæ atque formosæ: aliæ quoque totidem spicæ tenues, 6
& percussæ vredine oriebantur, deuorantes omnem priorum 7
pulchritudinem. Euigilans Pharao post quietem, & facto mane, pauore perterritus, misit ad omnes coniectores Aegypti, cunctósque sapientes: & accesitis narrauit somnium, nec erat qui interpretaretur. Tunc demum reminiscens pincernarum 8 9

magiſter, ait: Confiteor peccatum meum: Iratus Rex ſeruis
ſuis, me & magiſtrum piſtorum retrudi iuſſit in carcerem
principis militum: vbi vna nocte vterque vidimus ſomnium
præſagum futurorum. Erat ibi puer Hebræus eiuſdem ducis
militum famulus: cui narrantes ſomnia, audiuimus quicquid
poſtea rei probauit euentus. Ego enim redditus ſum officio
meo: & ille ſuſpenſus eſt in cruce. Protinus ad Regis impe-
rium eductum de carcere Ioſeph totunderunt: ac veſte muta-
ta, obtulerunt ei. Cui ille ait: Vidi ſomnia, nec eſt qui ediſſerat:
quæ audiui te ſapientiſſimè coniicere. Reſpondit Ioſeph; Abſ-
que me Deus reſpondebit proſpera Pharaoni. Narrauit ergo
Pharao quod viderat: Putabam me ſtare ſuper ripam fluminis, & ſeptem boues de amne conſcendere, pulchras nimis, &
obeſis carnibus, quæ in paſtu, paludis virecta carpebant. Et ec-
ce, has ſequebantur aliæ ſeptem boues in tantum deformes
& macilentæ, vt nunquam tales in terra Aegypti viderim: quę,
deuoratis & conſumptis prioribus, nullum ſaturitatis dedêre
veſtigium, ſed ſimili macie & ſqualore torpebant. Euigilans,
rurſus ſopore depreſſus, vidi ſomnium: ſeptem ſpicæ pullula-
bant in culmo vno plenæ atq; pulcherimæ. Aliæ quoq; ſeptem
tenues & percuſſæ vredine oriebantur è ſtipula: quæ priorum
pulchritudinem deuorauerunt. Narraui coniectoribus ſom-
nium, & nemo eſt, qui ediſſerat. Reſpondit Ioſeph: Somnium
Regis vnum eſt: quæ facturus eſt Deus oſtendit Pharaoni.
Septem boues pulchræ, & ſeptem ſpicæ plenæ, ſeptem vbertatis anni ſunt, eandémq; vim ſomnij comprehendunt. Septem
quoque boues tenues, atque macilentæ, quæ aſcenderunt poſt
eas, & ſeptem ſpicæ tenues & vento vrente percuſſæ, ſeptem
anni venturæ ſunt famis. Qui hoc ordine complebuntur. Ec-
ce ſeptem anni venient fertilitatis magnæ in vniuerſa terra
Aegypti: quos ſequentur ſeptem anni alij tantæ ſterilitatis, vt
obliuioni tradatur cuncta retrò abundantia: conſumptura eſt
enim fames omnem terram, & vbertatis magnitudinem per-
ditura eſt inopiæ magnitudo. Quod autem vidiſti ſecũdo, ad
eandem rem pertinens ſomnium: firmitatis indicium eſt, eo
quòd fiat ſermo Dei, & velociùs impleatur. Nunc ergo proui-
deat Rex virum ſapientẽ & induſtrium, & præficiat eum Ter-
ræ Aegypti: Qui conſtituat præpoſitos per cunctas regiones:

&

& quintam partem fructuũ per ſeptem annos fertilitatis, qui
iam nunc futuri ſunt, congreget in horrea: Et omne frumen- 35
tum ſub Pharaonis poteſtate condatur, ſeruetúrq; in vrbibus.
Et præparetur futuræ ſeptẽ annorum fami, quæ oppreſſura eſt 36
Aegyptum, & non conſumatur terra inopia. Placuit Pharaoni 37
cõſilium, & cunctis miniſtris eius: Locutúſq; eſt ad eos: Num 38
inuenire poterimus talem virum, qui ſpiritu Dei plenus ſit? 39
Dixit ergo ad Ioſeph: Quia oſtendit tibi Deus omnia quæ lo-
cutus es, nunquid ſapientiorẽ & conſimilem tui inuenire po-
tero? Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperiũ cun- 40
ctus populus obediet: vno tantùm Regni ſolio te præcedam.
Dixitq; rurſus Pharao ad Ioſeph: Ecce, conſtitui te ſuper vni- 41
uerſam Terram Aegypti: tulítq; annulum de manu ſua, & de- 42
dit eum in manu eius: veſtiuitque eum ſtola byſſina, & collo
torquem auream circumpoſuit. Fecítque eum aſcendere ſu- 43
per currum ſuum ſecundum, clamante præcone, vt omnes co-
ram eo genu flecterent, & præpoſitum eſſe ſcirent vniuerſæ
Terræ Aegypti. Dixit quoq; Rex ad Ioſeph: Ego ſum Pharao: 44
abſque tuo imperio non mouebit quiſquam manum aut pe-
dem in omni terræ Aegypti. Vertítq; nomen eius, & vocauit 45
Lingua Aegyptiaca, Saluatorem mundi: Deditq; illi vxorem
Aſeneth filiam Phutipharis Sacerdotis Heliopoleos. Egreſſus 46
eſt itaq; Ioſeph ad terram Aegypti (triginta autem annorum
erat quando ſtetit in conſpectu Regis Pharaonis) & circuiuit
omnes regiones Aegypti. Venítque fertilitas 7. annorum: & in 47
manipulos redactæ ſegetes cõgregatæ ſunt in horrea Aegypti.
Omnis etiam frugum abundantia in ſingulis vrbibus condita 48
eſt. Tantaque fuit abundantia tritici, vt arenæ maris coæqua- 49
retur, & copia mẽſuram excederet. Nati ſunt autem Ioſeph fi- 50
lij duo antequam veniret fames: quos peperit ei Aſeneth filia
Phutipharis Sacerdotis Heliopoleos. Vocauítque nomen 51
primogeniti, Manaſſes, dicens: Obliuiſci me fecit Deus om-
nium laborum meorum, & domus patris mei. Nomen quo- 52
que ſecundi appellauit Ephraim, dicens: Creſcere me fe-
cit Deus in terra paupertatis meæ. Igitur tranſactis ſeptem 53
vbertatis annis qui fuerãt in Aegypto: cœperũt venire ſeptem 54
anni inopię: quos prędixerat Ioſeph: & in vniuerſo orbe fames
præualuit, in cũcta autẽ terra Aegypti, panis erat. Qua eſuriẽte 55

56 clamauit populus ad Pharaonem, alimenta petens. Quibus ille respondit: Ite ad Ioseph: & quidquid ipse vobis dixerit, facite: crescebat autem quotidie fames in omni terra: aperuitque Ioseph vniuersa horrea, & vendebat Aegyptiis: nam & illos
57 oppresserat fames. Omnésque prouinciæ veniebant in Ægyptum, vt emerent escas, & malum inopiæ temperarent.

Post duos annos vidit Pharao somnium.

VERS. 1.

VNDENAM isti duo anni sunt computandi? Iosephus com- 1
putat ab eo tempore, quo missus est in carcerem Ioseph: censet enim biennio duntaxat fuisse eum in custodia. Sic enim scribit libro primo Antiquitatum: Iosephum, post biennij tempus in miseria carceris exactum, nihilque interim ab ingrato pincerna adiutum, Deus eripuit tali via ad libertatem, & principalem dignitatem perstructa. Verùm probabilius dictu est, quod ab aliis traditur, illos duos annos putari debere ab eo tempore, quo, secundùm interpretationem Ioseph, pincerna restitutus est ministerio & dignitati suæ; pistor autem suspẽsus est in patibulo: Hoc enim non obscurè indicat, si quis attendat animum, contextus narrationis Mosis, exordium huius capitis cum extremo antecedentis perspicuè connectentis atque coniungentis. Opinantur Hebræi, propterea liberationem Ioseph è carcere in biennium esse prolatam, quòd ille maiorem quàm oportebat, spem ac fiduciam posuisset in beneuolentia & gratia, & promissis illius pincernæ. Quorum opinationi apertè suffragatur Sanctus Augustinus in sermone de tempore 82. Cuius verba paulò superiùs super illis verbis capitis 40. *Tantum memento mei cùm tibi bene fuerit:* commemorauimus, nec probauimus tamen.

VERS. 14. 15. 16. Protinus ad regis imperium eductum de carcere Ioseph, rotonderunt, ac veste mutata obtulerunt regi. Cui ille ait: Vidi somnia, nec est qui ediserat: quæ audiui te sapientissimè coniicere.

Philo in lib. de Ioseph.

HÆC pluribus verbis eleganter appositêque Philo & Iose- 2
phus enarrant. Philo ad hunc modum, Rex, inquit, his auditis, iubet properè acciri iuuenem: ministri attonsum post longam carceris illuuiem, & detractis sordidis pannis, eleganter vestitum, ceterisque nitoribus expolitum, ad regem introducunt. Qui primo aspectu iudicans hominem ingenuum & honestè natum, (elucent enim in ipsa facie notæ ingenij & animi hominum, non omnibus tamen conspicuæ, sed solis perspicaces mentis oculos habentibus)

habentibus) Præsagit, inquit, mihi animus, non semper in obscuro & operto fore quod tegitur somniorum ambagibus: præ se fert enim hic iuuenis sapientiam, qui veritatem tanquam lumen tenebris inferens, aperiet, & sua scientia, nostratium sophistarum inscitiam deteget atque abiget: Hæc Philo. Consimilia fermè Iosephus: Cõfestim, ait, iuuenem accersitum rex, manúque apprehensum comiter his verbis alloquitur: Bone iuuenis, quandoquidem te prudentem indicio famuli mei te agnoui, enarra somniorum meorum præsagia, quemadmodum illi prudenter ac verè narrasti, rem gratissimam facturus mihi. Caue autem vel metu quicquam supprimas, vel ad gratiam ac voluptatem loquaris, sed vera omnia, etiam si fortasse non læta nec grata mihi futura, liberè ac fidenter eloquere. Hæc Iosephus.

3 *Vidi somnia, nec est, qui ediſſerat:* Tradit Iosephus, Pharaonem in somno non solùm duas illas visiones habuisse, verùmetiam interpretationem earum visionum: postea tamen expergiscẽtem atque euigilantem, somniorum quidem meminisse, interpretationis autem eorum nõ esse recordatum. Verba Iosephi, hæc sunt: Pharao cùm eadem nocte in somno duas visiones vidisset, paritérque interpretationem earum, hanc oblitus, sola somnia retinuit memoria, nihil lætum, vt cõiicere ipse poterat, significantia: conuocatísque prima luce doctissimis Aegyptiorũ, interpretationem requirebat. Sic Iosephus. Sed quod ait, habuisse Pharaonem somniorum interpretationem, id profectò ex suo sensu finxit ipse, cùm nec tradat id, nec significet vllo modo Scriptura: quin potiùs contrarium ex verbis ipsius Pharaonis intelligi potest. Is enim bis loquens de somnio suo, ait, se vidisse somnium, de interpretatione autem eius, quam habuerit, nullum facit verbum, nequaquam taciturus, si eam habuisset: præsertim verò post enarrationem somnij tradiram à Iosepho, quam cum interpretatione, quam prius ipse habuerat, & postea oblitus fuerat, omnino congruere admirabundus laudasset. Nec id Moses scribere prætermisisset, cùm ad maiorem interpretationis Ioseph fidem & approbationem id faceret plurimum.

Cæterùm Pharao illis verbis suis: *Quæ audiui te sapientissimè coniicere:* Satis indicat, se non habuisse Ioseph tanquam diuinum vatem, qui diuinitus prophetico spiritu afflatus futura prænosceret: sed vt hominẽ solertissimum atque sagacissimum, qui per idoneas atque probabiles coniecturas acutè dispiceret somniorum significationes, & prudenter interpretaretur: iuxta veterem illam sententiam, *Qui bene coniicit, hunc tu vatem optimum perhibeto.* Atque hæc Pharaonis de Ioseph existimatio permanauit ad posteros. Eadem namque multa post sæcula, fuit apud Ethnicos Scriptores opinio, quorum vnus, & celebratissimus historiarum scriptor Trogus Pompeius, in lib. 36. memoriæ tradidit, Iosephũ magicis artibus fuisse eruditum, atque adeo in exponendis somniis excelluisse, vt artem quoque interpreandi somnia condiderit. Ponam hîc sententiam eius, quemadmodum eam Iustinus breuiator Trogi, Latinè reddidit. Loquens enim de Ioseph à fratribus suis vendito, A quibus,

Cic. lib. 2. de Diuinatione.

Ethnici sapiẽtiã Ioseph tribuerunt magicis artibus. Iustinus.

inquit, deportatus in Aegyptum, cùm magicas ibi artes percepisset, breui ipsi regi percharus fuit. Nam & prodigiorum sagacissimus erat & somniorum primus intelligentiam condidit: nihilque diuini iuris humaníque ei incognitum videbatur: adeo, vt etiam sterilitatem agrorum ante multos annos prouiderit, periissétque omnis Ægyptus fame, nisi monitu eius, rex edicto seruari per multos annos fruges iussisset: tantáque experimenta eius fuerũt, vt nõ ab homine, sed à Deo responsa dari viderentur. Sic ille.

Ad hanc porrò de se hominum opinionem discutiendam, Ioseph dixit Pharaoni verba illa: *Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni*, quorum hic est sensus: Nõ mihi arrogo hanc sapientiam, vt ex me ipse interpretari possim istiusmodi somnia: Dei est hoc opus, non humanæ sapientiæ: is per me, quasi per organum suum, declarabit tibi ea quæ faciunt ad regni tui salutem. Atque ita Ioseph occasionem libenter cepit regem Aegypti adducendi in cognitionem veri Dei, quem ipse colebat. non igitur negat Ioseph, se interpretaturum somnia, cùm id mox fecerit: sed ait, eam interpretationem, sine naturali vel humana solertia & sagacitate sua futuram, totámque ex Dei reuelatione prouenturam. Atque hunc sensum clarè paraphrastes Chaldæus expressit, sic reddens hunc locum: *Non ex mea sapientia, sed à facie Domini respondebitur pax Pharaoni.* Septuaginta interpretes ita verterunt: *Sine Deo non respondebitur salutare Pharaoni.* S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis super hunc locum Genesis scribit, in Hebræo sic esse: *Sine me Deus respondebit pacem Pharaoni.* Symmachum autem, more suo, apertiùs transtulisse, *Non ego, sed Deus respũdebit pacem Pharaoni.* Declarauit itaque Ioseph, se non more aliorum coniectorum, sed per Dei reuelationem somnium illud interpretaturum. Hinc porrò liquet, Ioseph antequam veniret in conspectum Pharaonis, sciuisse per diuinam reuelationem, quale somnium accidisset Pharaoni, & quid significaret in futurum: alioquì non tam fidenter ac certò dixisset Regi, Deum prospera sibi responsurum: id est, somnio illo suo præmonstrata esse prospera, quæ illi ventura erant.

4

S. Hieron.

Cur Ioseph nõ vltrò exposuit somnium Pharaoni antequã ab eo narretur: sicut Daniel Regi Nabuchodonosor.

Sed cur (nam hoc fortasse subibit Lectoris animum) Ioseph non vltrò dixit quale somnium cõtigisset Pharaoni, priùsquam id Rex narraret: id enim maiorem fidem interpretationi, quam traditurus erat, astruxisset: idque postea fecit Daniel Regi Nabuchodonosor, vt legitur Danielis 2. Sed meritò id non fecit Ioseph: tum quia Nabuchodonosor oblitus fuerat sui somnij, & ideo necesse fuit in mentem ei reuocari à Daniele: At Pharao bene recordabatur somnij sui: & idcirco supernacaneum fuisset id prænarrari à Iosepho. Tum etiam quòd somnium Nabuchodonosor significabat ea quæ longo pòst tempore futura erant: quare veritas interpretationis Danielis non potuisset tunc euidens & certa fieri regi, nisi per expositionem somnij quod solus ipse habuerat, & prorsus fuerat oblitus. Somnium verò Pharaoni significabat id quod mox futurum erat: vbertas enim illa septennis, illo ipso

anno

anno incœpit, id est, statim post interpretationem somnij. Veritas itaque interpretationis Ioseph, mox cognoscenda & comprobanda erat.

PRIMA DISPVTATIO.

An somnium illud Pharaonis fuerit propheticum, & ob id vocari ipse posit Propheta: & an illa fertilitas, & sterilitas septennis, naturaliter facta sit, an præter ordinem naturæ.

Super illis verbis, VERS. 25.

Respondit Ioseph: Somnium Regis vnum est: quæ facturus est Deus ostendit Pharaoni.

EX illis verbis: *Quæ facturus est ostẽdit Pharaoni*, liquet somnium illud Pharaonis fuisse propheticum: apertè enim significatur, & fuisse à Deo missum Pharaoni, & ad præsignificandum futura que Deus ipse facturus erat. Non tamen idcirco propriè dici potest Pharao fuisse Propheta: quòd eius somnij significationem per se non intellexerit, sed à Ioseph acceperit, cui potiùs nomen Prophetæ conuenit, quòd per Dei reuelationem somnium illud Propheticũ intellexerit, & interpretatus fuerit. Bene hoc declarat S. August. lib. 12. de Genesi ad hũc modum scribens: Quibus signa per aliquas corporalium rerum similitudines demonstrabantur in spiritu, nisi accessisset mentis officium, vt etiam intelligerentur, nódum illi erant Prophetæ: magísque propheta erat, qui interpretabatur quod alius vidisset, quàm ipse qui vidisset. Vnde appareret, magis ad mentem pertinere prophetiam, quàm ad illum spiritum, qui est vis quædam animæ inferior mente, in quo rerum corporalium similitudines exprimuntur. Itaque magis Ioseph propheta, qui intellexerat quid significarent septem spicæ, & septem boues, quàm Pharao qui eas vidit in somnis. Huius enim spiritus informatus est vt videret; illius mens illuminata est vt intelligeret, ac per hoc, in illo erat lingua in isto prophetia, quia in illo imaginatio rerum, in isto imaginationum interpretatio. Minùs ergo Propheta est, qui sola signa rerum significatarum per corporalium rerum imagines videt: magis verò propheta est, qui solo illarum intellectu præditus est: sed maximè Propheta est, qui vtroque præcellit, vt & videat in spiritu corporalium rerum significatiuas similitudines, & eas viuacitate mentis intelligat, sicut Danielis excellentia tentata & probata est: qui Regi & somnium quod viderat, dixit; & quid significaret, aperuit. Nam & ipsæ corporales imagines in spiritu eius expressæ sunt; & earum intellectus reuelatus est in mente. Sic ibi Augustinus.

Somnium Pharaonis fuisse propheticum, nõ tamẽ Pharaonem Prophetam fuisse, sed interpretẽ eius somnij Ioseph. S. August.

Consimi

Gregorius. Consimilia scribit Gregorius: explanans enim verba illa Iob, quæ sunt in cap. 13. *Ecce omnia hæc vidit oculus meus, & audiuit auris mea, & intellexi singula:* Ita scribit in lib. 11. Moral. In illo videbat Iob assistentia quæ in tempore secutura erant, cui nec futura veniunt, nec præterita discedunt; sed cuncta simul ante eius oculos assistunt. Et quia ea ipsa quæ ventura erant, alia esse vidit in operibus, & alia in dictis; ideo rectè subiungitur: *Et vidit oculus meus, & audiuit auris mea:* Sed vtilitatem ista non habent, si intellectu carent. Vnde congruè subditur; *Et intellexi singula.* Cùm enim aliquid ostenditur vel auditur, si intellectus non tribuitur, prophetia minimè est. Vidit enim Pharao per somnium, quæ erant Aegypto ventura: sed quia nequiuit intelligere quod vidit, pro-
Daniel 5. pheta non fuit. Sic aspexit Baltasar articulum manus scribentis in pariete, sed propheta non fuit, quia intellectum rei quam viderat, non accepit: Vt igitur B. Iob prophetię spiritum se habere testetur, non solùm vidisse se, & audisse, sed etiam intellexisse omnia asserit. Hæc Gregor.

S. Thomas. Horum Doctorum vestigia insequens S. Thomas, in eandem sententiam præclarè disputat, in Secunda Secundæ quæst. 173. artic. 2. Docet enim, quemadmodum in humana doctrina cernere est duas res, & repræsentationem in intellectu intelligibilium rerum per species intelligibiles; & item iudicium intellectus, de rebus sibi eo modo repręsentatis; & hoc posterius multo præstantius est priori, vt quod principaliter & doctrinam pariat, & hominem faciat scientem ita rem sese habere in prophetia. Est enim in ea repræsentatio imaginum & similitudinum, per quas figurantur & significantur futura; & est intelligentia istiusmodi significationum. & hæc propriè facit prophetam, nec sine ea quispiam propheta propriè dici potest. Quocirca subdit hæc verba B. Thomas: Horum duorum principalius est primum in prophetia, quia iudicium est complementum cognitionis. Et ideo, si cui diuinitus fiat repræsentatio aliquarum rerum per similitudines imaginarias, vt Pharaoni & Nabuchodonosor; aut etiam per similitudines corporales & visibiles, vt Baltasar: non est talis censendus propheta, nisi illuminetur eius mens ad iudicãdum. Sed talis apparitio est quiddam imperfectum in genere prophetiæ: vnde à quibusdam vocatur casus prophetiæ, sicut & diuinatio somniorum: Erit autem propheta etiamsi solùm illuminetur intellectus eius ad diiudicandũ ea quæ ab aliis imaginariè visa sunt, vt patet de Ioseph qui exposuit somnium Pharaonis. Verùm sicut Augustinus dixit lib. 12. super Genesin ad litteram, maximè propheta est, qui vtroque præcellit, & videns corporalium rerum significatiuas similitudines, & eas viuacitate mentis intelligens: & cætera, quæ ibi S. Doctor deinceps persequitur. 6

Illud præterea ex verbis eisdem illis Ioseph: *Quæ facturus est Deus ostendit Pharaoni,* planè intelligitur, septennem illam abundantiam, & postea septennem quoque sterilitatem Aegypti, à Deo singulari quadam & propria ratione esse factam: id enim clarè ostendit illud: *Quæ facturus est Deus.* Atque idipsum significauit Dauid in Psalmo 104. com

commemorans hanc historiam,ait enim:*Vocauit(Deus)famem super terram: Misit ante eos virum, in seruum venundatus est Ioseph:* Dixit autem, *Vocauit famem*,secundùm phrasim Hebraicam, pro eo quod est, misit, vel fecit esse famem:quale est illud etiam Pauli ad Rom.4.*Vocat ea quæ non sunt,tanquam ea quæ sunt.* Sedenim dubitari posset, an illa fertilitas & sterilitas Aegypti sit à Deo facta modo naturali, & per causas naturales;an præter modum,& ordinem,cursúmq; naturæ. Diceret fortasse quispiam, factam fuisse illam fertilitatem & sterilitatẽ ab ipso quidem Deo,sed modo tamẽ naturali,& ordine.Deus enim,qui ex omni æternitate cõstituerat,vt illo tempore esset vbertas illa & fames:cùm creauit mundum, ita seriem & ordinem causarum naturalium, tam cœlestium,quàm sublunarium instituit ac disposuit,vt illo tẽpore causæ naturales efficientes abundantiam in Aegypto per septem continuos annos cõcurrerent: & postea per totidem annos cõuenirent causæ naturales,famem in Aegypto afferre solitę.Hac itaque ratione liquet,fertilitatem illam, & sterilitatem Aegyptiacam, fuisse profectam à Deo, fuisséque tamen modo naturali, & secundùm ordinem naturæ factam.

Quæstio an illa vbertas, & sterilitas Ægypti naturaliter an præter naturam sit facta.

8 Verum contraria opinio propior veritati, & sacræ Scripturæ conueniẽtior videtur. Etenim diuina Scriptura euẽtum illius vbertatis & famis, tanquam peculiare quoddã factum Dei, & quasi miraculũ quoddam singularis prouidentiæ diuinæ circa Ioseph & Iacob commemorat & prædicat. Quod si illud factum esset modo naturali,& per causas naturales,sicut expositũ est,potuisset fertilitas illa & sterilitas per astrologicas,& physicas rationes & coniecturas præuideri ac prædici; contrà quàm in hoc loco nõ obscurè Scriptura indicat.Et verò,præter ordinem, & modum, atque cursum naturæ est,maximam abundantiam rerum omnium in eadem regione per septem continuos annos perdurare: & post eam proximè,per septem alios continuos annos summam sterilitatem, & famem subsequi. Ceterùm quò melius intelligatur quemadmodum illa septennis vbertas & sterilitas à Deo facta sit;scire conuenit, Nili inundationẽ causam esse in Aegypto tum abundantiæ, tum sterilitatis,sed contraria tamen ratione.Exundatio enim Nili moderata, causa est abundantiæ;nimio aut parcior, aut contrà exuberantior,sterilitatis causa est. Audi Plinium;Nilus, inquit,certis anni diebus, auctu magno,per totam spatiatus Aegyptum,fœcundus innatat terræ. Causas huius incrementi varias prodidêre: sed maximè probabiles Etheſiarum eo tempore ex aduerso flantium, repercussum vltra ora acto amne:aut imbres Aethiopiæ æstiuos, iisdẽ Etheſijs nubila illò ferentibus è reliquo orbe:auctus Nili per puteos mẽsuræ notis deprehenduntur.Iustum incrementum est cubitorum sexdecim:minores aquæ non omnia rigant,ampliores detinent,tardiùs recedendo:hæ serendi tẽpora absumunt,solo madente;illæ non dant, sitiente. Vtrumq; reputat prouincia. In dùodecim cubitis famem sentit:in tredecim etiamnum esurit:quatuordecim cubita hilaritatem afferunt:quindecim securitatem: sexdecim delicias.Maximum incremẽtum fuit ad hoc æui, cubitorum

Plin.lib.5.c.9.

decem & octo, Claudio Principe: Minimum, quinque, Pharsalico bello, veluti necem Magni, prodigio quodam, flumine auersante. Sic Plinius. Fecit igitur Deus præter vim, & modum, & ordinem naturæ, vt illo tempore incrementum Nili per septem continuos annos fieret vltra sexdecim, vel decem & octo cubita: vnde tanta illa fertilitas Aegypti secuta est. Contrà verò, vt per annos septem proximè subsequentes, perexiguus Nili esset auctus; infra duodecim cubita, aut etiam quinq; ex quo summam famem accidere necesse fuit.

SECVNDA DISPVTATIO.

Cur duo Pharaonis somnia fuerint; cùm idem vtrolibet significaretur.

SED quid est illud quod dixit Ioseph: *Somnium regis vnum est?* Scriptura enim duo fuisse narrat somnia, diuersa & temporibus, & visionum dissimilitudine. Verùm sic profectò res habet. Fuit vnum somnium secũdùm rem significatam, vtroque enim somnio significabatur vbertas, & sterilitas futura: fuerunt autem duo somnia secundùm diuersitatem temporum, & diuersitatem signorum, quibus idem significabatur. Sed cur Deus geminauit somnium, si vtroq; idem significabatur futurum? Quatuor rationes afferri possunt. Principio, id valuit ad certiorem faciendam fidem futuri euentus somnij, vt omnino futurus crederetur. Licet enim in Dei verbis & dictis, respectu ipsius, æquè certum sit vnicum & simplex dictum eius & promissum, quàm si millies idem ipsum diceret atque promitteret, cùm sit prima & summa veritas, prorsusque immutabilis: attamen respectu nostri, non itidem res habet. Nos enim plus credimus hominibus idem sæpiùs affirmantibus aut promittentibus, quàm semel dicentibus: & plus credimus, si verba & promissa iureiurando firment, quàm sine iureiurando. Ex quo fit, vt Deus sermonem suum accommodans ad conditionem naturæ nostræ, quod certissimum à nobis haberi vult, aut sperari, id multiplicata denuntiatione & promissione tradat, aut iureiurando adhibito confirmet. Et quia sæpè Deus aliquid futurum prædicit promittendo, aut comminãdo; non absolutè, sed conditionaliter; quod non est implendum nisi posita conditione, quam ponere, in voluntate & potestate hominum est: ex quo fit vt eiusmodi prædictiones diuinæ nonnunquam prædictum non habeant effectum; cuius generis prædictionum exempla reperies apud Hieremiam cap. 18. & apud Ezechielem. Quoniam igitur non paucæ sunt huiusmodi prædictiones conditionales, ne fortè quispiam existimaret prædictionem futuræ vbertatis, & steriliratis in Aegypto, ex isto genere prædictionum esse, geminatum est somnium, idémque bis præfiguratum, vt omnimoda euentus futuri certitudo declararetur.

Cur Deus non vnum, sed duo somnia idem significantia miserit Pharaoni.

Deinde

Deinde tales geminatæ locutiones vel visiones in Scriptura interdum significare solent celerem rei euentum, id est, non longinquum, sed iam propinquum & instantem. Quod etiam in vulgari consuetudine loquendi aliquando vsurpatur: quem enim instanter vocamus, & festinè ac citò venire volumus, geminatione vtentes, dicere solemus, Petre Petre, veni veni. Ergo geminatione somnij significabatur propinquus atque instans euentus rei: nempè paulò post illud somnium, atque eius interpretationem, septennis illa vbertas incœpit. Atque has duas causas geminati somnij ipsemet Ioseph reddidit Pharaoni illis verbis: *Quod autem vidisti secundo, ad eãdem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est: eo quòd fiat sermo Dei, & velocius impleatur.*

Tertiam rationem Lyranus reddit huiusmodi: Per vtrumque somnium coniunctè, id est, per boues & spicas significari debuit fertilitas & sterilitas terræ. Duplex enim est causa fertilitatis terræ, tum bona seminatio, quam faciunt bona & multa tritici grana; quam denotabant spicæ illæ multiplices & plenæ: tum bona terræ aratio, & cultura; cui deseruiunt in primis & conducunt boues validi, & arãdo idonei: quod præfigurabat visio pinguium boum. Contrariæ autem res sunt causa sterilitatis; mala nimirum sementis, quam significabant spicæ illæ siccæ, & vẽto vrente percussæ, quæ vel nulla, vel perpauca & vitiata grana tritici suppeditare poterant in vsum seminandi: & item mala terræ aratio & cultura, quod prænotabatur illo in somnio priori, per vaccas illas macilentas & imbecillas. Quarta ratio hæc traditur à Thostato. Fertilitas terræ pertinens ad vsus humanæ vitæ, duabus in rebus potissimùm est posita, in frugibus, & in animalibus. Et sicut inter fruges, quantum ad victum hominum, principatum tenet frumentum; sic inter animalia deseruientia humanæ vitæ, primo loco censeri debent boues propter coria ad integumentum, & carnes atque lac ad esum, præcipuè autem propter arationem terræ atque culturam. Aptissimè igitur fertilitas & sterilitas terræ per istas potissimùm duas res, boues dico & spicas triticeas, duobus illis somniis præfigurata est.

Lyranus.

Thostatus.

Nunc ergo prouideat Rex virum sapientem, & industrium, & præficiat eum terræ Aegypti, qui constituat præpositos per cunctas regiones: & quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis, qui iam nunc futuri sunt, congreget in horrea: & omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur, seruetúrque in vrbibus. VERS. 33. & 34.

10 PVLCHRE locum hunc enarrat Philo. Nam cùm commemorasset quemadmodum Ioseph interpretatus fuisset illa somnia, subdit eum postea tale quoddam consilium, ad occurrendum futuræ fami, dedisse Pharaoni. Hæc sunt, dixit Ioseph, quæ somnia præmonent; sed mihi nũc quoddam suppetit remediũ, quod in tantis malis salutem afferre queat. Vrbiũ ac re-

gionum exitialis morbus est fames, cuius vires oportet frãgere, ne nimirũ ingraueſcens, deleat incolas. Succurrendum autem huic periculo eſt, ad hũc modum. Ex ſeptem annorũ fertilitate, quod ſupererit hominũ ſatietati, hoc eſt, quinta pars, reponatur oppidatim, vicatímq;, non transportando fruges aliò longiùs, ſed vbi demetuntur, ibi aſſeruãdo in vſum eius loci hominum. Eas porrò fruges cẽſeo cum ſuis ſpicis & manipulis condendas, non autem trituratas nec purgatas: ídque quatuor ob cauſas faciendum arbitror. Quarum vna eſt, ne citiùs vitiatæ nudẽtur ſuo tegmine: altera, vt per ſigulos annos renouetur priſtinæ copiæ memoria, ruſticis triturantibus, & fruges euentilãtibus. Tertia, ne iniri poſſit frumenti numerus, dum incertum eſt, quãtum ſpicæ, manipulíque contineant, ne animus colonos deficiat reputantes quantum abſumptum ſit; ſed ſecuritate non minùs quàm cibo ſe ſuſtineant: ſpes enim alit cumprimis, graue penuriæ malum ſubleuans. Quarta cauſa eſt, vt & iumentis condatur pabulum, quibus ariſtæ, paleæque, purgamenta frugum, pro alimento ſunt. Hęc cura committenda eſt viro prudenti, nec auaro, qui poſſit ſine inuidia & reprehenſione exequi munus hoc, tanta dexteritate, vt nihil populo de fame futura ſuboleat: durum eſt enim iam antè ægris animis ſpem in futurum adimere. Si quis porrò cauſam ſciſcitetur, reſpondeatur, oportere ſicut in pace parãtur quæ belli tempore futura ſunt ex vſu; ſic in frugum copia proſpicere in futurum inopiæ; incertum autem eſſe quando bellum, vel fames immineat, quídve futurum tempus ferat. Parãdum igitur maturè ſubſidium, ne deſit cùm tempus poſtulauerit. Sic Philo.

Quatuor cauſæ cur fruges non purgatæ, ſed in ſpicis & manipulis cõdendæ, & cõſeruandæ eſſent.

Sed perpendamus illa verba, *Prouideat Rex virum ſapientem, & induſtrium, & præficiat eum Terræ Aegypti.* Multum intereſt prudentis & boni principis præcipuam annonæ publicæ rationem & curam ſuſcipere ac gerere: nempè huius incuria ac negligentia multa populis incommoda & ingentia fert mala; nec rarò etiam magnas in plebe turbas & ſeditiones ſuſcitat, agitátque in furorem populos aduerſus rectores, atque inuiſum reddit Principem, & exoſum. Eſt igitur in Republica principalis cura, prouidere & comparare, quibus abundè populo victus ſuppetat; ne fruges deficiant, ne plebs fame tabeſcat, ne frumẽtarij vel ſuppreſſione frumenti, vel enormitate pretij, eſurientes pauperes opprimant, enecéntque. Romani quondam in primis publicæ annonæ rationem habere oportere cenſentes, eius procurandæ vnum quempiam de principibus Reipublicæ viris præfectum creabant. Primus autem præfectus annonæ (vt ſcribit Liuius) creatus eſt, L. Minutius; eo videlicet tempore, quo tãta Vrbem inopia inuaſit, vexauítque, vt multi ex plebe, ne diutina famè cruciarentur, capitibus obuolutis, ſeſe in Tiberim præcipitauerint: Eſt enim miſerrimum genus mortis, fame mori.

Quãta principibus curæ eſſe debeat publica annona. 11

Præfecti annonæ apud Romanos.

Liuius.

Huiuſmodi verò præfecturam maximi fuiſſe momenti atque dignitatis apud Romanos ſatis argumẽti ſit, eam Pompeio Magno, poſt exactos maris piratas, debellatúmque Mithridatem, atque Orientem Romano Imperio ſubiugatũ, tréſq; orbis partes glorioſiſſimè triũphatas,

Procuratio annonæ quanta Pompeio gloriæ fuerit.

fuiſſe

fuisse delatam;nec minus ei quàm superiora, gloriæ addidisse. Is verò annonaria expeditione susceptа,cùm magnam frumenti vim ex Lybia, Sardinia, & Sicilia collectam ad esurientem Vrbem mari cõportaret, ingenti oborta tempestate,nautísque timore cunctabundis, inscendẽs nauim,& anchoram euelli iubens,exclamauit,Nauigãdi necessitas est, non viuendi necessitas. Lubet hîc adscribere verba Plinij ex Panegyrico,quibus hæc cõfirmari atque illustrari possunt. Sic ille scribit: Instar ego perpetui congiarij reor affluentiam annonæ. Huius aliquando cura Pompeio non minus addidit gloriæ, quàm pulsus ambitus campo, exactus hostis mari,Oriens triumphis Occidénsque lustratus. Nec verò ille ciuilìùs, quàm parens noster, auctoritate, consilio, fide reclusit vias,portus patefecit,itinera terris,littoribus mare, littora mari reddidit: diuersásque gentes ita commercio miscuit,vt quod gentium esset vsquam, id apud omnes natum esse videretur. Nunc sine vllius iniuria omnibus vsibus nostris annus exuberat: quippe, non vt ex hostico raptæ,perituræque in horreis messes, nequicquam queritantibus sociis auferuntur: deuehunt ipsi, quod terra genuit, quod sidus aluit, quod annus tulit; nec nouis indictionibus pressi,ad vetera tributa deficiunt. Emit fiscus,quicquid videtur emere;inde copiæ, inde annona,de qua inter licentem,vendentémque conueniat:inde hîc satietas, nec fames vsquam. Aegyptus alendis,augendísque seminibus ita gloriata est, vt nihil imbribus cœlóque deberet. Siquidem proprio semper amne perfusa,nec alio genere aquarum solita pingueścere, nisi quas ipsa deuexerat: tantis segetibus induebatur, vt cum feraciſſimis terris, quasi nunquam cessura, certaret. Hæc inopina ficcitate, vsque ad iniuriam sterilitatis exaruit, quia piger Nilus cunctanter alueo sese ac languidè extulerat, ingentibus licèt, etiam tunc, ille fluminibus conferendus. Hinc pars magna terrarum mergi palanti amne consueta,alto puluere incanduit. Frustrà tunc Aegyptus nubila optauit, cœlúmque respexit, cùm ipse fœcunditatis parens contractior & exilior, iisdem vbertatem eius anni anguſtiis, quibus abundantiam suam cohibuisset. Neque enim solùm vagus ille expanditor amnis intra vsurpata semper collium substiterat atque hæserat, sed supino etiam ac detinenti solo,placido se mollíque lapsu refugum abstulerat, necdum satis humentes terras reddiderat arantibus. Hæc Plinius: cuius longiorem paulò hîc retuli orationem,vt ex ea cognosceret Lector proprias Aegypti fertilitatis,& sterilitatis causas:de quibus paulò suprà disputatum est. *Plinius.*

12 *Et quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis cõgreget in horrea.* Æstima quanta fuerit illa septennis abundantia;cui dempta quinta parte,nihil,non modò defuerit satietati Aegyptiorum, sed etiam superfuerit. Sed cur quinta pars reseruata est, & non potiùs medietas; Non enim quinta pars sufficiens videtur futura fuisse victui Aegyptiorum in septem annos. Sed respondendum est, satis illam quintam partem fuisse: nam etiam in tempore illius sterilitatis, aliquantulum serebatur & metebatur. Si quidẽ iuxta ripas Nili aliquanto spatio propter

modicam Nili exundationem seri & meti aliquid poterat: nam & de bobus macilentiis dictum est suprà, quòd pascebantur in ipsa amnis ripa, in locis virentibus. Sed quia istud perexiguum erat, respectu totius Aegypti, idcirco ducebatur pro nihilo, & Ioseph dixit, per totum illud septennium, nec seri, nec meti potuisse. Deinde diuites & potentes viri, tempore fertilitatis ingentem copiam cibariorum reseruauerant in subsidium futuræ sterilitatis, vnde non solùm ipsi, sed complures alij sustentabantur: Adiice, quòd tempore famis multò parciùs viuebatur quàm tempore vbertatis, necessariis tantùm degendæ vitæ cibariis cõtentis hominibus. Verùm quærat fortasse quispiam, quemadmodum frumenta conseruari tunc potuerint per quatuordecim annos, nimirum à primo anno vbertatis, vsque in vltimum sterilitatis. Respondendum est, idcirco potuisse conseruari, quia frumenta non condebantur antè triturata, & à paleis purgata, sed reponebantur fasciculi spicarum cum suis stipulis, & ita perdiu conseruari poterant, quòd ille naturalis esset locus frumenti. Quanquam falsum est, fuisse frumenta reseruata in quatuordecim annos, sed tantùm in septem. Nam quæ primo anno vbertatis colligebantur, separatim reponebantur in vsum primi anni sterilitatis: & quæ in anno secundo fertilitatis collecta sunt, seorsim reponebantur in victum secundi anni sterilitatis; & sic deinceps in aliis annis.

VERS. 33. vsque ad 44. Placuit Pharaoni consilium, & cunctis ministris eius: Locutúsque est ad eos, Num inuenire poterimus talem virũ, qui Spiritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Ioseph: Quia ostendit tibi Deus omnia quæ locutus es, nunquid sapientiorem, & consimilem tui inuenire potero? Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: vno tantùm Regni solio te præcedam. Dixítque rursus Pharao ad Ioseph: Ecce constitui te super vniuersam Terram Ægypti: tulítque annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius; vestiuítque eum stola byssina, & collo torquem aureum circumdedit. Fecítque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ Terræ Aegypti.

Philo. PVLCHERRIMVM huius historiæ tractatũ explicatúmque, tum litteralem, tum allegoricum tradit Philo, in eo, quem sæpe commemorauimus, libro, qui scribitur De Ioseph, siue de viro ciuili. Sic autem ille scribit: Rex audita somniorum interpretatione aptissima, & veritati maximè congrua, simúlque 13

múlque consilio, vt apparebat, in futurum vtilissimo, familiaribus suis accitis, submissa voce dixit: Num inueniemus talem hominem afflatũ diuinitus? Cúmque videret eis suam probari sententiam, conuersus ad Ioseph propè stantem ait, Propè est, quẽ quæri iubes: non longè quærendus est homo iste, quem dixisti, prudens atque industrius, qui tua exequatur monita: tu is es: nec enim sine numine hæc videris locutus. Hìc præfecturam palatij mei suscipe, simúlque totius Aegypti procurationem. Nec est, cur quisquam hanc meam facilitatem accuset, quasi digniorem se iudicans. Nam excellentes naturæ non habent opus ad experimentum longo tempore, nec indocilem vsus disciplinam desiderant, sed incunctanter se rebus ingerunt: & præsens status morã non patitur, imminente necessitate, cui ocyus prospiciendum est. His dictis, eum proregẽ instituit, vel Regem potiùs, relicto sibi solo Imperij nomine, potestatem illi cedens, nec quicquam nõ deferens ei quod ad honorem eius pertineret. Dedit quippe regium ei annulum signatorium, vestem augustam, torquem auream, currúmque secundum à regio: atque ita iubet eum per vrbem circumuehi, præcedente præcone, atque indicante noui magistratus electionem. Nomen quoque nouum indidit ei, quod Interpretem significat linguâ vernaculâ, & vxorem dedit, filiam clarissimi apud Aegyptios viri, qui Solis gerebat sacerdotium. Atque hæc acta sunt circiter annum ætatis eius trigesimum. Ecce quales sint euentus piorum virorum: impelluntur illi quidem sæpe, & declinantur, non tamen corruunt, sed firmiter stant, ne supplãtari queant. Quis enim expectasset, intra vnam diem, è seruo Dominum, è vincto principem omnium, è carcerarij vicario, proregem fieri, & regiam inhabitare pro carcere, extrema ignominiâ in summum honorem commutata? Facta sunt tamen hæc, & fient sæpius, quando Deo placuerit: modò subsidat aliqua probitatis scintilla in anima, quam necesse est per occasionem candescere. Hæc Philonis disputatio ad historicum huius loci tractatum pertinet.

14 Allegoricam porrò eiusdem historiæ interpretationem subdit hanc Philo: insignia honorum, & ornamenta quæ Rex contulit in Ioseph, figuram gerunt & imaginem eorum quæ viro ciuili contingunt. Dicitur Ioseph in secundum à regio currum ascendisse, & qui Rempublicam tractat, secundus à Rege habetur, cùm nec priuatus sit, nec Rex, situs in amborum confinio, priuato ciue potior, regia potestate inferior: subiectus, tanquam Regi, populo, cui per omnia vult gratificari bona fide ac sedulò. Fertur autem sublimis, seu sella curuli, cùm à negotiis, tum à multitudine in altum elatus, præsertim cùm magna paruáque succedunt ex sententia, nemine reflante, aut opponente se, sed vt in nauigatione, Deo omnia gubernante salutariter. Annulus à rege datus, insigne est fidei magistratum inter & populum intercedentis. Cæterùm torques aurea non ad gloriã solùm, sed & pœnam pertinere videtur. Quandiu enim administranti Rempublicam res ciuiles bene procedunt, placet sibi honoratus à ciuibus: cùm autem aduersitas accidit

accidit non volenti, quod damnandũ esset; sed fortuitò quod meretur veniam; nihilominus tanquã iniecta in torquem manu trahitur; quasi eum sic increpante populo domino suo: Hanc torquem donaui tibi, ornamentum quidem in prosperitate, sed quasi vinculum & catenam in aduersitate. Hactenus fuêre Philonis verba, quæ commemorata sunt.

Admirabilem hanc, quam in Ioseph cernimus, metamorphosin, subitámque in contrarium commutationem rerum, vt eodem die ex seruo & clauso in carcere, in principem & dominum Aegypti, summóque honore ac potestate prẽditum euaserit, scitissimè Dauid cecinit in Psalmo 104. illis verbis: *Vocauit famem super terram, & omne firmamentum panis contriuit. Misit ante eos virum, in seruum venundatus est Ioseph. Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius, donec veniret verbum eius. Eloquium Domini inflammauit eum. Misit Rex, & soluit eum: princeps populorum, & dimisit eum. Constituit eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ: Vt erudiret principes eius, sicut semetipsum: & senes eius prudentiam doceret.* Consimilia traduntur in libro Sapientiæ cap. 10. vbi hæc scripta sunt de Ioseph: *Hæc* (Sapientia) *venditum iustum non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum: descenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum. Donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam aduersus eos qui eum deprimebant: & mendaces ostendit qui maculauerunt illum, & dedit illi claritatem æternam.* Circa illud dictũ Pharaonis: *Num inuenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit?* annotauit B. Augustinus, iam tertiùm in diuina Scriptura vsque ad hunc locum, esse insinuatum Spiritum sanctum. Augustini verba in quæstione 134. in Genesim, huiusmodi sunt: Ecce iam, nisi fallor, tertiò insinuatur nobis in hoc libro Spiritus sanctus, id est, Spiritus Dei. Primò in exordio huius libri, cùm dictum est: *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Secundò cùm dixit Deus Noë: *Non permanebit Spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt.* Et tertiò nunc, cùm Pharao dixit de Ioseph, esse in illo Spiritum Dei. Nondum tamen legimus, nec inuenimus nominatum Spiritum sanctum. Sic Augustinus. 15

Augustin.

De antiquitate vsus annulorum: & dictum quoddã Plinij excutitur.

Tulitq; annulum suum de manu sua, & dedit eum in manu eius. Hinc videntur argui posse falsitatis, ac refelli duo Plinij dicta. Primùm ait, tempore belli Troiani non fuisse vsum annulorum: cùm hoc loco mentio fiat annuli Pharaonis, traditi Iosepho: id verò factum est non minùs sexcentis annis ante bellum Troianum. Deinde scribit vsum annulorum in signando non fuisse apud Aegyptios: atqui Pharao annulum suum tradidit Iosepho, ob id præcipuè, vt eo, quæcumque signaret ille, tanquam regia mandata & iussa haberentur. Ponam de vtroque verba Plinij, quæ sunt in cap. 1. lib. 33. Nec Iliacis temporibus, inquit, vllos fuisse annulos video: nusquam certè Homerus dicit, cùm & codicillos missitatos epistolarum gratia indicet; & conditas arcis vestes, ac vasa aurea & argẽtea, & ea colligata nodi, nõ annuli notâ: sortiri quoque contra prouocationes duces non annulis tradit. Fabricam etiam deũm fibulas, & alia muliebris cultus, sicut inaures in primordio factitasse 16

taſſe ſine mentione annulorum. Idem paulò infra: Non ſignat annulis Oriens, aut Ægyptus etiam nunc, litteris contenta ſolis. Idémque tradit Strabo de Indis lib. 15. Nec commiſſi, nec depoſiti iura vlla habent Indi: nec teſtibus indigent, nec ſigillis; ſed verbis, aut litteris ſimpliciter credunt. Annulorum porrò vſus præcipuus fuit duplex: tum in digitorum ornamentum, ac dignitatem perſonæ: vnde apud Romanos, equeſter ordo à plebe, annulorum inſigni diſtinguebatur. *Strabo.*

Verùm frequentiſſimè vſus annulorũ fuit ſignãdi gratiâ, vel epiſtolas, vel mandata, vel edicta, réſque pretioſas, quas intactas eſſe volebant. Alexander Magnus poſt debellatum Darium, & Aſiæ imperium comparatum, duobus annulis ſignandi gratiâ vtebatur. Litteras enim ſuas in Europam ſcriptas veteris annuli ſui gemmâ obſignabat: quas verò in Aſiam mittebat, & ad gentes quæ ſub Dario fuerant, his Darij annulus imponebatur: vt appareret vnum annulum duorum tantorum Regum nõ capere fortunam. Erat item annulus ſignum deliberatæ voluntatis & imperij, quo ſignata exequi oporteret. Quocirca cum Babylone iam moribundus Alexander interrogaretur ab amicis, quem imperij ſui deſignaret hæredem: reſpondit, Optimum. Idem, ſexto pòſt die præcluſa voce, exemptum digito annulum Perdicæ tradidit: quæ res præiudicium quoddam ſucceſſoris ab eo deſignati videbatur eſſe: nam etſi non voce nuncupatus hæres, iudicio tamen, talique indicio videbatur electus. Ergo annulus à Pharaone datus Ioſepho, ſignum fuit non ſolùm principalis cuiuſdam honoris ac dignitatis; ſed auctoritatis inſuper atque poteſtatis: vt quæcunque eo ſignata ab illo eſſent, pro Regis mandatis iuſsísque acciperentur ab omnibus. *Curtius lib. 6.*

Veſtiuitque eum ſtola byſſina. Byſſus eſt tenuiſſimi atque candidiſſimi genus lini, olim maximo in pretio & honore ac delicijs habitum, & dignitatis atque honoris gratiâ principibus viris, & ſacerdotibus vſitatum, & in rebus ſacris ac diuinis adhiberi ſolitum, in cuius poſtea locum ſucceſſiſſe videtur purpuræ vſus. Erant huiuſmodi byſſinæ ac lineæ veſtes apud Ægyptios præcipuæ dignitatis, è quibus maximè conſtabat Sacerdotalis veſtitus. Scribit Plinius, fruticem in Ægypto gigni, quem alij goſipon vocant, plures xilinon, & ideo lina inde facta, xilina vocari: ex quibus veſtes Sacerdotibus Aegyptiis gratiſſimæ ſunt. *Byſſinæ veſtis vſus.* *Plin. lib. 18.*

Et collo torquem aureum circundedit. Inter ornamenta, quibus barbaræ gentes in bellis quondam vſitari ſolebant, torques aureas fuiſſe legimus; quas collo, oſtentandæ opulentiæ gratiâ, circundabant. Gallos Romanum Capitolium oppugnantes aureis torquibus candida ſua colla obuincta habuiſſe, memoriæ proditum eſt. Vnde Virgilius, *Aurei torquis vſus.*

Virgatis lucent Sagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur. *Virgil. lib. 8.*

Celebris fuit apud Romanos Titi Manlij Romani pugna contra Gallum: quem ille, Romanos ad ſingulare certamen ſuperbè prouocantem, ſingulari virtute occîdit; torquémque, qua ornatus erat, detractam illi, etiamnum ſanguinolentam, ſibi in collum indidit. Ex quo ille, poſteríq;

eius cognomentum Torquati promeruerunt. Darius Persarum Rex prælium conserturus cum Alexandro, exercitum habuit purpura, argentóq; & auro præfulgentem; & milites, quos Persæ vocabant immortales, aureis in collo torquibus insignitos, barbaræ opulentiæ insignia, & ad maturandam victoriam acerrima Macedonibus incitamenta.

Fecitque eum ascendere super currum suum: Secundũ videlicet, ad ostentationem dignitatis & gloriæ. Vocabatur autem secundus currus, quòd Rex duos haberet præcipuos currus: vnum, quo solus ipse veheretur: alterum quem ascendere iubebat eum quem præ cæteris honorare volebat, quíque proximus ipsi erat dignitate, ac potestate in regno suo; & qué. cùm rex dabat se in publicum, & cum magnificentia prodibat forâs, solum omnium in curru comitem habebat. Assuerus Mardochæum iussit ascendere, non super currum, sed super equum suũ. Et fortasse antiquioribus temporibus & apud reges Aegypti potior erat vsus curruum, quàm equorum: contra verò posterioribus temporibus & apud Reges Persarum maioris videtur fuisse honoris, equo pulchrè ac magnificè sellato, ornatóque, quàm curru vehi.

Assuerus. Esther 6.

Quænamolim honorum insignia hominibus de se bene meritis Principes dare soliti sint.

Animaduertat Lector quænam fuisse doceat Scriptura apud Principes, antiquis illis temporibus, honorum insignia, & decora, & ornamenta, quibus homines maximè honorari & decorari solebant. Hoc loco, legimus sanctum Ioseph fuisse honoratum à Pharaone annulo regio, & stola byssina, & torque aurea, & curru regio secundo, & vt clamante præcone, omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Aegypti. Non dissimili honoris genere ab Assuero esse affectum legimus Mardochæum in libro Esther cap. 6. in quem collatus à rege multiplex honor enarratur hisce verbis eo loco: *Homo quem rex honorare cupit, debet indui vestibus regijs: & imponi super equum, qui de sella regis est: & accipere regium diadema super caput suum: & primus de Regis principibus ac Tyrannis teneat equum eius; & per plateam ciuitatis incedens, clamans dicat: Sic honorabitur, quemcumque rex voluerit honorare.* Et apud Danielem capite quinto scriptum est, Regem Baltasarem edixisse: *Quicunque leget Scripturam hanc, & interpretationem eius manifestam mihi fecerit, purpura vestietur, & torquem auream habebit in collo, & tertius in regno meo erit.* In prioris libri Machabæorum c. 11. proditum est, Antiochum Regem filium Alexandri, misisse Ionathæ honoris causâ vasa aurea in ministerium, & dedisse ei potestatem bibendi in auro, & vt purpuram indueret, & haberet fibulam auream. Est autem fibula propriè ornamentum cinguli ad vestem subligandam, quod ostendit Virgil. ille versus,

Virgil. lib. 4. Aeneid.

Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

TERTIA

TERTIA DISPVTATIO.

Quid significat Hebraica dictio Abrech.

Super illis verbis,

VERS. 34.

Clamante præcone, vt omnes coram eo genu flecterent.

19

Quid significet vox hebræa abrech.

PRo illo *genu flecterent*, Hebraicè est *abrech*, quod omiserunt Septuaginta Interpretes: sic enim verterunt hunc locum: *Et clamauit ante eum præco, & constituit eum super omnem terram Aegypti.* Symmachus, ipsum Hebraicum nomen retinens transtulit: *Et clamauit ante eum, Abrech,* sed dictio ista Hebraica variè accipitur, & exponitur. Quidam interpretantur *genu flectere.* vti vertit Aquila, & habet nostra translatio Latina. Alij, *Pater Regis,* vt habet paraphrasis Chaldaica. Multi *Pater tener,* quemadmodum interpretatur S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis super hunc locum, cum quo satis concordat Thargum Hierosolymitanum, sic exprimens sententiam huius loci; *Et ecce præconizabant coram Ioseph, & dicebant: Viuat pater regis, qui est princeps in Sapientia, & tener in annis.* Audiat Lector annotamentum quoddam Oleastri super hoc loco, minimè aspernãdum. Dictionem, inquit, Hebraicam *abrech* quidam compositam arbitrantur ex *ab,* quod est *pater.* & *rech,* quod est *tener,* quasi vocarent eum patrem tenerum: patrem quidem, propter sapientiam; tenerum autem, propter iuuentutem: cum quo congruit quod infrà dixit Ioseph, se constitutum esse à Deo quasi Patrem Pharaonis. Alij verò simplicem putãt esse dictionem, & futurum verbi *barach,* quod significat *benedicere,* & hunc esse sensum *benedicam,* id est *benedicite,* Thargum vertit hoc loco *Pater Regis.* Et quia *barach* significat etiam genu flectere, ideo priores sic verterunt. Ego istis subscribo, vnicam dictionem esse putans, & hũc esse sensum, *& clamauerunt, ante eum genu flectam,* vel dicebatur illis *genu flectite,* si tamen vertas *benedicam,* non prohibeo. Vltimò verti posset, *eleuatio tua,* ab *auar,* quod est *eleuare,* cui expositioni congruit quod proximè sequitur: *Et præposuit eum super vniuersam terram Aegypti.*

Thargum Hierosolymitanũ. Oleaster.

S. Hieron.

Verba porrò Sancti Hieronymi in Traditionibus Hebraicis in Genesim super hoc loco huiusmodi sunt: Aquila transtulit, *Et clamauit in conspectu eius ad geniculationem.* Symmachus ipsa Hebraica verba retinens, ait: *Et clamauit ante eum, Abrech.* Vnde, mihi videtur non tam adgeniculatio, quæ in salutando vel adorando Iosepho accipi potest, intelligenda; quàm id quod Hebræi tradunt dicentes, Patrem tenerum ex hoc sermone transferri. *Ab* quippe, *pater* dicitur; *rech,* delicatus, siue tenerrimus: significante Scriptura, quòd iuxta prudentiam quidem Pater omnium fuerit: sed iuxta ætatem, tenerrimus, adolescens, & puer.

Quomodo S. Hieron. à Traditionibus in Geneſim, nonnunquam diſcrepat à vulgata translatione Latina.

Sic Hieronymus. Sedenim obijcere quiſpiam poſſet, Si tranſlatio Latina huius libri, eſt, vt creditur, Beati Hieronymi, in qua ille vocem *abrech*, vertit *genu flectere*, quomodo idem in Traditionibus Hebraicis in Geneſim, hanc interpretationem improbans, vertendum potius cenſet, *Pater tener?* Reſponderi poteſt dupliciter, vel Hieronymum mutaſſe ſentẽtiam, quod vno loco dixerat, in altero loco corrigendo. Potior tamen habenda eſt ſententia quam ſecutus eſt in tranſlatione Scripturæ; cùm ea tranſlatio tot Patrum ſuffragiis, & vniuerſalis Eccleſiæ auctoritate comprobata ſit. Vel dici poteſt, tranſlationem huius libri, licèt maxima ex parte Hieronymi fuerit, in ea tamen remanſiſſe quædam permixta ex antiquiſſima quadam editione Latina, quam Sanctus Hieronymus in caput quadrageſimum nonum Eſaiæ, communem: Auguſtinus lib. 2. Doctrinæ Chriſtianæ, Italam; S. Gregorius in Epiſtola dedicatoria Moralium ad Leãdrum, Veterem appellant. Ex quo fit vt in Latina tranſlatione ſacrorum librorũ, quam accepit Eccleſia à B. Hieronymo, multis in locis quædam ſint aliter, quàm interpretata fuerant à Hieronymo, ibi relicta ex Veteri illa, & communi, & Itala tranſlatione. Atque hanc opinionem etiam ſecuti ſunt Auctores Præfationis, quæ præpoſita eſt Bibliis Sixtinis Romæ nuper editis.

S. Auguſt. S. Gregor.

QVARTA DISPVTATIO.

De nomine illo Saluatoris mundi, *quo Ioſeph vocatus eſt à Pharaone.*

Super illis verbis,

VERS. 45. Vertitque nomen eius, & vocauit eum linguâ Aegyptiacâ, Saluatorem mundi.

SIGNIFICATVR his verbis, Pharaonem, nomen Hebræũ, quod erat Ioſeph, & quo antea vocabatur, mutaſſe in aliud nomen, quod erat Aegyptiacum, ſignificans Saluatorem mundi: quoniam ipſe per ſapientiam, & induſtriam ſuam ſeruauerat à famis exitio vniuerſam Ægyptum, compluréſque alias prouincias. Pro illo *Saluatorem mundi*, in libris Hebraicis ſunt duæ dictiones *Zaphanat, Phaanecha*, quas voces quidam interpretati ſunt *Saluatorem mundi*, ſicut habet noſtra tranſlatio Latina, & ita exponendũ cenſet S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Geneſim. Plerique tamen interpretati ſunt, Abſconditorum interpretem, ſiue reuelatorem: quòd obſcura ſomniorum præſagia ſagaciter intellexiſſet, & prudenter interpretatus eſſet; & hoc modo intelligendas eſſe illas duas voces putarunt Philo in libro de Ioſeph, & Ioſephus 1. lib. Antiquitatũ, & alij Rabbini, & Chryſoſtomus atque Theodoretus, ſuper hũc locum, & S. Augu

& S. Aug. in Quæst. 134. in Genes. eandémque interpretationem habet Paraphrasis Chaldaica, & translatio Pagnini, ac Vatabli. Idémque significasse creduntur Septuaginta Interpretes, qui pro illis duabus vocibus substituerunt vnam hanc *Psomthophanech*, quam Patres interpretantur Occultorum interpretem.

22 Huius porrò varietatis causa est, quòd illæ duæ voces possunt accipi vel tanquam voces Ægyptiacæ, & ita significant, Saluatorem mundi; vel tanquam Hebraicæ, & sic denotant Absconditorum reuelatorem, & manifestatorem. Oleaster super huiusce modi varietate hæc scribit: Rabbi Abraham in commentarijs ita dicit: Si dictiones illæ sint Ægyptiæ, nescimus earum significationem. Thargũ vertit, *Vocauit eum virum, cui abscondita sunt reuelata.* Rabbi Salomon, Absconditorum expositorem. Mihi videtur, si dictiones sint Hebraicæ, nullum esse dubium, quin prior *saphanath* significet occultum, à *Saphan*, quod est abscondere & occultare. De significatione verò secundæ dictionis magis dubitatur, quòd ea solùm hoc loco reperiatur, Rabbini tamen, & omnes alij putant significare reuelatorem. Et postquam nulla est alia coniectura, ad venandam propriam eius significationem, tenenda est communis sententia. Sic Oleaster. Verùm in istiusmodi rebus, ante omnes credendum est B. Hieronymo, qui super ista re in Traditionibus Hebraicis in Genesim ad hunc modũ scribit: Licèt Hebraicè absconditorum repertorem sonet; tamen quoniam ab Ægyptio imponitur, eius linguæ debet habere rationem. Interpretantur igitur duæ illæ dictiones sermone Aegyptio (Saluator mundi) eo quòd orbem terræ ab imminenti famis excidio liberarit. Hæc S. Hieronymus. Sedenim cùm in textu scripturæ huius loci dicatur, vocatum esse lingua Aegyptiaca, Saluatorem, nullus videtur fuisse locus opinandi, duas illas dictiones fuisse Hebraicas: sed necesse fuit existimare, fuisse Aegyptiacas. Verùm, sciat Lector, verba illa, *Lingua Aegyptiaca*, quæ sunt in Latina Translatione, non esse in aliis libris, nec Hebraicis, nec Chaldaicis, nec Græcis: sed apposita esse à Latino Interprete, quo apertiorem faceret sententiam Mosis in hoc loco, secundùm eam opinionem, quam secutus est B. Hieronymus.

Oleaster. Rab. Abrahã.

22 Sententiam autem & interpretationem earum dictionum traditam à Sancto Hieronymo vehementer approbat & commendat Eugubinus in Recognitione Pentateuchi, super hunc locum ita scribens: Voces, quæ in Hebræo ponuntur hoc loco, & quas Septuaginta non interpretatas omiserunt, quasi eorũ significationes ignorarent; aut Aegyptiacæ, aut Chaldaicæ sunt. Aben Esra fatetur ignorare se quid propriè significent, Sanctus tamen Hieronymus interpretatus est *Saluatorem mundi*, dicítque eas Hebraicè significare, Absconditorum repertorem: sed non esse eas interpretandas Hebraicè, sed Aegyptiacè. Et sanè ipsarum litterarum forma videtur externa, non autem Hebraica. Itaque verisimile est, Beatum Hieronymum diligenter super ea re requisiuisse, atque eo modo reddidisse. Cui etiam gratiæ plurimæ sunt habendæ, quòd rem obscuram, & ab ipsis Septuaginta ignoratam, & ab Hebræis,

Eugubinus.

nobis aperuerit. Sunt autem hæ voces corruptæ apud Septuaginta Interpretes: nam pro illis posuerunt ipsi *Psomthophanech*, nisi fortè consultò eas immutarunt, quòd ex Aegyptijs intellexissent apud Hebræos potiùs esse corruptas: quod mihi non fit verisimile. Sic Eugubinus.

Rupertus. Rupertus lib. 8. cap. 40. docet honorum insignia & ornamenta in Ioseph collata, ignominijs & ærumnis, quas antea perpessus fuerat, aptissimè respondere: atque ea ratione voluisse Deum, mala quibus ille fuerat affectus, pluribus, maioribúsque bonis compensari. Pro compedibus, inquit, *Psal. 104.* in quibus humiliauerant pedes eius, torquem auream accepit: pro seruili nomine & habitu, regium portat annulum: pro carceris humilitate, super altum sedet imperij currum. Sed hoc ipsum mille annis ante Rupertum obseruauerat, & scriptum reliquerat Philo: cuius in libro de Ioseph hæc sunt verba: Quis expectasset, intra vnam diem, è seruo Dominum; è vincto, præstantissimum omnium; è carcerarij Vicario, Proregem fieri: & regiam inhabitare pro carcere, & ex ignominia extrema, in supremum honoris culmen ascendere? Quemadmodum autem Ioseph sicut alijs plurimis rebus, sic etiam in hac sua exaltatione illustrem Christi gesserit figuram: & quòd quatuor illa ornamenta Ioseph à Rege collata, annulum dico Regium & stolam byssinam, & torquem aureum, & regiũ currum præfigurauerint quatuor maximi honoris & dignitatis insignia, quę Christo Domino post passionem & resurrectionem ipsius à Deo Patre donata sunt, diserte Rupertus disputat libro proximè commemorato à capite 40. vsque in finem eius libri.

QVINTA DISPVTATIO.

Super illis verbis,

VERS. 45. Dedítque illi vxorem Aseneth, filiam Phutipharis Sacerdotis Heliopoleos.

Philo. HVIVSMODI coniugium eò fecit Rex Pharao, quo maiorem in modũ honoraret Ioseph: erat enim ille Phutiphar, vt tradit Philo, inter Aegyptios honoratissimus atque clarissimus. Putauit etiam hoc nouo beneficij vinculo, magis sibi deuinctum atque obligatum fore Ioseph, & propter vxoris & filiorum, necessitudinúmque vincula, retentum iri eum in Aegypto, natalísque soli, suaéque gentis amorem in Aegyptiacam gentem, réfq; commutaturum. Verùm grauis hoc loco existit quæstio. Nam suprà Gen. 39. scriptum est, virum Aegyptium, qui emit Ioseph ab Ismaëlitis, & qui postea eum in carcerem detrusit, eodem nomine Phutipharem fuisse appellatum: Quæritur itaque an ille fuerit hic ipse qui dicitur hoc loco fuisse socer Ioseph. Duæ super huiusmodi quæstione sunt opiniones. Hebræi

An hic Phutiphar socer Ioseph fuerit ille

bræi tradunt fuisse eundem hominem: Hebræos sequitur S. Hieronymus, cuius opinioni subscribunt Rupertus, Historia Scholastica, & Thostatus. Verba S. Hieronymi hæc sunt: Notandum autem quòd domini quondam, & emptoris sui filiam vxorem acceperit, qui ad id locorum pontifex Heliopoleos erat: Neque enim absque Eunuchis idoli illius esse antistites: vt vera illa Hebræorum super eo, quod antè iam diximus, suspicio comprobetur. Suspicionem autem istam Hebræorum paulò suprà idem retulerat Hieronymus illis verbis; Tradunt Hebræi, emptum fuisse à Phutiphare Ioseph, ob nimiam pulchritudinem, in turpe ministerium: & à Domino virilibus eius arefactis, postea electum esse iuxta morem Hierophantum, in pontificatum Heliopoleos: & huius filiam esse Aseneth, quam postea Ioseph vxorem acceperit. Sic Hieronymus. Si hæc vera esset opinio, æstimet Lector quanta fuerit gloria Ioseph: cui tradere filiam suam glorioſum duxerit is, qui antè pro seruo eum emerat, & tot annos habuerat, & vt grauissimi criminis reum in carcerem detruserat, pro magno beneficio, non eum supremo supplicio afficiens.

ipse, qui emerat eum ab Ismaelitis.
Prima opinio Hebræorum.
S. Hieronymi, Ruperti, Hist. Scholastic. Thostati.

25 At verò contrà sentiunt complures alij. Philo certè, atque Iosephus hãc historiam diligenter commemorantes, tanquam de diuerso homine loquuntur, haud dubiè, si eadem fuisset persona, non tacituri rem adeo memorabilem, & ipsi Ioseph perhonorificam atque glorioſam. S. Augustinus multis verbis super hac ipsa quæstione disputat; multísque allatis rationibus in hanc denique videtur opinionem esse propensior. Nam & rationes affert, quibus ostendat probabilius esse, non fuisse eundem hominem, earúmque rationum solutiones ab aliis traditas accuratè refellit: Licèt ad extremum dicat, contrariam opinionem, non tanquam sacræ Scripturæ repugnantem, esse damnandam. Itidem sensit Lyranus: quanquam propter Hieronymi reuerentiam, soluit denique rationes opinioni eius contrarias. Idémque arbitrantur Oleaster & Lippomanus, & Hamerus. Adscribam hîc verba S. Augustini ex Quæstione 136. in Genesim. Quæri solet, cuius Petephre (sic enim legit Augustinus, Translationem lxx. Interpretum secutus) filiã duxerit Ioseph, vt cũ illius, cuius fuerat seruus, an alterius. Sed credibilius existimatur fuisse alterius: nam de illo cur non credatur, multa sunt, quæ moueant. Primùm, quia non id tacuisset Scriptura, cùm ad Ioseph non paruam gloriam pertineret, vt domini sui filiam duceret vxorem. Deinde, quomodo Spado filiam habere potuit? Sed respondetur; quomodo vxorem habere potuit? postea igitur creditur abscissus, vel casu vulneris, vel propria voluntate. Adhæc, quòd ille esset princeps coquorum, vel, vt alij interpretati sunt, princeps militiæ: hic autem, Sacerdos Heliopoleos. Quanquam etiam hîc responderi posset, duos illum honores habuisse, & Sacerdotium Solis, & militiæ principatum. Sed enim nimis incredibile videtur, eum, qui præpositus fuit custodiarum carceris, fuisse præpositum officij Sacerdotum. Præterea non simpliciter dictum est, fuisse eum Sacerdotem Solis, sed in ciuitate Solis, quæ vocatur Heliopolis, hanc verò vrbem, dicitur,

Secũda opinio Augusti. Lyrani, Lippomani, Oleastri, & ipsius Auctoris.

dicitur, ampliùs viginti millibus à ciuitate Memphi, quæ tunc regia erat, abesse. Quomodo igitur deserto officio sacerdotij sui, potuit strenuè regi seruire in militiæ principatu? Accedit etiam, quòd Aegyptij Sacerdotes perhibentur nunquam seruisse, nisi in templo deorum suorum, nec aliud quodpiam officium exercuisse. Verùm si fortè tũc aliter fuit, credat quisque quod placet. Non tamen est quęstio cuius exitus sit clausus, siue vnus fuerit ille Petephres, siue duo: quodlibet enim horum quisque existimet, non est fidei periculosum, nec contrarium veritati Scripturarum Dei. Sic Augustinus.

Lyranus porrò super eadem re hunc in modũ scribit: Dicunt Hebræi, 26
quos sequitur Hieronymus, istum Phutipharem fuisse illum qui fuerat dominus Ioseph, de quo suprà Genes. 39. scriptum est. Et cum propter pulchritudinem Ioseph, intenderet abuti eo ad turpe vitium: Dominus eum infrigidauit; quam ob causam à principatu militiæ postea translatus est ad pontificatum Heliopoleos, ad quem nullus promouebatur nisi castratus, vel simpliciter infrigidatus: attamen iste genuerat antea filiam dictã Aseneth. Sed contrà hoc videtur, quòd in Hebræo nomen istius Phutipharis habet vnam litteram plus, quàm eius nomen, de quo est suprà: habet enim litteram *Ain* in fine, quam non habet præcedens, & ideo videtur esse alius homo à prædicto. Si quis tamen velit sequi dictam opinionem, potest dicere ad hoc, quòd idem nomen proprium solet aliquando variari in Hebræo, & Latino, maximè in fine, ex aliqua additione vel subtractione, sicut suprà dictum est super caput trigesimum sextum. Sic Lyranus.

S. Chrysost. At verò S. Chrysostomus in homil. 63. in Genesim, apertè affirmatéq; tradit hunc fuisse ab illo diuersum hominem, hæc sunt enim eius verba: Vt Rex accumulet honorem Ioseph, dat ei filiam Petephre *in vxorem*. Deinde quia eiusdem nominis erat iste cum eo qui fuerat dominus Ioseph, adiecit illud *Sacerdotis Heliopoleos*. Hæc Chrysostomus. Sed quænam est nostra sententia? Equidem lubentiùs ad hanc Chrysostomi & Augustini opinionem assensum meum fidémque applicuerim. Nam etsi video neutram sententiam nec manifestis Scripturæ testimonijs, nec admodum certis rationibus aut probari, aut improbari posse, probabilioribus tamen argumentis, suprà expositis, secundam hanc opinionem subnixam esse censeo.

An Phutiphar socer S. Ioseph fuerit propriè sacerdos. Cæterùm illud hoc etiam loco indicandum videtur, quæ fuerit illa ci- 27
uitas Heliopolis, cuius sacerdos fuisse dicitur socer Ioseph. Quanquam, non desunt qui pro Sacerdote legant principem: sicut habet Pharaphrasis Chaldaica, & versio Pagnini ac Vatabli. Siquidem vox Hebræa *cohen*, licèt frequenter in Scriptura significet Sacerdotem, nonnunquam tamen significat Principem, siue primarium virum, qui sacerdos non fuerit, idque perspicuè colligitur ex lib. 2. Reg. ca. 8. Qua de re nos disseruimus in 3. Tom. Commentariorum nostrorum in Genes. super cap. 14. nume. marginali 50. Atenim istum socerum Iosephi, fuisse Sacerdotem, præter

præter auctoritatem Latinæ ac Græcæ lxx. Interpretũ translationis, confirmatur auctoritate Philonis & Iosephi; quorum ille in libro de Ioseph, hîc in libro primo Antiquitatum asseueranter id tradunt.

Sed redeo ad id quod propositum dicere de ciuitate Heliopolis. Sciat
28 Lector, pro illo Græco vocabulo *Heliopolis*, quod Latinè significat *ciuitas solis* in Hebræo esse ciuitas *On*. De hac autem voce *On* S. Hieronymus in libro de locis Hebraicis hæc scribit: *On*, vrbs est in Aegypto, quæ Heliopolis Græcè dicitur, id est ciuitas Solis; quam ædificauerunt filij Israel; sicut lxx. Interpretes arbitrantur. Alioqui id in Hebræis voluminibus non habetur; & rectè profectò: siquidem antequam Iacob ingrederetur in Aegyptum, iam erat extructa ista ciuitas, quæ & sacerdotem habuit Petephrem patrẽ Aseneth, vxoris Ioseph. Hoc modo Hieronymus. Si Lector nosse cupit vbinam lxx. Interpretes dixerint Heliopolim fuisse extructam ab Hebræis: sciat id esse traditum ab illis in 1. cap. Exodi. Sic enim ibi legitur in eorum Translatione: *Et ædificauerunt filij Israel ciuitates munitas Pharaoni, Phithom, & Rameſſes, & On, quæ est Heliopolis.* In quo fortasse quispiam memoriam lxx. Interpretum desiderare posset: Nam cùm ipsi in hoc cap. xlj. Gen. dixerint, socerum Ioseph fuisse sacerdotem Heliopoleos; erat igitur iam in eo tempore Heliopolis, ante ingressum Hebræorum in Aegyptum: quomodo postea in principio Exodi, tãquam obliti eius quod priùs scripserant, dixerunt Heliopolim fuisse ab Hebræis extructam in Aegypto? Nisi fortè, aut duæ in Aegypto fuerint eiusdem illius nominis vrbes: aut illa ipsa fuerit priùs casu aliquo euersa, & posteà denuò Hebræorum labore ædificata.

Quæ ciuitas fuerit Heliopolis in Ægypto.

S. Hieron.

Est quoque apud Ethnicos scriptores vrbs Heliopolis percelebris in-
29 ter clarissimas Aegypti vrbes: de qua in hunc modum Strabo in lib. 17. scribit: Est in aggere ingenti posita, & Solis templum habet, & Mneuim bouem, qui in septo quodã nutritur, & ab Heliopolitanis pro deo Deo habetur, vt Apis à Memphitis. Vidimus in Heliopoli domos amplas, in quibus Sacerdotes habitabant: immò ferunt hanc vrbem fuisse olim Sacerdotum domicilium; hominum vtiq. Philosophiæ & Astronomiæ deditorum: nunc is ordo, & studium defecit. Hęc Strabo. Borcardus in extremo libello suo de Terra sancta, vbi breuem Ægypti descriptionem ponit, hęc tradit de Heliopoli: Heliopolis est opulenta, & diues, sed immunita: omnes enim villæ in Ægypto immunitæ sunt, præter Alexandriam, & Babyloniam. Abundat autem Heliopolis omnibus mundi delicijs: Cassia fistula ibidem in magna quantitate crescit: inde ad sex leucas est Babylonia, ciuitas admodum grandis, benè munita, & sita in Nili littore aquilonari. Hinc ad quinque leucas sunt pyramides triangulæ, sublimes, quæ credũtur fuisse horrea Ioseph, & iuxta illas sunt ruinæ ciuitatis Thebææ; ad duas leucas inter Heliopolim & Babyloniam medio ferè loco est hortus balsami, longitudinis, iactu duorum arcuum; latitudinis autem, iactu lapidis, habens terrã ferè albã: rigatur hortus ille ex paruulo fonte, sed vbere, in quo fama est, B. Virginem puerum Iesum compluries lauisse, pãniculósque eiusdem mundasse, cùm esset in Aegypto propter metum Hero-

Strabo.

Borcard.

dis. Est item eo in loco lapis, super quem dicitur eosdem pānos exsiccasse: Atque hæc omnia Christiani iuxtà Saracenique venerantur. Hæc Borcardus, & alia quæ inibi subijcit.

SEXTA DISPVTATIO.

De ætate, in qua erat Ioseph, cùm eductus è carcere, totius Aegypti Præfectus & princeps constitutus est.

Super illis verbis,

VERS. 46. Triginta autem annorum erat, quando stetit in conspectu Pharaonis.

Iosephus. Philo.

IOSEPHVS lib. 1. Antiquitatum, ait, annum illum trigesimum ætatis Ioseph fuisse iam expletum. Philo scribit in libro de Ioseph, fuisse annum circiter trigesimum. Illud *circiter trigesimum* idem valet atque *propè trigesimum*, & ideo potest tripliciter intelligi. Vel quòd propè abfuerit ab inchoando trigesimo anno, vel quòd propè abfuerit ab explendo iam inchoatum. vel quòd ab eo iam expleto proximè abfuerit. Sed quæritur, cur hoc loco diuina Scriptura signanter expressèque voluerit indicare ætatem Ioseph, in qua fuit ad tantam gloriam euectus. Respondendum est huic quæstioni, ob quinque causas id esse factū à Scriptura. Primùm, vt manifestum fieret quanto tempore Ioseph in seruitute ac calamitate versatus fuisset, per annos videlicet quatuordecim: tot enim anni præterierant ab anno decimo sexto ætatis Ioseph, in quo venditus fuerat à fratribus, vsque ad trigesimum annum exaltationis suæ. Deinde, vt notesceret quanto longior & maior fuerit prosperitas eius, quàm ærumna & calamitas: & quàm abundantem & cumulatè Deus labores atque ærumnas eius compensasset: siquidem calamitas eius durauit annis duntaxat quatuordecim, prosperitas verò per annos octoginta. Ab anno enim trigesimo deinceps per totam vitam, id est vsque ad annum centesimum decimum, quo mortuus est, Gene. 50. in perpetua tranquillitate, gloria, ac prosperitate fuit. Et hoc præfigurabat id quod sanctis viris in hac vita contingit: quorum nempe labores, & passiones in hac vita perbreues sunt; præmia verò in altera vita, sempiterna. Sic Paul. dixit: *Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*: Et idcirco vt idem Paulus dixit: *Non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur.*

Locus 2. ad Cor. 5. & ad Ro. 8.

Tertia causa fuit, vt hinc tria cognoscerentur, ad Chronologiam Ioseph & Iacob pertinentia. Horum primum fuit, quando Iacob intrauit Aegyptum, fuisse Ioseph triginta nouem annorū: tunc enim iam transierant septē anni vbertatis, & duo sterilitatis, cuius reliqui erant alij quinq; anni, vt ipse dixit fratribus suis, Gene. 45. Alterum est, Ioseph fuisse gene-

ratum

ratum à Iacob annum agente vnum & nonagesimum. Si enim Ioseph erat triginta nouem annorum, cùm Iacob intrauit Aegyptũ, vt diximus; eo autem tempore Iacob erat centum triginta annorum, vt ipse dixit Pharaoni Gene. 47. sequitur fuisse Ioseph ab eo generatum, cùm is ageret nonagesimum primum annum. Tertium est, Iacob venisse in Mesopotamiam anno suæ ætatis septuagesimo septimo, & inde regressum esse in Chananitidem anno nonagesimo septimo. Hoc ita patet. Ioseph natus est vt diximus, anno ætatis Iacob nonagesimo primo; & natus est decimo quarto anno postquam venerat Iacob in Mesopotamiam, vt colligitur ex ca. 30. Geneseos, & ibi à nobis ostensum est: post genitum autem Ioseph, mansit in Mesopotamia sex alios annos, vt ipsemet Iacob dixit socero suo Laban Gene. 31. ex his manifestè concluditur quod diximus.

Insignia virtutum Ioseph.

Quarta causa cur memorata sit in hoc loco ætas Ioseph, illa fuit, vt appareret qualis vir & quantus fuerit Ioseph; cuius in iuuenili ætate, clarissima iam extarent plurimarum, maximarúmque virtutum facinora, & exẽpla: eximiæ nimirum mansuetudinis aduersus inuidiam & malitiam fratrum suorum: singularis fidei, & industriæ, & prudentiæ in regenda heri sui domo ac re familiari augenda, & administranda: prædicandæ omni æuo castitatis in auersando tantâ constantiâ animi stupro dominæ suæ: insuperabilis patientiæ in tolerando ignominiam & miseriam carceris, in quem innocens, & ob virtutis studium fuerat detrusus: diuinæ sapientiæ in exponendis somnijs à Deo profectis, & futurarum rerum præsagijs: admirabilis prouidentiæ in prospiciendo, & comparando salutari remedio aduersus septennem famen in Aegypto futuram: rarissimæ demum fœlicitatis, eo viro, intra vnum diem ex abiectissima & miserrima seruitutis & carceris conditione, in altissimum honoris gloriæ, principatus ac potentiæ fastigium sublato. Ferunt Iulium Cæsarem, cùm venisset Gades, animaduersa apud Herculis templum Magni Alexandri imagine, ingemuisse, quasi pertæsum ignauiam suam; quòd nihil dum à se memorabile actum esset in ætate, qua iam Alexander orbem terrarum subegisset. At Ioseph in minori ætate, verarum, & solidarum maximéque insignium virtutum, factis, exemplisque admirabilior, & glorioſior, & quodammodo inuidioſior fuit.

Suetonius in Iulio Cæsare.

Huc spectat quod à Chrysostomo scriptum est in Hom. 63. in Genesim, cùm hunc ipsum locum Geneseos explanaret. Ne temerè, inquit, putemus assignatum esse numerum annorum Ioseph; sed hinc discamus negligenti virtutem nullam esse excusationem. Quid enim? Obtendet iuuentutem? Ecce ille non solùm iuuenis erat, sed etiam pulcherrima specie, & formosissimus: & quasi in ipso iuuentutis flore seruus & captiuus factus est, nimirum decem & septem annos natus fuerat venditus, & in Aegyptum deductus. Deinde in ipsa fornace iuuentutis, calumniata est eũ petulãs domina eius, & neq; sic superata est fortitudo iusti. Deniq; in carcere multo tẽpore ærũnosus fuit; verùm ibi quoq; mãsit quasi adamas non solùm non factus infirmior, sed in dies robustior: habuit enim roborantẽ se supernã gratiam. Hæc Chrysostomus. Ioseph itaq; virtute animi,

B. Chrysost.

Aristoteles. egregijsque factis transcendit ætatem, superauit annos, vicit communia iuuenum, & quasi naturalia vitia. Quæ pluribus verbis persequitur Aristot. lib. 2. Rhetoricorum. Horatius verò in arte poëtica paucis hisce verbis scitè indicauit:

Horatius.

Imberbis iuuenis tandem custode remoto,
Gaudet equis, canibúsque, & aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper:
Vtilium tardus prouisor, prodigus æris:
Sublimis, cupidúsque, & amata relinquere pernix.

Quænam ætas hominis matura & idonea esse incipiat regendo, & docendo.

Quinta causa fuit, vt hoc exemplo Ioseph significaretur quænã ætas hominis iam matura esse inciperet, atque idonea publicis, atque grauissimis obeundis muneribus, vel regendi alios, vel docendi, vel etiam prophetandi. Certè Dauid in hac ætate fuit, cùm iniuit regnum populi Hebræi, vt legitur libro 2. Reg. cap. 5. Eiusdem ætatis fuit Ezechiel, cùm diuino afflatus Spiritu vaticinari cœpit; vt ipsemet tradit in exordio prophetiæ suæ. Præcursor Domini Ioannes Baptista, & ipse Mundi Saluator Christus Iesus hac eadem præditi ætate prædicare populis cœperunt. Immò verò diuina Scriptura quasi maximam populorum calamitatem, & atrocissimam diuinæ iustitiæ, ac vindictæ animaduersionẽ memorat, rectores populorũ esse pueros. Et, quod mirêre magis, Salomon ipse, qui puer admodum, & vt creditur, duodennis cepit imperium, hoc ipsum cõfirmauit in lib. Eccles. cap. 10. ita scribens: *Væ tibi terra, cuius rex puer est, & principes mane comedunt.* Idémque legere est apud Isaiam cap. 3. vbi inter alia mala, Deus quæ interminatur Hebræis, & hoc memorat dicẽs: *Dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.*

Pulcherrima disputatio B. Gregorij de ætate, qua præditus essedebet Christianus doctor & prædicator.

Luc. 2.

Locus Deut. 15.

Ponam hoc loco doctissimam B. Gregorij super hac re disputationem, huc ex Homilia in Ezechielem secunda transpositam. Tractans enim prima illa verba libri Ezechielis; *Et factum est in trigesimo anno*, ad hũc modum super ea ætate differit Gregorius. Quod Ezechiel in trigesimo anno spiritum Prophetiæ acceperit, indicat aliquid nobis considerandum: videlicet quia iuxta rationis vsum doctrinæ sermo non suppetit, nisi in ætate perfecta. vnde & ipse Dominus anno duodecimo ætatis suæ in medio doctorum sedens, non docens, sed interrogans voluit inueniri: vt enim non auderent homines in infirma ætate prædicare, ille anno duodecimo interrogare homines dignatus est in terra, qui per diuinitatem suam semper Angelos docet in cœlo. Quod Moyses quoq; sub allegoriæ mysterio admonet dicens, *Non arabis in primogenito bouis*: Primogenitum bouis accipimus, in infirma ætate, primi nostri temporis bonã operationem: in qua tamen arandum non est. Cum enim prima adhuc sunt adolescentiæ vel iuuentutis nostræ tempora, nobis à prædicatione cessandum est, vt vomer linguæ nostræ proscindere nõ audeat terram cordis alieni. Quoadusque enim infirmi sumus, continere nos intra nos metipsos debemus, ne dum tenera bona citiùs ostẽdimus, amittamus. Nam & arbusta plãtata si priùs in terra radicata non fuerint, manu tacta citiùs arescũt: at, si semel radicem fixerint, manus ea tangit. & tamen nihil officit: venti impellunt,

nec ta

nec tamen impellentes lædunt. Et constructi parietes, si impellantur, ruuntur, nisi à suo priùs fuerint humore siccati. Mens itaque quousque ab humore prauitatis suæ non fuerit perfectè exsiccata, alienæ linguæ manu tangi non debet; ne priusquam plenè percipiat, perdat soliditatem suã, ne impulsa ruat, ne velut arbustum sine radicibus, dum plus quàm tolerare valet, concutitur, arescat.

Ad exemplum ergo non sunt ostendenda nisi quæ firma sunt: siquidẽ priùs conualescere debet mens & ad vtilitatem proximorum postea demonstrari, cum iam nec per laudem eleuata corruat, nec per vituperationem percussa contabescat. Nam etsi Timotheo dicitur: *Præcipe hæc, & doce: nemo adolescentiam tuam contemnat:* Sciendum tamen est quòd in sacro eloquio nonnunquam adolescentia vocatur iuuentus. Vnde scriptum est, Eccles. 11. *Lætare iuuenis in adolescentia tua:* Profectò igitur vt ostendatur cuius auctoritatis sit in prædicatione, ætatis solidæ esse describitur, quatenus cum vita & Spiritu omnia quæ ad prædicandum congruunt, concordare videantur. Nec contra hæc quempiam mouere debet quòd Hieremias atque Daniel prophetiæ spiritum pueri perceperunt: quoniã miracula in exemplum operationis non sunt trahenda. Omnipotens enim Deus & linguas infantium fecit disertas, & ex ore infantium atque lactentium perfecit laudem. Sed aliud est quod nos de doctrinæ vsu atque disciplinæ dicimus, & aliud quod de miraculo scimus. Hactenus ex B. Gregorio.

Hiere. 1.
Dan 13.
Quæ miracula sunt, nõ esse trahenda in exemplum operationis.
Psal. 8.
Sap 10.

33 Explanationem huius capitis terminabo, adijciens tanquam eius clausulam, quæ super historia huius capitis prodidit Paulus Orosius: videntur enim memoratu digna, neque cognitu iniucunda Lectori futura. Arguit ille partim inscitiam Romanorum scriptorum, qui hanc historiam Ioseph, admixtis pluribus mendacijs, insincerè prodiderunt: partim malitiam Aegyptiorum; qui tantam Iosephi sapientiam, & tot eius tantáque in Aegyptios merita, inuidia, odióque gentis Hebrææ, & ne id redundaret in contemptum Aegypti sacerdotum, atque sapientum, omnino suppresserunt. In libro igitur primo Historiæ suæ, cap. 8. ad hunc modum scribit Orosius: Ante annos conditæ vrbis mille & octo, fuisse primùm in Aegypto insolitam, fastidiendámque vbertatem; deinde iugem, atque intolerabilem famem, cui Ioseph, vir iustus & sapiens, diuina prouisione subuenit; Pompeius historicus, eiúsq; breuiator Iustinus tradiderunt. Et cùm commemorasset Orosius verba Iustini ex lib. 36. ea, quæ nos suprà ad numerum marginalem tertium retulimus, in quibus verbis, non pauca falsò de Ioseph & Moyse prodita sunt, cùm ea, inquam, verba commemorasset Orosius, subdit deinde: Sed quoniam hæc ipsa idem Moses, quem isti sapientem fuisse testantur, pleniùs, veriúsque, tanquam per se suósque gesta conscripsit, primùm eius fide atque auctoritate, quam etiam isti probant, ipsorum ignorantia corrigenda atque supplenda est: deinde sacerdotum Aegyptiorum fallax malitia confutanda est. Hi nempe euidentem iram, & misericordiam veri Dei memoriæ subtrahere conati sunt, particulatim expositione confusa: ne in contumeliam Idolorum suorum, eum

Paul. Orosius.

Iustinus.

meritò colendum oſtenderent, cuius & conſilio prænunciata mala illa, & auxilio euitata docuiſſent: vel fortè, vt indulgentiùs accipiamus, obliti ſunt. Illius enim noſtri Ioſeph, qui fuit veri Dei ſeruus, & pro creatura Domini ſui, piè intentéque ſollicitus, prouiſione, illi abundabant frugibus quaſi ſacerdotes, ſed quia falſi ſacerdotes erant, cum ceteris eſurientibus nõ dolebãt. Enimuerò, cui placet, obliuiſcitur, cui dolet, meminit. Quanquam huius temporis argumentum, etiam hiſtorijs, factiſque reticẽtibus, ipſa ſibi terra Ægypti teſtis pronuntiat: quæ tunc reducta in poteſtatem regiam, reſtitutáque cultoribus ſuis, ex omni fructu ſuo vſque ad nunc, quintæ partis inceſſabile vectigal exſoluit. Hunc Ioſeph, quem fecit Deus Ægyptijs conſeruatæ ſalutis auctorem, quis credat ita breui eorum excidiſſe memoria, vt filios eius, atque vniuerſam cognationem paulò pòſt ſeruitio addixerint, laboribus afflixerint, internecionibus profligarint? Quamobrem non eſt mirandum, ſi nunc quoque aliqui reperiantur, qui cùm à ceruicibus ſuis impendentem gladium, prætento Chriſtiano nomine, auerterint, ipſum nomen Chriſti, quo ſolo ſeruati ſunt, aut diſſimulent, aut infament: grauarique ſe eorum temporibus aſſerant, quorum meritis liberantur. Hæc Oroſius.

* * *

BENE

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA IN CAPVT QVADRAGESIMVM SECVNDVM GENESIS.

ARGVMENTVM.

Filij Iacob maxima frumenti inopia, faméque oppreßi petunt Aegyptũ, vbi frumenta vendi omnibus audierant: nec agnoßcentes fratrem ßuum Ioßeph, ab eo agniti, durè admodum tractantur: nec dimittuntur, nißi relicto, tanquam obßde, fratre ßuo Simeone.

AVDIENS autem Iacob quòd alimenta venderentur in Aegypto, dixit filijs ßuis: Quare negligitis? audiui quòd triticum venundetur in Aegypto: deßcendite, & emite nobis neceßaria, vt poßimus viuere, & non conßumamur inopia. Deßcendentes igitur fratres Ioßeph decem, vt emerent frumenta in Ægypto, Beniamin domi retento à Iacob, qui dixerat fratribus eius: Ne fortè in itinere quicquam patiatur mali: ingreßi ßunt terram Ægypti cum alijs, qui pergebãt ad emendum. Erat autem fames in terra Chanaam. Et Ioßeph erat princeps in terra Ægypti, atque ad eius nutum frumenta populis vendebantur. Cúmque adoraßent eum fratres ßui, & agnouißet eos, quaßi ad alienos duriùs loquebatur, interrogãs eos: Vnde venißis? Qui reßponderunt: De terra Chanaam, vt émamus victui neceßaria. Et tamen fratres ipße cognoßcens, non

1 2 3 4 5 6. 7. 8 9

10 non est cognitus ab eis. Recordatúsq; somniorũ quæ aliquan-
do viderat, ait ad eos: Exploratores estis: vt videatis infirmiora
11 terræ venistis. Qui dixerunt. Non est ita, Domne, sed serui tui
12 venerunt vt emerent cibos. Omnes filij vnius viri sumus: paci-
fici venimus, nec quidquam famuli tui machinantur mali.
13 Quibus ille respondit: Aliter est: Immunita terræ considerare
14 venistis. At illi: Duodecim, inquiunt, serui tui, fratres sumus,
filij viri vnius in terra Chanaan: minimus cum patre nostro
15 est, alius non est super. Hoc est, ait, quod locutus sum: Explora-
tores estis. Iam nunc experimẽtum vestri capiam, per salutem
Pharaonis nõ egrediemini hinc, donec veniat frater vester mi
16 nimus. Mittite ex vobis vnum, & adducat eum: vos autem eri-
tis in vinculis, donec probentur quæ dixistis vtrum vera an fal
17 sa sint: alioquin per salutem Pharaonis exploratores estis. Tra-
18 didit ergo illos custodiæ tribus diebus. Die autem tertio edu-
19 ctis de carcere, ait. Facite quæ dixi, & viuetis: Deum enim ti-
20 meo. Si pacifici estis, frater vester vnus ligetur in carcere: vos
autem abite, & ferte frumenta quæ emistis, in domos vestras:
21 Et fratrem vestrum minimũ ad me adducite, vt possim vestros
probare sermones, & non moriamini. Fecerũt vt dixerat, & lo
22 cuti sunt ad inuicem: Meritò hæc patimur, quia peccauimus
in fratrem nostrum: videntes angustias animæ illius, dum de-
precaretur nos, & non audiuimus: idcirco venit super *nos ista*
23 tribulatio. E quibus vnus Ruben ait: Numquid non dixi vobis:
Nolite peccare in puerum: & non audistis me? En sanguis eius
24 exquiritur. Nesciebant autẽ quòd intelligeret Ioseph: eo quòd
25 per interpretẽ loqueretur ad eos. Auertítque se parumper, &
26 fleuit: & reuersus locutus est ad eos. Tollénsque Simeon, & li-
gans illis præsentibus, iussit ministris, vt implerent eorũ saccos
tritico, & reponerẽt pecunias singulorũ in sacculis suis, datis
27 suprà cibarijs in viã: qui fecerũt ita. At illi portãtes frumẽta in
28 asinis suis profecti sunt. Apertóq; vnus sacco, vt daret iumẽto
pabulũ in diuersorio, contẽplatus pecuniã in ore sacculi, dixit
fratribus suis: Reddita est mihi pecunia, en habetur in sacco.
29 Et obstupefacti turbatíq; mutuò dixerũt: Quidnã est hoc, qđ
fecit nobis Deus? Venerúntq; ad Iacob patrẽ suũ in terrã Cha
30 naã, & narrauerũt ei omnia quæ accidissent sibi, dicẽtes: Locu
tus est nobis dñs terræ durè, & putauit nos exploratores esse

pro

prouinciæ. Cui respondimus: Pacifici sumus, nec vllas moli- 31
mur insidias. Duodecim fratres vno patre geniti sumus: vnus 32
non est super, minimus cũ patre nostro est in terra Chanaan.
Qui ait nobis: Sic probabo quòd pacifici estis: Fratrẽ vestrum 33.34
vnum dimittite apud me, & cibaria domibus vestris sumite, &
abite, fratrémq; vestrum minimum adducite ad me, vt sciam
quòd non sitis exploratores: & istum qui tenetur in vinculis,
recipere possitis: ac deinceps quæ vultis, emendi habeatis li-
centiam. His dictis, cùm frumenta effunderent, singuli repe- 35
rerunt in ore saccorum ligatas pecunias: exterritíque simul 36
omnibus, dixit pater Iacob: Absque liberis me esse feciſtis, Io-
seph non est super, Simeon tenetur in vinculis, & Beniamin
auferetis: in me hæc omnia mala reciderunt. Cui respondit
Ruben. Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi. 37
Trade illum in manu mea, & ego illum tibi restituam. At ille, 38
Nõ descendet, inquit, filius meus vobiscum: frater eius mor-
tuus est, & ipse solus remansit: siquid ei acciderit in terra ad
quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos.

PRÆFATIO.

ANTE *alia in expositione huius capitis tractanda, illud primo loco videtur inquirendum, cur nec Ioseph per illos tres & viginti annos, quibus, priusquam à suis esset agnitus, fuit in Aegypto, certiorem de statu suo fecit patrem suum, cùm non ignoraret, eum, ipsius causa, magno in mœrore & dolore versari: nec id ei Deus, qui toties ei apparuerat, & arcana sua patefecerat, vnquam indicauit. Sanctus Augustinus id factum esse ait singulari consilio & voluntate, ac dispensatione Dei, qui voluit tandiu Iacob in eius rei ignoratione versari, quo diuturniori mœrore ac dolore afligeretur, & per diutinam illam afflictionem, à quotidianis delictis, leuibúsque peccatis, quibus etiam sanctissimorum virorum vita non vacat, magis ac magis purgaretur, & tanquam aurum exploratum & purificatum igni, virtus eius purior & illustrior existeret; eiusq; augescerent in terris merita, & ampliora fierent in cœlis præmia.*

Cur Ioseph tantopere celauerit patrẽ suum, vel seruitutis suæ in Ægypto, vel prosperitatis, & gloriæ suæ.

Ponam hîc B. Augustinus super ea re disputationem, quam is in ser-
mone 82. de tempore scriptam reliquit: ea verò huiusmodi est: In beato
Iacob, fratres charissimi, & in sancto eius filio Ioseph, qui diligenter at- *S. August.*

tendit,rem nimis admirabilem Deum feciſſe cognoſcit. Primùm nõ credo fuiſſe ſine cauſa,quòd Dominus, qui ſe toties dignatus fuerat oſtendere beato Iacob, per tot annos noluit ei indicare quòd Ioſeph filius eius viueret,ſed permiſit eum longa afflictione conſumi. Nec filius eius Ioſeph, in proximo loco poſitus,permiſſus ſit patrẽ ſuum facere certiorem, non ſolùm de vita ſua,verùm etiam de honore & gloria. Ab eo enim loco vbi erat Iacob,vſque in Aegyptum, vix erant trecenta milliaria: & frequentiſſimè ex Aegypto in terram Chanaam, & hinc in Aegyptum magna fiebat hominum commeatio & concurſus. Si quis dicat, Ioſeph oblitum fuiſſe ſuorum, quòd paruus admodum ab illis diſceſſiſſet; non verè hoc dicet,iam enim erat tunc ſexdecim annorum: & tantum abeſt vt ſuorum oblitus eſſet, vt cùm primùm vidit fratres ſuos, ſtatim eos agnouerit. Nec dici poteſt, non habuiſſe eum facultatem vel opportunitatem mittendi ad patrem ſuum:nam vt non habuerit,dum fuit ſeruus; at per illos nouem annos, quibus ſummo honore & poteſtate regebat Aegyptum, non habuiſſe eum facultatem iſtam, nimis abſurdum eſt dicere:ſed occulto iudicio hoc Dominus fieri nõ permiſit, in tantum vt nec tunc ſe manifeſtaret fratribus ſuis,quando ad emendum triticum venerant ad ipſum: quinimmò duriſſimè ei loquens, & fratrem eorum in vinculis tenens, ad patrem ſuum eos cum ingenti dolore redire iuſſit. Attendite adhuc maius aliud miraculum: videte quemadmodum Ioſeph,qui patrem ſuum nouerat pro ſe intolerabilem amaritudinem ſuſtinere, adhuc & Beniamin ei fecit auferri, quo vtique facto nouerat eum multiplicem paſſurum eſſe dolorem.

Hæc ego ſine Spiritus Sancti diſpenſatione facta eſſe non credo. Deus enim,cuius iudicia plerumque ſunt occulta, nunquam tamẽ iniuſta; qui beato Iacob noluit indicare filium ſuum viuere; ille etiam Sanctum Ioſeph non permiſit vt ei ſuam gloriam nunciaret,quinimmò impulit, vt Simeonem in vinculis tenendo, & Beniamin auferendo patris ſui angustias cumularet. Hæc,fratres chariſſimi, ſi fideliter attendamus, cum grandi miſericordia Deum feciſſe agnoſcemus. Ab initio enim mundi hoc Deus in Sanctis ſuis exercuit, quod in beato Iacob magna cum pietate compleuit. Quamuis enim ſerui & amici Dei capitalia crimina vitauerint, & multa opera bona fecerint, tamen ſine minutis peccatis eos fuiſſe non credimus:quia non eſt mentitus ille,qui dixit: Non eſt immunis à peccato,nec infans,cuius eſt vnius diei vita ſuper terram: Et B. Ioannes Euangeliſta, qui meritis non fuit vtique inferior Sancto Iacob,clamat:Si dixerimus, quia peccatum nõ habemus, ipſi

Ab initio vſque mundi conſueuiſſe Deum ſeruos ſuos per varias tribulationes à peccatis purgare Iob. 25.

Secundùm tranſlationem 70. Interpetum.

ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. *Et alibi scriptum est*, Iustus septies cadit & resurgit. *Quoniam igitur sine istis minutis peccatis Iacob esse non potuit, volens Deus illa parua peccata, in hoc seculo, igne tribulationis consumere: impleuit in eo quod ipse per spiritum Sanctum dixerat:* Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis: *Et illud*: Flagellat Deus omnem filium, quem recipit: *Et illud*: Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. *Vt ergo sanctum Iacob Deus noster, velut aurum purgatum, in futuro iudicio præsentaret, priùs ab illo omnes maculas peccatorum abstersit, vt in eo ignis ille arbiter, quod exureret, inuenire non posset. Hæc B. Augustinus.* 1. Ioan 1. Prou. 24. Eccles. 27. Ad Heb. 12. Act. 14.

3 *Theodoretus verò aliam eiusdem quæstionis solutionem tradit, aliámque causam reddit. Ait prædixisse Deum Abrahæ, posteros eius peregrinaturos in terra aliena, atque ibi durissima seruitute afflictàtum iri: id verò eis contigit in Aegypto. Hoc Dei prædictum non esse completum, si Iacob sciuisset filium suum Ioseph viuere, & seruum esse in Aegypto: statim enim quantolibet pretio curasset eum redimi, & quamprimùm ad se reduci. Quocirca nulla tunc fuisset occasio ipsi & filijs eius transmigrandi in Aegyptum, & ibi posteris eorum eueniendi, quæ prædicta fuerant. Tandiu igitur voluit Deus statum Ioseph ignotum esse patri eius Iacob, quoad Ioseph summam apud Aegytios dignitatem & potentiam adeptus, patrem ad se cum omni familia accerseret: atque ibi eorum posteris mirandum in modum multiplicatis contingerent ea quæ diuino fuerant oraculo prænunciata. Verba Theodoreti hæc sunt: Cur tanto tempore nec Ioseph certiorem fecit patrem de seruitute sua, neque Deus id per reuelationem patefecit Iacob? Quoniam Deus secundùm quod Abrahæ prædictum erat, denuntiauerat ipsi Iacob descensurum ipsum in Aegyptum vnà cum filijs & nepotibus: qui si sciuisset quæ acciderant Ioseph, indubiè, misso redemptionis pretio, eum reduxisset. Hac de causa Deus non magnoperè curauit quòd Iacob valdè lugeret, quo videlicèt dispensationem suam adimpleret, atque ipsum Iacob eiúsque posteros, in iucundiore vitæ ratione postea constitueret: Nam & ipse Ioseph istam Dei dispensationẽ docuit fratres suos, dicens* Genes. 45. Vt viueretis misit me Deus ante vos. *Quod etiam Dauid cecinit psalmo 104.* Et vocauit, *inquit*, famem super terram, & omne firmamentum panis contriuit. Misit ante eos virum, in seruum venundatus est Ioseph, *&c. Atqui si Iacob seruitutem Ioseph nouisset, illum vtique redemisset: redemptus* Theodore. Genes. 25.

autem carcerem nunquam intrasset, atque ita minimè interpretatus esset seruorũ Pharaonis somnia: hæc autem nisi esset interpretatus, minimè innotuisset Pharaon: incognitus Pharaoni per somnia prophetiam non aperuisset: hoc autem non facto, regimen Aegypti non esset consecutus: quod nisi accepisset, minimè patrem suum cum tota familia duxisset in Aegyptum. Ergo à postremo euentu dispensationis diuinæ declaratur intentio. Sic Theodoretus.

Auctoris sententia.

Equidem non dissimulabo Lectori super hac re opinionem meam. Fit mihi quidem admodum verisimile, Deum per singularem aliquam reuelationem indicasse sancto Ioseph quod ipse fieri super ea re constituisset, & quemadmodum vellet vt Ioseph gereret se erga patrem & fratres suos. Prædixit enim fore, vt fratres eius, cogente fame, emendi frumenti gratiâ ad ipsum adirent; iussitque vt eos aliquantisper durè & asperè tractaret: quò videlicet per huiusmodi vexationem in veram criminis à se contra ipsum admissi æstimationem ac pœnitentiam adducerentur. Deinde verò vt se illis manifestans, patrem cum omni familia in Aegyptum accerseret: vbi & ipsi, eorúmque posteri longo tempore tranquillè ac prosperè mansuri erant. Ioseph igitur quæ in patrem, & fratres suos egit, ea, ipsum antecà inspiratum à Deo, doctúmque atque incitatum fecisse reor.

Thomas Anglicus.

Hanc meam opinionem reperi postea ante ducentos annos placuisse Thomæ Anglico, & ab eo proditam esse in breuibus illis suis Commentarijs in Genes. super hoc ipsum caput, hisce verbis: Vt plenius aduertas, Ioseph & in his & in alijs diuinitus esse motũ; nota inter cætera, valdè esse mirabile in illis viginti tribus annis, quibus in Aegypto fuit inscio patre, nunquam per litteras, vel per nuncios aliquid de se patri significasse, etiam postquam per nouem annos fuerat à Pharaone sublimatus super totam terram Aegypti; cum tamen non ignoraret quanto in mœrore pater eius propter ipsum versaretur. Ex quo patet expectasse Ioseph tempus ordinatum à Deo quo reuelaturus erat se ipsum: nam per spiritum prophetiæ sciebat se missum esse illuc pro salute suorum. Sic ille.

***

PRIMA

PRIMA DISPVTATIO.

Cur Ioseph toties fratres suos tum verbis, tum factis durè atque asperè tractauerit.

Super illis verbis,

Dúmque adorassent eum fratres sui, & agnouisset eos, quasi ad alienos duriùs loquebatur. VERS. 7.

4 HVIVS tantæ in fratres suos asperitatis Ioseph, duas causas affert S. Augustinus. Primò quidem in Sermone 82. de Tempore, huiusmodi causam reddit: Vt nimirum per huiusmodi afflictionem reducerētur in memoriam peccati sui, contra ipsum Ioseph tam impiè commissi, dignóque concepto dolore, eius, vti oportebat, pœnitentes, veniam à Deo deprecarentur. Quo factum est, vt postquam id cognouissent, ac verè doluissent, manifestauerit se illis, ingenti gaudio ac spe implens eorum animos. Sic autem scribit Augustinus: Cùm Ioseph sanctus vir esset, valdè affligit fratres suos, non quòd eos odisset, aut de illis vindictam sumere vellet: sed per huiusmodi tribulationem fatigatos, ad confessionem criminis, & ad medicamentum pœnitentiæ prouocaret. Denique cum ingenti dolore dixerunt illi, se meritò pati illa, quia peccassent in fratrem suum, videntes angustiam animæ eius. Et quia sciebat B. Ioseph, quòd fratribus suis parricidij crimen sine grandi pœnitentia indulgeri non posset; & semel, & secundò, & tertiò illos medicabili tribulatione, tanquam spiritali quodam igne decoxit: non vt se vindicaret, sed vt illos corrigeret, & de tam graui crimine liberaret. Denique priusquam peccatum suum confiterentur, & crimen quod admiserant, mutua inter se castigatione cōsumerent, nec agnoscendum eis se dedit, nec pacis osculum eis indulsit. Cùm verò illos pro peccato quod in ipsum admiserant, humiliter videret afflictos, deosculatus est singulos, & per singulos fleuit: & pauentium colla pio oculorū rore perfundens, odium fratrum charitatis lacrymis abluebat. Quod ergo Ioseph erga fratres exercuit, hoc etiam nos in illis qui contra nos peccauerunt, debemus implere, vt nō ipsos, sed peccata eorum studeamus odisse: & ita velimus secundùm culpæ merita durissima castigatione eos corripere, vt simul eos studeamus in veritate diligere. Hæc enim si facimus, fratres charissimi, implebitur in nobis illud quod scriptum est: *Inuicem onera vestra portate, & sic adimplebitis Legem Christi.* Sic ibi Augustinus. *S. August.* *Ad Ga. 6.*

Idem porrò in quæst. 146. in Genesim, aliam eiusdem rei causam affert: hanc nempe, voluisse Ioseph differēdo manifestationem sui, & eos aliquandiu affligendo, plenius atque exuberantius facere gaudium, quo ipso mox cognito, eiúsque benignitatem ac munificentiā experti,

cumulandi erant. Hæc sunt verba B. Augustini: Non negligenter considerandã puto tantam miseriam in hac perturbatione fratrum Ioseph: quos ille quamdiu voluit, terruit; & quanta voluit mora, protraxit: non eos vtique faciens calamitosos, quorum tantæ mox futuræ lætitiæ exitum cogitabat. Totum quippe hoc quod agebat vt coram gaudiũ differretur, ob hoc agebat vt eadem dilatione cumularetur, tanquam non essent condignæ passiones eorũ in toto illo tempore quo turbabantur, ad futuram gloriã exultationis, quæ in eis erat reuelanda, fratre cognito, quem à se perditum fuisse arbitrabantur. Sic Augustinus.

Tertia causa cur Ioseph durè & asperè tractauerit fratres suos, huiusmodi fuit; vt hàc ratione de statu patris sui & fratris sui Beniamin ex eorum responsis certior fieri posset. Nam quia non vidit vnà cum ipsis venisse Beniamin, veritus est ne fortè vel occidissent ipsum, vel vendidissent similiter vt in se fecerant: nouerat enim inuidum eorum ingenium, & præ inuidia malignũ & æquum. Quocirca non antè destitit eos affligere, quàm ad ipsum perduxissent Beniamin. Atque huius opinationis & coniecturæ auctorem laudare possum Iosephum in lib. 1. Antiquitatum ita scribentem; Decreuit Ioseph variè fratres suos tentare, quali mente essent præditi; nam & frumẽti emendi potestatem eis negauit, & pro speculatoribus cõprehendi iussit. Dicebat. n. cõuenisse eos è diuersis regionibus, quãuis mutuã simularẽt cognationẽ. nam quî fieri posset, vt vir vnus priuatus, tot & tam insignes filios nõ genuerit modò, sed tales educauerit, quæ fœlicitas vel regib. ipsis rarò cõtingeret? Id verò faciebat ille, vt de patre suo cognosceret, quóve in statu, per suã absentiam, res eius interim fuerint, præsertim verò quid de fratre suo Beniamin esset factum: sollicitus enim erat, ne fortè & ipsum quemadmodum & se perdere voluerant, de medio sustulissent. Sic Iosephus.

Iosephus.

Chrysostom Theodoretus.

Hanc eandem causam redddit Chrysost. in Hom. 64. in Genesim, & ab eo mutatus etiam Theodoret. in quæst. 100. in Genesim, hæc scribens: Cur statim visis fratribus se duriorem præbuit? Memor Ioseph eorum quæ in ipsum commiserant, cùm nõ videret Beniamin vnà cum ipsis venisse; suspicatus est tale quippiam etiam in illum eos perpetrasse. At vbi cognouit illum superesse, tum veniâ, tum omnimoda subuentione illos excepit. Ita Theodoretus. Horum quoque insistentes vestigijs Lyranus & Thostatus idem tradiderunt.

Lyranus. Thostatus.

Sed absolutissimè omnium (Scholastica licèt orationis breuitate ac simplicitate) super hac re disputat Thomas Anglicus. Nam breuiter cõmemorans causas ab Augustino traditas, & à nobis paulò antè expositas, alias præterea ipse de suo addit, ad hunc fermè modum scribens: Multiplex ratio potest reddi, cur Ioseph non statim se manifestauerit fratribus suis, immò eos, quasi alienos, & tanquam exploratores durè tractauerit. quarum duas priores tradit Augustinus. Prima causa fuit, ad condignam quandam punitionem & purgationem criminis eorum contra se commissi. Secunda fuit, vt ex longa suspensione ac dilatione reuelationis suæ, per huiusmodi duritiem vehementiùs occulta, ipsa

dein

deinde reuelatio pleniori gaudio cumularetur. Tertia fuit, vt beati Ioseph somnia, & sapientia, & super fratres suos magnificentia ab ipso prædicta, & ab illis derisa, & quantum in ipsis fuerat, extincta, pleniùs magnificaretur in illis & super illos: ob id fecit eos coram se incuruari, & contremiscere, & pro libito incarcerari: & quadam profunditate sapientiæ circumduxit eos quasi stultos, & malitiosos. Hoc autem voluit eis facere ad tempus breue, donec opportunè reuelaretur eis: interea enim eo ipso quod ille agebat, potentiam & sapientiam eius magis ac magis admirabantur & timebant, & de peccato suo præterito dolere ac pœnitere compellebantur.

Ioseph porrò in his omnibus, aliisq; memoratis in hac historia Mosis, diuinitus agebatur, & regebatur. Ob hanc enim causam, per viginti tres annos, quibus in Aegypto fuit inscio patre, nunquam per litteras, vel per nuncios aliquid de se patri significauit. Nimirum expectabat ille tempus ad id faciendum à Deo ordinatum: siquidem per spiritum prophetiæ sciebat se illuc missum esse pro salute patris sui: quâuis etiã illa sui occultatio non fuit absque ratione. Per hoc quippe consuluit modestiæ ac reuerentiæ fratrum suorum, nolens eorũ inuidiam, & malitiam, & crimen contra se cõmissum prodere in publicũ. Deinde placauit eorũ inuidiã, & cohibuit malitiã, qua fortasse potuissent instigari ad machinandũ aliquid cõtra vitã eius, si sciuissent illum viuere in magna prosperitate & gloria. Tertiò prouidit sapienter tempus idoneum honorificę ac salubris reuelationis sui; tẽpus videlicet in quo fratres sui necessitate pressi compellerentur venire ad ipsum. Longinquitas etiam tacitæ occultationis reddidit pleniorem & admirabiliorẽ gloriam reuelationis eius; ita vt ex hoc liquidò notesceret & venditionem eius, & exaltationem à Deo fuisse ordinatas. Præter hoc autem in his latebant multa futurorum mysteria. Hactenus ex Thoma Anglico.

7 Rupertus hoc exemplo Ioseph fratres suos asperè tractantis, quo in sui criminis cognitionem & detestationem venirent, docet Principes Christianos quemadmodũ & ipsi Iudæos suo imperio subiectos tractare debeãt: non quidẽ eos occidendo, sed durè tractando, & vexando, si fortè talis vexatio det illis intellectũ suæ cæcitatis, & parricidij Maiorum suorũ, quo tanta impietate ac crudelitate Dominũ occiderunt: atque ea ratione resipiscãt, & conuertantur ad Dominum. Ruperti verba sunt huiusmodi: Hoc exemplo, hodiéque dignũ est vti Principes Christianos erga fratres Christi Iudæos. Id autem est, non occidere eos, auctoritate Spiritus Sancti per Psalmistam ex persona Christi protestãte sic, *Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, ne quãdo obliuiscantur populi mei: sed disperge illos in virtute tua.* Non ergo illos occidere debent, sed ad cognitionem sui reatus hoc exemplo Ioseph reuocare. Nam vt illi tunc adorauerunt Principem Aegypti, nescientes esse Ioseph quem vendiderãt: sic hodie Iudæi Christianis Principib. subiecti sunt, nescientes hoc modo se esse subiectos pedibus Christi, quem negantes patres eorũ crucifixerunt. Ergo sicut Ioseph illos in vltionẽ sui non

Quemadmodum exemplo Ioseph, Christiani Principes tractare debeant Iudæos sibi subiectos, ex sententia Ruperti. Rupertus lib 9 Cõment. in Genesim cap. 4. Locus psalm. 58.

non occîdit, sed pia tortura ad pœnitentiam compulit, vt dicerent: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum:* Sic & hodie Christianos Principes non decet, vt captiuos, vinctósque Christi Iudæos occidant; sed vt multùm ad pœnitentiam compellant. Quod fructuosè, simúlque salubriter interdum à Sanctis Patribus actum est, scilicet vt patrimoniorum suorum rusticos Iudæos ad Christum venire minimè cõsentientes, tanto pensionis onere grauarent, vt ex ipsa actionis suæ pœna compellerentur ad fidem festinare: & è contrario, perductis iam ad Christi gratiam, pensionis onera protinus releuarent: quia etsi ipsi minùs fideliter veniunt, hi tamen, qui de eis nati fuerint, iam fideliùs baptizantur. Aut ipsos ergo, inquiunt, aut filios eorum salubriter lucrabuntur. Sic Rupertus.

Quid causæ fuerit, cur Ioseph non sit agnitus à fratribus suis.

Sed quî fieri potuit, vt Ioseph agnosceret statim fratres suos: ipsi 8
verò toties cum eo sermocinantes non eum agnouerint? Id enim Scriptura dicit hoc loco: *Et tamen fratres ipse cognoscens, non est cognitus eb ab eis.* Respondeo, causam fuisse, quòd Ioseph tunc valdè mutatus erat ab eo qui fuerat, cùm est venditus à fratribus. Mutatus quippe fuerat quinque modis: primùm statura; tunc enim cùm puer esset sexdecim annorum, erat paruæ staturæ: nunc autem grandi & procera statura erat, annum vtique nonum & trigesimum iam agens. Tum facie; tunc enim fuerat imberbis, nunc autem barbatus erat. Præterea vestitu, & ornatu: tunc enim puerili habitu, & more Hebraico, vel Chananæo vtebatur: nunc vestitu & ornatu Aegyptiaco, eóque principali, qualis decebat totius Aegypti Præfectum ac Principem. Adhæc voce: tunc enim puerili fuerat voce tenui & acuta; nunc verò virili & graui, tum ob ætatem, tum ob dignitatis & maiestatis suæ decentiam. Postremò, lingua & sermone: tunc enim Hebraico sermone vtebatur, nunc autem Aegyptiaco: immò dissimulabat ignorantiam linguæ Hebraicæ, loquens per Interpretem cum fratribus suis. Ob has igitur quinque causas Ioseph non est agnitus à fratribus. Quibus illud etiam potest adiici, nunquam venire potuisse in mentem fratribus Ioseph, eum quem ipsi vendiderant & seruum fecerant, in tantam fuisse elatum gloriam & potentiam & magnificentiam, quanta præditum cernebant eum qui loquebatur ipsis.

Ioseph porrò facilè potuit agnoscere fratres suos, quòd in illis, partim nulla, partim exigua, neque notabilis facta esset mutatio. In habitu enim ac vestitu, in sermone item nulla erat facta mutatio: in statura verò & facie & voce perexigua mutatio facta: siquidem cùm Ioseph ab illis discessit, iam erant grandes ætate ac statura, & barbati. Ruben quippè non minor tunc erat vigesimo tertio anno. Accessit eôdem, quòd Ioseph videns omnes fratres simul, facillimè potuit eos agnoscere, ex vno & altero in aliorum notitiam deueniens: si autem vnum quemlibet illorum seorsum vidisset, fortasse non tam facilè eum agnouisset.

EXPLO

Exploratores estis, vt videatis infirmiora terræ venistis. VERS. 10.

9 QVODNAM munus sit exploratorum, atq; vt id ritè obeant, quid facere eos oporteat, exactè describitur in lib. Numer. cap. 13. vbi narratur, quemadmodum Moses miserit duodecim viros ad explorandam terram Chanaam. Quæ autem ip sis circa terram illam speculanda, & obseruanda essent, huiuscemodi verbis docuit eos Moses; *Ascẽdite*, inquit, *per meridianam plagam, cúmq; veneritis ad montes, considerate terram qualis sit, & populum, qui habitator est eius, vtrum fortis sit, an infirmus: pauci numero, an plures: ipsa terra bona, an mala, vrbes quales, muratæ ne an sine muris: humus pinguis an sterilis; nemorosa, an absque arboribus. Confortamini, & afferte nobis de fructibus terræ.* Hæc Moses mandauit exploratoribus. Crimen autem exploratoris & speculatoris in regione aliena graue admodum ducitur, & odiosum, & supplicio vindicandum. *Quod sit munus exploratorum hostilis terræ.*

10 Verùm quid est illud: *Vt videatis infirmiora terræ*: quidam illud *infirmiora terræ* interpretantur populum & vulgus, quod in Ægypto satis imbelle & infirmum erat, & cùm Nili inundatio teneret omnia, otiosum ac desidiosum: remissis enim operibus rusticis, epulis ac voluptatibus toto pectore indulgebat, vt scribit Diodorus Siculus. Imbelliam verò & ignauiam populi Aegyptiaci, testatur Photinus apud Lucanum lib. 8. cùm absentem Pompeium sic furibundus affatur: *Lucanus.*

Quæ te nostri fiducia regni
Huc agit infelix? populum non cernis inermem,
Aruaq; vix refugo fodientem mollia Nilo?

Ioseph itaque calumniam hanc intendit fratribus suis, insimulans eos, quasi exploratum venissent socordiam & ignauiam gentis Aegyptiacæ, quo eam traducerent in Syria, aliásq; apud gentes, non parum ea ratione incitando eas ad inuadendum & debellandum Aegyptios. Alij per *infirmiora terræ* significari & intelligi volunt patentes in Aegyptum aditus, & faciles introitus: quà videlicèt ab externis facilè inuadi & expugnari posset. Quanquam, vix aliam terrarum inuenire est, quæ hac ratione ita munita & impenetrabilis sit, vt Aegyptus. Pompeius à Cæsare victus, Lentulo Consule suadente, in Aegyptum se potissimùm contulit, maiorem ibi, quàm vspiam alibi securitatem sperans. Sic enim loquentem facit Lentulum lib. 8. Lucanus: *Quàm sit Aegyptus inaccessa, & vndique munita.*

Syrtibus hinc Libycis tuta est Aegyptus: at inde
Gurgite septeno rapidus mare submouet amnis.

Iosephus lib. 4. de Bello Iudaico, quàm sit vndique munita & tuta Aegyptus, his verbis ostendit: Est Aegyptus, continenti inaccessa, & à mari importuosa. Ab occidente obiacent Libyæ arida: à meridie Syene est, quæ Aegyptum ab Aethiopia dirimit, & Nili cataractæ. Ab oriente ad Rubrum mare vsque pertingit. Boreale latus quod est Syria, vocatur pelagus Aegyptium, quod omne importuosum est. Aegyptus itaque omnis sic vndique vallata, & munita est. Hæc Iosephus. *Iosephus.*

Sed germana videtur & propria expositio *per infirmiora terræ*, interpretari loca immunita atq; intuta, quæ facilè ab hostibus inuadi, & expugnari, & capi possent. Latinus certè Interpretes in hoc ipso cap. paulò infrà, quæ hîc dixerat *infirmiores terræ*, appellauit *immunita terræ*, lxx. Interpr. multo secus reddiderunt hunc locũ, appellantes vestigia terræ; cuius lectionis hic posset esse sensus: Exploratũ veniſtis per quæ vestigia, vel loca, vel vias facilè intrari possit in Ægyptũ. Verbum Hebræũ, quod Latinus Interpres vertit *infirmiora*, vel *immunita*, significat nuditatẽ, vacuitatem, deformitatẽ terræ. Ex quo sequitur necessariò ipsam esse infirmam & immunitam. Paraphrasis Chaldaica habet *rupturam terræ*, quo significatur terra inermis & immunita, & ad quam facilis hosti pateat aditus, faciléque sit expugnabilis.

SECVNDA DISPVTATIO.

An Ioseph mendacio peccauerit, dicens fratribus suis illa verba, Exploratores estis.

An excusari à mendacio possit Ioseph, cum dixit fratres suos, exploratores esse.

QVAERITVR an Ioseph mentitus sit, vocans fratres suos Exploratores. videtur autem mendacium dixisse, & verò pernicioſum: sciebat enim Ioseph falsum esse quod dicebat, ídque contra sensum animi sui loquebatur. Et vocans fratres suos exploratores, pessimi eos criminis insimulabat, atque infamabat, & quasi obnoxios supplicio arguebat; quod non ad officioſum vel iocoſum, sed pernicioſum mendacium pertinebat. Nos igitur ostendamus quid super hac quæstione arbitrati sint Doctores. 11

Qui authores dixerint Ioseph esse mentitum.

Duas ego super hac re opiniones reperio. Vna est sententia quorundam, qui non dubitant dicere, Ioseph esse mentitum mendacio iocoso & ideo peccasse venialiter. Non enim est necesse ab omni mẽdacio excusare Ioseph; cum nec ipsos quidem Apostolos, multo vtique sanctiores quàm Patres veteris Testamenti ab omni peccato etiam veniali excusare sit necesse, verè confitente dilecto Iesu discipulo: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*: Atq; hęc est opinio Lyrani & Thostati in huius loci Genes. expositione.

1. Ioannis.

Sed duo possunt contrà obiici. Primùm enim videtur fuisse mendacium pernicioſum, pertinẽs scilicet ad infamiam fratrum, & ad supplicium eorum. Verùm non ita res habet. Nam Ioseph sciebat nullam ex eo venturam infamiam, aut calamitatem fratribus suis: cùm mox ipse manifestaturus esset veritatem. Deinde potest obiici, nõ fuisse simplex mendacium, sed fuisse periurium, quod omne, est peccatum mortale: firmatum enim est illud mendacium iureiurando per salutem Pharaonis dicto. At enim, secus res est. Nam illud iusiurãdum non est factum ad confirmandum illos esse exploratores, sed ad illud; *Nisi adduxeritis fratrem*

fratrem vestrũ minimum, vt probẽtur quæ dixistis vera esse, Exploratores estis. Id est, habebimini tãquã exploratores; vel potius refertur ad illud: *Non egrediemini hinc omnes, donec veniat frater vester minimus.* Sic enim habent verba Scripturæ: *Iam nunc experimentum vestri capiam: per salutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat huc frater vester minimus.*

Variæ expositiones, quo modo Ioseph illa verba dicens, non sit mentitus.

12 Altera est opinio multorum, & est fermè communis sentẽtia, Ioseph cùm illa verba dixit, non esse mentitum: quemadmodũ autem illa verba non continent mendacium, variè exponitur. Prima expositio est Rabbi Salomonis, qui ait Ioseph non esse mentitum, sed vsum esse ambigua locutione, quam ipse secũdùm vnum verum sensum proferebat; fratres autem eius, & qui audiebant, secundùm alium sensum longè diuersum eam intelligebant, Ioseph enim vocans eos exploratores, apud se intelligebat, eos inquisiuisse diligenter & explorasse breuiorem, & tutiorem, atque commodiorem viam, qua ex terra Chanaan irent in Aegyptum ad emendum frumentum: Atque hoc sensu vocabulum illud Exploratoris, nihil habebat calumniæ, aut infamiæ, & veram, reddebat sententiam. At verò illi, nomen exploratoris acceperunt propriè, vt erat in communi loquendi vsu, pro eo qui hostili animo it exploratum atque speculatum terram alienam. Sic iste Rabbinus: quem sanè Lyranus & Thostatus meritò refellunt. Istam enim expositionem apertè verba quæ adiunxit Ioseph, excludunt, dicens: *exploratores estis, vt videatis infirmiora terræ, venistis*: & paulò pòst: *Aliter est: Immunita terræ huius considerare venistis.* Ecce, propriè accepit Ioseph nomen *exploratoris*, in malam vtique partem. Adiice, quòd hoc dixit Ioseph durè loquens cum fratribus, & asperè tractans eos, volénsque aliquantisper eos affligere: ad hoc autem nihil faciebat si per exploratores, intellexissent inquisitores bonæ viæ ex Chananitide in Aegyptum.

Lyranus. Thostatus.

Secunda expositio.

13 Secunda expositio eorũ est, qui illud *Exploratores estis* interpretantur, habebimini, & vulgo existimabimini: quæ eius verbis vsurpatio non est in sacris litteris inusitata: in libro enim 3. Reg. cap. 18. Helias dixit; *Qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus*, id est, habeatur & credatur Deus. Hæc expositio sumpta est ex B. August. in libro Quæstionum in Genesim, quæst. 139. quam tradunt etiam S. Bonauẽtura in tertio Sententiarum, & Thomas Anglicus in Comment. huius loci.

Augustin. S. Bonauent.

Tertia expositio Gratiani.

Tertia expositio est Gratiani 22. q. 2. c. *Quod autem*, qui eo Ioseph excusat à mendacio, quòd ait eum sic locutum esse non seriò, sed per iocum, vel iocosam simulationem, ob idque non habendum esse pro mendacio. Hæc autem Gratiani expositio ex B. Augustino exprompta est: qui in Quæst. 145. simile aliud dictum sancti Ioseph hac ratione vindicat à mẽdacio, quia non seriò, sed ioco dictum ab eo fuerit. Mendacia enim, inquit, à mendacibus seriò dicuntur, non ioco. Cùm autem quæ non sunt, tanquam ioco dicuntur, non reputantur mendacia.

Augustin.

Quarta expositio S. Bonauent.

Quarta expositio traditur etiam à B. Bonauẽtura in 3. Sent. Dist. 38. aiente, quãuis illa verba Ioseph speciẽ habeãt affirmandi & asseuerãdi; verè tamẽ nõ fuisse asseuerãdo dicta ab eo, sed quasi tentando, & inqui-

rendo:ad eum videlicet modum, quo facere ſolent iudices. In iudiciis enim enunciationes loco interrogationum vſurpantur : interrogantes autem non mentiuntur : nihil enim cenſentur aſſerere,ſed vt veritatem eliciant,pertentare. Ad hanc item expoſitionem adhæſit Thomas Anglicus,ita ſcribens reſpondendo ad præſentem quæſtionem: Poteſt dici quod Ioſeph in his & conſimilibus non loquitur aſſertiuè, ſed ſolùm tentatiuè & probatiuè:vt ſub tali modo tentatiuo occaſiones accipiat capiendi eos,& veniendi ad eorum ſecreta, quaſi ad ſibi ignota. Talis verò modus loquendi, poteſt aliquando ex rationabili cauſa aſſumi à Sapiente, & præcipuè à Iudice, potiſſimùm autem à viro prophetico, qualis vtique Ioſeph erat. Sic ille.

Thomas Anglicus.

Quinta expoſitio Ruperti.

Quinta expoſitio eſt Auperti,qui ait Ioſeph dixiſſe iſta verba figuratè & impropriè,& per abuſum aliarum vocum pro aliis, finitimarum tamen,& quantũ ad ſignificationem,aliquo modo conſimilium. Nam vocauit eos exploratores,ſignificare volẽs fures.Dixit etiam,velle eos videre infirma & immunita terræ, ſignificare volens peccatum eorum contra ſe admiſſum:quippe qui vidẽtes eum puerum infirmum, omníque humano deſtitutum præſidio,dixerũt:*Venite, occidamus eum*,ad hoc reſpectu & fiduciâ infirmitatis eius adducti.Ponam hîc Ruperti verba ex cap.3.lib.9.Commentariorum eius in Geneſim.Sic autem ille ſcribit : Ioſeph in agnoſcendis fratribus ſuis , imaginem geſſit viri iuſti ſimul & manſueti, ac per hoc figuram Filij Dei, qui in Cantico Epithalamij dicitur:*Intende proſpere,procede,& regna,propter veritatem,& manſuetudinem,& iuſtitiam.* Iuſtitiæ namque , & conuenientis fuit ſeueritatis,quòd peccatores fratres ſuos tandiu Ioſeph flagellauit, & corripuit verborum ſuorum ſtimulis;clauíſque acutis tandem cõfixi,donec peccatum ſuum cognoſcerent,& dicerent:*Meritò hæc patimur,quia peccauimus in fratrem noſtrum.* Et crimen quidem eorum ſatis vicino,licèt non proprio nomine ſignificauit,dicens:*Exploratores eſtis*,pro eo vt diceret, *Fures eſtis*:Nam fecerant furtum,immò ſacrilegium,ſancto Patri filium vnicè dilectum furati,& alienigenis vendentes.Proinde cùm enarrantes progeniem ſuam dixiſſent:*Minimus filius,cum patre noſtro eſt,& alius non eſt ſuper:* Continuò Ioſeph adiecit: *Hoc eſt*, inquit, *quod locutus ſum: Exploratores eſtis.* Ex eo enim quod dicitis vnum illum filium non ſupereſſe,apparet vos exploratores,id eſt, fures fuiſſe. Notanda porrò eſt loquentis Ioſeph calliditas & prudentia : cùm enim dixiſſet:*Exploratores eſtis* , continuò verbum commutauit:non enim dixit,vt exploretis, ſed,*Vt videatis infirma terræ,veniſtis.* Infirmitatem namque terræ videre venerant, ſcilicet quòd non adeo infirma eſſet etiam tempore famis, quin ipſa ſuo præſidio aliis terris ſubuenire poſſet. Aliâs autem & verè,quando Ioſeph patris ſui præſentiâ,cunctiſq; arbitris deſtitutum videntes dixerunt:*Venite , occidamus eum* : Immunita terræ conſideraverunt & inſpexerunt : Proinde reducto in ſe digitulo, ſine mendacio dicere potuit Ioſeph:*Immunita terræ huius conſiderare veniſtis.* 14

Veritati igitur & iuſtitiæ aſſignãdum eſt quod quaſi ad alienos durè

Ioſeph

Ioseph & asperè locutus est fratribus suis. Porrò mansuetudinis eius opera quis explicare possit? Inter illa ipsa seueritatis eius acta, & dicta fleuit; & tandem cuncta quæ potuit bona pro malis reddidit. Nō ignorabat rem fore difficilem, vt fratrem suū minimum abstraherēt à patre, & ad se adducerēt: immò & ob eā ipsam causam id ab illis exigebat; vt ex rei difficultate laborantes, merita sua perpenderent, vt iam cœperāt, dicentes: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum:* qui & postmodum dicturi erant: *Deus inuenit iniquitatem seruorum suorum.* Nā sicut illi animam & corpus Ioseph cruciauerūt, scriptum enim est Psal. 104. *Humiliauerunt in compedibus pedes eius, & ferrum pertransiit animam eius:* Sic ipse pius tortor, & per triduum humiliauit in compedibus eorum pedes; & propter illum fratrem minimum, sicut sequentia declarant, ferro trāsuerberauit animas eorum: vsque dum pietate superatus reputaret iam diuino iudicio esse satisfactum. Nam nisi ad hoc tenderet, poterat vtique primo intuitu fratrem se fratribus suis ostendere. Hactenus ex Ruperto. Mihi prior sententia minimè displicet. Ex variis autem posterioris opinionis expositionibus tertia expositio præ ceteris probatur.

TERTIA DISPVTATIO.

An periurium cōtineant verba illa quæ dixit Ioseph fratribus suis: *Alioquin per salutem Pharaonis, Exploratores estis.* VERS. 16.

15 VIDETVR fuisse verum periurium: Quid enim est periuriū nisi falsum iusiurandum? Falsum autem erat, fratres Ioseph esse exploratores, id verò ille & dixit, & iureiurando, per salutem Pharaonis facto, firmauit. Nonnulli putant, nullum fuisse periurium. Tum quia nullum est iusiurandum in quo Dei contestatio non exprimitur, sicut hîc nulla Dei mentio facta est; tum quia Ioseph quasi per derisum & contemptum dixit illud *Per salutem Pharaonis*: Salus enim & vita Pharaonis, vt cuiuslibet mortalium, nullius est penè momenti, cùm sit res admodum fluxa, & caduca, & fragilis, & vt B. Iacobus dixit, sicut vapor ad modicum parens, & mox exterminandus. Quemadmodum igitur Socrates deierabat per anserem & canem & platanum; & Zeno per Capparim, in contumeliam scilicet, & derisum, & ludibrium Deorum, quos plerique colebant, vt interpretatur Tertullianus in Apologetico: ita Ioseph iurasse putandus est, per salutem Pharaonis, siue vt habet Hebraica & Chaldaica Scriptura, per vitam Pharaonis. Nam pro eo quod nos legimus: *Per salutem Pharaonis:* quemadmodum etiā habent lxx. Interpretes, illic est, *Viuit Pharao*: id est, Per vitam Pharaonis: sic enim solebant Aegyptij iurare, mutuati videlicet id ab Hebræis: quorum illa erat solennis iurandi formula, *Viuit Dominus:* Tradunt autem Hebræi, hodiéque

Hamersus in hunc locum Geneſis.

Iacob 5.

Mos iurandi Socratis.

Tertullianus.

moris esse in Aegypto, vt si quis iuret per caput Regis, & non præstet, morte plectatur, nec permitti, vt vel auro, vel vlla alia re vitam suam redimat.

Verùm istam opinionem dupliciter falsam esse, tum quâ dicit nullum esse iuramentum, nisi expressè per Dei cõtestationem factum, tum quâ addit illud *Per salutem Pharaonis* dixisse Ioseph non seriò, sed ioco, immò per irrisum, & contemptum, facilè probari potest. Nam contra hoc posterius facit eximia virtus sancti Ioseph, maximè verò grati animi officium quod debebat Pharaoni, à quo tanto fuerat honore & gloria ornatus, tantísque cumulatus beneficiis, ingratissimi fuisset igitur, & iniquissimi animi, tãti benefactoris sui salutem & vitam pro cõtemptu & ludibrio habere. Audi quid in hanc sententiam scribat B. Augustinus: Quid est quod Ioseph vir tam sapiens, nec solùm hominum, inter quos viuebat testimonio, sed ipsa etiam Scriptura teste laudatus, ita iurat per salutem Pharaonis, non exituros de Aegypto fratres suos, nisi frater eorum minimus venerit? An etiam bono & fideli seruo vilis fuerat salus Pharaonis, cui fidem, sicut primitus domino suo seruabat in omnibus? Quanto enim magis ipsi qui eum in tanto honore locauerat, si illi seruauit fidem qui eum seruum emptitium possidebat? Quod si non curabat Pharaonis salutem, nunquid & periurium pro cuiuslibet hominis salute vitare non debuit? Sic Augustinus. 16

S. Augst.

Genes. 39.

Posteriorem verò illius opinionis partẽ, qua dicitur nullius esse põderis iusiurandum quod expressam non habet diuini numinis contestationem, falsam esse ostẽdunt verba Domini nostri apud Matthæum cap. 5. quibus vetat ille iurare non solùm per Deum, verùm etiam per cœlum, per terram, per ciuitatem Hierusalem, aut per caput suum. Iusiurandum igitur, etiam per creaturas non solùm rationales, sed irrationales, prout aliquid diuini numinis relucet in ipsis, fieri potest. Verissima enim, maximéque obseruanda est doctrina, quam super ea re tradidit B. Thomas in 2.2. quæst. 89. art. 6. Docet enim duplicem esse modum iurandi, vnum quidem, per simplicem contestationem, quâ scilicet testimonium Dei inuocatur: alterum verò per execrationem, cui subiicitur creatura aliqua, vt in ea diuinum iudicium exerceatur. Et in priori quidem iurãdi modo principaliter inuocatur Dei testimonium: secundario verò etiam adhibentur aliquæ creaturæ non per se, sed ea ratione, vt in eis prima veritas manifestetur. Addit præterea S. Thomas, iusiurandum factum à Ioseph per salutem Pharaonis vtrouis prædictorum duorum modorum intelligi & accipi posse. 17

Egregia B. Thomæ doctrina de supplici modo iurandi.

Verba S. Thomæ huiusmodi fermè sunt: Duplex est iuramentum: vnum, quod fit per simplicem contestationem in quo testimonium Dei inuocatur. Et hoc innititur diuinæ veritati sicut & fides. Sicut autem fides per se quidem, & principaliter est de Deo, qui est ipsa veritas, secundariò autem de creaturis in quibus veritas Dei relucet: ita quoque iuramentum principaliter refertur ad Deum, cuius testimonium inuocatur: secundario autem assumuntur ad iuramentũ aliquæ creaturæ, nõ

secun

secundùm se, sed vt in eis diuina veritas manifestetur. Sic iuramus per Euangelium, id est, per Deum cuius veritas in Euangelio manifestatur: iuramus item per Sanctos qui hanc veritatèm crediderunt & obseruauerunt. Alter modus iurandi est per execrationem; in quo inducitur creatura aliqua, vt in qua diuinum iudicium exerceatur. Sic, quis iurat per caput suum, aut per filium suum, aut per aliud quidpiam sibi maximè dilectum. Sic Apostolus iurauit, 2. ad Corinth. 1. dicens: *Ego testem Deum inuoco in animā meam.* Quod autē Ioseph per salutem Pharaonis iurauit, vtroque modo intelligi potest; vel per modum execrationis, quasi salutem Pharaonis obligauerit Deo: vel per modū contestationis, quasi cōtestando veritatē diuinæ iustitię ad cuius executionē Principes terræ cōstituuntur. Hactenus ex B. Thoma. Cui similia Thomas Anglicus: Iurauit Ioseph, inquit, per salutem Pharaonis, tanquam in Pharaone venerans regiam potestatem ipsi à Deo datam: & tanquam per quēdam notabilem Dei effectum, qualis profectò erat Pharaonis vita & salus, quę vtique secundùm Deum erat sibi chara, & amabilis, & venerabilis. Hunc autem modum iurandi signanter assumpsit Ioseph, quò magis occultaret se ipsis, magísque terreret eos per auctoritatem & familiaritatem Pharaonis, quam, tali iuramento vtens, habere se demonstrabat. Sic ille.

18 Tradamus igitur veram propositæ quæstionis solutionem. Sciendū est, bis iurasse Ioseph per salutem Pharaonis, & ad duas res diuersas comprobandas. Primùm ita iurauit, affirmans eos non egressuros inde, nisi priùs adducerent fratrem suum minimum, de quo dixerāt: hæc sunt enim eius verba: *Per salutem Pharaonis non egredemini hinc, donec veniat huc frater vester minimus:* Et hoc iusiurandum seruatum est à Ioseph: non enim omnes tunc regressi sunt, sed vno eorum retento, cæteri dimissi sunt. Non enim dixit Ioseph, Nullus vestrum egredietur hinc; si enim id dixisset, non vtique iusiurandum fuisset completum: sed indefinitè dixit, *Non egrediemini hinc*: ad cuius sanè veritatem sententiæ, satis est non omnes esse regressos, sed vnum eorum remansisse. Ac primò quidem ostendit Ioseph velle se vnum tantùm eorū regredi, vt adduceret Beniamin, cæteris apud se retētis: sic enim dixit eis, *Mittite ex vobis vnum, & adducat eum, vos autem eritis in vinculis, donec probentur quæ dixistis, vtrum vera an falsa sint.* Postea tamen, quo se ostenderet cum illis clementer atque humaniter agere, satis esse sibi dixit, si vnus eorum remaneret, cæteris regredientibus. *Deum,* inquit, *timeo: si pacifici estis, frater vester vnus ligetur in carcere: vos autem abite, & ferte frumenta quæ emistis: & fratrem vestrum minimum ad me adducite, vt possim vestros probare sermones, & non moriemini.* Huiusmodi solutionem S. Augustinus in quæst. 139. in Genesim tradit hisce verbis: Annon est periurium? tenuit vnum eorum donec veniret Beniamin, & verum factum est quod dixerat: *Non exibitis hinc, nisi venerit frater vester.* Ad omnes quippe hic non potuit pertinere: quomodo enim ille venturus esset, nisi ad eum ducendum aliqui eorum rediissent? Sic ille.

Vera solutio propositæ quæstionis.

S. August.

Iterum

Iterum portò iurauit Ioseph per salutem Pharaonis, confirmare vo- 19
lens illos esse exploratores: non quidem absolutè, sed ea cõditione, nisi adduxissent fratrem suum minimum; vt hoc scilicet experimento probari posset eos vera dixisse. Hæc autẽ sunt verba Ioseph: *Mittite ex vobis vnum, & adducat eum, vos autem eritis in vinculis, donec probentur quæ dixistis, vtrum vera, an falsa sint: alioquin per salutem Pharaonis exploratores estis.* Sed qualis est ista consequentia & probatio, Si nõ dixistis vera de patre & fratre vestro minimo, ergo estis exploratores? Nam fieri poterat, vt & illi falsum dixissent, & nihilominus exploratores non essent. Verùm huius probationis vis in eo est: Si mendaces deprehendemini in his quæ dixistis de patre & vestro minimo fratre, meritò etiam profectò mendaces haberi debetis in eo, quod negatis vos esse exploratores: deprehensum enim mendacium vestrum vehemẽtem & admodum probabilem faciet suspicionem, & vt dicitur, præsumptionem, vos esse exploratores, & idcirco dignos esse pœna exploratorum.

S. August. Hanc quoque solutionem prodidit loco proximè citato S. Augustinus, affirmans illud, *Exploratores estis*, idem valere, atque, Meritò æstimabimini exploratores esse, & digni pœna exploratorum. Sic autem scribit: Quomodo hoc verum est, si non verum dicitis, exploratores estis: cùm etiam si mentiti essent, non tamen exploratores essent? Sed hoc est quod dixi ita dictum esse, *Exploratores estis*, quasi dixisset, Exploratorum pœna digni estis, hoc autẽ est, Exploratores deputabimini merito mẽdacij vestri. *Estis*, autem potuisse dici, pro habebimini, & deputabimini, innumeræ similes locutiones docent. Vnde est illa Eliæ, *Quicunque exaudierit in igne, ipse erit Deus.* Non enim tunc erit, sed tunc habebitur. Sic Augustinus. Similiter hunc nodum exsoluit Caietanus, ita scribens super hoc loco: In textu Hebræo non habetur: *Exploratores estis*, sed *Exploratores vos*, & subauditur, habebimini, scilicet ex vestro mendacio. Nam eo ipso quod obiectum illis fuerat esse eos exploratores, & ad talem obiectionem purgandam illi dixerant se habere fratrem minorem, si in hoc mentiti fuissent, reddidissent se suspectos quòd exploratores essent. Et sic verum iurauit Ioseph. Quod si nõ discerneretur per hoc veracitas eorum, haberentur ex proprio mendacio exploratores. Hæc Caietanus.

3. Reg. 18. Caietanus.

VERS. 17. Tradidit ergo illos custodiæ tribus diebus.

Cur Ioseph triduana custodia fratres afflixerit.

CVR tribus diebus, & non pluribus, vel paucioribus? Ly- 20
ranus & Thostatus huiusmodi quãdam reddunt rationem: Voluisse Ioseph peccata fratrum suorum condigna pœna quodammodo punire. Illi tripliciter aduersus Ioseph peccauerant, primum deliberata voluntatte eum occidendi, cùm dixerunt: *Venite occidamus eum.* Gen. 37. Deinde in cisternam eum deiiciendo, vt inibi fame, sitíque cruciabili admodum exitu periret. Adhæc cùm innocentem, & fratrem suum, quasi seruum sceleratum vendiderunt alie

alienigenis. Hoc igitur triplex eorum crimen triduana illa custodia & afflictione, puniri quodammodo, expiarique voluit Ioseph. Sic isti. Quid si, triduana illa carceris afflictione præfiguratum est salutiferum, & tripartitum Pœnitentiæ Sacramentum, in contritione, & confessione, & satisfactione consistens? Sunt qui putent ex hac trium dierum custodia, qua Ioseph fratres suos coërcuit, ductas esse tres illas causas & rationes, quas Philosophi in peccatis puniendis spectari, & obseruari præceperunt. Harum vna vocatur emendatio, cùm adhibetur pœna, castigandi & emendādi gratiâ: vt is qui deliquit attentior fiat in posterum, atque correctior. Altera nominatur Compensatio, vel satisfactio; cùm idcirco animaduertitur vt dignitati & auctoritati eius in quem est peccatum, satisfiat: ne prætermissa animaduersio contemptum eius pariat, & honorem eleuet. Tertia appellatur cautio vel exemplum: cùm punitur peccatum in cautionem & exemplum aliorum; vt cæteri à similibus peccatis, quæ prohiberi publicitus interest, metu cognitæ pœnæ deterreantur. Quocirca veteres exempla pro maximis & grauissimis pœnis dicebant. Verùm hac de re pleniùs disserit ex sententia Philosophorum. Gellius libro 6. capite 14.

Hamerus in hunc locũ Genesis.

A. Gellius.

21 Verùm quispiam fortasse quærat, cur Ioseph fratrem suum Ruben, qui peccati aliorum fratrum consors & particeps minimè fuerat, pariter cum alijs fratribus in custodiam includi, & affligi, & puniri iusserit. Nimirum ille non solùm nihil in Ioseph peccauerat, sed optimè de illo meritus fuerat: siquidem & obnixè restitit fratribus necare volẽtibus Ioseph: & cùm absente ipso atque inscio ab illis venditus esset Ioseph, grauissimè tulit, & vehementer indoluit. Quinetiam nunc, audiente ipso Ioseph, exprobrauit fratribus suis crimen admissum in Ioseph, & ab eo se reuocare eos voluisse ostendit illis verbis, quæ in hoc ipso capite commemorantur à Mose. Sic enim est: *Equibus vnus Ruben ait: Nunquid non dixi vobis, Nolite peccare in puerum, & non exaudistis me? en sanguis eius exquiritur.* Sed respondẽdum est, non potuisse Ioseph commodè aliter facere. Nam cùm Ruben esset in societate aliorum fratrum, si eum vnum Ioseph separasset à societate & participatione pœnæ aliorum; facilè indicasset se ipsum fratribus: ex eo namque in suspicionem venissent, ipsum esse Ioseph, de quo tam bene meritus fuerat Ruben. Ioseph porrò manifestationem sui longiùs differre volebat. Quòd si Ruben solus, & ab alijs fratribus seiunctus venisset ad Ioseph, haud dubiè illum Ioseph humaniter accepisset, benignéque tractasset.

Cur Ioseph fratrem suum Ruben & insontem & de se bene meritũ pariter cum alijs fratribus afflixerit.

22 Illud quoque vel admirationem, vel dubitationem Lectori afferre posset: Cùm vnus fratrum tanquam obses retinendus esset in Aegypto, cur Ioseph retineri iusserit Simeonem potiùs quàm Ruben qui erat primogenitus; vel Iudam, qui cęteris virtute, & auctoritate, & gratia antecellebat. Theodoretus ponit hanc quæstionem, quæ est inter Quæstiones eius in Genesim centesima secunda: Qua de causa, inquit, secundùm è fratribus, & non primogenitum recludi mandauit Ioseph? Respondet autem Quæstioni hunc in modum; Nouerat Ioseph animum ipsius Ruben, &

Cur Simeõ potiùs quã alius fratrum retentus fuerit à Iosepho in Aegypto. Theodore.

propè sciebat quanta defensione pro eo vsus esset apud fratres, & quantũ laborasset pro ipsius salute. Quia verò Simeon ipsi Ruben pro liberatione sui laboranti non adfuit, iure præcepit eum recludi. Nihilominus abeuntibus fratribus illum omni studio curauit. Sic Theodoretus. Ioseph itaque non retinuit Ruben, vel ob honorem, & reuerentiam primogenituræ; vel quia optimè fuerat de se meritus; vel ne eius retentio acerbior & cruciabilior esset patri suo. Nec retinui Iudam, tum quòd etiam ipse bene fuerat de se meritus; tum quia licet Iudas ob laudes, virtutésque corporis atque animi proprias ipsius præstabat cæteris fratribus; principatu tamé atque honore generationis & originis cedebat Simeoni. Retentus igitur est Simeon, quod secundùm Ruben, primus natu, ideóque honoratissimus esset fratrum.

Quanquam illa grauior, probabiliórque retinendi causa fuit (si vera tradunt Hebræi) quòd ipse inter fratres qui oderant Ioseph, & eum perdere voluerant, primas tenuit, vehementiórque ad id incitator & impulsor eorum fuit. In hanc certè opinionem propensior est Philo ita scribens in libro de Ioseph: Et fortasse maxima pars culpæ fuit in eo (Simeone) tanquam auctore nefariæ conspirationis; qui cohortem fratrum animauerit, & ad odium Ioseph incitauerit. Nam si fratri suo Ruben, bene, clementérque consulendi, (quo vno minor, cęteris erat grandior) suum adiunxisset suffragium, vix admissum fuisset facinus, præualente per consensum honore ætatis & ordine, præsertim verò in tanti momenti negotio. At ille maluit à meliore parte ad deteriorem deficere, & in duram & crudelem sententiam discedere: tanta sanè contentione, vt eius ductu, hortatúque sine mora perpetratum sit impium facinus. Hoc igitur est cur ei soli ex omnibus fratribus iniecta fuisse vincula existimo. Sic Philo. Verba Scripturæ, quibus retentio Simeonis memoratur: hæc sunt: *Tollénsque Simeon & ligans illis præsentibus*. &c. Est autem verisimile admodum quod dixit Theodoretus, Simeonem fuisse à Iosepho, post abscessum fratrum, humaniter & benignè tractatum: non tamen ei se ipsum indicauit Ioseph, expectans videlicet ad sui manifestationem, meliorem occasionem atque opportunitatem.

Philo.

***

QVARTA

QVARTA DISPVTATIO.

De admirabili quodam, maximéque salubri tribulationis effectu, qui est aperire, atque illuminare oculos animi: super illis verbis, quæ inter se grauiter dolentes dixerunt fratres Ioseph.

VERS. 22.

Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum: videntes angustias animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus: idcirco venit super nos ista tribulatio.

23

INTER complures alios salutares tribulationis effectus, atatque fructus, ille præcipuus est, quòd aperit & illuminat oculos animi, facítque multa tunc homines reminiscí, & aduertere, & intelligere quæ rebus prosperis, vel obliuioni tradita erant, vel non aduertebantur, vel pro nihilo ducebantur. Enimuerò prosperitas est sicut nimia pinguedo hebetans atque obscurans visum, vel est vt nimius lucis splendor præstringens aciem oculorum: est tanquam illud stercus hirundinis, quod Tobiæ oculos excæcauit. Ex aduerso autem vexatio dat intellectum, vt Isaias dixit cap. 28. *Quem enim docebit scientiam* (ait idem eodem in loco) *& quem intelligere faciet auditum? Ablactatum à lacte, auulsos ab vberibus.* Est tribulatio quasi ferrum, quod percutiens silicem humani cordis peccatis obdurati excudit ex eo atque elicit ignem, quo illuminetur & conualescat ad pœnitentiam: Est quasi lignum illud ab Elisæo proiectum in aquas Iordanis, ferrũ in profũdo aquarum demersum sursũ enatare faciẽs, ideſt, ex profũdo peccatorum hominem extrahens ad aspectum lucis, hoc est, cognitionẽ sui, & Dei. Est tanquam lutum illud, quo Dominus vnxit oculos cæci, vt videret. Est velut collyrium illud, de quo dixit Ioannes Apocalypsis 3. *Collyrio inunge oculos tuos, vt videas.* Vera est igitur illa celebris Gregorij sententia: Oculos quos culpa claudit, pœna aperit. Et illa B. Augustini: Tribulatio excitat torpẽtem, humiliat superbientẽ; purgat pœnitẽtẽ, illuminat cæcutiẽtẽ, coronat innocẽtẽ. Verè itaque similis dici potest tribulatio felli piscis, quo illiti Tobiæ oculi visum receperunt. Sic enim legitur Tobiæ c. 11. *Tũc sumẽs Tobias de felle piscis, liniuit oculos patris sui, & sustinuit quasi dimidiã horam: & cœpit albugo ex oculis eius, quasi membrana oui, egredi. Quam apprehendens Tobias, traxit ab oculis eius, statimque visum recepit.* Dicebatque Tobias, *Benedico te Domine Deus Israel, quia tu castigasti me: & ecce ego video Tobiam filium meum.*

Quibus rebus in Scriptura celebratis tribulatio comparari, & assimilari queat. *Tob. 2.* *3. Reg. 1.* *Ioan. 9.* *B. August.* *Tria facit hominem cognoscere tribulatio*

Tria porrò nos cognoscere facit tribulatio, & Deum, & nos ipsos, & hunc mundum. Prosperitas quippe obliuionem Dei parit, atque rerum diuinarum ignorationem, & contemptum. Quod bene ostendit Moses accidisse populo Hebræo dicens: *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit:*

incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo. Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui. In libro 2. Paralipomen. cap. 12. Roboam Rex Iuda, & populus eius præuaricati legem Domini, multis malis afflicti sunt: ac denique quasi oculos aperientes, dixerunt, Iustus est Dominus: & Dominus dixit: *Quia humiliati sunt, non disperdam eos. Verumtamen seruient ei* (Sesac Regi Aegypti (*Ut sciãt distantiam seruitutis meæ, & seruitutis regni terrarũ.* Verùm ad id declarãdum, probandúmque nihil grauius, atque illustrius exemplo Manassis Regis Iudæ, qui fuit impijssimus, & crudelissimus rex: quam ob causam captus ab exercitu Regis Assyriorum, vinctúsque catenis atque compedibus, ductus est Babylonem. De quo sic est in libro 2. Paralipomenon cap. 23: *Postquam coangustatus est, orauit Dominum Deũ suum, & egit pœnitentiam valdè coram Deo patrum suorum, & cognouit Manasse quòd Dominus ipse est Deus.* Apud Danielem cap. 4. Nabuchodonosor, propter impietatem & superbiam eiectus non solùm regno, verùm etiam societate hominum, & in bestiam transformatus: denique ad se reuersus dixit: *Nunc ego Nabuchodonosor laudo & magnifico, & glorifico Regẽ cœli, quia omnia opera eius vera, & omnes viæ eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare.* Luculentissimũ item est exẽplũ Anthiochi Epiphanis memoratum in capite 6. prioris libri Machabæorum. Hic propter scelera in populum Dei crudeliter patrata, insanabili ac lethali morbo percussus à Deo, agnouit veram suæ calamitatis causam, dicens: *Nunc reminiscor malorum, quæ feci in Hierusalem, vnde & abstuli omnia spolia aurea, & argentea, quæ erant in ea, & misi auferre habitantes Iudæam, sine causa. Cognoui ego quia propterea inuenerunt me mala ista: Et ecce pereo tristitia magna in terra aliena.* De populo Hebræo dicitur: *Clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur.* Et item, *Cùm occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* &, *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine.* Huc spectat illud Isaiæ, *Domine in angustia requisierunt te: in tribulatione murmuris, doctrina tua eis.* Confirmatur hoc ipsum exemplo filij prodigi, qui grauissima fame, & miserrimo porcorum seruitio vehementer afflictus, tum demum recordatus est patris sui dicens: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo? surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei, Pater peccaui in cœlum & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenarijs tuis: Et surgens venit ad patrem suum.*

Locus Deuter. cap 32.
Roboam.
Manasses rex in tribulatione resipiscit, & pœnitentiã agit.
Antiochus Epiphanes
Hebræi.
Psal. 106.
Psal. 77.
Psal 82.
Locus Esai. cap. 20.
Filius prodigus. Locus Lucæ cap. 15.

Cassianus in Collat. 3. c. 4. tres ait esse modos quibus homines vocari solent ad Deum. Horum primus ex Deo est; secundus per hominem; tertius ex necessitate. Ex Deo est, quoties inspiratio quædam immissa in cor nostrum, nonnunquam etiam dormientes nos ad desiderium æternæ vitæ ac salutis exsuscitat; Deúmque sequi, & eius inhærere præceptis cõpunctione saluberrima cohortantur. Sic legimus Genes. 12. Abrahã voce Dominica, de genitali solo, & totius cognationis affectibus, patrisque domo euocatũ: dicente ei Domino, *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Alter vocationis modus est, quẽ fieri per hominẽ diximus

Tres modi vocationis hominum ad Deum ex Cassiano.

mus,cùm vel exẽplis quorundam Sãctorũ, vel monitis inſtigati, ad deſideriũ ſalutis accendimur. Quo modo & ordine etiã in Scripturis Sãctis per Moſen filios Iſrael de afflictione Ægypti legimus liberatos. Tertius demũ vocationis modus eſt,qui ex neceſſitate deſcendit:cùm diuitijs mũdi huius, vel voluptatibus obligati, ingruentibus repentè tentationibus, quæ vel mortis pericula comminantur,vel amiſſione bonorum ac proſcriptione percutiunt,vel charorum morte compungunt,ad Deum,quem ſequi in rerum proſperitate contempſimus,ſaltem inuiti properare compellimur.Sic ibi Caſſianus. Et ſequenti capite hunc vocationis modum illuſtrat exemplo Abbatis Moſis : qui metu mortis,quæ ei propter homicidij crimen intentabatur,impulſus,ad Monaſterium decucurrit : qui neceſſitatem conuerſionis ſic arripuit,vt eam in voluntatem ptompta animi virtute conuertens , ad perfectionis faſtigia ſumma peruenerit. Hæc Caſſianus.

Vocatio hominum ad Deum per tribulatiõ eſt frequentiſſima.

Atque hic tertius modus vocationis per tribulationes & afflictiones,licèt inferior duobus prioribus dignitate ſit, eſt tamen multo frequentiſſimus : plurimi namque per hanc viam ad ſalutem æternam perducuntur. Itaque in plurimos verè dici poſſet illud Apoſtoli : *Saluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Quocirca Dauid : *Conuerſus ſum*, inquit, *in ærumna mea, dum configitur ſpina.* Et Iſaias cap. 26. *Sicut quæ concipit,cùm appropinquauerit ad partum , dolens clamat in doloribus ſuis : Sic facti ſumus à facie tua Domine,concepimus,& quaſi parturiuimus ſpiritum ſalutis:* Et Baruc cap. 2. *Aperi oculos tuos , & vide , quoniam anima,quæ triſtis eſt ſuper magnitudine mali,& incedit curua & infirma,& oculi deficientes , & anima eſuriens dabit honorem & iuſtificationem Domino.* Reputa cum animo tuo Lector, quod traditur in illa Euangelica parabola vocatorũ ad cœnam,& aduertes humaniter vocatos,& liberaliter inuitatos ad cœnam , nequaquam veniſſe: veniſſe tantum cæcos & claudos,& debiles,& compulſos intrare·Dauidi quoque fugienti Regem Saulem,traditur 1.Reg.22. adhæſiſſe homines qui erant amaro & afflicto animo.

1.Cor.3.
Pſal.31.
Luc.20.

Sicut autem ſalutare eſt,flagellatum à Deo reſipiſcere,& ad Deũ conuerti : ita contrà malum eſt,& velut deſperatæ emendationis & ſalutis,nõ commoueri flagellis , nec à peccatis remoueri. Vnde Hieremias cap. 5. *Percuſſiſti eos,& non doluerunt : attriuiſti eos, & noluerunt ſuſcipere diſciplinam.* Huc etiam facit illud quod Prouerb.23.figurata oratione dictũ eſt: *Eris ſicut dormiens in medio mari,& quaſi ſopitus gubernator amiſſo clauo,& dices : Vulnerauerunt me,ſed non dolui : traxerunt me,& ego non ſenſi.* Facit ſe Deus nobiſcum velut mirabilem quendam mendicum:infligit enim ipſe nobis vulnera,morbóſq; mittit,vt ſaltem neceſſitate tracti,tali dolore molestiáque liberari , & amiſſam recuperare ſanitatem ſapientes , ad ipſum adeamus,& medicinam ab eo malorum noſtrorum petamus.Eſt item velut magiſter noſter,qui nos,tanquam inſipientes pueros , verberibus cogit frequentare ſcholam virtutis , & addiſcere iuſtitiam Dei : quod bene Dauid in ſe ipſo expertus ingenuè fatebatur, dicens:*Bonum mihi quia humiliaſtime,vt diſcam iuſtificationes tuas,*

Locus Pſ.118

Tribulatio affert homini cognitionem sui.

Alterum porrò quod hominem facit tribulatio cognoscere, est ipsemet homo, affert enim vtilissimam sui cognitionem quam in prosperitate non habebat. Duas autem res facit hominem in se cognoscere. Altera est vilitas & infirmitas conditionis naturæ suæ: & quàm fragilis sit valetudo, robur, pulchritudo, aliæque corporis virtutes, quibus præsidebat, vanè gloriabatur, superbè iactabat se cum aliorum contemptu, & ad patranda flagitia improbè abutebatur. Huiusmodi enim res experimento docet tribulatio, quàm sint fluxæ, fragiles, caducæ, ac nihili: & idcirco alia quærenda esse homini solidiora, & firmiora bona. Verùm illud præcipuè docet tribulatio cognoscere hominem de se, an sit æger, an sanus, id est, bonus an malus: retegit enim, & repræsentat animo & virtutes, si quæ sunt, & peccata atque vitia: in tribulatione enim liquidò apparet quàm bene vel malè animo affectus sit quisque. Est itaque velut illud speculum Socraticum quod repræsentat æquè turpitudinem & fœditatem, atque pulchritudinẽ. Cùm igitur quisquã vehementi aliqua tribulatione affligitur, statim recordatur præteritorum peccatorum suorum, propter quæ meritò tunc se affligi credit. Quemadmodum qui graui morbo corripitur, statim recordatur præteritæ intemperantiæ suæ in edendo & potando, vnde illum sibi morbũ contigisse putat. Et cùm quis ex inopinato captus à magistratu, ducitur in carcerem, statim memoria repetit scelera priùs admissa, de quibus timet se accusatum, & propterea tunc detrudi in carcerẽ. Clarissimum huius effectus tribulationis exemplum habemus in fratribus Ioseph, qui durè admodum, asperéque tractati à Ioseph, & in carcerẽ coniecti, confestim recordati sunt sceleris quod in Ioseph admiserant, ideóque se meritò illa pati confessi sunt, dicentes: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrũ, videntes angustias animæ illius, dũ deprecaretur nos, & nõ audiuimus: idcirco venit super nos ista tribulatio*: Et Rubẽ dixit illis, *Nũquid non dixi vobis, nolite peccare in puerũ, & non audistis me? en sanguis eius exquiritur*. Propter hæc autem verba, quæ præcipuum tribulationis effectum continent, hanc nos de Tribulatione disputationem tractandam suscepimus. Hoc etiam fatetur Dauid dicens: *Priusquam humiliarer, ego deliqui*: Et Baruc cap. 3. *Quid est Israel, quòd in terra inimicorum es? Inueteraſti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum descendentibus in infernum?* Et continuò subdit tantæ calamitatis causam, *Dereliquisti*, inquit, *fontem sapientiæ: nam si in via Dei ambulasses, habitasses vique in pace super terram. Disce vbi sit prudentia, vbi sit virtus, vbi sit intellectus, vt scias simul vbi sit longiturnitas vitæ, & victus, vbi sit lumen oculorum, & pax.*

27

Psa. 118.

Plinius lib. 7. Epist in Epist. ad Maxim.

Sanè quàm scitum est quod in quadam Epistola sua scribit Plinius: grauem enim, & periculosum morbum, quo quis vehementer afflictatur, plus valere docet ad excitandam in animo ægrotantis præteritæ vitæ suæ peccatorum, errorúmque suorum memoriã & pœnitentiam, ingenerandúmq;, salubre consiliũ, firmúmque propositũ & votũ, correctiùs in posterum viuendi, quàm omnia Philosophorum præcepta, omnésque de fugiendis vitiis, colendísque virtutibus, eorum, quamuis subtilissimas &

ingeran

doctissimas disputationes. Verba Plinij, quoniam memoratu obseruatúque digna sunt, vbet hîc adscribere. Sic autem ille ait: Nuper me cuiusdã amici languor admonuit, optimos esse nos dum infirmi sumus. Quem enim infirmum, aut auaritia, aut libido sollicitat? non amoribus seruit, non appetit honores, opes negligit: & quantulumcumque, vt relicturus, satis habet. Tunc Deos esse, tum hominem esse se meminit; inuidet nemini, neminem miratur, neminem despicit, ac ne sermonibus quidem malignis aut attendit, aut alitur: mollémque in posterum & pinguem, si contingat euadere, hoc est, innoxiam, beatámque destinat vitam. Possum ego, quod pluribus verbis, pluribus etiam voluminibus Philosophi docere conantur, ipse breuiter tibi, mihíque præcipere: vt tales esse sani perseueremus, quales nos futuros profitemur infirmi. Hæc Plinius.

Sententia egregia Plinij quàm vtilis anima sit vehemens corporis afflictatio.

28 Tertia cognitio quam tribulatio parit homini, est ipsius mundi. Propterea verò tribulatio notificat homini mundum, quòd eum à mundo secundùm æstimationem & affectum quo ei penitus adhærebat, disiungit: antea enim mundo penitus immersus, liquidò videre eum non poterat. Nimirum vera est illa Philosophorum sententia: *Sensibile supra sensum positum, non facit sensationem*: hoc autem præcipuè verum esse constat in visu. Anaxagoras certè, suum illum, quem rerum omnium effectorem ac dominatorem faciebat intellectum, censebat esse oportere segregatum ab omnibus, vt omnia ordinare, & regere, & perficere posset. Etiã Aristoteles necessarium esse putauit vt intellectus noster non esset mixtus corpori, vt posset omnia cognoscere. Tribulatio igitur quia hominem separat à mundo, cui mixtus erat per affectum, facit vt eum possit cognoscere. Situla, qua ex puteo hauritur aqua, dum est intra aquam, non sentitur eius pondus, tametsi plena sit aqua: cum forâs extrahitur, tunc planè sentitur quàm grauis & ponderosa sit. Sed quænam de mundo docet hominem Tribulatio? Quinque videlicet, Quàm sit vanus, quàm fallax, quàm instabilis, quàm amarus, & quàm malus.

Tribulatio facit hominem recognoscere qualis sit hic mundus.

Anaxagoras.

Aristoteles.

29 De mundi vanitate differenti Salomoni super omnes credendum est: non solùm quòd de ea re librum scripsit, prænotatum Ecclesiasten, eiúsque libri argumentum simul & exordium posuit celebrem illam sententiam: *Vanitas vanitatum*, dixit Ecclesiastes, *vanitas vanitatum, & omnia vanitas*: verùm ob eam maximè causam, quòd ille omnia mũdi huius bona comparare sibi voluit, eáque periclitari qualia essent: quid autem possidendis illis atque perfruendis expertus sit, ipsemet sincerè confitetur, atque hisce verbis enarrat: *Dixi ego in corde meo: Vadam & affluam deliciis, & fruar bonis, & vidi quòd hoc quoque esset vanitas. Risum reputaui errorem: & gaudio dixi, Quid frustra deciperis?* Et quibusdã interpositis, paulò pòst subiungit hæc: *Omnia quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in iis quæ præparaueram. Cúmque me conuertissem ad vniuersa opera quæ fecerant manus meæ, & ad labores in quibus frustrà sudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.* Meritò igitur diuina Scriptura, mũdi amatores, vocare solet vanitatũ amatores & sectatores. Vnde

Vanitas mundi.

Locus Ecclesiast. 2.

sunt

Psal. 118. Psal. 4. sunt illa, *Odisti obseruantes vanitates superuacuè*; &, *Filij hominum vsquè quò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Sicut in Comœdijs, & Tragœdijs, quæ aguntur, vera non sunt, sed imagines tãtùm & simulacra rerum: ad eundem modum habent se bona huius mundi: non enim talia sunt, qualia putantur.

29 Ad hoc illustrandum facit quod B. Gregorius scribit in lib. 5. Expositionis in caput 12. primi libri Regum, exponens illa verba, quæ populo Hebræo dixit Samuel: *Nolite declinare post vana, quæ non prodiderunt vobis.* Stultè, inquit, appetuntur bona seculi, quæ ab appetitoribus suis non poterunt diutiùs teneri. Et notandum, quia de futuro dicitur: *Non proderunt vobis.* Nunc enim prodesse vidētur; sed cùm in futuro pro eis puniri cœperint, tũc, quàm non profuerint, apertè intelligent. Vnde bene subditur: *Neque eruēt vos, quia vana sunt:* quasi dicat, Idcirco vos non adiuuāt, quia cum mundo deficiunt, & post seculum non habentur. Multum quidem seculi bona durant, si cum amatore suo vsque ad extremũ vitæ eius permaneant: Post seculum ergo non prosunt quæ finem vitæ transire nõ possunt. In hac quidem vita suos amatores peccatis obligant: sed tunc non eruent, vbi quidem per meritum sunt, sed per auxilium non sunt. Qua in re cautè notandum est, quia eis temporalia bona non proderunt, qui post hæc declinare perhibentur. Post bona enim tẽporalia declinare, est in eorum appetitum defluere, amorémque illorum diuino amori præferre. Meritò igitur illis vana non proderũt, qui ea eo ordine quo condita sunt, habere noluerunt. Sed quo fructu vana despiciantur, insinuatur, *Et non derelinquet Dominus populum suum, propter nomen suum magnum.* Magnum vtique malum hæc vana post se declinantibus ingerunt, quia dum inordinatè terrena appetunt, à summo & omnipotenti Deo ad sustinenda futura tormẽta deseruntur. Qui autem pro eius amore hæc vana despiciũt, à veris malis eruuntur, & ex fide promissionis diuinæ mercedem accipiũt æternæ hæreditatis. Populum quippe Dominus facit, quem ad æternæ beatitudinis gaudia sustollit. Ibi quippe reuelatâ maiestatis suæ gloriâ ille præsidet, quem in mundo ab amore vanitatis per occultam gratiam assumptum tenet. Hæc B. Gregorius.

Præclara Gregorij sententia de vanitate mundi.

30 Inconstantia porrò & instabilitas mundi non solùm rationis iudicio, verùm omnium sensuum testimonio, & quotidianis experimentis atque exemplis compertissima & notissima est. Hinc illa in Scripturis: *Præterit figura huius mundi*, &: *Transit mundus, & concupiscentia eius.* Nec solùm boni & sapientes viri instabilitatem mundi agnoscunt; sed ipsimet mundi amatores, licet serò sibi cognitam apertè profitentur, & inutili pœnitentia se mundum dilexisse atque coluisse vehementer dolent. Audiamus, quemadmodũ ab ipsis vanitas & instabilitas mundi graphicè depingatur ijs verbis, quæ in lib. Sap. c. 5. memorantur illi dixisse, cùm essent in inferno: *Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius præcurrens, & tanquam nauis quæ pertransiit fluctuantem aquam, cuius, cùm præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius*

Instabilitas mundi.

1. Cor. 7. 1. Ioan. 2.

in

in fluctibus. Aut tanquam auis, quæ transuolat in aëre cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius, sed tantum sonitus alarũ verberans leuem ventum. Aut tanquã sagitta emissa in locum destinatum: diuisus enim aer, continuò in se reclusus est, vt ignoretur transitus illius. Sic & nos, nati, continuò desinimus esse: & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere: in malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in Inferno hi qui peccauerunt: quoniam spes impij tanquam lanugo est quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis quæ à procella dispergitur, & tanquam fumus qui à vento diffusus est: & tanquam memoria hospitis vnius diei, prætereuntis. Perpende quæso Lector, quàm multis & varijs, quàm appositius, idoneísque similitudinibus exposita sit vanitas, & instabilitas bonorum huius mundi, in quibus consectandis & comparandis, & perfruendis, homines impij omne studium, omnésque spes, summámque fœlicitatem suam collocauerant. Fertur, quendam cordatum & prudentem virum, cùm pluribus in dies, maioribúsque à Rege suo beneficijs afficeretur, interrogatum, quid amplius optare posset: Nihil aliud, respondisse, nisi clauum vnum: significare volentem, timere se volubilitatem illius rotæ, & mundanæ felicitatis, ne qui in summo erat rotæ, mox ad infima præcipitaretur: quocirca optabat clauum, quo in rotam infixo, eius volubilitatem sisteret. Huiusmodi autem instabilitatis mundi declinandæ gratiâ, pulcherrimam similitudinem reperiet Lector à Damasceno traditam in Historia Barlaam & Iosaphat, cap. 14, quam ego, licèt iucundissimam lectu, cognitúque ad alia tamen festinans, hîc memorare supersedi. *S. Damascenus.*

Nec sanè non aptissimè quispiam dixerit, mundum hunc similem esse maritum ob instabilitatem quæ accidit ei ex tam multis variísque ventis, quibus est obnoxiũ, identidẽ agitantibus & turbantibus ipsum: tũ ob grauissima pericula, per ipsum nauigantibus imminentia atque etiam instantia. Hæc autem pericula quatuor ex causis accidunt. Primùm ex procellis & tempestatibus, tum ex hostibus aut prædonibus; deinde ex fragilitate & grauitate, multísq; foraminibus quibus pertusa est nauis qua vehimur; id autem est corpus nostrum, & vita mortalis, quam hîc agimus. Ac demum ex imperitia atque negligentia naucleri, id est, rationis nostræ, habentis tum lumen naturale intellectus, tum supernaturale fidei propter offusam terrenarum cupiditatum caliginem valdè obscuratum. Et quemadmodum mare sequitur motum Lunæ; ita mundus vanissimas vulgi, & insipientium hominum stultissimas opiniones & affectiones. Rectè siquidem scriptũ est: *Stultus sicut Luna mutatur.* Et quamuis plurima exempla instabilitatis mundi commemorari possint, nullum tamen videtur illustrius, & admirabilius, quàm exemplum Aman & Mardochæi; quod multis verbis in libro Esther luculenter enarratur. Nam ibi liquidò cernere est, incredibilem humanarum rerum, breuissimotempore in contrarios successus vicissitudinem, ac volubilitatem. *Eccles. 27.*

Mundi amaritudo.

31 Iam verò labores & molestias, atque amaritudinem huius mundi, quis, perinde ac res est, enarrare valeat? Laboriosum est atque amarum, bona mundi acquirere: amarius, iam parta tueri & conseruare: amarissimum,

vbi ea possidere & frui cœperint,citò,vel per mortem, vel alio quopiam casu,bonis,tanto studio expetitis & conquisitis,tantóq; labore cõparatis spoliari ac priuari. *O mors*, inquit Sapiens, *quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis*! Traditum est memoriæ, quendam! ex olitore factum esse Regem: & cùm ex eo requirerent quidam,qua ratione prioris vitæ inopiam,& incommoda toleraſſet; respondisse, Requirere potius deberetis,quẽadmodũ toleraturus sim acerbitates vitæ regiæ: Et cùm impositum sibi diadema regium, ponderando expertus esset,dixisse eum,Hui,tam graue hoc! Fingunt Poëtæ, Iouem duo habere dolia, vnum mellis,alterũ fellis:& de illo quidem guttatim distillare in terras, de hoc verò,largè &vbertim effundere.Hoc ipsum etiã confitentur amatores mundi,sed sera cognitione,atq; inutili pœnitentia,illorũ enim in libro Sapientiæ huiusmodi sunt voces: *Ergo errauimus à via veritatis,& iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis,& ambulauimus vias difficiles,viam autem Domini ignorauimus.* Prudentior istis Demosthenes:à quo,pro breuissimi temporis voluptate, cũ ingens pecuniæ pretium deposceretur,prudenter futuram prouidens pœnitentiam,dixit: Non emo tanti pœnitere.

Ecclesi.41.

Scitum Demosthenis dictum.

Ergo verissimè in hunc mundũ dici posset,quod à Mose dictum est in Cantico suo. *Vua fellis,vua eorum,& botrus amarissimus.Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Salomon in lib.Eccles.commemorans,quæ putantur bona huius mundi,subinde adiũgit in omnibus esse vanitatem,& afflictionem spiritus. Et ca.10.eiusdem libri: *Labor,inquit,stultorum affliget eos:qui nesciunt ad vrbem pergere.* Sapienter hoc.Nã quod homines tantopere concupiscant,& consectentur bona huius mundi,prouenit tum ex naturali appetitu beatitudinis,tum ex ignorantia veræ beatitudinis:quærunt enim eam,vbi non est,nec esse potest, ideóq; laborant incassum,& sese vehementer sine fructu macerant,& affligunt: *quia nesciunt ire in vrbem*,inquit Salomon:id autem est,quia aberrarunt à via, quæ directò tendit,& sine errore perducit ad veram beatitudinem,& ciuitatem Hierusalem,quæ in cœlis est.

Deut.32.

Vnde cognoscatur euidenter amaritudo mundi huius.

Mundi porrò amaritudo multis & signis,experimentisq; explorata,& comperta est.Mundi enim mala,plurimis contingunt; bona pauciſſimis. Malum eius,multo plurimum, & copiosissimum est, & multiplex,atque diuturnum:bonum verò,paucum,& paruum & breue;malum per se obuium est,& expositum,& facilè aduenit,ægréq; propulsatur;bonum,difficiliter paratur,& facillimè perditur. Bonum denique mundi, est impurum,milléque permixtum malis;malum autem, purum est, & boni expers. Tribulatio igitur facit nos cognoscere mundi amaritudinem:quoniam sæpe oritur ex illis ipsis bonis mundi,quæ vel amissa dolorem nobis acerbum afferunt,vel per abusum eorum in sceleribus committendis, pœnis & suppliciis nos reddunt obnoxios. Sunt itaque simillima pulchertimis illis capillis Absalonis:de quibus ille sæpius vanè ac superbè gloriatus,denique illis ipsis suspensus,miserrimè interiit.

2.Reg.18.

Mũdi fallacia

Manifestat præterea tribulatio multiplicem mundi fallaciam;& quantopere

topere fallantur mundi amatores. Fallax enim est mundi gratia, fallax pulchritudo, fallaces diuitiæ, honores, voluptates: falsa spes, falsus amor, falsa promissa. Promittit multis, & dat paucis: promittit multum, & dat parum: promittit satietatem, & auget magis sitim: promittit gloriam, & sæpenumero causa est ignominiæ, & probrosissimæ mortis. Et quia peccatis est plenus mundus, peccatum autem, per voluptatis illecebram, fallacia est mentis; necesse est, mundum & fallacijs, & mendacijs, & dolis, & fraudibus esse refertum. Apostolus certè, peccatum esse fallaciam, ostendit illis verbis: *Videte fratres, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Ergo in stultos mundi amatores, qui eius fallacijs obducti, miserrimum statum suum non agnoscunt, verè dici posset quod scriptum est in Apocalypsi: *Dicis quòd diues sum & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Similes sunt Loth, amatores huius mundi: *Eleuatis Lot oculis*, ait Scriptura, *vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuersa irrigabatur, antequam subuerteret Dominus Sodomam & Gomorrham, sicut Paradisus Domini, & sicut Aegyptus venientibus in Segor. Elegitque sibi Loth regionem circa Iordanem.* Atenim deceptus est Lot specie illius amœnitatis: breui enim tota illa regio funditus subuersa & cœlitus exusta est; ipséque maximum in vitæ discrimen venit; nec ex tali exitio euasisset, nisi seruatus esset ab Angelo. Simile quidpiã accidit mũdi amatoribus, inanem eius pulchritudinem, & amœnitatem stultè consectantibus. Sæpe verò, etiam in hac vita, & ipsi aduertunt fallaciam mundi, & se deceptos esse cognoscunt, experti falsas fuisse spes suas, & de prosperitatis bonis, aut nihil, aut contraria potiùs mala reportasse; & contigisse sibi quod legitur apud Isaiam c. 29. *Sicut somniat esuriens, & comedit, cũ autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius, & sicut somniat sitiens, & bibit, & postquã fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est.* Et cętera. Dum enim homines mundi amore capti tenentur, velut altissimum dormiunt somnum, expergefiunt autem plerũque instante iã morte, aut certè post mortem in infernum detrusi. Tunc enim inclamant illud quod est in libro Sapientiæ: *Errauimus à via veritatis.*

Locus Pauli ad Hebræos 3.
Locus Apoc. cap. 3.
Genes. 13.

Extremo loco, tribulatio euidenter ostendit quàm malus sit hic mundus. Tria quippe sunt eius mala: Ignorantia, concupiscentia, & malitia. Propter ignorantiæ tenebras, comparatur Aegypto: propter fœditatẽ concupiscentiæ, nominatur Sodoma & Gomorrha; propter prauitatẽ & malitiam, sæpe appellatur nomine Babylonis. Quæ maior ignorantia, quàm, Deũ, mundi effectorem, & rectorem, & cõseruatorem nõ agnoscere? *Pater sancte*, ait Dominus: *mundus te non cognouit*, &, *In mundo erat, & mũdus eum non cognouit.* Si cognoscerent mundi amatores, Deum esse veracem, mundum verò mendacẽ; si Deũ esse omnipotentẽ, mundũ verò infirmũ; si Deũ esse immensum pelagus bonorũ, mundũ autem sentinã & cloacã malorũ, crederent vtique magis Deo quàm mũdo, eíq; seruire & placere potiùs quàm mũdo, studerẽt. Sed illi adeo sunt insipientes & vęcordes, vt ita viuãt, quasi persuasum haberent, nullũ esse Deum. *Dixit insipiẽs in corde suo*, ait Dauid, *Non est Deus.* De fœdissimis porrò, quibus mũdus æstuat

Tria genera malorum quæ vigent atque regnant in mũdo.
Ioan. 17.
Ioan. 1.
Psal. 13.

concupiscentijs, nihil attinet dicere. Malitia item eius, & per se manifesta est, eóque manifestior esse potest, quod Christus Dominus, & Apostoli eius, de mundo, quasi de re pessima, & abominabili & execrata, loquuntur & præcipiunt. Audiat Lector aliquot, sed celebres sententias. *Ego*, inquit Dominus, *non sum de hoc mundo: Mundus odit me: Regnum meum non est de hoc mundo.* Et item illa. *Totus mundus in maligno positus est: Nolite conformari huic seculo: Christus dedit semetipsum pro nobis, vt nos eriperet de præsenti seculo nequam. Adulteri, nescitis quia amicitia huius mundi inimica est Dei? Quicunque ergo voluerit amicus esse seculi huius, inimicus Dei constituitur. Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo. Fugite de medio Babylonis, & saluet vnusquisque animam suam.* Aduertat porrò Lector, in hac Disputatione vsurpatum esse à nobis nomen mundi, non pro natura rerum, quæ sunt in mundo, sed partim, pro bonis temporalibus huius mundi, quæ multi stultè amant, & admirantur præferentes ea bonis æternis: partim pro hominibus mundi huius amatoribus atq; sectatoribus, qui abiecto Dei timore, & amore, omnia studia, & spes, & curas suas in diligendo & colendo mundo collocarunt.

Ioan. 17.
Infra 18.
1. Ioan 2.
Rom. 12.
Tit. 2.
Gal. 2.
Iaco. 4.
Supra 1.
Ierem. 51.

Apud Damascenum, in eo, qui proximè dictus est, libro, Barlaam, apositissima similitudine arguit stultitiam eorum, qui mundum hunc, cuius proxime antè, vanitatem, & mala demonstrauerat, perditè amant, & stultè colunt, posthabito Deo, in quo vno est verum ac summum hominis bonum. Similitudo autem qua ille vtitur, huiusmodi est; Quamobrem eos, inquit, qui tam pestifero ac crudeli domino seruiunt, quive à bono ac benigno Deo per summam dementiam se ipsos remouentes, rebus præsentibus inhiant, nec futura vllo modo cogitant, verùm ad corporeas quidem voluptates sine vlla intermissione sese conferunt; animas autem suas fame confici, & innumeris malis conflictari sinunt, hos ego homini à furētis Vnicornis facie fugiētis similes esse cēseo: qui cū clamoris ipsius sonum, atque horrendos mugitus ferre nequeat, magno impetu, ne ipsi in prædam cedat, aufugit. Dum autem celeriter currit, in ingentem quandam scrobem ruit, ac ruendo manus extendens, arborem quandam arripit, eamque arctissimè retinet, atque gradu quodam firmatis pedibus, pacata deinceps omnia & à periculo aliena esse arbitratur. Respiciens autem, duos mures cernit, alterū candidum, alterū atrū, arboris illius, quam arripuerat, radicem perpetuò corrodentes, iāque penè eam amputantes. Atque insuper, coniectis in illam scrobem oculis, horrendum draconem cōspicit, aspectu ipso ignem spirantem, ac toruis oculis ipsum intuentem, horrendéque ipsi deuorando inhiantem. Ac rursum in gradu illo, cui pedes ipsius innitebantur, oculorum acie defixa, quatuor aspidum capita videt, è pariete, in quo consistebat prominentia. Rursum autem oculos conuertens, nonnihil mellis ex arboris illius ramis fluere cernit. Quocirca calamitatum earum, quibus vndique obsidebatur, & vrgebatur, omissa consideratione, nimirum quonam pacto externè quidem, vnicornis vehementi furore percitus eum deuorare quæreret, ab inferiori autem parte,

34

Pulcherrima similitudo qua stultitia mūdi huius amatorum arguitur. Barlaam apud Damascenum cap. 12. historiæ.

parte, acerbus Draco eum deglutire vehementer expeteret, ac rursus arbor ea quam arripuerat, iam iamque amputanda esset, pedes deniq; ipsius quàm lubrico, & infido gradui inniterentur: horum, inquam, tantorum periculorum oblitus, in exigui illius mellis dulcedine percipienda seipsum occupauit.

Hæc eorum, qui præsentis vitæ ludibrijs intabescunt, figura est: cuius quidem explanationem protinus tibi exponam. Vnicornis igitur, mortis typum gerit, quæ semper mortalium genus persequitur, atque arripere contendit. Scrobs autem, mundus est, qui omnis generis malis, ac mortiferis laqueis scatet. Arbor ea, quam compressis manibus tenemus, & quæ à duobus muribus indesinenter arroditur, cuiusque hominis vitæ curriculum est: quod quidem per diei, ac noctis horas absumitur & conficitur, ac paulatim ad excisionem accedit. Quatuor autem aspides, humani corporis super quatuor lubrica, & instabilia elementa constitutionem designant: quæ, cum immoderatè se habent, ac perturbantur, corporis compages dissoluitur. Ad hæc, Draco horrendum Inferni ventrem adumbrat, qui eos suscipere gestit, qui præsentes voluptates futuris bonis anteponunt. Mellis verò guttula distillans, mundi iucunditatem & dulcedinem significat, per quam ille amicos suos ludificans, eos saluti suæ prospicere minimè sinit. Sic ille.

***

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA IN CAPVT QVADRAGESIMVM TERTIVM GENESIS.

ARGVMENTVM.

Filij Iacob, absumpto quod ex Aegypto deportauerãt frumento, perseuerantéque fame in terra Chanaam, ducto secum Beniamin reuertuntur ad Ioseph, à quo perhumaniter tractati, lautóque conuiuio accepti sunt.

1 INTERIM fames omnem terram vehe-
2 menter premebat: Consumptúsque cibis, quos ex Ægypto detulerant, dixit Iacob ad filios suos: Reuertimini, & emite nobis
3 pauxillum escarum. Respondit Iudas: Denuntiauit nobis vir ille sub attestatione iurisiurandi, dicens: Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vo-
4 biscum. Si ergo vis eum mittere nobiscum, pergemus pariter, & ememus tibi necessaria: si autem non vis, non ibimus: vir au-
5 tem, vt sæpe diximus, denuntiauit nobis dicens, Non videbitis
6 faciem meam absque fratre vestro minimo. Dixit eis Israel: In meam hoc feciſtis miseriam, vt indicaretis ei, & alium habere
7 vos fratrem. At illi responderunt: Interrogauit nos homo per ordinem, nostram progeniem, si pater viueret, si haberemus fratrem: & nos respondimus ei consequenter iuxta id quod fuerat scisscitatus: nũquid scire poteramus quòd dicturus esset,

Addu

Adducite fratrem vestrum vobiscum? Iudas quoque dixit patri suo, Mitte puerum mecum, vt proficiscamur, & possimus viuere, ne moriamur nos & paruuli nostri. Ego suscipio puerũ: de manu mea require illũ, nisi reduxero, & reddidero eũ tibi, ero peccati reus in te omni tempore. Si non intercessisset dilatio, iam vice altera venissemus. Igitur Israel pater eorum dixit ad eos: Si sic necesse est, facite quod vultis: sumite de optimis terræ fructibus in vasis vestris, & deferte viro munera, modicum resinæ & mellis, & storacis, stactes, & terebinthi, & amygdalarum. Pecuniam quoque duplicem ferte vobiscum, & illam, quam inuenistis in sacculis, reportate, ne fortè errore factum sit: sed & fratrem vestrum tollite, & ite ad virum. Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem, & remittat vobiscum fratrem vestrum quem tenet, & hunc Beniamin: Ego autem quasi orbatus absque liberis ero. Tulerunt ergo viri munera, & pecuniam duplicem, & Beniamin: descenderúntque in Ægyptum, & steterunt coram Ioseph. Quos cùm ille vidisset, & Beniamin simul, præcepit dispensatori domus suæ, dicens: Introduc viros domũ, & occide victimas, & instrue conuiuiũ: quoniam mecũ sunt comesturi meridie. Fecit ille, quod sibi fuerat imperatum, & introduxit viros domũ. Ibique exterriti, dixerunt mutuo: Propter pecuniam, quam retulimus priùs in sacculis nostris, introducti sumus; vt deuoluat in nos calũniam, & violenter subijciat seruituti nos & asinos nostros. Quamobrẽ in ipsis foribus accedentes ad dispensatorẽ domus, locuti sunt: Oramus domine vt audias nos. Iã antè descendimus vt emeremus escas: quibus emptis, cũ venissemus ad diuersoriũ, aperuim⁹ saccos nostros, & inuenimus pecuniã in ore saccorũ; quã nũc eodẽ pondere reportauimus: Sed & aliud attulimus argentũ, vt emamus quæ nobis necessaria sunt, non est in nostra cõscientia quis posuerit eã in marsupijs nostris. At ille respondit: Pax vobiscũ, nolite timere: Deus vester, & Deus patris vestri dedit vobis thesauros in saccis vestris. nã pecuniã, quã dedistis mihi, probatã ego habeo. Eduxit q; ad eos Simeon. Et introductis domũ, attulit aquã, & lauerũt pedes suos, deditq; pabulũ asinis eorũ. Illi verò parabant munera donec ingrederetur Ioseph meridie: audierãt enim quòd ibi comesturi essẽt panẽ. Igitur ingressus est Ioseph domũ suã,

8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26

obtu

obtulerúntque ei munera,tenentes in manibus ſuis: & adora-
uerunt proni in terram. At ille,clementer reſalutatis eis,inter-
27 rogauit eos,dicens:Saluus ne eſt pater veſter ſenex,de quo di-
28 xeratis mihi? adhuc viuit? Qui reſponderunt: ſoſpes eſt ſer-
uus tuus pater noſter,adhuc viuit: & incuruati, adorauerunt
29 eum. Attollens autem Ioſeph oculos,vidit Beniamin fratrem
ſuum vterinum,& ait:Iſte eſt frater veſter paruulus,de quo di-
30 xeratis mihi?Et rurſum:Deus,inquit,miſereatur tui fili mi.Fe-
ſtinauítque,quia cõmota fuerant viſcera eius ſuper fratre ſuo,
31 & erumpebant lacrymę:& introiens cubiculũ,fleuit.Rurſúm-
32 que lota facie egreſſus,continuit ſe,& ait: Ponite panes.Qui-
bus appoſitis, ſeorſum Ioſeph, & ſeorſum fratribus, Ægyptij
quoque, qui veſcebantur ſimul, ſeorſum (illicitum eſt enim
Ægyptijs comedere cum Hebræis,& profanum putant huiuſ-
33 cemodi conuiuium)Sederunt coram eo, primogenitus iuxta
34 primogenita ſua,& minimus iuxta ætatem ſuam.Et mirabán-
tur nimis, ſumptis partibus quas ab eo acceperant: maiórque
35 pars venit Beniamin,ita vt quinque partibus excederet. bibe-
rúntque & inebriati ſunt cum eo.

PRÆFATIO.

IN Præfationis loco lubet hîc apponere pulcherrimam San- 1
cti Gregorij moralem diſputationem, ſuper hiſtoria Ioſeph, & fratrum eius tam ſuperiori capite, quàm hoc 43. à Moſe tradita. Diſputat autem copiosè, piè, prudenter doctéque B. Gregorius de virtute Diſcretionis, & ſalubri temperamento ſeueritatis pariter atque lenitatis, quo vti debet Chriſtianus aliorum hominum doctor & rector: ne vel ſeueritate nimia, quos erudit, & corripit, perdat magis, quàm corrigat; néve immodica lenitate atque indulgentia corrumpat potiùs quàm emendet, atque conſeruet. Id porrò docet ille & confirmat exemplo beati Ioſeph: qui primùm quidem fratres ſuos durè, aſperéque tractauit, vt talis vexatio daret illis intellectum, & pœnitentiam quandam ſceleris ab ipſis commiſſi: deinde verò humaniter, & blandè, & affabiliter & liberaliter eos accepit: exteriorem vtique aduerſus ipſos obiurgationis aſperitatem præferens, interiorem verò etiam tunc caritatis erga ipſos dulcedinem cuſtodiens.

Verba

Verba B.Greg.hom.in Ezech.22.huc transpoſita,huiuſmodi ſunt: ſæpe contingit,vt Doctor regulam diſciplinæ,quam ſcit docere, neſciat tenere:cum aut nimio zelo motus, minùs ſe per mãſuetudinem temperat, aut nimia manſuetudine placidus,minùs ſe contra vitia per zeli ſtimulum inflammat. Magna enim conſideratione debemus pẽſare quod ſcriptum eſt.In vaſis enim templi inter coronas,& plectas,Boues, & Leones, & Cherubin exſculpta sũt:plectæ autẽ,ccordiæ vnanimitatẽ ſignãt: Cherubin verò plenitudo ſcientiæ dicuntur. Sacerdotes enim atque Doctores,inter coronas,& plectas,id eſt,inter fortitudinẽ boni operis,quoad victoriam currunt, & charitatis concordiam, qua à ſe viciſſim non diſcrepant,per Boues,& Leones,atque Cherubin deſignati ſunt. Quoniã inter plenitudinem ſcientiæ,quam habent,neceſſe eſt vt & Boum manſuetudinem habeant,& feruorem Leonum: quatenus in diſciplinam, quam prædicant,& ex ſancto Zelo accenſi ſint, & ex paterna dulcedine,tranquilli. Quibus etiam ſubter ſe lora dependeant,vt diſciplinæ ſuæ retinacula,quibus ipſi ligati ſunt,etiam ſubiectis ſuis ſollicitè impendãt. Super eos enim lora dependere, eſt cuſtodiæ vincula in ſubditis tenere. Quæ tunc rectè ſeruantur,cum nec boum manſuetudo, in Zeli feruore amittitur,nec Leonum terror,in manſuetudinem declinatur.Tãta quippe debet eſſe diſcretio,vt nec diſciplina nimia, nec ipſa quoque miſericordia ſit remiſſa.Ne ſi inordinatè culpa dimittitur, is qui eſt culpabilis, in reatu grauius aſtringatur. Et rurſus, ſi culpa immoderatè retinetur, tanto,qui corrigitur,fiat deterior, quanto erga ſe, nihil ex benignitatis gratia agi conſiderat: exhibenda itaque prauis eſt aſperitas in oſtenſione:caritas in mente:vt & dura oſtenſio delinquentem coërceat: & caritatis cuſtodia mercedem manſuetudinis non amittat.

Pulchra diſputatio B. Gregorij de virtute Diſcretionis, doctoribus aliorũ atque rectoribus apprimè neceſſaria.

2 *Ecce dum hæc loquor,Ioſeph animum pulſat,vt ad oſtendenda, quæ dico,ipſe teſtis veniat.Certè ſomnium,quod de profectu ſuo viderat,fratribus narrans,per hoc quod innocenter retulit, malitiæ contra ſe ſtimulos excitauit.Idem à fratribus venditus Iſmaelitis, & in Aegyptum ductus,mira Dei omnipotentis diſpenſatione in Aegypto prælatus eſt.Cúmque in terra Chanaã fames exſurgeret,fratres ad Aegyptum venientes, Ioſeph prælatum Aegypto repererunt, eúmque ſummiſſis ad terram ceruicibus adorauerunt:quem ne adorarent,ideo vendiderunt; adeo conſilium Dei mutari non valuit. Tunc Ioſeph ſpiritu diſcretionis plenus, cognouit fratres non cognitus:Sed memor culpæ,& remiſſor iniuriæ,mala fratrum nec reddere ſtuduit,nec ſine caſtigatione laxare. Nam ſuſpecta voce,protinus dixit:* Exploratores eſtis, vt videatis infirmiora Geneſ.42. Geneſ.37.

terræ veniſtis. *O iaculum in corde! Peregrini venerant, famis periculum fugiebãt, frumenta quæ quærebant, non acceperant; & feriri, ſe inſuper iactatione criminis videbant. Inter hæc ducuntur ad carcerem & poſt triduum, adhuc in eadẽ aſperitate terrentur. Iam reditur ad cor: iam culpæ memoria pulſat animum: atque inter ſe inuicem loquũtur:* Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrẽ noſtrum, videntes anguſtiam animæ illius, cùm deprecaretur nos, & non audiuimus: idcirco venit ſuper nos iſta tribulatio. *In his autem, cor Ioſeph amore vincitur, ſeceſſum petit, ſoluit flendo, quod pietati debuit. Seuerus ad fratres reuertitur, vt cruciatas eorum animas à culpa liberaret. Poſthæc, vnus relinquitur in vinculis, dimittuntur cæteri cum frumentis, vt vnus frater veniat, quem minimum habere ſe dixerant, qui*
Geneſ. 44. *etiam poſtmodum venit. Vincebat mentem pietas, cum frater innocens videretur: ſed permanebat in oſtenſione aſperitas, vt fratres noxij purgarentur. Frumenta dantur: ſcyphus in ſacco Beniamin abſconditur: furti poſt eos quæſtio mouetur. Mittitur vt reducantur in ſeruitutem; decernitur, apud quem ſcyphus fuiſſet inuentus: in ſacco Beniamin inuenitur, tunc Beniamin reducitur: afflicti omnes fratres ſequuntur. O tormenta miſericordiæ! cruciat, & amat. Reuerſi igitur, in terram cum lacrymis proſtrati, veniam poſtulant. Memores enim, quid de illo patri*
Geneſ. 45. *promiſerant, mœrore intolerabili tabeſcebant. Tunc ſe vltra cohibere non valens pietas clauſa, prorupit in medium, & excuſſit caritatis lacrymas de vultu ſeueritatis. Deterſa eſt ira, quæ apparebat, & nõ erat: oſtenſa eſt miſericordia, quæ erat, & non apparebat. Sic vir ſanctus, facinus fratrũ ſuorum, & dimiſit, & vindicauit. Sic in rigore clementiam tenuit, vt delinquentibus fratribus non ſine vltione pius exiſteret, nec ſine pietate diſtrictus. Ecce hoc eſt magiſterium diſciplinæ: vt culpis & diſcretè nouerit parcere, & eas piè reſecare. Qui autem diſcretionem ſpiritus non habent, aut ſic dimittunt peccata, vt non corrigant: aut ſic quaſi corrigendo feriunt, vt non dimittant. Hactenus verba fuêre B. Gregorij.*

Dixítque Iſrael: In meam hoc feciſtis miſeriam, vt indicaretis ei, & alium habere vos fratrem.

SVB finẽ ſuperioris capitis Moyſes narrauit primùm omnino recuſaſſe Iacob mittere Beniamin cum reliquis filijs in Aegyptum: & dixiſſe verba illa acerbiſſimi doloris plena: *Abſque liberis me eſſe feciſtis: Ioſeph non eſt ſuper; Simeon tenetur in vinculis; & Beniamin auferetis: in me hæc omnia reciderunt.* Et paulò infrà:

Non

Non descender, inquit, *filius meus vobiscum: frater eius mortuus est, & ipse solus remansit: si quid ei aduersitatis acciderit in terra, ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos.* Philo præter ista verba Iacob, quæ memorat Moyses, refert dixisse Iacob quædam alia, sed ad eandem tamen sententiam pertinentia. Sic enim scribit: Tunc senex (Iacob) gemitum trahens ex imo pectore: Quem ego primum, inquit, deplorabo filiorum meorum? Penultimúmne, sed primum, calamitatum ordine? An secundo genitum, qui miseria primo proximus, non prius mortem sensit, quàm vincula? An minimum natu, cui abominanda profectio suscipienda est; si modò proficiscetur: fratrum infortunio factus nihilo cautior? Interim ego membratim pereo: nam parentum partes sunt liberi. Modò numerosa, felicíque prole stipatus, ad orbitatem recido. Sic Philo. *Philo in lib. de Ioseph.*

4 Verùm quæri posset, quemadmodum verè Iacob dixerit illud filiis suis: *In meam hoc feciſtis miseriam*: cùm illos non fecisse id, vt miserum redderent patrem suum, & historia ipsa planè ostendat, nec Iacob dubitare potuerit. Sed enim, dictum illud Iacob, non presse ac propriè accipiendum est, sed iuxta vulgarem loquendi consuetudinem, quam non rarò sequitur Scriptura. Cùm enim ex facto alicuius personæ, aliquid euenit, etiam præter consilium, & voluntatem eius, vulgo creditur, & dicitur id factum esse ab illa persona; quasi ea voluerit, & designauerit illud. Verbi causa, ex peccato mortali sequitur pernicies & exitiũ animi: quanquam igitur, qui peccat, non intendit exitium animæ suæ, nec odit eam: attamen, quia facit id, ex quo animæ suæ exitium accidit, dicitur odisse animam suam, & voluisse ac quæsiuisse perditionem suam: ad quam sententiam interpretandum est illud, quod in Psalm. 10. scriptum est: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Quanquam istic legendum esse putat Sanctus Hieronymus: *Odit anima sua*: Vt illud, *anima sua*, referatur ad Deum: hoc sensu: Anima Dei odit eum qui diligit iniquitatem. Sensus igitur illorum verborum Iacob: *In meam hoc feciſtis miseriam*, hic est, Ex eo, quod vos feciſtis, indicando isti Præfecto Aegypti, remansisse apud me fratrem vestrum minimum, factum est, vt ille iusserit eum duci ad se, quo abducto, ego fiam miser, timens illius interitum, vel captiuitatem. *S. Hieronym.*

Igitur Israel pater eorum dixit ad eos: Si sic necesse est, facite quod vultis: Sumite de optimis terræ frugibus in vasis vestris, & deferte viro munera, modicum resinæ & mellis, & storacis, & stactes, & terebinthi, & amygdalarum. VERS. 11.

5 VNC lacum referens & enarrans Philo, ita scribit: Iacob cùm esset vir sapiens, reputans cum animo suo tolerabilius esse vnius filij incertum periculum, quàm tot filiorum, suámq; perniciem, quæ propter domum fame oppressam,

vitari non poterant,respondit:Cedendum est necessitati,vt video.Fortasse natura viam hac ratione munit ad melius aliquid, quod nondum præuidere mente sumus idonei.Ite, & minimum quoque fratrẽ, quando ita videtur, assumite. Verùm aliter eundum nunc est, quàm anteà. Tunc pecunia tantum opus erat ignotis,ad emendum frumentũ euntibus,neq; vllam passis iniuriam. Nunc adiungenda sunt munera,tribus de causis:ad parandam præfecti annonæ gratiam,cui vos innotuisse dicitis: tum ad fratrem citius redimendum è vinculis : ac demum ad tollendam, quantum fieri potest, explorationis suspicionem. Proinde ex optimis, quæ nostra regio fert,ceu primitias, ferte isti homini : & duplex pretium, annumerato, quod retulistis proximè: fortassis enim per alicuius ignorantiam id accidit. Ego faustis precationibus abeuntes prosequar,commendans salutem vestram Seruatori Deo : vt & apud illius regionis indigenas, hospitibus conciliet gratiam, & vos restituat incolumes in patriam,vna cum fideicommisso, quod parenti debetis: tam priorem in vinculis relictum, quàm hunc, quem nunc abducitis adolescentulum, per ætatem, imperitum rerum omnium. Sic Philo.

Verba Hebræa, quæ Latinus interpres hoc in loco interpretatus est, 6
resinam,storacem,staćten,terebinthum,& amygdalas,tam Hebræi, quàm de
nostri studiosi & periti linguæ Hebrææ,variè admodum interpretãtur:
Caietanus. quam varietatem strictim indicauit Caietanus ad hunc modum: Pro *resina*,alij theriacam, alij balsamum, alij terebentinam interpretantur. Pro *storace*,alij ceram,alij aromata intelligũt.Pro *staćte*,alij castaneam, alij masticem,alij guttam, seu florem myrrhæ exponunt. Pro *terebintho*,apud omnes lego Pineas. Et his iunguntur amygdalæ,vt in vulgata etiam editione habetur.Hæc Caietanus.

Cur Iacob nolunt cõmittere Beniamin, Ruben, sed commisit Iudæ.

Cæterùm quæri dignum est, cur Iacob ad dimittendum Beniamin 7
permotus fuerit potius oratione ac promissis Iudæ, quàm ipsius Ruben,qui anteà id petierat obnixè à patre, & vt videtur,grauiori se obstrinxerat conditione ad reducendum Beniamin;neci offerens,& quasi deuouens filios suos,nisi Beniamin reduceret ex Aegypto ad patrem suum.Hęc enim fuit oratio Ruben ad Iacob sub finem capitis quadragesimi secundi à Moyse commemorata: *Cui respondit Ruben: Duos filios meos interfice,si non reduxero illum tibi:trade illum in manu mea,& ego eum tibi restituam. At ille:Non descendet*,inquit,*filius meus vobiscum.* Iudæ autem oratio & promissio mollior, ac leuior videtur fuisse: Sic enim locutus est patri suo, vt in hoc capite scribit Moyses; *Mitte puerum mecum vt proficiscamur, & possimus viuere, ne moriamur nos, & tu, & paruuli nostri.Ego suscipio puerum,de manu mea require illum.Nisi reduxero,& reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore. Si non intercessisset dilatio, iam vice altera venissemus. Igitur Israel pater eorum dixit ad eos: Si sic necesse est, facite quod vultis.* Videtur itaque grauius illud, quod dixit Ruben;*Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi:*quàm hoc quod dixit Iudas: *Nisi reduxero, & reddidero eum tibi,ero peccati reus in te*

omni

omni tempore: Iacob tamen, oratione Iudæ flexus est, non autem Ruben. Philo innuit causam huiusmodi, quòd Iudas potētior esset ad persuadendum: quoniā inter omnes fratres ingenio, animo, auctoritate, & facundia excellebat; & verba illa dixit patri non suo tantùm, sed aliorum omnium fratrum nomine. *Philo.*

8 Equidem reor, tres reddi posse eius rei valdè idoneas, & probabiles rationes. Primum enim Iudas, gratus, & carus erat patri, & propter eius prudentiam & grauitatem morum fidem eius dictis habebat. Ruben cōtrà, ingratus & inuisus erat patri, propter incestum ab eo admissum, violādo thorum paternum. Et hanc causam tradit Theodoretus quæst. 103. Quare, inquit, noluit Iacob committere Beniamin ipsi Ruben? Quoniam suspectus illi erat propter illegitimum congressum, & petulantiam in cubile patris commissam. Ignorabat autem Iacob quantum laborasset Ruben pro conseruando Ioseph. Sic Theodoretus. Deinde conditio, quam offerebat Ruben, necem dico filiorum suorum, erat iniqua, & absurda, & irrationabilis, & à Iacob nō solùm non accipienda, verùm etiam auersanda & execranda. Conditio verò Iudæ erat grauis, & rationabilis, & ad mouendum patrem perefficax. His adde, quòd quando Iudas illud dixit patri, erat maior frumenti inopia, vehementiórque fames, quàm antea fuerat, cùm Ruben dixit illud patri suo. Iacob itaque maiori permotus, victúsque necessitate, ne ipse cum omni familia periret, coactus est assentiri Iudæ, & dimittere Beniamin. *Genes. 45. Theodoret.*

9 Nonnulli hac ratione docent, tanto grauiorem fuisse conditionem, qua se patri obstrinxit Iudas, quàm Ruben, quanto grauior est pœna inseparabilis & perpetua, quàm temporaria & perfunctoria. Occisio enim filiorum suorum, quàm Ruben offerebat patri, breuis futura erat, citóque transitura: At verò pœna qua se obligauit Iudas, dicens: *Nisi reduxero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore:* Futura ipsi erat inseparabilis & perpetua: Quis autem non mallet breui & præsenti pœna, etiam mortis, semel defungi, quàm semper pauidam, & dolori obnoxiam vitam agere? Qui autem peccati reus est omni tempore, perpetua solicitudine & angore, & cōscientiæ trepidatione suspensam vitam agit. Scitum enim est quod ad hanc sententiam scripsit Ouidius: *Ouid lib. 3. de Pon.*

Mitius ille perit, subita qui mergitur vnda,
Quam sua qui tumidis brachia lassat aquis.

Meritóque celebratur illud Senecæ: Nemo tam est timidus, vt pendere semper malit, quàm semel cadere. Origenes, more suo, hæc referens ad mysticam intelligentiam, docet præterea grauiorem fuisse à Iacob æstimatam conditionem, quam offerebat Iudas', quod hæc figuraret pœnam æternam, quam luunt perpetuò impij post hanc vitam; quippe qui sunt peccati aduersus Deum rei omni tempore. Conditio autem à Ruben oblata, significabat temporarias præsentis vitæ pœnas, quæ quantumuis graues & acerbæ sint, breuissimæ tamen ac nihili censeri debent, præ quàm sunt improborum pœnæ post hanc vitam. *Origenes.*

VERS. 22. vsque in finem cap.

Et ait: Ponite panes: quibus appositis, seorsum Ioseph, & seorsum fratribus, Aegyptiis quoque, qui vescebantur simul, seorsum (illicitum est enim Aegyptiis comedere cum Hebræis, & profanum putat huiuscemodi cõuiuium) sederunt coram eo, primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam, & mirabantur nimis, sumptis partibus, quas ab eo acceperant: maiórque pars venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet. Biberúntque & inebriati sunt cum eo.

HISTORIAM huius conuiuij ad hunc modum enarrat Philo: Viso Ioseph fratre suo vterino Beniamin, non valens affectum animi reprimere, priùsquam eum prodere-ret, auerso vultu, & secedens quasi ad aliud negocium (nondum enim erat aperienda veritas) in quodam angulo effudit se in lacrymas. tum ablutus, & dolorem rationi subiiciens, ad hospites epulo accipiendos reuertitur, educto Simeone, quem in vinculis, tanquam obsidem illorum retinuerat: adfuerunt & alij conuiuæ, optimates nempè Aegyptiorum. Tractatio eorũ fuit iuxta morem cuiusque patriæ: durum enim visum esset, discedere à consuetis moribus, præsertim in conuiuio, vbi maximè cõuiuarum hilaritati, & iucunditati seruitur. Iussi deinde sunt iuxta ætatis ordinem sedere: nondum enim discumbendi mos receptus erat. Illi porrò mirabantur quod Aegyptij, non aliter, quàm Hebræi rationem ætatis haberent in honorandis hominibus, etiam in conuiuiis. Sic autem cogitabant secum: Fortasse hic Præfectus Aegypti, pro sua prudentia, non modò seriis & magnis rebus ad pacis, & belli studia spectantibus, inducit decorum ordinem, verùm etiam honestatem, & decentiam in istis leuioribus, & penè ludicris, quæ Aegyptij hactenus rudiores nesciuerunt. Nam in conuiuio, seruata grauitate, lætitia quæritur in primis. Interim cibi nõ valdè lauti, apponuntur, quòd Iosepho non liberet vti deliciis in publica penuria. Et hoc ipsum prudẽtes homines in laudem vertebant, vitari luxum intempestiuum, & inuidiosum: probantes consilium Ioseph, memoris, quid vel præsentem lætitiam, vel publicum statum deceret, & vtrique se accommodantis tempori. Fuit itaque opportunus, & minimè inuidiosus conuiuij apparatus, & quod ad luxum deerat, supplebatur hospitali comitate, lætis propinationibus, faustis ominationibus, ad hilaritatem hortationibus, & id genus iucundis inuicem confabulationibus: nimirum hæc ingenuis ac liberaliter educatis, gratiora sunt, quàm cibi potúsve lautitię, non magni pendendæ, nisi apud istos epulones, & vanissimos luxus ostentatores. Sic Philo. 10

PRIMA

PRIMA DISPVTATIO.

Super conuiuio, quod fecit Ioseph fratribus suis, & super verbis Scripturæ proximè antè positis.

12 QVIS fratrum Ioseph in animum suum inducere potuisset, sperare quod accidit eis, tantam videlicet tam breui tempore futuram vicissitudinem rerum, tantámque in animo Ioseph erga ipsos mutationem: vt quos ille anteà vt hostiles exploratores, durè, atque asperè, criminoséque tractasset, eos nunc non modò humaniter & beneuolè acciperet, verùm etiam conuiuio suo dignaretur? Verùm super eo cõuiuio quæstiones aliquot cursim & carptim tractandæ sunt.

Prima quæstio, Quorsum Ioseph illud cõuiuium instituerit.

Prima quæstio: quem ad finem Ioseph conuiuium illud fecit fratribus suis? Haud dubiè, vt ostenderet ac persuaderet eis, quamuis seuerè ac durè priùs eos tractasset, se tamen nec odio ipsos nec contemptui habere: cuius rei nullum poterat illustrius facere indicium & argumẽtum, quàm adhibendo eos conuiuio suo. Apud omnes enim gẽtes semper habitum est conuiuium, ceu illustre quoddam symbolum, pretiosúmque pignus amicitiæ & honoris, præsertim autem cõuiuia Principum. Romanos legimus agere quotãnis esse solitos conuiuia, quę Charistia appellabant, quibus interesse non licebat, nisi iis, qui sanguine inter se iuncti erant, vel arcta propinquitate affines in huiusmodi autem conuiuiis, amicos inuicem sermones habebant, & amicitiam, temporis fortasse iniuria, vel alia quapiam causa dissutam sarciebant: ac si quod fortè inter ipsos exortum esset dissidium, mutua benignitate inuicem condonabant. Super qua re quod breuiter prodidit Valerius Maximus, hîc apponam. Cõuiuium, inquit, Maiores nostri solemne instituerunt, ídque Charistia appellauerũt: cui, præter cognatos & affines, nemo interponebatur: vt si qua inter necessarias personas querela esset orta, apud sacra mensæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus Concordiæ adhibitis, tolleretur. Sic ille. Eôdem pertinent illi versus Ouidij:

Charistia Romanorum.

Valerius Maximus lib. 2. cap. 1.

Ouidius lib. 2. de Fastis.

Proxima cognati dixê re Charistia cari,
Et venit ad socios turba propinqua deos.
Dijs generis date thura boni: Concordia fertur
Illo præcipuè mitis adesse die.

Videtur igitur simile quodammodo fuisse illud conuiuium Ioseph, similíque de causa ab eo institutum.

Secunda quæstio de ordine conuiuarũ in sedendo.

Secunda quæstio, Quonam fuerunt ordine in illo conuiuio Ioseph dispositi cõuiuæ? Indicat hoc Scriptura illis verbis: *Quibus appositis, seorsum fratribus, Aegyptiis quoque, qui vescebãtur simul seorsum: sederuntq; corã eo primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam.* Hinc duo licèt cognoscere, quæ ad ordinem illorum conuiuarum pertinent; alterum est, eos non in vna omnes mensa consedisse, sed in tribus distin

distinctis & separatis mensis: id enim apertè significatur illis verbis, *Seorsum Ioseph, & seorsum fratribus, & seorsum Aegyptiis.* Erat igitur vna mensa principalis ad quam solus Ioseph sedebat, tanquam princeps & dominus. Vt ex hoc loco appareat, quàm sit antiquus mos, & olim, hodiéque à Principibus vsurpatus, vt etiam in publicis conuiuiis non se Principes iungant & misceant cæteris conuiuis: sed pro dignitate ac maiestate sua, propriâ habeant mensam, ad eámque soli resideant. Hoc autem fecit Ioseph, quòd idem antea factitare apud Aegyptios solitus esset; & vt hac etiã ratione occultaret se fratrib. suis, simulans Aegyptiũ se esse; ob ídque more Aegyptiorum, cum Hebræis confidere in conuiuio nollet. In altera mensa erant Aegyptij: non sanè quilibet Aegyptiorum, sed viri honorati ac primarij, qui officij & honoris gratiâ, assectabantur Ioseph. De quibus illud quod dicitur: *Qui vescebantur simul,* dupliciter potest intelligi: vel vt illud *simul* referatur ad illud conuiuiũ, ad quod Ioseph primates Aegyptiorum inuitasset, quò magis honoraret fratres suos, & suam illis magnificentiam & maiestatem demonstraret. Vel illud *simul* denotat, illos Aegyptios, solitos comedere eo tempore, quo Ioseph comedebat, quòd essent viri in primis honorati; non autem de numero famulorum Ioseph, qui ministrabant eius mensæ, atque eo ministerio peracto, postea comedebant.

Tertia mensa fuit, in qua erãt fratres Ioseph; & hanc mensam Ioseph coram se apponi iussit, vt hîc narrat Scriptura, maioris nempè benignitatis declarandæ gratiâ; quo videlicet eos videre, & ab ipsis videri posset: & si quid sermocinari luberet cum eis (per interpretem vtique) id commodius & iucundius posset. Erant porrò fratres Ioseph, ordinati secundùm ordinem ætatis cuiusque (& hoc est alterum illud, quod ex supradictis verbis Scripturæ colligitur) vt prior natu, priori loco sederet; & minimus natu, vltimo loco. Primus itaque in ea mensa sedebat Ruben, vltimus autem, Beniamin: Et hoc Scriptura vocat in hoc loco, (sedere iuxta primogenita sua,) id est, vt quisque primogenitus fuerat, ita primo loco ibi sedebat. Atque hunc morem, priorem in conuiuiis locum maioribus natu deferendi, plenum videlicet vrbanitatis & modestiæ, ac reuerentiæ, etiam à veteribus Romanis religiosè custoditum esse, legimus apud Valerium Maximum eodem, quo proximè dictum est, loco. Senectuti, ait ille, iuuentus ita cumulatum & circumspectum honorem reddebat, tanquam maiores natu adolescentium communes patres essent. Inuitati ad cœnam diligenter quærebant, quinam ei conuiuio essent interfuturi, ne senioris cuiuspiam aduẽtum discubitu præcurrerent: sublatáque mensa, priores consurgere eos, & abire patiebantur. E quib. apparet, cœnæ quoque tẽpore, quàm parco, & quàm modesto sermone; prę sentib. senioribus, soliti essẽt vti adolescẽtes. Sic ille.

Reuerẽtia iuniorum erga seniores, apud veteres Romanos.

Valerius Maximus.

Tertia quæstio, cur Ægyptij auersabãtur conuiuia Hebræorum.

Tertia quæstio: Cur Aegyptij tantopere auersabantur societatẽ Hebræorum in conuiuiis, testante Scriptura, illicitum putasse Aegyptios, atque profanũ, comedere cum Hebræis? Quidã referũt hoc ad fastum & supercilium, & superbiam Aegyptiorũ, qui exteras gẽtes, & omnium maximè 14

maximè Hebræos, vt ignobiles,& obscuros, viléſq; homines fastidiebant,atq; aspernabantur: cùm tamen ipsi Aegyptij propter impurissimos mores, & absurdissima instituta,legésq;,& vanissimas,atque execrandas superstitiones,omnium mortaliũ vanissimi, & contemptissimi haberi deberent.Dauid certè,propter has causas Aegyptios appellauit populum barbarum,dicens:*In exitu Israel de Aegypto,domus Iacob de populo barbaro* Verùm probabilius dictu fuerit,propterea Aegyptios tantopere abhorruisse à comedendo cum Hebræis,quòd Aegyptij nõ vescerentur carnibus pecorum;quin etiam pecora ipsa, quasi deos diuino cultu,& honore venerarentur, ob idque eorum occisionẽ perhorrescerent:Hebræi verò pecora mactarent,tum ad edendi,tum ad sacrificandi vsum.Hoc autẽ dupliciter probari potest ex ipsa Scriptura:primùm, ex hoc loco; vbi dicitur Aegyptios conuiuia Hebæorum habuisse pro illicitis & profanis: profana enim putabant, id est, impia, & contraria pietati & religioni suæ,qua ipsi colebant ea, pro diis, quibus occisis, & coctis vtebantur Hebræi pro quotidianis cibis.Deinde probatur idem ex cap. 8. Exodi : dicenti enim Pharaoni , vt Hebræi sacrificarent Deo suo in Aegypto,& non irent in desertum,respondit Moyses:*Non potest ita fieri: abominationes enim Aegyptiorũ immolabimus Domino Deo nostro. Quòd si mactauerimus ea quæ colũt Ægyptij corã eis, lapidibus nos obruẽt.*

15 Quæstio quarta super illis verbis: *Sederunt coram eo.* Vter mos antiquior fuit in conuiuiis, sedendíne, an accumbendi? In hoc enim Scripturæ loco, vt primùm mentio fit, quo statu corporis essent in conuiuio, dicitur in conuiuio Ioseph sedisse fratres eius ; & supra Genes. 37. legitur,fratres Ioseph sedentes comedisse. Eundémque morem tenuisse veteres Romanos,& item Lacones atque Cretenses,in antiquis memoriis est proditum. Nam ad illud Virgilij:

Quarta quæstio vter mos in conuiuiis antiquior fuerit sedendi ne,an accumbendi.

Perpetuis soliti patres considere mensis.

Ita scribit Seruius:Perpetuis, inquit, mensis, id est, longis ad ordinem exæquatis sedentium.Maiores enim nostri,sedentes epulabãtur; quem morem habuerunt à Laconibus,& Cretensibus,vt Varro dixit in libris de gente Populi Romani,in quibus docet,quid à quaq; traxerint gente per imitationem. Sic ille.Idémque confirmat Isidorus libro Etymologiarum 20.cap.11.Immo verò apud Homerum,Heroes inducũtur in conuiuiis sedentes, non accumbentes, vt notat Athenæus lib.1. Et addit hunc morem , interdum etiam seruasse Alexandrum Magnum , qui aliquando quadringentos duces,in sellis aureis,& argenteis,veste purpurea stratis,sedentes,ac reclinatos conuiuio excepit. Sed hæc pleniùs apud amicum meum , doctissimúmque virum Petrum Ciacconium in aureolo illo libro suo de Triclinio Romano. Aetas porrò sancti Ioseph, ampliùs quingentos quinquaginta annos belli Troiani tempus antecessit:vt hinc satis appareat,quanta sit vetustas sessionis in conuiuio,vt qua vsos esse fratres Ioseph in conuiuio eius,proditum sit à Mose.

Seruius.

M.Varro.

Isidorus.

Athenæus.

Petrus Ciacconius.

Quinta quæstio,super illis verbis: *Et mirabantur nimis,sumptis partibus quas ab eo acceperant.* Quænam fuerunt partes illæ , quas fratres Io-

Quinta quæstio de partibus , quas Io-

Ioseph dedit fratribus suis.

seph in conuiuio acceperant ab ipso? Fuisse puto fercula quę apponuntur conuiuiis, & quos Latini vocant Missus. Quanquam nomine etiam partium appellari à Latinis Scriptoribus, ostendit Suetonius ita scribēs de Caligula: Qua epulatione, equiti Romano contra se hilariùs, auidiúsq; vescenti, partes suas misit. Fuisse autem olim solenne in cōuiuiis, eum qui inuitauerat, partes mittere ad conuiuas, præsertim honoratiores, sibiúque cariores non solùm præsentes, sed etiā absentes, apud Græcos & Latinos Scriptores legimus: de Cyro hæc scribit Xenophon lib. 8. Si apponeretur sibi suaue quid, non solus ipse id comedebat, sed impertiebatur etiam præsentibus. Frequenter etiam mittebat absentibus amicis de iis cibis, quibus ipse delectabatur. Quinetiam vbi cœnatum erat; reliquias omnes mittebat Cyrus de mensa sua. Traditum etiam memoriæ est, Regem illum percelebrem Lacedæmoniorū, Agesilaum, duplicē in conuiuiis partem accipere solitū: non vt ipse vesceretur vtraque, sed vt mitteret alteram amicis, sibi alterā reseruās. Dicebat enim, ideo Regi duplicari obsonia debere, nō satietatis suæ causā; sed vt quos vellet, sic honorare posset. Et Capitolinus, Pertinacis Imperatoris parcimoniam enarrans: Amicis, inquit, suis si quando de prandio mittere voluit, misit offulas binas, aut omasi partem, aliquando lumbos gallinaceos: fasianum, nunquam priuato conuiuio comedit, aut alicui misit.

Sexta quæst. Quot numero fuērāt partes datæ fratribus Ioseph, & de numero ferculorū in conuiuiis, apud Veteres.

Sexta quæstio: Quot numero fuēre partes illæ, siue fercula, & missus 17 dati fratribus Ioseph? Thostatus significat fuisse quinque, idque coniectat ex eo, quod Scriptura dicit hoc loco, Beniamin quinq; partibus plus accepisse, quàm vnum quemlibet fratrum suorum: quasi cuilibet fratri datæ fuissent quinque partes, sed quia pars quælibet istarū quinque data Beniamin, erat duplo maior, quàm aliorum fratrum, ideò ad vltimum Beniamin quinque partibus superauit alios. Circa hoc autem fuisse magnam apud veteres Romanos, parcimoniam, ostendit Seruius super illum versum Virgilij:

Fit strepitus tectis, vocémque per ampla volutant.
Atria.

Augustus Cæsar.

Scribit enim, Veteres Romanos, vt traditū est à Catone, & in atrio, & duobus ferculis epulari solitos. De Augusto quoq; Cæsare scriptum est, cœnasse eum ternis, vt plurimùm, ferculis, aut eum abundantissimè senis præbuisse conuiuium. Cuius frugalitati quantoperè cōtraria fuerit intemperantia, & luxus Elagabali demonstrat Lampridius ita de eo scribens: Exhibuit aliquando tale conuiuium, vt haberet viginti & duo fercula ingentium epularum, & per singula, manus, quasi iam comedissent, lauarent. Ex hoc præterea conuiuio Ioseph licet intelligere, antiquissimum fuisse morem in conuiuiis, non in commune vescendi, eadémque de patina conuiuas omnes cibum capiendi, sed singulis conuiuis singulas partes separatim & propriè assignandi. Verùm super hac re quæstionem doctè agitat in vtramque partem Plutarchus in lib. 2. Quæstionum Sympoſiacarum, quæst. 10.

Elagabalus.

Antiquiores singulis cōuiuis dandi singulas partes, quàm in communa vescendi.

Plutarchus.

Septima quæstio, Quid

Septima quæstio super illis verbis: *Et mirabantur nimis sumptis partibus,*

bus, quas ab eo acceperãt: maiorq; pars venit Beniamin. Cur, aut quid mirabantur fratres Ioseph? Lyranus & Thostatus aiunt, illud miratos esse fratres Ioseph, quòd Ioseph quem ipsi credebant extraneum, & Aegyptium, & suorum morum atque institutorum planè ignarum, ita eos sedere fecisset, vt sedere ipsi in domo patris sui solerent: & quòd sine errore eos secundùm ordinem ætatis in sedẽdo dispositisset. Sic illi. Quibus suffragari videtur Philo, ita scribẽs: Iussi deinde sedere iuxta ætatis ordinem, mirabantur, quòd Aegyptij, non aliter quàm Hebræi, rationem ætatis haberent in honorandis hominibus: ídque tribuebant prudentiæ Ioseph, qui non solùm seriis, & magnis rebus ad pacis, bellíque recta munia spectantibus, sed etiam domesticis & ludicris, & conuiualibus decorum ordinem induxisset, cuius antea rudes, expertésque fuissent Aegyptij. Sic Philo. Contraria est sententia Caietani, arbitrantis, idcirco miratos esse fratres Ioseph, quod in accipiendis ab eo partibus, tanto superior ipsis fuisset Beniamin, licèt, tanquam natu minimus, vltimus in sedendo fuisset. Admiratio illa fratrum Ioseph, inquit Caietanus, non quadrat sessioni eorum ordinatæ secundùm ætatem cuiusque, non enim res hæc digna fuit admiratione: sed quadrat distributioni subiunctæ partium, in qua Beniamin prælatus apparuit omnibus. Sic ille. Et hoc videtur congruere cum verbis illis Scripturæ: *Et mirabantur nimis, sumptis partibus, quas ab eo acceperant: maiórque pars venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet.*

admirarentur fratres Ioseph.
Lyranus.
Thostatus.
Philo in libro de Ioseph.
Caietanus.

19 Octaua quæstio: Quomodo intelligendum est, partẽ Beniamin tanto maiorem fuisse partibus aliorum fratrum, vt quintuplo excederet, sicut ait Scriptura: *Maiórque pars venit Beniamin: ita vt quinque partibus excederet.* Quatuor id modis potest intelligi. Primò, vt cuilibet aliorum fratrum vnum duntaxat ferculum apponeretur; Beniamin verò sex fercula. Sed hoc non est credibile: nimis enim illiberaliter tractasset fratres suos Ioseph in tam magnifico conuiuio, quo volebat & suam erga illos benignitatem, suámque magnificentiam declarare: in huiusmodi enim conuiuiis præcipua ratio multitudinis & varietatis ferculorũ habetur. Quid quòd insignem fecisse videretur iniuriam fratribus, & præ vno Beniamin alios omnes contempsisse? Deinde existimari posset, paria quidem numero fuisse omnibus data fercula, verùm quodlibet ferculum datum Beniamin, fuisse quintuplo maius quodlibet ferculo aliorum fratrum. Verùm nec hoc est verisimile. Nam cùm quodlibet ferculum aliorum fratrum satis esset copiosum, pro magnificentia illius conuiuij nimis profectò superuacaneum fuisset, quolibet ferculum Beniamin fuisse quintuplo maius. Præterea cogitari posset, cuilibet ceterorum fratrũ plura esse data fercula, verbi gratiâ, tria; at verò Beniamin tanto plura esse data, vt quinq; ferculis cæteros fratres excederet, verbi gratiâ data ei fuisse octo fercula. Et hoc sanè nihil habet absurdi. Ad extremum, existimari potest, cuilibet fratrum data esse à Iosepho quinque fercula, sed hoc discrimine, vt quodlibet ferculum Beniamin, duplo maius esset quolibet ferculo aliorum fratrum;

Quæst. octaua
Quomodo intelligẽdum sit partem Beniamin quintuplo maiorem fuisse.

ità vt totum quod datum est Beniamin, duplo maius esset quàm erat totum datum singulis fratribus, sed in eo tamen quod datum est Beniamin, quinque partes, siue medietates erant, supra id quod datum erat cuilibet fratrum eius. Quapropter verè dici potest, id quod datum est Beniamin, quinque partibus fuisse maius eo quod datũ est cuilibet fratrum eius: & item nihilominus verè dici potest, quod datum est Beniamin, id duplo tantùm fuisse maius, quàm quod singulis aliorũ fratrum datum est. Ex quo facilè intelligitur, Ioſephum ſcribẽtem in 1. lib. Antiquitatum, vbi refert hanc hiſtoriam, Ioſeph in illo conuiuio liberaliter tractaſſe alios fratres, ſed Beniamin duplicibus partibus honoraſſe, non diſcrepare ſecũdùm rei veritatem ab eo quod Scriptura dicit hoc loco, Beniamin quinque partibus exceſſiſſe alios fratres: hac certè ratione dictum illud Ioſeph Auctor Hiſtoriæ Scholaſticæ interpretatur.

Ioſephus.

Hiſtoria Scholaſtica.

Nona quæſt. Cur id facere voluit Ioſeph erga Beniamin, vt is quinq; partibus excederet alios fratres; Apud Euſeb. lib. 9. de Præpar. Euangelica, cap. vlt. Alexander Polyhiſtor rationem reddit eius rei nequaquam hoc loco reticendam. Sic enim de eo ſcribit ibi Euſeb. Quæſtionem etiam mouet, cur in prandio quincuplas germano ſuo Beniamin partes Ioſeph apponi iuſſerit. Reſpondet, propterea id factum eſſe ab eo, quoniam ſeptem filios Lia patri eius pepererat (ſex mares, & vnam fœminam) Rachel autem mater ſua duos tantùm. Propterea Ioſeph, quinque partes dediſſe Beniamin, & duas ipſe ſibi accepiſſe: vt ſeptem etiam ipſi partes, quot & Liæ filij, haberent, ne domus matris ſuæ minor videretur. Sic ille. Lyranus & complures alij putant id eſſe factum à Ioſeph, vt tentaret animos fratrum ſuorum erga Beniamin, exploraretque num inuiderent ei, ægréque ferrent ſibi prælatum eſſe in conuiuio, ſicut inuiderãt ſibi quòd plus ipſis diligeretur à patre. Sed quanquam hoc videtur ſatis probabiliter dici, contra id tamen *facit, quòd* poſtquam Ioſeph iam ſe manifeſtauerat fratribus ſuis, & *liquidò* cognouerat in periculo Beniamin fuiſſe eos peramantes eius, & pro ſalute ipſius ſatagentes ac ſolicitos; ſimiliter tamen illis prætulit Beniamin: cùm enim ſingulis dediſſet binas ſtolas, Beniamin dedit quinas, & inſuper argenteos trecentos. Similius igitur verò eſt id feciſſe Ioſeph, quòd Beniamin ſibi coniunctior eſſet, & carior cæteris fratribus, cùm eſſet frater ſuus vterinus, & vnicus eodem patre matréque generatus & quòd in ſui locum ſucceſſiſſet apud Patrem, quantum ad ſingularem amorem & curam eius.

Quæſtio nona, cur ita præferre Ioſeph voluerit fratrem ſuum Bẽiamin aliis fratribus.

Alexãder Polyhiſtor apud Euſeb.

Lyranus.

Geneſ. 37.

Iſto præterea facto Ioſeph erga Beniamin, præfigurata eſt (ſecũndùm Ambroſium & Proſperũ) futura ſuper omnes cœleſtium donorũ inß. Paulo (qui fuit è tribu Beniamin) exuperantia. Is enim ſingulari quidã Apoſtolici muneris gratia, & cœleſtis ſapiẽtiæ præſtãtia, & perpeſſione laborum, in prędicando Euangelio, & re Chriſtiana per omnem terarum orbem promouẽda, videtur alios exceſſiſſe ac ſuperaſſe. Vndeipſe dixit: *Abundantius omnibus laboraui: & Miniſtri Chriſti ſunt: & ego (vt minùs ſapiens dico) plus ego* Vide ipſum 1. Cor. 15. & 1. Cor. 11. & 12.

Decima

Decima quæstio super illis verbis: *Biberuntq́, & inebriati sunt cũ eo.* Nónne fuit notabilis intemperantiæ, tam immodicè in eo cõuiuio potasse Ioseph cũ fratribus suis, vt ebrij fierẽt? Ebriis porrò accidit, quod sibi contigisse Terentianus ille Cremes ebrius & ipse confitetur.

Decima quæstio, An ebrietas Ioseph & fratrum eius pertinuerit ad peccatũ ebrietatis.

At, at, inquit, *hercle verba mihi data sunt: vicit vinum quod bibi:*
At dum accubabam, quàm videbar mihi esse pulchrè sobrius?
Postquam surrexi, neque pes, neque mens satis suum officium facit.
In Eunuch.

Sed nõ ita res habet, nec peccati ebrietatis accusandus est Ioseph. Verùm scire cõuenit, verbũ inebriandi, secundùm proprietatẽ linguæ Hebrææ sæpenumero idẽ significare, quod largè & abundãter, & hilariter, citra ebrietatis tamen vitium, bibere: sæpéque transferri ad res etiam irrationales, ad significandum ingentem copiam & abundantiã cuiuspiam rei. Audi Beatum Hieronymum super hac re ita scribentem: Idioma linguæ Hebraicæ est, vt ebrietatem pro satietate ponat. Sicut ibi: *In stillicidiis eius inebriabitur germinans*: haud dubium quin terra pluuiis irrigata. *Sic* ille. Ad eandam sententiam, sed latiùs & distinctiùs S. Aug. hæc scribit in quæst. 144. in Genesim: Solent, inquit, ebriosi homines hinc sibi adhibere testimonij patrocinium, non propter illos filios Israël, sed propter Ioseph, qui valdè sapiens cõmendatur. Sed inebriandi verbum, & pro satietate solere poni in Scripturis, qui diligenter aduerterit, multis in locis inueniet. Vnde est illud, *Visitasti terram & inebriasti eam: multiplicasti ditare eam*: Et quia in laude benedictionis hoc positum est, & tanquam donum Dei cõmemoratur, satis apparet ebrietatis vocabulo ibi satietatem significari. Nam sic inebriari, vt inebriãtur ebriosi, nec ipsi terrę vtile est; quoniam maiore, quàm satietati sufficit, humore corrumpitur: sicut vita ebriosorum qui non satietate se replent, sed mergunt diluuio. Sic Augustinus.

S. Hieron. in traditionibus Hebraicis in Genesim.
Psal 74.
S. August.
Locus Psalm. 74.

30 Ergo verbum inebriãdi dupliciter in sacris litteris vsurpatur. Interdum enim accipitur iuxta vulgarem consuetudinem, ea ratione vt ponitur in vitio: significat enim, in tãtum repleri vino, vt & corpus in sensu, & motu perturbetur; & animus in recto rationis vsu. Nimio enim vino sumpto, & sursum vaporante, caput oppletur: & quia inde sensus & motus ad vniuersum corpus deriuãtur, perturbato cerebro, necesse est motũ & sensum aut impediri, aut deprauari: inde est titubatio linguæ, & vacillatio pedum. Ac licèt intellectus noster non sit affixus organo, sed incorporeus sit atque immaterialis; indiget tamen in operando, obiectiuè, vt bene affecta sit phantasia; necesse enim est, auctore Philosopho, intelligentem Phantasmata speculari. Hinc fit, vt nimio vini potu, perturbato cerebro, confusáque phantasia, functiones itidem mentis confundantur, & vitientur: quò pertinet illud celebre Aristotelis dictum: *Intelligere & speculari marcescit, aliquo interius corrupto, ipsum autem impassibile est.* Huiusmodi porrò ebrietatis, notabilis turpitudinis effectus paucis verbis attigit Plinius, ita scribẽs: Hinc pallor, & genæ pendulæ, oculorum vlcera, tremulæ manus, labantésque pedes, & (quæ sit pœna præsens) furiales somni, & inquies nocturna. Præmiúmque sum-

Verbum inebriãdi dupliciter in Scriptura vsurpatur.

Aristoteles lib. 3. de Anim. text. 39.
Aristoteles lib. 1 de Anim. tex. 65.
Plin. lib. 14. cap. 22.

mum ebrietatis, libido portentosa, ac iucundum nefas. Postera die, ex ore halitus fœtidi, ac ferè rerum omnium obliuio mórsque memoriæ. Sic Plinius. Verùm in huiusmodi tam turpem, & dãnosam, probrosámque ebrietatem incidisse sanctum Ioseph, nequaquam existimandũ est.

Altero modo, & sanè frequenter, verbum inebriandi, vsurpatur in 23
Scriptura citra vitium, prout significat largè & copiosè, & cum magna animi iucunditate, & voluptate bibere, illæsa tamen mentis, & sensuum integritate: &, vt dixi, non solùm, sic vsurpatur in hominibus, sed etiam in rebus ratione carentibus: In Psalmo enim 64. verbum *inebriandi*, hac significatione vsurpatum sæpiùs inueniet Lector. Hunc etiam intellectum habent illa: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ:* id est, replebuntur, & saturabuntur. Et, *Comedistis, & non estis saturati: bibistis, & non estis inebriati.* Id autem est; Non estis, restincta siti, planè repleti & saturati: & item illud: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Id est, nolite repleri vino, vel largè & abundanter indulgere vino: ex eo enim ebullit & efferuescit lasciuia, & libido: siquidem venter madens atque æstuans vino, facilè despumat in libidinem: sicut contrà, parcus vini vsus arcet libidinem: verum enim est illud comicum:

Aggæi 1. *Psalm. 35.* *Locus ad Ephes. 5.*

Sine Cerere & Bacchho friget Venus.

Terentian. in Eunuc.

Ergo illud: *in quo est luxuria*, non refertur ad vinũ præcisè, sed ad illud: *Nolite inebriari vino*, id est, repleri, quasi larga & exuberans vini potatio parens sit luxuriæ.

SECVNDA DISPVTATIO, quæ est Philonis.

An omnis ebrietas in vitio sit, & omnino fugienda viro Sapienti.

QVOD hîc narrat Moyses de ebrietate sancti Ioseph, & 24
fratrum eius, adduxit me ad voluntatem commemorandi hoc in loco disputationem quandã Philonis de ebrietate, perpulchram sanè, nec alienam hoc loco, & gratam Lectori futurã. Disputat autem Philo in eo libro quem inscripsit de Plantatione Noë, Vtrum omnis ebrietas vitiosa sit, & fugienda viro bono, & sapienti, an verò aliqua esse possit inculpabilis, nec Sapienti viro indecens: Est autem copiosa, & perquàm erudita disputatio, & his fermè verbis ab eo explicata: Quæritur, inquit, vtrum Sapiens aliquãdo inebriabitur. Est autem duplex ebrietas, altera, vino repleri & madere, altera pro vino delirare. Super hac quæstione differuêre multi ac nobiles Philosophi: quorum alij negãt vel nimio mero vsurũ Sapientem, vel deliraturum ob pocula: hoc enim manifestũ esse peccatum: illud, peccati causam esse, vtrumque porrò boni viri officio contrariũ. Alij cõcedunt bono & sapienti viro indulgere interdũ vino, sed

Philo. Duplex ebrietas.

sed delirare præ nimio potu, nequaquam: Prudentiam enim eius sufficere propulsando, si quid nociturum videatur. Tantam enim Prudentia vim habet ad restinguendos affectus, siue feruenti amoris œstro inflammatos, siue multo vino calentes, vt his omnibus euadat illa superior. Quemadmodũ & in profundo flumine, vel in alto mari vrinantes, partim pereunt, imperiti videlicet natandi, partim natationis gnari, sine periculo & labore sursum enatant. Similiter nimium vinũ, torrentis modo, inundans animam, nunc oppressam in imum vsque fundum ignorantiæ demergit: nunc à salutari eruditione subleuatam non potest vllo modo lædere. *Pulchra similitudo.*

Sed istorum Philosophorũ alteri non satis animaduertentes cũ quãto malo sapientem suum componant, è sublimi eum, tãquam aucupes, in terram detrahunt, vt in calamitates, quibus ipsi laborant, inducant. Alteri diuersam temperãtiæ virtutem intuentes, fateri coguntur, quòd qui haurit vinum immoderatius, impos sui factus, aberrabit facilè: nec manus solùm, sicut athletæ victi, demittet; sed ceruice quoque ac capite defluente, genúque labante, ac pessum eunte toto corpore, procidet. De hac igitur re præmonitus, non temerè in bibacitatis certamen vltrò descendet: nisi fortè propter magnam vtilitatem, puta, salutem patriæ, aut honorem parentum, aut liberorũ, aliorúmque sibi coniunctissimorum securitatem: aut, vt dicam in vniuersum, ob ingens aliquod & magni momenti, vel priuatum, vel publicum negocium. Nunquam enim sustinebit intra se recipere venenum mortiferum, nisi admodum iniquo tempore, per quod ex vita profligetur, tanquam ex patria. Nam hoc vini venenum (sic enim appellari verè potest) si non mortem, certè creat insaniam, dicerem etiam mortem, cuius accessu præcipua nostri pars, mens quodammodo interit. Nam quantum equidem intelligo, separatio corporis ab anima, quæ est mors, leuior ducenda est, quàm alienatio mentis, & recti vsus rationis priuatio. Et, si cui detur optio, illa potiùs, quàm hæc eligẽda fuerit. Quapropter prisci Græci artem vini parandi μαινοβρόην hoc est, insanientem vocarunt, & occupatas hac arte Bacchas, Mænades dixerunt: quòd insaniæ ac desipientiæ causa sit vinum immoderatè sumptum. *Vinum venenum.*

25 Sed redeamus ad duas illas Philosophorum opiniones de ebrietate suprà positas: alteris, sapientem admissurum ebrietatem aientibus, alteris è diuerso id constanter pernegantibus. Prior opinio his argumentis niti videtur. Quædam esse homonyma, alia synonyma vocabula constat: hæc sunt multæ voces, sed eandem rem significantes, vt sagitta, telum, spiculum; item scipio, virga, baculus. Homonyma vox, vna quidem est, sed diuersas admodum res significans: vt vocabulũ canis, est homonymum: nam & terrestre, latrans animal, canis dicitur, & marina bestia, & cœleste sydus, quod Autumnale Poëtæ vocant, quòd ineunte autumno exoriatur, maturandis, perficiendísque fructibus: Aristippus quoque, & Diogenes, atque horum disciplinæ sectatores, Cynici, id est, Canes dicti sunt. Consimili ratione, vinum, & merum, & teme

& temetum, ſynonyma ſunt idem ſignificantia: nomen enim temeti apud Poëtas paſſim obuium eſt: quæ igitur hinc deriuantur, nõ re, ſed voce diſcrepant, vt vini ſaturitas: & temulentia: quæ vtraque nimium vſum ſignificant, multis de cauſis bono viro fugiendum. Qui ſi vino replebitur, pariter etiam temulentus erit, nec grauiùs lædetur, quàm ſi vino ſimpliciter expletus ſit. Atque hæc eſt vna Philoſophorum ſententia de Sapientis ebrietate.

Altera verò aliorum Philoſophorum ſentẽtia talis eſt; Noſtræ tem- 26
peſtatis homines, paucis exceptis, nihil priſcorum hominum habere ſimile; ſed verbis, & factis plurimùm ab illis diſcrepare, longiſſiméque diſtare. Nunc enim vſque ad animi atque corporis languorem potant, abſque reſpiratione bibentes: & vltrò pincernas vrgent, & indignantur illis ceſſantibus, dum caldam, quam vocant, frigefaciunt, & deliramentum illud Homericum, ſcilicet potandi certamen conuiuiis ſuis repræſentant. In quo certamine vehementer conflictantur, auriculas, nares, manuum extremos digitos, & alias corporis partes ſibi prærodentes inuicem. Atque hæc ſunt, vt videmus huius nouæ, quæ nunc introducta viget, conuiualis lætitiæ, atque hilaritatis præmia. At priſci homines, omnis honeſtæ actionis initium à ſacris faciebant, ita demum finem optatum ſperantes. Et quamuis rei gerendæ tempus ægrè cunctationem pateretur; ante omnia tamen curabant, vt votis ritè peractis litaretur, pro lucro moram hanc reputantes: inconſulta enim celeritas nocet; cunctatio autem ſæpè affert vtilitatem: ſcientes igitur quòd vini vſus magna cautione opus habeat, nec affatim, nec ſemper adhibebant vinum, ſed decenter, & ſuo tempore. Peractis enim votis, & ſacrificiis placato numine, poſt purificationem corpòrum & animarum, aquis abluti, & imbuti ſacrarum legum cognitione, hilares & læti ad remiſſiorem victum ſe conferebant, ſæpe ne domum quidem repetentes, ſed in templis vbi ſacra fecerant, permanentes, vt & ſacrificij memores, & locum reueriti, ſacroſanctum reuera celebrarent conuiuium, nec verbo, nec facto vllo peccantes. Ex hoc more natam aiunt eſſe vocem μεθύειν, quaſi μετὰ τὸ θύειν, quia poſt ſacra, demum priſci indulgebant poculis. Talis vſus vini, cui magis, quàm viris ſapientibus conueniat, quibus nunc quoque debetur ea, quæ potationem præcedit, ſacrorum operatio?

Nota Priſcorũ temperantiam cum pietate cõiunctã.

Tertia ratio fit per diuerſam etymologiam probabilis. Sunt enim 27
quidam, qui putant huic rei non ideo tantùm eſſe datum iſtud nomen, quia ſoleat ſequi, & fieri poſt ſacra: Sed ἀπὸ τῆς μετάσεως, id eſt, à remiſſione animi. Relaxatur porrò inſipientium ratio, & animus ad peccandum licentiùs: at eorum qui rectè ſapiunt, potu vini relaxatur mens ad fruendũ tranquillitate atque hilaritate: fit enim vir ſapiẽs, vino maceratus, ſeipſó ſuauior: proindè ne hoc quidẽ modo errabimus ſi ei potionẽ cõcedemus. Huc accedit & illud, quod ſapientia nõ eſt res dura, neque tetrica, neque deuincta cogitationibus triſtibus, ſed perpetua tranquillitate hilaris, plenáque gaudio ac lætitia; vnde ſæpe prorumpit

in non

in non insulsos lusus & dicteria, coniuncta tamen semper cum grauitate seria: quemadmodum in bene temperata lyra contrarij soni in vnam melodiam ritè consonant. Certè iuxta sacri Moysis opinionem, Sapientiæ finis, lusus & risus est non iste, quo pueri delectantur, sed quo homines cani, qui non tàm consenuerunt tempore, quàm bonis consilijs. Nónne vides filium Abrahæ nominatum esse Isaac, id est, non risibilem tantùm, quod est commune omnium hominum, sed ipsum risum & gaudium? quem conuenit ludere cum tolerantia, quæ est vxor eius Rebecca, hoc enim Hebræis nomen istud interpretatur. Diuinum autem lusum, animo plebeio, non est fas videre; soli Regi licet, cum quo diu habitauit (etiam si non omni æuo) Sapientia. Is appellatur Abimelech, qui prospiciens per fenestram, id est, per apertum, & luciferum mentis oculum, Isaac vidit ludentem cum Rebecca vxore sua. Quod enim aliud negotium sapientem decet magis, quàm bene sentiendo & agendo gaudere, exhilarari & ludere cum honesta tolerantia? *Alludit ad historiã quæ narratur Gen. 26.*

28 Ex his concluditur, sapientem fore aliquando temulentum, quatenus temulentia conferet ad bonos mores, & afferet coniunctam vtilitati relaxationem: videtur enim vinum ea quæ cuique à natura sunt indita, augere, & intendere siue bona, siue mala sint, nam & hoc aliæ item res pleræque faciunt. Siquidem pecunia bono viro auctor bonorum est; malo autem contrà, ingentium est malorum seminarium. Gloria quoque insipiẽtis malitiam reddit illustriorem: sicut iusti virtutem, nobiliorem facit. Similiter & vinum infusum corporibus, malas temperat animi affectiones; bonas verò, benignas, & clementiores efficit. Certè nemo, non planè rudis Philosophiæ, nescit, è duobus contrarijs, si vnum pleriſque conueniat, etiam alterum necessariò conuenire; vt album & nigrum sunt inter se contraria: si album bonis promiscuè malisq; cõuenit, & nigrũ itẽ vtrisque similiter cõueniet, nec solùm alteris: sobrietas autẽ & ebrietas contraria sunt inter se, sunt autem sobrietatis participes, vt Maiores docẽt, boni malique, vtrisque igitur etiã conueniet ebrietas: ergo inebriabitur etiã vir bonus absque vllo virtutis detrimento. Quod si tanquã pro tribunali, non solùm argumentis, sed etiam testibus vtendũ est, multos, & in primis laudatos, & medicos, & philosophos commemorare possumus, qui non verbis modò, sed etiam scriptis huic sententiæ suffragati sunt. Multos enim reliquerunt Commentarios intitulatos de ebrietate: quorum confessione constat, temulentiam non esse aliud, nisi potationem quãdam largiorem, hauriréque vinum largius, & abundantius solito, citra mentis tamen atque sensuum integritatis, rectíque vsus detrimentum, non obfuturum sapienti: etsi id faciat in tempore, & in loco, & quemadmodum, & quatenus oportet, nullo modo peccaturum. Hactenus ex Philone. Ex cuius disputatione licet intelligere, ebrietatem Ioseph, & fratrum eius, quam narrat in hoc loco Scriptura, fuisse talem, qualem Philo ait sapienti honestam, & vtilem nonnunquam esse.

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA IN CAPVT QVADRAGESIMVM QVARTVM GENESIS.

ARGVMENTVM.

Ioseph scyphum in sacco Beniamin abscondi iubet: quo mox, quasi furto esset sublatus, diligenter quæsito, & denique in sacco Beniamin inuento, eum tanquam furti reum detinere Ioseph volente, vehementer satagit & laborat Iudas apud ipsum, pro liberando Beniamin.

1 PRÆCEPIT autem Ioseph dispensatori
domus suæ, dicens: Imple saccos eorum
frumento, quantum possunt capere: &
pone pecuniam singulorum in summita-
te sacci. Scyphum autem meum, & pretiũ
2 quod dedit tritici, pone in ore sacci iunio
ris. Factúmque est ita. & orto mane, di-
3 missi sunt cum asinis suis. Iámque vrbem exierant, & proces-
4 serant paululum, tunc Ioseph acersito dispensatore domus, Sur-
5 ge, inquit, & persequere viros, & apprehensis dicito, Quare
6 reddidistis malum pro bono? Scyphus quem furati estis, ipse
est in quo bibit dominus meus, & in quo augurari solet: pessi-
mam rem feciſtis. Fecit ille vt iusserat, & apprehensis per ordi-
7 nem locutus est. Qui responderunt: Quare sic loquitur domi-
8 nus noster, vt serui tui tantum flagitij commiserint? Pecuniam

quam

quam inuenimus in ſummitate ſaccorum,reportauimus ad te
de terra Chanaam:& quomodo conſequens eſt vt furati ſimus
de domo domini tui aurum vel argentum?apud quemcumq; 9
fuerit inuentum ſeruorum tuorum quod quæris,moriatur,& 10
nos erimus Domini noſtri. Qui dixit eis: Fiat iuxta veſtram
ſententiam:apud quemcumque fuerit inuẽtum, ipſe ſit ſeruus
meus,vos autem eritis innoxij.Itaque feſtinatò deponentes in 11
terram ſaccos aperuerunt ſinguli.Quos ſcrutatus, incipiens à 12
maiori vſque ad minimum, inuenit ſcyphum in ſacco Beniamin. At illi,ſciſſis veſtibus, oneratíſq; rurſũ aſinis, reuerſi ſunt 13
in oppidum. Primúſque Iudas cum fratribus ingreſſus eſt ad 14
Ioſeph(necdum enim de loco abierat)omnéſque ante eũ pariter in terrã corruerũt. Quibus ille ait:Cur ſic agere voluiſtis? 15
an ignoratis quòd non ſit ſimilis mei in augurãdi ſcientia?Cui
Iudas:Quid reſpondebimus,inquit, Domino meo? vel quid 16
loquemur,aut quid iuſtè poterimus obtendere? Deus inuenit
iniquitatem ſeruorum tuorum;en omnes ſerui ſumus domini
mei,& nos,& apud quem inuentus eſt ſcyphus.Reſpondit Io- 17
ſeph: Abſit à me vt ſic agã,qui furatus eſt ſcyphũ,ipſe ſit ſeruus
meus:vos autem abite liberi ad patrem veſtrum. Accedens au- 18
tem propiùs Iudas,confidenter ait:Oro domine mi, loquatur
ſeruus tuus verbum in auribus tuis,& ne iraſcaris famulo tuo:
tu es enim poſt Pharaonem dominus meus.Interrogaſti priùs
ſeruos tuos,Habetis patrem,aut fratrem? Et nos reſpondimus 19
tibi domino meo:Eſt nobis pater ſenex,& puer paruulus, qui 20
in ſenectute illius natus eſt;cuius vterinus frater mortuus eſt:
& ipſum ſolum habet mater ſua, pater verò tenerè diligit eũ.
Dixiſtique ſeruis tuis:Adducite eum ad me,& ponam oculos 21
meos ſuper illum.Suggeſſimus domino meo:Non poteſt puer 22
relinquere patrem ſuum:ſi enim illum dimiſerit,morietur.Et 23
dixiſti ſeruis tuis: Niſi venerit frater veſter minimus vobiſcũ;
non videbitis ampliùs faciẽ meã.Cùm ergo aſcendiſſemus ad 24
famulũ tuũ patrẽ noſtrũ,narrauimus ei omnia quę locutus eſt
dñs meus.Et dixit pater noſter:Reuertimini:& emite nobis pa 25
rũ tritici.Cui diximus:Ire nõ poſſumus: ſi frater noſter mini- 26
mus deſcẽderit nobiſcũ,proficiſcemur ſimul:alioqui,illoabſẽte,nõ audemus videre faciẽviri.Ad quę ille reſpõdit:Voſcitis 27
q; duos genuerit mihi vxor mea. Egreſſus eſt vnus & dixiſtis, 28

29 Bestia deuorauit eũ:& hucusque nõ cõparet.Si tuleritis& istũ,
& aliquid ei in via contigerit, deducetis canos meos cũ mœ-
30 rore ad inferos.Igitur si intrauero ad seruũ tuũ patrem nostrũ,
& puer defuerit (cũ anima illius ex huius anima pendeat) vi-
31 deritque eũ non esse nobiscũ,morietur, & deducẽt famuli tui
32 canos eius cũ mœrore ad inferos.Ego propriè seruus tuus sim,
qui in meam hunc recepi fidem, & spopondi dicens, Nisi re-
duxero eum,peccati reus ero in patrem meum omni tempo-
33 re.Manebo itaque seruus tuus pro puero in ministerio domi-
34 ni mei,& puer ascendat cum fratribus suis. Non enim possum
redire ad patrem meum, absente puero, ne calamitatis, quæ
oppressura est patrem meum,testis assistam.

VERS. 2. Scyphum autem meum argenteum, & pretium quod dedit, in ore sacci iunioris. Et factum est ita.

Cur Ioseph furti calumniatus commẽtus est aduersus Beniamin.

QVAERITVR, quo animo Ioseph, quémve ad finem huiusmodi calumniam instruxerit aduersus Beniamin? Sed veram & propriam rationem expositi Theodoretus. Cùm enim posuisset quæstionem hanc,quæ in numero quæstionum eius in Genesim est centesima quinta. Ad quid fabulam scyphi commentus est Ioseph? Respondet ipse hunc in modũ: Experiri volens Ioseph animum fratrum erga Beniamin, & liquidò nosse an Beniamin calumniã passum, ex animo,& acriter defenderent, ob id in eius saccum abscondi *scyphũ* imperauit. At vbi eos non tantùm illi patrocinari,sed etiam pro eo vehemẽter certare,ac seipsos offerre perspexit,personæ principis, & imperãtis deposita,fraternum vultum induit,& beneuolentiam ostendit; fratrésq; trepidantes,& tantùm non terram sibi dehiscére exoptantes, ipse bono animo esse iussit,dicẽs: *Nunc igitur ne timueritis:neque durum esse vobis videatur quòd vendidistis me:nam vt viueretis, misit me Deus huc ante vos.*

Theodore.

Philo.

Sic Theodoret. Idém que multo ante Theodoretum sensit Philo in libro de Ioseph ita scribens: Sed hæc omnia, quasi tentamenta quædam erant, Ioseph explorare cupiente animos fratrum suorum erga Beniamin. Verebatur enim ne quod inter eos intercederet odium, sine inuidia:vt in familijs sæpe accidit prognatis ex diuersis matribus, honore tamen inter se paribus. Ideo vt exploratores incusabat: nec dimisit eos, nisi obside retẽto,donec adduceretur sibi dilectissimus frater Beniamin. Quem,ob eandem causam,cæteris in conuiuio prætulit, interim obseruans singulorum vultus, ex his iudicaturus, si qua subesset inuidia. Cúmque vidisset gaudere eos,ac fauere honori pueri, tertium præterea experimentum commentus est, intentato furti crimine Beniamin, vt illorum pro eo curam & solicitudinem exploraret. Atque his argumentis certò

certò persuasus, paternam familiam nequaquam seditione domestica impugnari, ratiocinatus est, quod in se fratres admiserant, non tam eorum perfidiâ accidisse, quàm prouidentiâ Dei prospicientis futurum, & ventura non minùs cernentis, quàm præsentia. Sic Philo.

2 Verùm hinc exoritur quæstiuncula: Num peccauerit Ioseph, furti arguens, & infamans innocentẽ Beniamin? Audiat Lector verã eius quæstionis solutionem à Caietano traditam. Quæstio est, inquit Caietanus, quo pacto excusetur Ioseph de peccato mortali, imponendo furti crimen fratri suo Beniamin innocenti. Sed solutio quæstionis est, nullam fuisse ibi calumniam formaliter; hoc est, ex intentione calumniandi: vt clarè patet ex eo, quod in fratris dilectissimi sacco poculum argenteum iussit poni. Intendebat enim Ioseph explorare an fratres sui parui facerent seruitutem Beniamin: calũnia igitur tantùm materialiter illic interuenit: quæ, quia cognoscebatur, quòd in malũ nullum Beniamin redundaret, vtpote intra breuissimum temporis spatium, immò verò statim veritate patefacta, in lucem prodiens, à peccato contra bonum proximi manifestè excusatur, quamuis officiosum mendacium interuenit. Hæc Caietanus. Ego, & à tali mendacio libenter vindicauerim sanctum Ioseph: non enim ista ex animo, & seriò, & asseuerando, sed tentando, & interrogando tantùm (vt facere iudices solent) facta, dictáque sunt.

An peccauerit Ioseph furti calumniatus Beniamin. Caietanus super hunc locũ.

Pro vocabulo *scyphi*, Hebraicè est *geba*, de cuius significatione sic Oleaster: Verbum *Gaba* à quo *Geba* id est, scyphus, eleuare significat, *Geba* verò eleuationem, & inde collem, quòd sit eleuatus; vnde *Migaot* quòd Nostri tiaras seu mithras vertunt, quòd eleuatæ essent ad modum collis. Hinc etiam gabia, id est scyphus, non qualiscumque, sed qui formam collis habeat, vt puto, formam habebat, dimidiæ amygdalę, siue Indiani Coci. Hęc Oleaster. lxx. Interpretes pro ea voce posuerunt, Κονδι, Condy, super qua voce Hieronymus citans lectionem hanc lxx. Interpretum: *Et pone argentum vniuscuiusque in ore sacculi, & condy meum argenteum, mitte in sacculum iunioris*: Pro sacculo, inquit, Hieronymus, peronem, vel follem Hebræa habent: pro condy, id est, pro poculo, quod etiam in Isaia legimus, Aquila scyphum, Symmachus, phialam transtulerunt. Sic Hieron. Locus autem Isaiæ significatus hîc ab Hieronymo est apud eum, sub finem cap. 51. Nam pro verbis illis, quæ habet nostra translatio Latina: *Ecce tuli de manu tua calicem indignationis meæ*: apud lxx. si verbum de verbo reddas, Latinè est: *Ecce tuli de manu tua calicem ruinæ, condy furoris mei*: Vocem condy porrò, tradunt Grammatici non esse Græcam, quod indicat etiam forma eius nominis. Apud Athenæum, vbi de varijs poculorũ generibus disserit cum exemplis Græcorum Scriptorum, mentio fit eius vocis. Quanti autem opprobrij & infamiæ duceretur olim surripere scyphum Principis, satis liquet exemplo Dioxippi Athenienſis, qui per calũniam falsò accusatus quòd poculum aureum Alexandro Regi inter epulas surripuisset, cum coniectum in se oculorum, quibus vt fur ab alijs designabatur, ferre non posset, excedens conuiuio, literis conscriptis quæ Regi redderentur, ferro se interemit. Et Iunio Seruilio, qui in conuiuio,

Quid vox Condy, S. Hieron. in Tradit. in Ge.

Athenæus. Quàm fuerit probrosum scyphos Principũ furto tollere. Curtius lib. 9. Suetonius in Claud.

Claudij Cæsaris aureum scyphum furatus credebatur, in diem posterum ad conuiuiũ reuocato, calicem fictilem apponi iussit Cæsar: quod opprobrium, homini non planè impudenti, instar maximi supplicij esse debuit.

Antiquitas & honor scyphorum.

Inter vasa porrò argentea vel aurea Principũ, tenuisse primas scyphos, siue pocula, ex monumentis antiquitatis manifestum est: quorũ antiquissimus vsus vel ex hoc Scripturæ loco perspicuè cognoscitur. Apud Homerum in primis celebratur scyphus Nestoris, quem ille scribit aureis clauis fuisse interpunctum duplici fundo, quatuor velut auribus redimitũ: ad quarum singulas binæ columbæ aureæ pasci videbantur. Erat autem ille adeo grauis & ponderosus, vt repletus, vix è mensa ab alio quopiam moueri posset; quem tamen Nestor potaturus, facilè in manus tollebat. Memoratissimi quoque fuerunt duo scyphi Neronis, pretiosissimi, atque ei gratissimi, quos ille Homericos à cælatura carminis Homerici vocabat: eos autem, nunciata sibi exercituum defectione, per summam iram atque indignationem, solo illisit.

Homer. Iliad. λ. de scypho Nestoris & Neron.

Suet. in Nero.

PRIMA DISPVTATIO.

Quomodo intelligendũ sit Ioseph augurari solitum in scypho argenteo.

Super illis verbis,

VER. 5. Scyphus quem furati estis, ipse est, in quo bibit dominus meus, & in quo augurari solet.

Prima quæst. de varia lectione & interpretatione huius loci.

HÆc disputatio tres habet quæstiones: quarum prima est, Quænã sit germana sententia illorũ verborum: *In quo augurari solet.* Sciendum est, locum hunc ab Interpretibus variè reddi ex Hebræo, variéque exponi. Quidam vertunt *augurari*, sicut Latinus Interpres secutus lxx. Interpretes. Alij, *augures consulere*: Alij *tentare & probare*, Alij, *pro malo omine & augurio accipere.* Paraphrasis Chaldaica habet: *Et ipse inquirendo inquirit pro eo.* Aben Esra accipit pro tentare, & probare, hoc intellectu: Per hunc scyphum dominus meus vos tentauit, vt cognosceret num fures essetis. Rabbi Iona sic exponit, Cogitat herus meus amissionem scyphi, ex quo bibit, sibi esse malum omen, & augurium. Dauid Kimhi in libro Radicum, hoc modo interpretatur: Auguratur pro eo, id est, consulit & interrogat augures, vt sciat à quo sit sublatus, & vbi eum quærere debeat. Lectio Chaldaica, paulò suprà memorata hanc reddit sententiam: Dominus meus pro scypho sibi ablato, diligenter inquirit, vel inuestigando furem, vel consulendo augures, & diuinos. Nostræ lectionis Latinæ hæc est sententia, Ioseph in illo scypho, siue per illum scyphum, solitum auguria captare, id est, quærere notitiam, vel futurarum rerum, vel præsentium, vel præteritarum maximè occultarũ, quæque humano cõsilio ac ratione peruestigari nõ queant. Quid autẽ

pro

propriè significer verbũ Hebræũ, quod hìc Latinè interpretatũ est augurari, disputat Oleaster super hoc loco, quem Lector, si lubet, videre potest.

6 Altera quæstio est, An verà ac propriè Ioseph augurari soleret per illũ scyphum. Duplex est significatio tam nominis *Augurium*, quàm verbi *augurari*: altera propria; altera verò minimè, sed figurata & metaphorica. *Augurari* propriè significat diuinare ex auium vel volatu, vel cantu, vel pastu: hæc enim tria erant augurij genera, quæ in auium vel volatu, vel pastu obseruabantur. Huiusmodi augurum erat honoratissimum Romæ Collegium, in quod clarissimi Romanorum allegebantur: quorum dupliciter perinsignis erat honor & dignitas, tum propter summam auctoritatem & potestatem; tum quòd is honor non esset temporarius, sed perpetuus, nec quoad viueret augur, ei adimendus. Auctoritatem & potestatem augurũ demonstrãt verba illa xij. Tab. quæ refert Cic. lib. 2. de legib. sunt autem hæc: Quæ augur iniusta, nefasta, vitiosa, dira defixerit: irrita infectáque sunto. Qui non paruerit, capitalis esto. Nec rarò factum est, vt augurum obnuntiatione præcipui magistratus etiam Consules se abdicarent magistratu. De perpetuitate autem huius magistratus, audiat Lector verba illa Plinij scribentis Arriano: Gratularis, inquit, mihi, quòd acceperim auguratum: iure gratularis: sacerdotium enim ipsum, cùm priscum & religiosũ est, tũ hoc quoq; sacrũ planè, & insigne est, quod nõ adimitur viuenti. Nam cætera, quamquam dignitate propemodũ paria, vt tribuuntur, sic auferuntur: in hoc, fortunæ hactenus licet vt dari possit. Sic ille. Videat Lector super hoc ipso eruditam Plutarchi disputationem in libr. Quæst. Romanar. quæst. 99. & antea, quæst. 72. & 73.

Secũda quæst. Quomodo hic accipiatur verbũ augurari.

Quanta esset Augurum auctoritas. Cicero.

Pli. li. 4. Epist.

Plutarch.

7 Altera significatio est verbi *augurari*, non propria, sed per translationẽ, vsurpando *augurari*, pro eo quod, in vniuersũ dicitur Diuinare, siue præsagire animo, & prædicere futura, quocumque id modo fiat. Hac significatione vsus est augurandi verbo Plinius scribens Cornelio Tacito: Auguror, inquit (nec me fallit augurium) historias tuas immortales futuras. Similiter idem verbum vsurpauit Cicero scribens Cæcinnæ: Non ex alitis inuolatu (inquit) nec è cãtu sinistro oscinis, vt in nostra disciplina est, neq; tripudijs solistimis, aut somnijs tibi auguror, sed habeo alia signa quæ obseruem: quæ etsi nõ sunt certiora illis, minus tamẽ habent vel obscuritatis, vel erroris. Hoc item significatu Aristoteles primo libro Animalium scripsit, sternutamentum esse sacrum augurium sanitatis capitis humani, ita scribens: Sternutamentum quod flatus vniuersi eruptio est ex capite per nares, signum est augurale, & vnum ex spirituum omnium generibus sanctum & sacrum. Idémque dixit expresè in Problematum sectione trigesima tertia problem. 9. Sternutamentum, inquit, benevalere caput, posseque concoquere, naturale indicium est. Cùm enim capitis calor humorem, spiritúmque peruincit, tunc moueri solet sternutamentum. Quamobrem moribundos, interdum sternutatorio excitamus, tanquam si hoc affici nequeant, spes nulla salutis sit. Perinde igitur, quasi bonæ indiciũ valetudinis partis optimæ atque sacerrimæ, sternutamentũ adorant, benéq; augurantur. Sic Aristoteles: qui & augurari, & augurium

Pli. li. 7 Epist.

Cic. l. 6. Epist.

Aristot. Cur sternutamẽtũ augural signũ putetur sanitatis capitis.

sumpsit

sumpsit pro naturali indicio,& pro eo quod est naturaliter indicare.Cùm igitur in hoc loco dicitur Ioseph auguratus in scypho,non sumitur augurandi verbum priori modo,sic enim augurium non per scyphum,sed per aues fiebat;sed posteriori modo sumitur, pro eo quod est diuinare, siue prospiciendo & prænunciando futura, siue præterita vel præsentia, quæ essent occultissima,penetrando intelligentia,& alijs manifestando.

Cuiusmodi fuerit illa diuinatio per scyphum.

Tertia quæstio, Qua ratione diuinatio illa per scyphum fiebat apud Ægyptios? Hoc,nec tradit,nec significat Scriptura, nec ego reperi apud Herodotum,Diodorum,aliósque qui subtiliter mores,& instituta, & leges Ægyptiorum exposuerunt. Sedenim talem diuinandi modum fuisse in vsu id temporis apud Aegyptios, non est dubitandum.id enim satis indicant verba illa Ioseph: *An ignoratis quòd non sit similis mei in augurandi scientia?* Et apertiùs hoc habet translatio lxx.Interpretum: *Non scitis quòd augurio augurabitur homo qualis ego?* significans hisce verbis,sui similes in Aegypto,id est, primarios ac principes Aegyptiorum, tali genere augurandi vti consueuisse.Illa porrò diuinandi ratio per scyphum,ad Magiam pertinebat, cuius multas & varias species siue modos percenset Plinius his verbis: Vt narrauit Hostanes,species Magiæ plures sunt. Namque & ex aqua,& ex sphęris,& ex aëre,& stellis,& lucernis,ac peluibus, securibúsque,ac multis alijs modis diuina promittit:præterea vmbrarum,inferorúmque colloquia;quæ omnia,ætate nostra Princeps Nero,vana,falsáque comperit.Et interpositis aliquot,subdit:Proinde ita persuasum sit,intestabilem,irritam,inanem esse, habentem tamen quasdam veritatis vmbras;sed in his veneficas artes pollere,non magicas. Sic Plinius.

Variæ species, siue modi magiæ secundùm Plin.ex historia lib.30.c.2.

Verumtamen scire cuperet Lector, quomodo per scyphum Aegyptij diuinarent.Dicam quod legi apud quendam,minimè malum auctorem, Assyrios legimus,inquit ille,& Chaldæos,& Aegyptios, pelues aquis replere solitos(idem feciſſe eos in scyphis,non temerè existimari potest) in quibus argenteas laminas,lapidésque pretiosos certis characteribus signatos ponebant,& quibusdam verbis pronunciatis, Dæmon aduocabatur: qui vocem instar sibili,ex aquis edebat responsa eorum,de quibus consulebatur,reddens.Ex nitidis etiam tersísque rebus alijs,in quibus quæsitarum rerum imagines à Diabolo confictæ videbantur,antiquitus diuinabatur. Iulianum Imperatorem Apostatam,hoc potissimùm diuinandi genere vsum esse, quidam tradiderunt. Consimile est,quod à quibusdam hodie,vel in crystallis,& vitreis vasis aqua repletis,vel in summis digitorũ vnguiculis exercetur:in quibus rerum,quæ inquiruntur,species & imagines à Diabolo confictæ,à certis personis videntur. Huius generis fuisse videtur oraculum ex fonte Cereris in ciuitate Patras:in quo,iniecto speculo,ægroto hilarior vel tristior vultus ostendebatur, & indidem ægrotis sanitas,vel mors diuinabatur. In li.de Mirabilib.Mundi(qui Aristot.falsò adscribitur) memoratur fons quidam Palisçorum: in quo per dolum iurata,& tabellæ inscripta,si ponebantur, continuò absorbebantur,bona autem fide ac syncerè iurata supernatabant aquis. Sic ille,

Iulius Sirenius libr.9.de Fato,capi.18.

Diuinatio superstitiosa vel potiùs fabulosa in fonte Cereris,& in fonte Palisçorum.

SECVN

SECVNDA DISPVTATIO.

Super illis verbis,

An ignoratis quòd non sit similis mei in augurandi scientia? VERS. 16.

9 EX istis verbis minimè leuis existit quæstio, quomodo sãctus Ioseph istud dixerit, quòd non solùm erat mendacium qualecunque, sed ipsi etiam valdè pernicioſum. Nam nec verũ erat, ipsum augurari solitum per scyphum, & cultorem haberi velle artis illicitæ & damnatæ, non vacabat peccato, ipsique apud viros pios infame ac probrosum esse poterat. Super hac quæstione varias Auctorum opiniones percensebo: ac denique breuiter sententiæ meæ Lectorem faciam participem. Prima est opinio B. Augustini aientis, id Ioseph dixisse non seriò; neque ex animo, sed per iocum, siue per iocularem quandam simulationem: non tamen eiusmodi iocum vsurpasse sanctum Ioseph, sine sensu alicuius mysterij, istiusmodi ioco velati & occultati. Hanc opinionem Augustini sequuntur, & Auctor Historiæ Scholasticæ in Historia Geneſis super hunc locum, & S. Thomas in Secunda Secundæ quæst. 95. artic. 7. Verba B. Augustini in quæstione cxlv. in Geneſim huiusmodi sunt: Quæri solet, quid sibi velit illud quod dixit fratribus suis Ioseph: *Nesciebatis quia augurio auguratur homo qualis ego?* sed quia non id seriò, sed ioco dictum ab eo est, vt exitus docuit, non est habendum mendacium: mendacia enim seriò à mẽdacibus aguntur, non ioco. Cùm autem quæ non sunt, tanquam ioco dicuntur, non deputantur mendacia. Nec verò Ioseph sic fratres suos ludificasset, nec tanta expectatione suspendisset, nisi magnum aliquid isto quasi ludo significaretur: nam neque sapientię illius viri grauitate id condignum erat, nec Scriptura eiusmodi commemoraret, vt in qua tanta sit sanctitatis auctoritas, & prophetandorum tanta intentio futurorum: quæ exequi modò non suscepimus, sed admonere tantùm voluimus, quod hîc oporteret inquiri: Nec porrò illud, vacare arbitror, quod Ioseph non dixit, *Auguror ego*, sed, *auguratur homo, qualis ego*. Quod si hoc dicatur esse genus aliquod locutionis, in Scripturæ corpore simile aliquid reperiendum est. Hæc B. Au-

10 gustinus.

Prima opinio Augustini. Historiæ Scholastic. S. Thomæ.

Secunda opinio, non absimilis, Theodoreti est, affirmantis, id Ioseph dixisse per fictionem & simulationem quandam; quo videlicet faciliùs ea ratione peruenirent eò quò intendebat. Nec sibi Ioseph arrogasse scientiam vel vsum augurandi, sed eam tribuisse alijs viris sui similibus, id autẽ est proceribus & Principibus Aegyptiorum. Hoc autem modo scribit Theodoretus in quæstione 104. in Geneſim: Quid hoc est: *Augurio auguratur apud se?* Qui volunt augere crimen furti apud fratres illos Ioseph, vaticinij instrumentum poculum appellant. Quod etiam ipse Ioseph dixit: *Ignoratis:* inquit, *quòd quisquam augurando auguratur sicut ego?* Hæc

Secũda opinio Theodoreti.

autem dicebat, non quòd vaticinio vel augurijs vteretur; sed sermonem
Græcus Interpres. effingens iuxta materiam subiectam Conuenit autem admirari exquisitam eius loquendi rationem. Neque enim vel simulando, augurij peritiã sibi passus est tribui, sed cuipiã alteri, cui summa imperij commissa esset, sicut fuerat sibi. Non enim dixit, *Auguror*, sed, *Augurando auguratur quis quam sicut ego*. Sic Theodoretus. Extremam hanc Theodoreti admonitionem secutus videtur Græcus interpres in Catena Lippomani citatus. Qui locum hunc sic vertit: *An non nostis, quòd diuinando diuinat vir, qui similis mei est?* Et subdit, Hoc autem est, ac si diceret: An ignoratis, quòd viri excellentes, ac principes, qualis ego sum, ex huiusmodi rerum amissione, omina, & auguria captare solent? Sic ille. Nihil igitur de se Ioseph istis verbis dicit affirmatè, sed illud tantùm significat, summates Aegyptiorum, qualis ipse erat, solitos istiusmodi augurijs vti, & per ea, res vel amissas, vel sibi ablatas inquirere.

Tertia opinio Ruperti. Tertia opinio est Ruperti, qui ait ista verba dixisse Ioseph seriò, & ex animo, suóque sensu: sed in eius verbis augurari, non propriè accipiendum esse pro superstitiosa auium obseruatione, vel alia quapiam Gentiliũ superstitione, sed in vniuersum pro eo, quod est diuinare, & futura præuidere ac prædicere: in quo neminem fuisse apud Aegyptios similem eius minimè dubium vel obscurum est: habebat enim spiritum propheticum, quo futura præuiderat, atque prædixerat. Verba Ruperti sunt hæc ex lib. 9. in Gen. 10. Augurari quidem, Gentilium est, & ex lege Dei illicitũ est: attamen rem diuinam, id est, futurorum intelligentiam, qua gratia ipse præditus, somniorum quoque verus erat Interpres, verbo augurandi rectè illum significasse non dubium est. Ergo quicquid hactenus in fratres suos egit, in præsens quidem aliquantula illis pœna fuit: sed reuera non tanquam augur, sed tanquam Dei vates, ex intuitu futurorum tunc illa gessit. Sciebat enim, quòd pro culpa suæ venditionis, seruituri essent Aegyptijs in tribus generationibus suis: generatione autẽ quarta reuersuri.
Genes. 15. *Infra 50.* Vnde moriturus ipse, dixit fratribus suis: *Post mortem meam visitabit vos Deus, & ascendere vos faciet de terra ista ad terram, quam iurauit Abraham, Isaac & Iacob: asportate vobiscum ossa mea de loco isto.* Nec vacui, sed cum magna substantia, multóque auro & argento educendi inde erant. Benè igitur in prophetia trium generationum, quæ seruituræ erant in Aegypto, & ablationis auri & argenti Aegyptiaci, tribus illis diebus in custodia tenuit, & abeuntibus argenteum scyphum suum impositi. Item in auspicio Aegyptiorum, qui fugientem Israel persecuturi erant, misit executores
Exod. 14 post illos, qui eos cum nimia turbatione, quasi ad iudicium reuocarent. Et sicut cantaturi erant filij Israel dicentes, *Cantemus Domino, gloriosè*
Exod. 15. *enim magnificatus est.* Ita rectè & ipse tristitiam fratrum inopinabili gaudio terminauit, dicens: *Ego sum Ioseph frater vester.* Sic Rupertus.

Quarta opinio Thostati. Quarta opinio est Thostati affirmantis Ioseph dixisse illud fingendo, & simulando. Sed quia voluit talis à fratribus suis existimari, qualis reuera non erat, mentitũ fuisse eum, officioso tamen mendacio, ad inquirendam nimirum veritatem, quam nosse cupiebat, & ideo peccasse tantùm venialiter.

venialiter. Fingebat & simulabat Ioseph, istud dicens (ait Thostatus) loquens scilicet prout de illo existimabant Aegyptij habentes illum præstantissimum coniectorem futurorum per artem augurandi vel Necromantiæ, sic enim dixerat illi Pharao, *Vidi somnia, nec est qui ediſſerat, quæ audiui te sapientissimè coniicere.* Si quæras, an Ioseph ita loquens sit mentitus? Respondet Ioannes Galensis non fuisse eum mentitum, quia oratio eius, cùm fuerit interrogatiua, nihil affirmauit, vel negauit, & ideo nec verum nec falsum significauit. Sed hoc non valet: nam licèt oratio interrogatiua simpliciter & ex toto non affirmet vel neget, attamen ex parte, & prout præsupponit aliquid, est affirmatiua, vel negatiua: Verbi gratiâ, hęc oratio, *An ignoras quòd Christus mortuus est, & surrexit?* supponit Christum mortuum esse, & surrexisse. Talis fuit oratio illa Ioseph: *An ignoratis quòd non sit mei similis in augurandi scientia?* Idem Auctor respondet aliter, verbum augurandi hîc non sumi propriè pro superstitiosa obseruatione auiũ, & per eam diuinatione futurorum, sed simpliciter pro præscientia & diuinatione futurorum, quam sine dubio Ioseph per spiritum propheticum, & diuinam reuelationem habebat. Verùm neque hoc rectè dictum est. Ioseph enim illa verba dicens, talis haberi voluit à fratribus suis, qualem verba eius propriè accepta significabant, id est, augurem verè, ac propriè dictum. Dicendum igitur est, Ioseph voluisse haberi à fratribus suis verè ac propriè augurem, & ideò mentitum esse: sed quia tale mendacium neque illis fuit noxium, & sibi conducebat ad inquirendam veritatem, quã nosse cupiebat, idcirco fuit mendacium quodammodo officiosum, & veniale peccatum: à quo excusare Ioseph non est necesse. Hactenus ex Thostato.

Ioannes Galensis.

Atenim videtur mendacium illud fuisse pernicioſum ipsimet Ioseph, bonam ipsius famam fœdans: velle enim haberi à bonis viris, & veri Dei cultoribus, quales erant eius fratres, illicitæ ac damnatæ, & diabolicæ superstitionis egregium cultorem, non est leue ac veniale peccatum, vt dicit Thostatus. Deinde, non bene refellit secundùm responsum Ioannis Galensis, immo videtur esse admodum probabile. Dici enim potest, Ioseph vsum esse oratione ambigua (quod sine peccato interdum fieri licet) quam sciebat fratres eius, atque Aegyptios, qui audiebant, accepturos secundùm vnum sensum à se non intẽtum, id est, de augurio propriè dicto: ipse verò eam orationem intelligebat de augurio amplè dicto, prout significat vniuersè quamlibet diuinationem, etiam licitam & sanctam.

Discutitur opinio Thostati.

13 Paulus Burgensis in Additione quadam sua ad Postillas Lyrani super hoc loco, ait ex textu Hebraico elici, sententiam verborum Ioseph fuisse hanc; Nescitis, primarijs & principibus viris, qualis ego sum, facile ac promptum esse consulere augures & diuinos (quorum tunc in Aegypto magna erat tum copia, tum auctoritas) & per eos secreta & occulta omnia cognoscere? Hinc igitur apparet, sic intelligendo verba Ioseph, nihil esse loci relictum quæstioni. Verba Burgensis sunt hæc: In Hebraica littera non dicitur: *An ignoratis quòd non sit similis mei in augurandi scientia?* Sed ponuntur alia quædam verba, quorum hæc est sentẽtia: An

Quinta opinio Pauli Burgensis.

ignoratis quòd homo mei similis facilè posset per auguria talia scire? Et hoc videtur magis consonum rationi. Fratres enim Ioseph non habebant, vnde scire deberent, Ioseph esse maximum augurem: sed bene poterant existimare, cùm ille tam potens esset, habere posse augures quoscunque vellet, quos de occultis consuleret: præsertim cùm in Ægypto multi essent coniectores & talium artium professores, vt ex multis Scripturæ locis perspici potest. Secundùm verò S. Augustinum & S. Thom. in 2.2. quæs. 95. Ioseph istud dixit non seriò, sed referens ad id, quod vulgus Aegyptiorum opinabatur de ipso, credens Ioseph talium artium esse peritissimum. Sic Burg.

Sexta opinio Caietani.

Caietanus excusat Ioseph à mendacio pernicioso, quòd professio, & munus augurandi, in illo tempore, & apud illas gentes non esset infame, sed honorificum: quocirca dicens Ioseph se esse augurem, non se ipsum infamauit. Vtrum autem excusari possit Ioseph ab omni mendacio, primùm dubitat Caietanus: verùm denique putat dupliciter excusari posse; primùm quòd per illa verba, non sibi attribuit scientiam augurandi, sed alijs sui similibus, id est, primarijs Ægypti viris eam attribuit. Deinde, quia *licèt augurari* propriè dictum, sit illicitum; attamen amplè sumptum pro diuinare, quocumque id modo fiat, siue bene, siue malè, potest esse sine vitio, cùm bene fit. Ioseph autem & diuinabat futura, & bono modo diuinabat, nempe afflatus diuino spiritu. Verba Caietani sic habent: Quæstio est circa auguriũ, quod finxit & simulauit Ioseph, quo pacto excusari possit Ioseph à mendacio pernicioso in seipsum, simulando se esse diuinatorem in vase argenteo: est enim hæc species diuinandi inexcusabilis. Verùm solutio quæstionis est, quòd huiusmodi diuinationes tunc temporis infames non erant, sed honorabiles, & ideo non est aduersus propriam famam locutus Ioseph. Et quidem quòd ipse esset diuinator, testabatur *diuinatio* somniorum: vnde profitendo se diuinare, verum dicebat. *De modo* autem diuinandi, videlicet in illo poculo argenteo, an secundùm veritatem excusabilis sit, nescio, crediderim tamen excusabilem fuisse. nefas enim est putare, quòd aliquod inexcusabile, ex suo genere peccatum mortale, sibi ipsi imposuerit Ioseph. Idem Caietanus perpendens verba illa Latinę Translationis: *An ignoratis quòd non sit similis mei in augurandi scientia?* subdit hæc, Iuxta Hebræum habetur: *An non nostis quòd diuinando diuinat vir, sicut ego?* non sunt verba præferentis se alijs, sed dicentis communem esse diuinationem sibi similibus: modestè significans, quòd Principibus, qualis erat ipse, non deesset diuinatio. Nec explicat, an per se, an per alios diuinet. Et quia diuinare nullum peccatum est, potest enim ex dono Dei, & quandoque beneficio naturæ sanctè fieri, ideo nihil illiciti de se protulit Ioseph. Sic Caietanus. 15

Septima opinio Lippomani.

Lippomanus in Catena sua in Genesim, prætermissa translatione ac Lectione Latina huius loci, ex Lectione Hebraica, Grecáque, atque Chaldaica, conatur propositam difficultatem expedire. Sic enim scribit: Ab eo quod Latinus Interpres vertit, *An ignoratis quòd non sit similis mei in augurandi scientia?* paulò diuersior est Lectio Hebraica, hanc fermè reddens senten

sententiam: *Nescitis, quòd augurio auguratur* (seu) *diuinando diuinabit vir qui sicut ego* (vel) *similis mei?* nec dissimilem habet sententiam translatio Ixx. Interpretum, quæ sic habet: *Non scitis, quòd augurio augurabitur homo, qualis ego?* quasi dicat: Cogitandum vobis erat, me ob secretorum cognitionem à Pharaone celebratum nomine & officio, etiam vestri furti conscium me futurum: ideóque à tanto flagitio designando cauendum erat vobis, cùm id facilè perueſtigare ac deprehendere possit, quicunque mei similis fuerit. Chaldaica lectio sic habet: *Nesciebatis quòd inuestigans inuestigaret vir, sicut ego?* Quibus verbis alter innuitur sensus, hic nimirum: Abstinere vos debebatis ab hoc scelere, vel illud saltem cogitantes, quòd maxima in eo detegendo vsurus essem diligentia: quemadmodum facere solent mei similes in perueſtigandis rebus sibi furto sublatis. Hinc igitur patet, sine mendacio dixisse illud Ioseph. Sic Lippomanus. Sed quia Lippomanus tacitam præteriuit lectionem Latinam, secundùm quam tamen præsens quæstio potissimùm mota est, & in qua maximè versatur difficultas, idcirco eius solutio mutila & imperfecta est,

16 Quod ego super hac Quæstione sentio, non tam superioribus sententiis diuersum est, quàm ex earum aliquot aptè compositum, atque conflatum. Arbitror equidem, cum Ioseph dixit verba illa, nihil eum esse mentitum. possunt enim verba illa quatuor modis commodè ac verè ita exponi, vt mendacii nihil planè contineant. Primùm enim dici potest, Ioseph dixisse illud non seriò, sed per iocum, siue iocularem quandam simulationem: quæ autem sic dissimulanter & ioculariter dicuntur, ea pro mendacijs nequaquam habentur: Et hæc est sententia B. Augustini, & Historiæ Scholasticæ, & S. Thomæ, vt suprà dictum est. Deinde potest dici, Ioseph non esse locutum affirmatè & asseueranter, sed interrogando; nec sibi vendicando scientiam augurandi, sed assignando eam viris principibus & sui similibus. Hæc autem fuit opinio Theodoreti, & Græci interpretis, & Ioannis Galensis cum honore citati à Thostato, & item Cani in libro secundo de locis Theologicis cap. 4. Illud præterea dici potest Ioseph dixisse illa non ex suo sensu, sed ex opinione atque existimatione omnium Ægyptiorum, qui videntes Ioseph præ cæteris vatibus & coniectoribus Ægyptijs sapienter occultissima interpretari, & futura præsagire, putantésque id eum facere, more aliorum, per artes magicas, ad quas pertinet augurandi superstitio, laudabant eum atque prædicabant, tanquam peritissimum augurem. Atque hanc opinionem & solutionem attigit S. Tho. in 2. 2. quæst. 95. artic. 7. Deinde illud etiam (quod videtur mihi quidem propius esse verò) dici potest, verba illa Ioseph continere verissimam sententiam, si verbum *augurandi* non sumatur propriè pro eo quod est, ex obseruatione auium diuinare, quomodo hîc non accipi, suprà euidenter ostensum est: sed *augurari* sumatur in vniuersum pro eo quod est præsagire animo & diuinare futura, quocunque id modo fiat, siue per diuinum spiritum; siue humanum, siue diabolicum. Namque hac significatione sæpenumero vsurpari verbum augurandi, suprà demonstratum est. Manifestum porrò erat, Ioseph præstantissimum esse habitum diuinato-

Octaua opinio Auctoris.

Ratio illa Ioseph de sua scientia augurandi quatuor modis vindicatur à mẽdacio.

Melchior Canus.

rem,propter quatuor ſomniorum veriſſimam interpretationem,& futurę fertilitatis,ac ſterilitatis prædictionem. Veriſſimum igitur erat, neminem eo tempore fuiſſe ſimilem Ioſeph in ſcientia augurandi, id eſt diuinandi. Sed illud aduertat Lector, quàm prudenter & cautè locutus *illa* verba fuerit Ioſeph: non enim dixit neminem eſſe ſimilem ſui in augurando per ſcyphum, ſicut antea dixerat eius miniſter, id enim falſum fuiſſet, cùm ipſe non auguraretur per ſcyphum: immò ab iſta,& aliis hoc genus ſuperſtitionibus vehementer abhorrebat; ſed præcisè,abſolutéque dixit,non eſſe ſui ſimilem in ſcientia augurandi,id eſt,diuinandi.

BENE

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA IN CAPVT QVADRAGESIMVM QINTVM GENESIS.

ARGVMENTVM.

Denique Ioseph manifestauit se fratribus suis: eósque remittens in patriam, suo & Regis Pharaonis nomine, patrem cum omni familia in Aegyptum accersiuit.

NOn se poterat vltrà cohibere Ioseph multis coram astantibus: vnde præcepit vt egrederentur cuncti forâs, & nullus interesset alienus agnitioni mutuæ. Eleuauítq; vocem cum fletu, quam audierunt Aegyptij, omnísque domus Pharaonis. Et dixit fratribus suis: Ego sum Ioseph: adhuc pater meus viuit? Non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti. Ad quos ille clementer: Accedite, inquit, ad me. Et cùm accessíssent propè, Ego sum, ait Ioseph, frater vester, quē vendidistis in Aegyptum. Nolite pauere, neque durum vobis esse videatur quòd vendidistis me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Aegyptum. Bienniũ est enim quòd cœpit fames esse in terra: & adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit, nec meti. Præmisítque me Deus vt reseruemini super terram, & escas ad viuendum habere possitis. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc mis-

1 2 3 4 5 6 7 8

sus

ſus ſum:qui fecit me quaſi patrem Pharaonis,& dominum v-
9 niuerſæ domus eius, ac principem in omni terra Ægypti. Fe-
10 ſtinate,& aſcendite ad patrem meum,& dicetis ei: Hæc mandat filius tuus Ioſeph: Deus fecit me dominum vniuerſæ terræ Ægypti: deſcende ad me,ne morêris: & habitabis in terra Geſſen, eríſq; iuxta me tu,& filij tui,& filij filiorum tuorum,
11 oues tuæ & armenta tua,& vniuerſa quæ poſſides. Ibíque te paſcam (adhuc enim quinque anni reſidui ſunt famis) ne &
12 pereas,& domus tua,& vniuerſa quæ poſſides.En oculi veſtri, & oculi fratris mei Beniamin vident quòd os meum loquatur
13 ad vos.Nunciate patri meo vniuerſam gloriam meam,& cuncta quæ vidiſtis in Ægypto: feſtinate & adducite eum ad me.
14 Cúmque amplexatus recidiſſet in collum Beniamin fratris
15 ſui,fleuit:illo quoque ſimiliter flente ſuper collum eius:Oſculatúſque eſt Ioſeph omnes fratres ſuos,& plorauit ſuper ſingu-
16 los:poſt quæ auſi ſunt loqui ad eum. Auditúmque eſt;& celebri ſermone vulgatum in aula Regis:Venerunt fratres Ioſeph: & gauiſus eſt Pharao atque omnis familia eius. Dixítque ad
17 Ioſeph,vt imperaret fratribus ſuis,dicens: Onerantes iumen-
18 ta, ite in terram Chanaam; Et tollite inde patrem veſtrum & cognationem,& venite ad me:& ego dabo vobis omnia bona
19 Aegypti,vt comedatis medullam terræ. Præcipe etiam vt tollant plauſtra de terra Aegypti, ad ſubuectionem paruulorum ſuorum,coniugum:& dicito: Tollite patrem veſtrum,& pro-
20 perate quantocyus venientes, Nec dimittatis quicquam de ſupellectili veſtra:quia omnes opes Aegypti,veſtræ erunt: Fe-
21 cerúntque filij Iſrael vt eis mandatum fuerat.Quibus dedit Ioſeph plauſtra, ſecundùm Pharaonis imperium:& cibaria in iti-
22.23. nere.Singulis quoq; proferri iuſſit binas ſtolas:Beniamin verò dedit trecentos argenteos cũ quinq; ſtolis optimis, tãtundem pecunię & veſtium mittens patri ſuo,addens & aſinos decem, qui ſubueherent ex omnibus diuitijs Aegypti:& totidem aſi-
24 nas decem,triticum in itinere,panéſq; portantes.Dimiſit ergo
25 fratres ſuos,& proficiſcentibus ait,Ne iraſcamini in via. Qui aſcendentes ex Aegypto,venerunt in terram Chanaam,ad pa-
26 trem ſuum Iacob, & nunciauerunt ei,dicentes: Ioſeph filius tuus viuit: & ipſe dominatur in omni terra Aegypti. Quo
27 audito Iacob,quaſi de graui sõno euigilãs,tamen nõ credebat eis.Illi è contra referebant omnẽ ordinem rei. Cúmq; vidiſſet

plaustra, & vniuersa quæ miserat, reuixit spiritus eius, & ait:
Sufficit mihi si adhuc Ioseph filius meus viuit: vadam & vide- 28
bo illum antequam moriar.

PRÆFATIO.

PRAEFATIONIS *in hoc caput vicem implebit concinna enarratio huius historiæ à Philone posita in eo libro, quem inscripsit de Ioseph. Is autem scribit ad hũc modum: Variis iam & certis persuasus argumentis, atque experimentis à se prudenter factis Ioseph, paternam familiam intestinis dissidijs, & domestica seditione nequaquam impugnari; conuersus ad reconciliationem, nec diutius diuturnam illam dissimulationem, & sui occultationem sustinere valens, succubuit denique amori, quo ardebat, fraterno. Ac ne fratribus propter veterem iniuriam obueniret aliquod dedecus, noluit primæ agnitioni quenquam Aegyptiorum interesse. Semoto igitur vniuerso famulatu, repentè profusis, tanquam è fonte, vbertim lacrymis, dextra, vt propiùs accederent, innuit, ne fortè verba eius exaudiri ab alijs aliquo modo possent. Tunc sic eos allocutus est: Rem longo tempore tectam, & obliuioni, vt vos putabatis, mandatam, nunc reuelaturus, solus solos appello. Fratrẽ quem in Aegyptũ vẽdidistis, me ipsum præsentem nunc cernite. Ego sum Ioseph. Hac tam insperata voce perculsis, & perterritis, & tãquam præ graui onere, vultus ad terram deijcientibus: Nolite tristari, inquit Ioseph; obliuionem omnium quæ aduersum me patrastis, lubenter ac liberaliter polliceor, nullo vobis deprecatore opus est. Mea sponte in gratiam vos recipio, duabus de causis: tum propter pietatem erga patrem, cui plurimum debeo; tum propter naturaliter insitam mihi atque perpetuò in omnes exercitam clementiam & humanitatem, qua omnes, præsertim sanguine coniunctos complector. Meum porrò miserabilem casum atque calamitatem non vobis imputo, sed ad Deum refero: qui me suorum beneficiorum difficillimis temporibus humano generi exhibendorum, ministrum atque executorem esse voluit: id verum esse, his, quæ oculis vestris cernitis, credite. Totius Aegypti gubernatio mihi est commissa, Rex honorem mihi habet eximium, & quamuis ætate senior, me suum quasi parentem veneratur. Color & obseruor non tantùm ab indigenis, sed à plurimis etiam gentibus, vel prouincialibus, vel liberis: omnes quippe opus habent meo subsidio*

Oratio, qua Ioseph manifestans se fratribus vsus est, auctore Philone.

propter inopiam. Argentum & aurum; & quod his maius est, commeatus, apud me solum reponuntur distribuendi in singulos, quãtum cuique ad necessariũ vitæ vsum satis est, vt nec ad delicias superfit quicquam; nec ad famis remedium, atque etiam satietatis voluptatem. Quod non iactanter dico: sed vt intelligatis, neminem mortalium potuisse seruo tantam conferre fœlicitatem, & seruo quidem in carcerem detruso: nam & vinctus fui quõdam innocens, iniquè passus calumniam. Deus ille fuit, qui extremam calamitatem ac miseriam in summam vertit felicitatem; qui solus est Omnipotens. Id cùm mihi persuasissimum sit, non est cur vos quicquam timeatis: deponite omnem solicitudinem, & quantam maximam potestis, capite animis vestris lætitiam atque voluptatem. Nunc properè redeundum vobis est ad patrem, vt à vobis potiùs quàm fama tam lætum de me inuento nuncium accipiat: Solet enim fama velox esse, atque præcurrere.

Tum fratres certatim collaudabant Ioseph, alio aliam eius virtutem prædicante, clementiam, caritatem, & prudentiam: pietatem verò eius omnes, vno ore in cœlum efferebant, felicem euentum ad Deum auctorem referentes, & priſtinos casus ferentes æquo animo. Nec minùs illi mirabantur insignem eius modestiam ac patientiam: qui neque seruiens malè vnquam locutus est de fratribus suis, tanquam perfidis sui venditoribus: neque in carcerem detrusus, præ dolore vllum secretum effutiuit: neque tam longo tempore inter vinctos agens, vt miseri solent, suum detexit infortunium. Ac ne tunc quidem, cùm vel Eunuchis, vel Regi somnium interpretaretur, occasionem ceperit aperiendi suam ingenuitatem. Immò ne tunc quidem, cùm vicariam Regis potestatem accepit, vniuersæ præfectus Aegypto, quicquam de sui generis nobilitate indicauit: vt saltem ignobilitatis atque obscuritatis opinionem à se amoliretur, docẽs non vernam se esse, sed honesto & claro natum genere: verùm insidijs quorundam domesticorum in grandes ærumnas ac miserias deuolutum. Ad has laudes accedebat commemoratio & admiratio æquitatis, prudentiæ ac dexteritatis eius in publicis muneribus obeundis: Conferentes enim eum cum vulgata aliorum magistratuum arrogantia & imperitia, mirabantur ostentationis & pomparum in viro tam egregio contemptum: & quòd alienus ab omni maleficio tragico, quamuis potuisset ipsos mox in prima profectione agnitos opprimere, aut certè fame pereuntibus frumentum non præbere, adeo pœnam omnem ab ipsis abstinuerit, vt tanquam bene de se meritis daret munera, reddito frumenti pretio quod attulerant.

In

In tantum porrò, perfidiæ atque impietatis fratrum Ioseph patratum quondam scelus latuit omnes, vt optimates Aegypti Ioseph gratularentur fratrum suorum præsentiam, quasi tum primùm venissent. Quibus illi hospitaliter ac liberaliter acceptis, rem indicarunt suo Regi properè, ita vt omnia plena essent gratulationibus, & publica lætitia: non aliter sanè, quàm si felici quopiam frugum prouentu præsens fames in abundantiam esset commutata. Rex, cognito, patrem Ioseph adhuc esse superstitem, & numerosam illi esse familiam, hortatus est vt in Aegyptum vniuersi commigrarent, vberrimã Aegypti partem eis se donaturũ pollicitus. Moxq; Ioseph multa carpẽta & plaustra pretiosis vestibus, multoq; auro, & argento plena, præter frumenti copiã, & iumenta ad subuectionem vsui futura, multum item atque honestum dat famulitium, vt patrem securè & commodè ad se deducant. Hactenus ex Philone.

Non poterant respondere fratres nimio timore perterriti. VERS. 3.

TIMOREM illis maximum faciebat tum conscientia tanti sceleris contra Ioseph commissi: tum contẽplatio potentiæ Ioseph à quo facilè quocunque vellet ille modo, & quantocunque vellet supplicio, puniri possent. Ingẽs porrò timor rigentes facit homines, ac stupentes, & taciturnos, & quasi mutos. Cuius rei causam huiusmodi reddit B. Thomas, sanè quàm probabilem ex Aristotelis doctrina in Problem. tradita, depromptam; Timor, inquit, prouenit ex imaginatione alicuius mali imminentis, quod difficulter repelli potest. Quod autem aliquid difficulter possit repelli, prouenit ex debilitate virtutis; virtus autem quanto est debilior, tanto ad pauciora se potest extendere, & ideo ex ipsa imaginatione quæ facit timorem, sequitur quædam contractio caloris & spiritus, & hinc retentio vocis. Sicut enim in morientibus, natura propter virtutis debilitatem ad interiora se recipit: & sicut in ciuitatibus, cùm ciues valdè timent externum hostem, retrahunt se ab exterioribus, & recurrunt quantum possunt ad interiora, ita in timentibus calor cum spiritibus ad interiora contrahitur. Hoc porrò interest inter iratos, & timentes: quòd in iratis propter calorem, & subtilitatem spirituum, qui proueniunt ex appetitu vindictæ, interiùs fit spirituum motus ab inferioribus ad superiora, & ideò congregantur spiritus & calor circa cor: ob ídque fit, vt irati reddantur prompti & audaces ad inuadendum. At verò in timentibus, spiritus mouentur à superioribus ad inferiora propter frigiditatem, quæ crassiores facit Spiritus. Hæc autem frigiditas accidit ex imaginatione defectus virtutis: Quocirca in timentibus non multiplicatur calor, & spiritus circa cor, sed magis à corde refugiunt, ideóque timentes non promptè inuadunt, sed magis refugiunt.

S. Thomas 1.2 q. 44 art. 3. docet cur timentes conticescunt.

Differentia iratorum, atque timentiũ.

Cur dolentes clamare, timentes autem flere soleant, ex Aristot.

Hoc item differunt timentes à dolentibus, quòd dolentes in vocem prorumpunt, timentes autem non emittunt vocem, sed magis reddunt tur taciturni. Cuius rei causam reddit hanc Aristoteles in Problematum sectione 27. Problemate nono: Quam ob causam, inquit, cùm & metus & dolor, quædam sit ægritudo, qui dolēt, clamant: qui metuunt, silent: An qui dolent suum retinent spiritum? Is verò vniuersus erumpens cum clamore emittitur: Metuentibus autem corpus refrigeratur, calórque ima petit, qui spiritum mouet. Quò igitur hic se contulerit, ibidem spiritum potissimùm excitabit: quapropter venter eorum qui metuunt, obcrepare solitus est. Vox autem est spiritus sursum versus elatus, partibus quibusdam, ceu instrumentis conficiendus & absoluendus. Causa verò cur homines dolentes suum retineant spiritum, est, quòd omnes inditis à natura præsidiis cùm affecti detrimento aliquo sumus, sine vlla cogitatione, naturali ductu & instinctu vti solemus. Idémque in cæteris omnibus videre est animantibus: aliæ namq; cornibus, aliæ dentibus, aliæ vngulis repugnant, seséque defendunt. Atqui dolores, vel omnes, vel plurimos calor adiuuat, quem profectò is auget, qui suum cohibet: calefacit enim caloris incitabula, contracto introrsus calore per spiritum, atque excoquit. Hactenus ex Aristotele. Multiplicatis itaque spiritibus introrsum atque calore, necesse est, vt emittantur per vocem, & quasi exhalentur: quapropter dolentes vix continere se possunt quin clament. At verò in timentibus fit motus interioris caloris & spirituum à corde ad inferiora, vt dictum est. Et ideo timor aduersatur formationi vocis, quæ fit per emissionē spirituum ad superiora per os. Et hinc fit, vt timor tacentes faciat: & item vt corpore membrisq; trementes reddat, vt disputat Aristoteles in supradicta Sectione, Probl. sexto & septimo.

VERS. 1. & 6.

Nolite pauere, neque vobis durum esse videatur *quòd vendidistis* me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me quasi patrem Pharaonis, & dominum vniuersæ domus eius, ac principem in omni terra Ægypti.

EXTENVAT Ioseph, quoad eius fieri potest, peccatum fratrum suorum, vt eos prę nimio timore consternatos animis, omni liberet formidine. Iubet enim cogitare eos, non quid ipsi, quantúmve peccauerint; sed quantum in bonum conuerterit Deus ipsorum peccatum. Ex illo enim, licèt improbo eorum facto secutum erat, vt & ipse Ioseph maximam gloriam & potentiam adeptus esset; & vt ipsi, omnísque paterna familia, plurimæque gentes à miserrimo interitu famis, per ipsius prouidentiam & sapientiam conseruatæ fuissent.

Varia porrò fuerunt apud Veteres excusationū genera, quibus inuicē vtebantur

vtebantur,si quid dissidij,vel offensæ,vel cuiuspiam detrimenti aut calamitatis exortum esset,cuius iam pœniteret, & obliuionem in perpetuum capere vellent. Non enim mala,quæ acciderant,ipsis assignabāt, & imputabāt,sed vel externis causis,vel superioribus principiis, à quibus res mortalium arcano consilio disponerentur, & ad fines, incogitatos homini destinarentur. Ab Homero inducitur Priamus sedens in mœnibus vrbis Troiæ, & ad se vocans Helenam, atque eam appellans caram sibi filiam:calamitatem verò belli Troiani,atque imminens exitium vrbis & imperij sui,nō imputans illi, sed fatis & Diis. Hæc enim verba illum cum Helena loqui facit:

Homerus. Iliados 3.

---- Neque enim te diua malorum
Arguerim : superis fatis fors ista senectæ
Debita erat nostræ,& Teucris lacrymabile bellum.

Apud Græcos antiquitus prouerbij loco erat ; Ate Homerica : quam ille Deam facit,noxas,& turbas,& dissidia,aliáq; mala inferentē atque immiscentem rebus mortalium,eámque dicit peracribus esse oculis,ac præuelocibus pedibus , insuperabili robore , inimicam , exitialémque mortalibus. Cùm igitur inter amicos vel sanguine iunctos mali quidpiam excitatum erat,quod sanare ac tollere vellent, ad istam Homericam Atem referebant,dicentes,non illorum hominum consilio, & voluntate id accidisse,sed Ates malignitate contigisse.

Ioseph igitur, vir scilicet pius,& res mortalium plerumque quidem occulto,semper autem iusto,rectóque Dei iudicio & consilio disponi, administrari,& geri probè intelligens , quod à fratribus suis contra se actum fuerat,arcano Dei cōsilio imputat:qui magna sæpe mala in longè maiora bona pro infinita sua bonitate,& sapientia,potentiáque mutare solet.Hoc enim proprium est diuinæ bonitatis & sapientiæ,vt ipsis etiam malis bene vtatur, conuertendo ea ad rectitudinem alicuius ordinis : nō enim potest hominum consilio aliquo,vel potentia impediri diuina prouidētia,sed qualitercunq; homo per malum recedere à Deo conetur,rursus per alium ordinem necessariò ad eum relabitur. Scitum enim valdè est meritóq; celebratum quod egregiè doctus & disertus Boëtius lib.4.de Consolatione Philosophica,sub finē sextæ Prosę scriptum reliquit hisce verbis : Sola est diuina vis,cui mala quoque bona sunt,cum eis competenter vtendo, alicuius boni elicit effectum. Ordo enim quidā cuncta complectitur : vt quod ab assignata ordinis ratione discesserit,hoc idem,licèt in alium,tamen in ordinē relabatur : nequid in regno prouidentiæ liceat temeritati. Naturarum quippe omnium conditor Deus, ad bonum dirigens, cuncta disponit : dúmque ea quæ protulit in similitudine retinere festinat, malum omne de rei publicæ suæ terminis,per fatalis seriem necessitatis eliminat. Quo fit, vt quæ in terris redundare creduntur,si disponentem prouidentiam spectes,nihil vsquam mali esse comperias.Sic Boëtius.

Præclara Boëtij sentētia de efficacia diuinæ prouidentiæ,etiam mala vertentis in bonum.

3 Super illis autem verbis:*Qui fecit me quasi patrem Pharaonis,& dominum vniuersæ domus eius,& principem in omni terra Aegypti,* annotauit hoc

Caietanus: Voluit, inquit, Rex Pharao, vt Ioseph, quasi esset pater ipsius, curã haberet domus & regni sui. Itaque Ioseph relatiuè ad Pharaonem, fungebatur officio paterno: relatiuè autem ad familiam & domum Pharaonis, fungebatur officio domini: relatiuè autem ad terram Aegypti fungebatur officio Principis. Et hoc ipsum ab initio cõstituerat & decreuerat Pharao, cùm primùm exaltauit Ioseph: dixit enim ei, vt suprà Gen. 41. scriptũ est: *Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: ecce constitui te super vniuersam terrã Aegypti vno tãtùm regni solio, te præcedam.* Ex supradictis porrò verbis Ioseph, quib. dixit se esse velut patrem Pharaonis, quidam coniecturã faciunt, Pharaonem fuisse tunc adolescentẽ, cui Ioseph, vir nempe humanarũ & diuinarum rerum consultissimus, tanquam pater accesserit, à quo bene administrandi regni formulam acciperet, & cuius prudentia in dubiis & arduis rebus regeretur. Magnis namque principibus, ob ætatem cõsilio & prudentia minimè pollentibus mos fuit apud veteres viros adiungere scientiâ rerũ humanarum præstantissimos; qui Principibus bene viuendi, & dicendi, & agendi magistri, & quasi patres essent. Apud Homerum legimus Achilli datum esse Phœnicem: Agamemnoni, fuisse Vlysses, Nestorem, & Chalcantem: Dario Zopyrum: Epaminondæ Lysiã: Platonem Dioni: Aristotelẽ Alexãdro: Zenonem Antigono: Senecam Neroni. Quanquã illud, *quasi patrem Pharaonis:* nõ tam ad teneritudinem, atque infirmitatem ætatis Pharaonis, quàm ad excellẽtiam prudentiæ & sapiẽtiæ Ioseph referri debet: propter quam Pharao eum quasi patrem reuerebatur & obseruabat: eiúsque consiliis lubens regebatur, monitísq; eius & documẽtis, nõ secus ac paternis præceptis obtemperabat. Nimirum fortunati Principes, quibus probos ac prudẽtes habere consiliarios, & quasi vitæ, & sui, aliorúmque regiminis magistros contingit, & quorum ipsi sententias libẽter audiunt, & sequuntur.

VERS. 16. Et gauisus est Pharao, atque omnis familia eius.

CREDIBILE est, duas ob causas Pharaonem vehementer 4
esse gauisum: tum quòd valdè amabat Ioseph tam propter eximias virtutes eius, & naturales, & morales, & supernaturales, quàm propter summa eius in vniuersam Aegyptum merita: tum quòd audiens, fratres Ioseph esse viros ingenuos, & claro genere natos, & multis animi atque corporis virtutibus insignes, gaudebat deletam esse notam ignobilitatis atque obscuritatis Ioseph, quæ gloriam eius nonnihil apud Aegyptios infuscabat. An verò gaudium Aegyptiorum, præsertim verò magnatum & aulicorum Regis, fuerit verum, ac sincerum, an fucatum & simulatum, quo scilicet gaudenti Regi similiter & ipsi gaudentes gratificarentur, incertum est, meritóque in dubium verti posset. Nam si ex eo, quod fieri plurimum solet in aulis Principum, facere iudicium velimus de gaudio istorum Aegyptiorum, non temerè credi posset, illos non ex animo, sed fictè, adulatorum

An gaudium Aegyptiorum de aduẽtu fratrum Ioseph, fuerit verum, an simulatũ.

torum more (qui nunquam apud Principes desunt) vultu magis & in speciem gaudium prætulisse, quàm concepisse, ac gessisse animo. Mos enim est Aulicorum, alios inuidere aliis, sed iis maximè, qui ex humili conditione ad altissimum honoris gradum quasi repentè prouehuntur: obscurorum enim hominum vel repentina, vel nimis festinata ad honores prouectio semper inuidiosa atque odiosa fuit. Si tales fuêre proceres Aegypti erga Ioseph, verisimile est, eos non seriò & sincerè, atque ex suo sensu lætatos esse, sed induisse vultu lætitiam, vt regi placerent. Est enim adulator propè vt speculum, quod omnium in se colorum atque formarum imagines accipit: adulator itidem eorum quibuscum viuit, affectus omnes in seipse simulat, & quasi effigiat, gaudens, dolens, irascens, metuens, denique ad omnia sese componens & transformans, vti affectum viderit, cui adulari in omnibus instituit. *Mos Aulicorum.*

Mihi tamen similius vero fit, gaudium illud Aegyptiorum syncerum & verum fuisse: atque hoc esse permagnum argumentum atque testimonium præstantissimæ virtutis & humanitatis, & suauitatis morum, & dexteritatis in agendo, & modestiæ in administrando imperio ipsius Ioseph: quòd homo alienigena, & vt putabatur, seruilis conditionis, subitò ad summam potentiam & gloriam, secundùm regem, elatus, omnibus tamen proceribus Aegypti, omnibúsque aulicis carissimus esset. Quis enim nesciat, quàm intestino odio inter se dissideant aulici, & quantopere inter se clam inuideant, & oderint; certatímque contendant primum obtinere apud Principem beneuolentiæ gratiæque locum? Thraso ille Terentianus, cùm singularem erga se Regis beneuolentiam & gratiam iactabundus prædicasset, mox de aulicis subdit: *Terentius in Eunuch.*

Inuidere omnes mihi: mordere clanculùm.

6 Magnæ profecto virtutis & felicitatis est, vt cùm omnes honore ac potẽtia superes, omnibus tamen nihilominus iucundus & charus sis. Quibus autem artibus soleant istiusmodi homines aliorum suorum riualium & quasi competitorum non solùm inuidiam atque odium declinare, sed etiam beneuolentiam & gratiam demereri, paucis verbis docuit Simon ille Terentianus in persona sui Pamphili, hæc de eo dicens: *In Andria.*

Sic vita erat, facilè omnes perferre, ac pati
Cum quibus erat, cúmque vnà his se dedere:
Eorum obsequi studiis, aduersus nemini:
Nunquam præponens se aliis. Ita vt facillimè
Sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares.

Ad hunc locum credibile est vitam suam instituisse Ioseph, vt Aegyptiis, cuiuscunque essent conditionis, bene volendo, benéque, quoad posset, faciendo, & fauendo, gratissimus esset omnibus, ideóque & gaudium eius verè gauderent, & lætissimo fratrum eius aduentu etiam ipsi vehementer lætarentur.

Ego

Ego dabo vobis omnia bona Ægypti. *Versu decimo octauo. Et paulò infrà Versu vigesimo.* Omnes opes Ægypti vestræ erunt.

NON fuit hæc promissio Pharaonis, vituperandæ prodigalitatis, sed perfectæ ac summè laudandæ liberalitatis. Illud enim comprimis obseruandum est in liberalitate, vt beneficia potissimùm in eos qui digni sunt, & de nobis benemeriti, conferantur. Quis autem beneficentia Pharaonis dignior in Aegypto erat, quàm Ioseph? Aut quis meliùs de Rege, & regione vniuersáque gente illa meritus fuerat? Dederat Ægyptiis nõ opem tãtùm, sed consilium quo septennem famem depellerent: forétque Aegyptus sola frugibus abundans, ceterísque gentibus fame laborantibus, ac miserè pereuntibus, quasi horreum totius Orientis, quo scilicet ex vicinis regnis frumentatum veniebant plurimi. Adiice, quòd singulari prouidentia Ioseph, fiscus regis maiorem in modum auctus fuerat; omníq; terra Aegypti possessioni regis atque dominationi, ipsis etiam volentibus ac lubentibus Ægyptiis, subiecta fuerat. Hæc omnia prudẽter cum animo suo reputans, atque æstimans Pharao, non solùm in Ioseph tot tantorúmque bonorum auctorem liberalis esse voluit, sed in patrem & fratres eius, omnémque familiã, liberalitatis suæ fontes deriuari oportere iudicauit: indignũ. n. censebat vt fame laborẽt qui à fame liberauerant Aegyptum: neque honestũ esse, vt famelici, more aliarum gẽtium in Aegyptum venirent frumentatum; qui aliis gentibus, vt eò frumẽti emendi causa venirent, per Ioseph præstiterant: neque ferendum esse, vt illi bonis Aegyptiis frui non possent, qui eorum bonorũ causa fuissent. 6

Lyranus. Thostatus. Est opinio Hebræorum, quam in hoc loco Lyranus, & Thostatus referunt, Pharaonẽ dicentẽ verba illa, *Omnes opes Aegypti vestræ erunt*, inscientẽ, sed à Spiritu sancto motũ prophetasse spoliationem bonorum Aegypti, quã post ducẽtos & quindecim annos facturi erãt Hebræi, cũ ex Aegypto, duce Moyse, discesserunt, sicut in lib. Exod. cap. 12. scriptũ est. Pharaõ itaque dicẽs illa verba, significare vólebat, cognatos Ioseph omnium bonorũ Aegypti fore participes. at Spiritus sanctus, qui eum ad talia verba dicenda mouebat, significare volebat, futũram post duo secula bonorũ Aegypti spoliationẽ per Hebræos, quos seruitute Aegyptiaca liberaturus erat, sicut ipse prædixerat Abrahæ Genes. 15. Dictũ igitur illud Pharaonis propheticum fuit, ipse tamen propheta nõ fuit, quia non intelligebat verba quæ dicebat secundùm istã significationẽ. Quemadmodũ Caiphas, vt est apud Iohan. ca. 11. dicens verba illa: *Expedit vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat* prophetasse dicitur, quia Christus moriturus erat pro redemptione & salute humani generis, quia tamen ipse neque hoc intendebat, neque intelligebat, non propterea verè potest dici propheta. Et hæc quidem pro ista opinione Hebræorũ dicta sint. Quã tamen non immeritò cõfutat Thostatus. Bona enim illa, quæ ab Aegypto recedentes Hebræi abstulerunt

Aegy

Aegyptiis nec tot, nec tãta fuêre, vt verè dici posset, abstulisse eos omnes opes, & omnia bona Aegypti. Siquidem Hebræi non habitabant sparsè per vniuersam Aegyptum, sed habitabant tantùm separatim in terra quadam, quæ vocabatur Gessen, & ab Aegyptiis qui mixti cum Hebræis inibi quoque habitabant, bona illa commodatò acceperunt, non autem ab aliis Aegyptiis, nisi fortè ab iis qui in vicino & proximo erant.

7 Super illis autem verbis: *Quibus dedit Ioseph plaustra & cibaria in itinere.* Versu 21. non est silentio inuoluendum B. Hieronymi vtile quoddam annotamentum. Sic enim scribit in Traditionibus in Genesim super hunc locum: Verbum Hebræum *zeda*, quod hîc omnes ore consono ἐπισιτισμὸν, id est, cibaria, vel sitarcia interpretati sunt; in Psalterio quoque habetur. Vbi enim nostri legunt *Viduam eius benedicens benedicam*, licèt in plerisque codicibus pro *vidua*, hoc est, pro Græca voce χήρην nonnulli legant θήρην, in Hebræo est *zeda*, id est, *cibaria eius benedicens benedicam.* Porrò θήρη venationem magis potest sonare, quàm fruges. Tametsi moris sit Aegyptiorum, θήρη etiam far vocare, quod nũc etiam corrupto vocabulo Aegyptij nũcupant atherã. Sic B. Hierony. *B. Hieronym.* *Psalm. 131.*

Dimisit ergo fratres suos: & proficiscentibus ait: Ne irascamini in via.

8 QVAERITVR, cur Ioseph hoc solum abeuntibus fratribus præceptum dederit. Thomas Anglicus huiusmodi reddit rationem. Dixit hoc Ioseph fratribus probè sciens, vitium hoc rixandi & altercandi difficulter in via ab his qui faciũt iter, vitari posse. Concitatio enim corporalis motus, & lassitudo ac molestia corporis ex itinere, & communis libertas atque garrulitas iter facientium dant sæpe occasionem inuicem altercandi & rixandi. Sic ille. Verùm multo credibilius est, multóque cõuenientius & grauitati ac prudentiæ Ioseph, & ingeniis ac moribus fratrum eius, id quod à multis & grauibus viris proditũ est. Nimirum pręuidebat Ioseph, quòd indubiè futurum erat, vt fratres eius in reditu contenderent interse, & altercarentur super venditione sua, quis ipsorum magis, minúsve culpabilis fuisset, & idcirco magis minúsve timere sibi deberet à Ioseph. Enimuerò hoc pleriq; ingenio sunt, vt rectè factorum gloriam, quisq; ad se trahere, sibique vindicare studeat: si quid contrà perperàm, vel errore, vel stultitia admissum est, id quisque amoliri à se, atque in alios transferre conetur. Erant fratres Ioseph, quãtum ad eius venditionem, non in eadem omnes causa: quapropter vt sibi quisque bene vel malè conscius erat, ita vel spem, vel metum animo concipiebat. Et Ruben quidem extra omnem erat noxam, quippe qui perpetuus fuerat salutis Ioseph defensor, & necis eius dissuasor ac detestator. Iudas verò, cuius permagna erat apud ceteros fratres auctoritas, vt Ioseph ab interitu assereret, venditionem eius, quasi minus malũ, persuasit fratribus. Ceteri fratres, vno omnes calculo mortem Ioseph decreuerant: quocirca *Thomas Anglicus.*

peiori erant conditione, maioriq; in metu. Hoc igitur cum prudentissimum virum Ioseph minimè lateret, vt rixarum ac iurgiorum quæ inter fratres excitari poterant, causam omnem præcîderet, sapienter, & amanter, & salubriter, abeuntes cohortatus est ad vitandas in reditu rixas & altercationes, colendámque mansuetudinem, & mutuam beneuolentiam.

Chrysost. Hoc autem quod diximus non obscurè significauit etiam Chrysost. hom. 64. in Genes. hæc ipsa verba perpendens. *Ne irascamini in via.* Vide, inquit, præclaram mentem Ioseph, & sanctissimos eius mores: non solùm ipse remisit iram, & iniuriam fratribus, & à criminibus eos liberauit: sed & ipsos admonuit, ne irascerentur in via, nec de his quæ fecerant, inter se contenderent. Nam cùm steterunt ante Ioseph, dixerunt: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum:* Et Ruben dicebat illis: *Nunquid non dixi vobis, Nolite peccare in puerum, & non audistis me?* Multo igitur magis verisimile erat quòd in via inter se altercaturi & rixaturi essent: propterea reprimens eorum iram, mutuámque contentionem, dixit eis, *Ne irascamini in via*: sed cogitate, quòd ego crimen vestrum, non pro crimine vindicauerim, sed gratuitò condonauerim: vos itidem decet super eo non inter vos rixari, sed mutua vos beneuolentia complecti. Quis pro dignitate admirari queat huius viri virtutem, qui nouæ legis philosophiam, tanto ante & perfectè cognouit, & cumulatè adimpleuit? Nam quod Christus docuit discipulos. *Diligite inimicos vestros*: hoc ipsum Ioseph, & multo amplius fecit. Non enim solùm tantam declarauit charitatem erga eos qui se occidere voluerunt; sed omnia fecit, vt demonstraret eis quòd nihil in se peccauerant. Non vos, inquit hæc mihi feciſtis, sed Dei erga me prouidentia hæc fieri disposuit, vt mihi somniorum meorum euentus cõcederetur. O sapientiæ excellentiam! O magnitudinem beneuolentiæ! ô dilectionis Dei largitatem! Sic Chrysostomus. Idem, sed breuibus, Rupertus: Ne, inquit, irascamini, aut rixemini, ne dum alius alio iustior, vel innocentior videri vult, & à se in alium crimen depellere contendit, inuicem prouocetis, & contra inuicem diuidamini. Sic ille.

Matth. 5.

Rupertus.

VERS. 28. Cúmque vidisset plaustra, & vniuersa quæ miserat Ioseph, reuixit spiritus eius: & ait, Sufficit mihi, si adhuc Ioseph filius meus viuit: vadam, & videbo illum antequam moriar.

SCRIPTVRA hoc loco ait, accepto nuncio de filio suo Ioseph, non solùm viuente, verùm etiam quodammodo regnante in Aegypto, tanto Iacob esse gaudio completum, vt quasi ex mortuo reuocatus esse videretur ad vitam. Antea enim præ mœroris & doloris magnitudine, tanquam mortuus videbatur: postea verò in locum mœroris lætitia etiam maiore succedente, visus est reuixisse spiritus eius. Hanc ego in Iacob mutationem animi minimè miror: potiùs, eum tãto & tam repentino gaudio completum, non

non defeciſſe ſpiritu, atque animam exſpiraſſe. Etenim in Romanis Annalibus ſcriptum legimus, quo tempore Cannenſis cædes Romani exercitus ab Annibale facta eſt, anum matrem, nuncio de morte filij allato, luctu atque mœrore affectam eſſe. Sed is nuncius verus nō fuit: & filius eius, non diu poſt ex ea pugna in vrbem rediit. Quo repentè viſo mater, copia atque turba, & (vt Gellianis verbis vtar) quaſi ruina incidentis inopinati gaudij oppreſſa, exanimatáque eſt. *Gell. li. 3. c. 15.*

10 S. Chryſoſtomus pro eo quod nos legimus. *Reuixit ſpiritus eius*, ita citat hunc locum: *Reexcitatus eſt ſenex decrepitus, terram ſpectans.* Et ſic interpretatur: Quid eſt, *Reexcitatus eſt*? ſicut ignis in lucerna, quando deficit olei alimonia, & iam extinguitur; ſi parum quis olei infuderit, repentè quod extingui putabatur, clariorem emittit lucem: ita & ſenex ille præ triſtitia extingui videbatur: Sic enim de eo dixit Scriptura: *Noluit conſolationem accipere dicens, Deſcendam lugens in infernum.* Vbi autem cognouit quòd viueret, & quòd dominaretur in tota Aegypto, & vidit plauſtra, quaſi reaccenſus eſt, & iuuenis ex ſene factus eſt. Depoſuit mœroris nebulas, diſpulit cogitationum tempeſtatem, & in magna tranquillitate conſtitutus eſt. Hæc autem omnia eo deſtinabat ac diſpenſabat Deus, vt Iuſtus laborum ſuorum conſolationem acciperet, & particeps fieret fœlicitatis filij ſui: & præterea vt ſomnium impleretur illud, quod ipſe interpretatus dixerat: *Nunquid veniemus ego, & mater tua, & fratres tui, vt adoremus te?* Hæc Chryſoſtomus. *Geneſ. 37.*

11 Audiamus etiam ſuper hoc ipſo loco Geneſis breuiter ita diſſerentem Rupertum: Cùm eſt nunciatum Iacob, filium eius Ioſeph viuere, & dominari in omni terra Aegypti; ſubdit Scriptura, eum quaſi de graui ſomno euigilantem, non credidiſſe tali nuncio. Quomodo autem tantæ rei pater nuncium acciperet, ait Rupertus, compendio Scriptura pulchrè ſic expreſſit, vt nullo verborum circuitu meliùs explicari potuerit, *Quaſi de graui*, inquit, *ſomno euigilans.* Qualis enim aſtat, qui de graui ſomno repentè excitatus, euigilat? Attonitus vtique, & ſtupidus ad intelligendum, vel ad reſpondendum, ſegnis & hebes, præmortuis ſenſibus. Vnde protinus cum necdum credenti referrent omnem ordinem rei, & ille vidiſſet plauſtra, & vniuerſa quæ miſerat, eadem proprietate vtens Scriptura dixit de eo, *Reuixit ſpiritus eius*; id eſt, Diſcernendi facultatem recepit, vt multitudinem gaudiorum ſuorum capere poſſet, & rationem habere cum eis ſciret: quorum nempe repentinus aduentus, imparatum, nihilque tale opinantem, magna inundatione oppreſſiſſet. Sic Rupertus. *Rupertus lib. 9. in Geneſim cap 14.*

12 Oleaſter illud, *Quaſi de graui ſomno euigilans*, ex Hebræo ita vertit: *Et ceſſauit cor eius.* Scilicet à naturali motu ſuo. Verbum enim Hebræum *pug* non plenè notum eſt Hebræis: ex variis tamen boniſq; cōiecturis, ſignificare videtur idem quod ceſſare & quieſcere. De quo Rabbi Abraham in Cōmentariis Habacuc primo, vbi hunc locū citat, ita ſcribit: Omni tempore quo viuit homo, pulſat cor eius in medio ipſius. Sed quando dixerunt Iacob, Filius tuus Ioſeph viuit: tacuit cor *Oleaſter.* *Rab. Abraham.*

eius & non pulsabat, quia territus conturbatúsque erat, vnde inferiùs dicitur, spiritum eius reuixisse. Sic iste Rabbinus, referente Oleastro.

Paraphrasis Chaldaica pro *reuixit spiritus eius*, sic habet ad verbum: 12
Quieuit Spiritus sanctus super Iacob patrem ipsorum. Hoc exponentes He-
Hebræorum Commentum. bræi, tradunt ex eo tẽpore, quo Iacob tristari & dolere cœpit de amisso Ioseph, vsque ad hoc tempus quo nuncium accepit de vita & potentia eius, non fuisse eum afflatum Spiritu prophetico. Cuius rei hanc reddunt causam: quòd Spiritus sanctus non manet in hominibus tristibus, & dolentibus, & ignauis: ignauum namq; reddit tristitia & dolor: sed in alacribus & strenuis, & expeditis. Vnde vulgò apud illos hæc est iactata sententia: Spiritus sanctus non quiescit nisi super hominem alacrem. Atque ob hanc causam videre est, omnes fermè prophetas fuisse potiùs iuuenes, quàm senes: quòd iuuenes promptiores sint & alacriores ad res peragendas: senes verò plerumque cunctabundi & tardi, & pigri sunt. Excipere tamen oportet Moysem, & Aaron, qui in senectute sua, supergressi iam octogesimum annum, diuino spiritu excellenter præditi sunt: Verùm hoc singulare quid fuit, & quasi miraculo assignandum. Quoniam igitur Iacob supra modum tristabatur de amissione Ioseph, ideo per illud tempus desijt in illo Spiritus prophetici operatio: ea verò redijt, cùm Iacob, audito, Ioseph viuere & dominari, maximo gaudio completus est. Sic isti Hebręi, quibus solemne est mira dicere sine vlla ratione & probatione, & fabulosis commentis mirandum in modum delectari.

***

BENE-

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA IN CAPVT QVADRAGESIMVM SEXTVM GENESIS.

ARGVMENTVM.

Iacob, adorato priùs, cõsultóque Deo, proficiscitur in Aegyptum: quo, vnà cum ipso intrauerunt numero sexaginta septem. Fit lætissimus Iacob & Ioseph in terra Gessen occursus: præmonétque Ioseph fratres suos, vt se non aliam nisi pastoralem colere artem, apud Pharaonem profiteantur.

PROFECTVSQVE Israël cum omnibus quæ habebat, venit ad Puteum iuramẽti: & mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac, audiuit eum per visionẽ noctis vocantem se, & dicentem sibi, Iacob, Iacob; cui respondit: Ecce adsum. Ait illi Deus: Ego sum fortissimus Deus patris tui: noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego descẽdam tecum illuc, & ego inde adducam te reuertentem: Ioseph quoque ponet manus suas super oculos tuos. Surrexit autem Iacob à Puteo iuramenti: tulerúntq; eũ filij cũ paruulis & vxorib. suis in plaustris quæ miserat Pharao ad portandũ senẽ, & omnia quæ possederat in Terra Chanaam: venítq; in Ægyptũ cũ omni semine suo, filij eius & nepotes, filiæ, & cũcta simul progenies. Hæc sunt autem nomina 1 2 3 4 5 6 7 8

filiorum Israël, qui ingressi sunt in Ægyptum, ipse cum libe-
9 ris suis. Primogenitus Ruben. Filij Ruben: Henom & Phal-
10 lu,& Hesrō & Charmi. Filij Simeō Iachuel & Iamin & Ahod
11 & Iachin & Sohar & Sauil filius Chananitidis.Filij Leui:Ger-
son & Cath & Merari. Filij Iuda:Her & Onan & Sela & Pha-
12 res & Zara. mortui sunt autē Her & Onan in terra Chanaam.
13 Natíque sunt filij Phares Hesrō & Hamul. Filij Issachar Tho-
la & Phua & Iob & Semron. Filij Zabulon : Sared & Elon &
14
15 Iahelel.Hi filij Liæ quos genuit in Mesopotamia Syriæ cū Di-
na filia sua,omnes animæ filiorū eius & filiarū triginta tres.Fi-
16 lij Gad : Sephion & Haggi & Suni & Esebon & Heri & Arodi
17 & Areli.Filij Aser,Iamne & Iesua & Iessui & Beria.Sara quoq;
18 soror eorū.Filij Beria : Hebel & Melchiel.Hi filij Zelphæ, quā
dedit Labā Liæ suæ.Et has genuit Iacob sexdecim animas.Fi-
19. 20 lij Rachel vxoris Iacob:Ioseph & Beniamin.Natiq; sūt Ioseph
filij in Terra Ægypti, quos genuit ei filia Aseneth filia Phuti-
21 pharis sacerdotis Heliopoleos:Manasses & Ephraim:Filij Bē-
iamin: Bela & Bechor & Asbel & Gera & Naaman & Echi &
22 Ros &Mophim & Ophim & Ared.hi filij Rachel quos genuit
23. 24 Iacob : omnes animæ, quatuordecim. Filij Dan : Husim. Filij
25 Nephtali:Iasiel & Guni & Iesser & Sallem.Hi filij Balæ quā de-
dit Labā Racheli filiæ suæ:& hos genuit Iacob:omnes animæ
26 septē. Cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cū Iacob in Ægyptū,
& egressæ sunt de femore illius,absque vxoribus filiorum eius
27 sexaginta sex.Filij autem Ioseph,qui nati sunt ei in terra Ægy-
pti, animæ duæ. Omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ
28 sunt in Ægyptū,fuēre septuaginta. Misit autem Iudam ante se
29 ad Ioseph,vt nunciaret ei,& occurreret in Gessen. Quò cum
peruenissēt,iuncto Ioseph curru suo,ascēdit obuiam patri suo
ad eundem locū : vidénsque eum,irruit super collū eius,& in-
30 ter amplexus fleuit Dixítque. Pater ad Ioseph: Iam lætus mo-
31 riar,quia vidi faciem tuā,& superstitem te relinquo.At ille lo-
cutus est ad fratres suos, & ad omnem domum patris sui : As-
cendam,& nunciabo Pharaoni, dicámque ei : Fratres mei, &
32 domus patris mei, qui erant in Terra Chanaam, venerunt ad
me: & sunt viri pastores ouium, curámque habent alendo-
rum gregum: pecora sua, & armenta, & omnia quæ habere
33 potuerunt, adduxerunt secum. Cúmque vocauerit vos & di-
xerit:

xerit: Quod est opus vestrum? Respondebitis: viri pastores su- 34
mus serui tui, ab infantia nostra vsque in præsens, & nos & pa-
tres nostri. Hęc autem dicetis, vt habitare possitis in terra Ges-
sen: quia detestantur Aegyptij omnes pastores ouium.

PRÆFATIO.

1 IOSEPHVS *libro primo Antiquitatum, enarrãs historiam huius capitis, hunc in modum scribit: Iacob cognito, non solùm viuere filium suum Ioseph, quem tandiu luxerat, verùm etiam cum magna gloria & potentia viuere, & secundùm regem, dominari Aegypto, facilè ista credidit: cogitans nimirùm magnificentiam Dei, & singularem erga se fauorem, tametsi aliquantisper, vt videbatur, intermissum: nec diu moratus, iter aggressus est, ad Iosephum properans. Vbi verò ad Puteum iuramenti venit, piè admodũ Deo sacrificium obtulit; eius nimirùm & consilium voluntatemq; super hac sua profectione nosse cupiens, atque eius etiam protectionem implorans. Timebat enim ne filiis suis, propter vbertatem Aegypti, eius regionis habitandæ amore captis, posteritas sua non rediret in Chananæam; iuxta Dei promissa, eam regionẽ occupatura: néve, inconsulto Deo, migratione præsenti facta, familia ipsius, clade aliqua afficeretur: ad hæc ne fortè ipse, priusquam Ioseph aspicere contingeret, ex hac vita excederet. Talia volutanti cum animo suo, & somno grauato, Deus per visionem astitit, eúmque bis nominatim inclamauit. Quo rogãte, Quisnam esset? An, inquit, non agnoscis Iacob, Deum, perpetuum tam tuum, quàm tuorum Maiorum protectorem simul & auxiliatorem? Qui cõtra patris tui propositum, principem te constitui familiæ; & cùm solus ires in Mesopotamiam, effeci vt coniugium nactus fortunatum, redires, & liberis multis, & facultatibus auctus. Incolumem etiã seruaui progeniem tuam: & quem amisisse videbaris Ioseph filiũ, ad tam sublime dignitatis fastigiũ euexi, vt nõ multùm à rege Aegypti differat. Nunc quoque in hoc veni, vt me ducem istius itineris tui habeas: vtq; tibi prænunciẽ, Te inter manus dilecti Ioseph è vita exiturum, & posteritatem tuam, per multa sæcula, potentem fore atque illustrem; occupaturámque terram, cuius ei possessionem & dominationem sum pollicitus. Hoc somnio bene animatus & confirmatus Iacob, fretúsque tanto Dei præsidio, multo lubentiùs in Aegyptum cum filiis ac nepotibus suis properabat: hi autem erant in vniuersum Septuaginta. Eorum nomina, cũ sint paulò duriora, nõ eram* Iosephus.

hîc

hîc adscripturus, nisi propter quosdam, qui nimis inscienter nos Aegyptios origine esse contendunt, non autem Mesopotamenos. Ergo Iacob filij fuêre duodecim; & cetera, quæ deinceps ibi subtexit Iosephus.

S. Augustinus, quo tempore Iacob cum omni familia intrauit Aegyptum, quid eo tempore in orbe terrarum insigne ac memorabile contigerit, paucis verbis admonet, & tradit lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 4. & 5. ita scribens: Secundo anno septennis sterilitatis Aegypti, quæ septennem fertilitatem proximè subsecuta est, Iacob in Aegyptum cum suis omnibus venit ad filium suum Ioseph, natus annos centum & triginta: cùm Ioseph ageret tunc triginta & nouem, ad triginta scilicet quos agebat quando à rege honoratus est, additis septem vbertatis annis, & duobus famis. His porrò temporibus Rex Argiuorum Apis, nauibus transuectus in Aegyptum, & cùm ibi mortuus esset, factus est Serapis omnium maximus Aegyptiorum Deus. Cur autem post mortem non Apis, sed Serapis sit, hanc reddit rationem Varro: Nam quia Arca, in qua mortuus ponitur (quod omnes iam σαρκόφαγον vocant, Græcè dicitur σόρος. & ibi eum venerari sepultum cœperunt, priusquam templum eius vllum esset exstructum, velut σοράπις. primò, deinde vna littera, vt fit, cõmutata, Serapis dictus. Ille autem bos, quem mirabili vanitate decepta Aegyptus, in honorem Serapidis deliciis affluentibus alebat, quoniam eum sine sarcophago viuum venerabantur, Apis, non Serapis vocabatur. Quo boue mortuo, quoniam quærebatur, & reperiebatur vitulus coloris eiusdem, hoc est, albis quibusdam maculis similiter insignitus: mirum quiddam & diuinitus sibi procuratum esse credebant Aegyptij. Sed non erat magnum Dæmoni ad eos decipiendos, phantasiam talis tauri, quam sola cerneret, ostentare vaccæ concipienti, atque prægnanti; vnde libido matris attraheret quod in eius fœtu iam corporaliter appareret, sicut Iacob de virgis variatis, vt oues & capræ variæ nascerentur, effecit. Quod enim homines coloribus & corporibus veris, hoc Dæmones figuris fictis facillimè possunt animalibus concipientibus exhibere. Hæc Augustinus.

S. August. 2

Origo superstitionis Aegyptiorum circa cultum eius bouis, qui vocabatur Apis.

Genes. 30.

Hîc ego lectorem animaduertere cupio, quoniã cùm Hebræi intrarũt Aegyptũ, atque ibi per annos paulò amplius ducentos cõmorati sunt, veneratio & cultus illius bouis Aegyptij, qui vocabatur Apis, recens erat, ideoq; apud Aegyptios valdè religiosa & percelebris: ex eo factũ esse, vt Hebræi, cùm egressi sunt Aegyptũ, & ad montem Sinai constitissent, in eã superstitionẽ, quã tantopere celebrari ab Aegyptiis viderãt, turpissimè prolapsi sint, caput vituli in similitudinẽ Apis diuino cultu adorantes.

Vnde factũ sit, vt Hebræi paulò post egressum ex Ægypto, per turpissimam idololatriã caput vituli adorauerint.

Exod. 32.

Pro

Profectúsque Israel cum omnibus,quæ habebat,venit ad Puteum iuramenti. VERS. 1.

3 DECLARANDVM primò est,quisnam locus fuerit, qui vocatur hîc,Puteus iuramenti. Deinde cur in eum locum Iacob potissimùm iuerit sacrificatum Deo. Puteus iuramenti, propriè vocabatur nomine Bersabee, vt ex capite vigesimo primo,&vigesimo sexto Geneseos manifestum est.Illic enim scriptum est: *Idcirco vocatus est locus ille,Bersabee,quia ibi vterque iurauit.*Hîc autem sic est: *Et nomen vrbi impositum est Bersabee vsque in præsentem diem.* Vox porrò *Bersabee* composita est ex *ber* quod significat puteum, & ex voce *sabe*,quod significare potest tam septem, quàm iuramentum: quocirca vocem Bersabee interpretari licet, & Puteum septem, & Puteum iuramenti. Et fortasse ad vtrumque significandum tale nomen impositum est, quòd circa Puteum illum, vtrumque inter Abimelech & Abraham factum est.Nam & septem agnas electas Abraham dedit Abimelech,in testimonium quòd ipse fodisset puteum illum : & inde vocabatur Puteus septem.Et item iuxta eundem puteum,Abimelech,& Abraham inter se fœdus,adhibito iureiurando,percussérunt;ex quo appellatus est Puteus iuramenti.Ex illo autem puteo ciuitas similem traxit appellationem,vt & ipsa diceretur Bersabee.Erat autem illa ciuitas,vltima totius terræ promissionis versus Austrum, & iuxta Geraran metropolim Palæstinorum;& vicina magnæ illi solitudini, in qua diu oberrantes Hebræi versati sunt.Sed plura super hac ciuitate diximus in Tertio Tomo Commentariorum nostrorum in Genesim super cap.22.Num.23.

Quis locus fuerit puteus iuramenti.

4 Verùm cur Iacob in eum præcipuè locum venit, vt ibi sacrificaret Deo,& de itineris sui successu eum consuleret? Duas causas reddit Thostatus.Etenim locus ille,ire volentibus ex vrbe Hebron, vnde Iacob discessit in Terram Aegyptum,quò ire volebat,est in recta via. Sed potissima causa fuit illa,quòd mutatio status in hominibus,res est permagni momenti; maximè verò si quis è terra sua cum omni familia transmigret in terram longinquam,& alienam.Quam ob causam Iacob,incertus & dubius de huius profectionis successu,ad solitum sibi confugit subsidium; id autem erat,ad consulendum Deum, fusis precibus ad Deum, ritéque ac religiosè facto sacrificio,quemadmodum aliâs sæpe fecerat, magnum semper Dei præsidium & solatium expertus. Quoniam autem locus ille, qui vocabatur Puteus iuramenti, sanctus admodum & religiosus erat; ibi quippe auus eius Abraham erexerat altare, & inuocauerat Deum, vt suprà dictum est Geneseos vigesimo primo;ibi etiam pater eius Isaac,similiter Deum religiosè coluerat,vt traditum est Genes.26.propter hanc igitur tantam eius loci religionem & sanctitatem, in eo potissimùm Iacob Deum venerari,& de profectione sua consulere voluit.

Cur Iacob Deũ inuocare & consulere voluerit potissimùm in eo loco qui dicebatur Puteus iuramenti. *Thostatus.*

VERS. 16. Audiuit eum per visionem nocte vocantem se, & dicentem sibi, Iacob, Iacob: Ego sum fortissimus Deus patris tui: noli timere, descende in Aegyptum: quia in gentem magnam faciam te ibi.

Quam vim habeat geminatio illa Iacob, Iacob.

ILLA quę Græcè dicitur Anadiplosis, id est, Geminatio eiusdem vocis *Iacob, Iacob*, triplicem hîc habuit vim: primò, excitandi mentem Iacob, & aduertendi ad ea quæ dicturus ei Deus erat, quò attentiùs ea perciperet, tum declarandi magnam certitudinem, & firmitatem eorum quæ dicenda ipsi erant: ac demum demonstrandi celerem earum rerum euentum, effectúmque. Ad eundem nempe modum geminationem somnij, quod viderat Pharao, supra Genesis 41. interpretatus est Ioseph.

Iosephus.

Noli timere. Cur Iacob tunc profecturus in Aegyptum timuerit, tres causas tradit Iosephus libro secundo Antiquitatum. Primam, ne posteri eius, terræ Aegypti vbertatis amore capti, reuerti nollent in terram Chanaam, cuius illis possessionem Deus promiserat: Alteram, ne tam numerosa familia, quam ducebat secum, insigni aliquo damno & calamitate afficeretur: Tertiam, ne prius ipse vita excederet, quàm dilectum filium suum Ioseph videre posset. Rupertus huiusmodi reddit causam. Iacob cùm haberet spiritum propheticum, præuidisse quàm duram, & asperam, & tyrannicam, simúlque diuturnam seruitutem in Aegypto sui posteri seruituri essent, quantáque difficultate ac labore essent ex Aegypto educendi, & ad possessionem terræ Chanaam perducendi. Neque enim ignorabat Iacob oraculum illud diuinum datum Abrahæ, vt suprà narrauit Moses capite decimo quinto. *Scito prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua: & subijcient eos seruituti, & affligent eos quadringentis annis.* Et ad præsignificandam horrendæ illius seruitutis magnitudinem, præmissum fuerat: *cúmque sol occumberet, sopor irruit super Abrahã, & horror magnus & tenebrosus inuasit eum.* Et paulò infrà: *Facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens.* Hoc igitur præuidens Iacob euenturum posteris suis in Aegypto, valdè timebat illuc proficisci. Supradictis causis hanc item licet adijcere: Timebat vehementer Iacob, ne sui posteri ob diutinam cum Aegyptijs conuersationem, in eorum impurissimos mores, & vanissimas, absurdissimásque superstitiones degenerarent. Quod autem subditur, *In gentem magnam faciam te ibi*, verissimè, cumulatissimèque completum est. Nam cùm non intrassent ex familia Iacob Aegyptum ampliùs septuaginta, adeo multiplicati sunt, vt cùm inde sunt egressi, eorum tantùm qui ad bellandum erant idonei, ampliùs sexcenta millia numerarentur, præter innumerabilem aliam multitudinem, eiusdem tamen generis & stirpis, mulierum, paruulorum & senum. Et hoc ipsum Dei beneficium reuocans in memoriam Hebręis Moyses dixit: *In septuaginta animabus descenderunt patres tui in Aegyptum, & ecce nunc multiplicauit te Deus tuus sicut astra cœli.*

Quomodo in gentem magnã multiplicati fuerint in Aegypto posteri Iacob. Exod. 12. Deut. 10.

Ego

Ego descendam tecum illuc: & ego inde adducam te reuer- VERS. 4.
tentẽ. Ioseph quoque ponet manus suas super oculos tuos.

7 TRIVM rerum, quas Iacob vehementer timebat, Deus ei metum hisce verbis penitus adimit. Timebat ille, ne in illa trãsmigratione & profectione in Aegyptum, aliqua sibi suisq; calamitas accideret: Hoc remouet Deus, dicens, *Ego descendã tecum illuc.* Quid autem, comite, & custode, ac protectore Deo, mali potest timeri? Timebat præterea ne posteri sui, terræ Aegypti amore capti, nollent postea in Terram Chanaam reuerti: Hoc etiam amolitur Deus illis verbis, *Et ego inde adducam te reuertentem*; quod propriè ad posteros eius pertinebat. Illud demum metuebat Iacob, ne priùs ipse moreretur in itinere illo, quàm peruenire ad cernendum fruendumque filium suum dilectum posset: sed hoc eum metu liberat illis verbis Deus: *Ioseph quoque ponet manus suas super oculos tuos.*

Ego descẽdam tecum illuc. Qui hæc verba locutus est patriarchæ Iacob, is erat secundùm personam Angelus: prout autem repræsentabat auctoritatem eius, à quo missus fuerat, & cuius nomine ista loquebatur, appellatur in hoc loco Deus, & Deus fortissimus. Quapropter hoc: *Ego descendam tecum illuc*, si referatur ad personam Angeli, propriè accipiendum est. Angeli enim (licèt aliter quàm homines) mouentur ex vno loco in alium locum, descendunt de cœlo, & rursus ascendunt in cœlum, & perambulant terram: quare poterat etiam cum Iacob descendere in Aegyptum. Sin autem referatur ad Deum, cuius nomine & auctoritate ille loquebatur, non potest illud, *Ego descendam tecum illuc*, propriè accipi: Cum enim Deus vbique sit præsens, cœlum & terram, omniaque implens, non potest propriè dici, vel descendere aliquò, vel ascendere, vel aliquò ire: sed ista dicuntur figuratè de Deo, non secundùm ipsum, sed secundùm effectus ipsius. Nam quia Deus mansionem alicuius hominis in aliquo loco, vel descẽsum eius ex aliquo loco, vel profectionem eius in aliquem locum, custodit & regit, atque adiuuat; idcirco dicitur Deus manere cum illo homine, & discedere cum illo, & proficisci cum eo: & hac itidem ratione dicit patriarchæ Iacob, se descensurum cum ipso in Aegyptum.

Illud porrò: *Et inde adducam te reuertentem*, dupliciter exponitur, vel de ipsomet Iacob, non quidem viuo; (nam post id temporis non ampliùs redijt in Chananitidẽ, sed mortuus est in Aegypto) verùm de ipso Iacob mortuo; corpus enim eius post mortem reportatum est in terram Chanaam; & sepultum in sepulchro Abrahæ & Isaac, iuxta Hebron, vt infrà traditur Geneseos quinquagesimo. Hanc interpretationem multi sequuntur, quam tamen apertè verba illa excludunt, *Adducam te reuertentem*: hoc enim de cadauere Iacob aptè dici nequaquam potest; Reuerti enim est hominis viui, non mortui qui portatur ab alijs. Altera igitur expositio commodior multo, & probabilior est, referri debere istud ad posteritatẽ Iacob, id est, ad Hebræos, quos post ducentos quindecim annos Deus

eduxit ex Aegypto,& reduxit ad terram Chanaã. Multa nãmque à Deo promissa illis Patriarchis,non ipsis, sed posteris eorum præstanda erant. exempli gratiâ illud,*Dabo tibi terram hanc*,quod dixit Deus Abrahæ Genesis decimo tertio,&Isaac Genes.26.&Iacob Genesis vigesimo octauo, non in illis tribus Patriarchis impletum est, sed multo post eorum mortem tempore in eorum posteris completum est.

Cæterùm diligenter consideratéque pensitanda sunt verba illa,*Ioseph & quoque ponet manus suas super oculos tuos.* Duplicem enim veterum morẽ circa morientes,hisce verbis tangit Moyses:alterum,claudendi morientiũ oculos;alterum,vt id fieret ab eo, qui mortuo coniunctissimus aut dilectissimus fuisset. Ac priorem quidem morem fuisse apud Romanos etiã sacrum,testatur Plinius libro 11.cap.37.ita scribens: Morientibus oculos operire,rursúsque in rogo patefacere, Quiritum magno ritu, sacrum est:ita more condito, vt neque ab homine supremùm eos spectari fas sit,& cœlo non ostendi nefas.Hæc Plinius. Eius autem consuetudinis satis profectò rectam & probabilem rationem Thostatus reddit huiusmodi,cùm mortuus est quispiam,membra corporis frigescunt, & rigescunt, atque obdurescunt; ita vt commodè flecti & plicari, & componi non queant.Ne igitur partes corporis post mortem hominis deformes essent, statim vt quis moritur,dum etiam tũc caloris aliquid est in corpore,clauduntur oculi eius à circunstantibus, & alia membra aptè componuntur; ne pòst cùm iam frigidum cadauer factum fuerit,beneflecti & plicari & componi possint.

Plinius.

Thostatus. Cur morientibus claudantur oculi.

Posterioris autem moris,vt morientium oculi clauderentur à coniunctissimis & dilectissimis personis,multa,claráque extant apud Scriptores Ethnicos argumenta simul,& exempla.Hecuba Troianorum regina, & magnum humanæ infelicitatis exemplum,hoc,quasi magnum mortis suę solatium,à filio suo Polydoro exoptat,quem tamen ignorat, an is viuat; sed à filia sua Polyxene viuere eum cognoscit, & supremo claudendi oculos ei morienti,officio functurum promittit. 9

Morientibus oculos claudi solere à personis coniunctissimis.

Hecuba apud Euripidem.

Viuit,inquit,*premétque mortuæ tibi lumina.*

Vt est apud Euripidem in Hecuba.Et apud Virgilium,Euryali mater plangit se filio occiso operire oculos non potuisse.

Virgilius lib.9.

---Nec te tua funera mater
Produxi,pressive oculos,aut vulnera laui.

Et apud Ouidium,Penelope reuocat suum Vlyssem in patriam; vt Laërti patri iam grandæuo, & morti proximo, supremum hoc persoluat officium.

Ouidius in Epistolis.

Lucanus.

Respice Laertem,& iam sua lumina condas,
Extremum fati sustinet ille diem.

Apud Lucanum lib.3.in Bello Iulij Cæsaris contra Massiliam,Argus quidam lethaliter vulneratus,patrem suum ætate iam fessum, cum fortè vidisset,hoc ab eo erga se officium expetiit:

-----Tacito tantùm petit oscula vultu,
Inuitátq,patris claudenda ad lumina dextram.

Memora

Memorabile in hoc genere videtur exemplum cuiusdam fœminæ, cuius oculatus fuit testis Valerius Maximus, id commemorans hisce verbis: Fortè tunc euenit, vt primariæ dignitatis fœmina, sed vltimæ iam senectutis, reddita ratione ciuibus, cur excedere vita deberet, veneno consumere se destinauit. Tunc igitur defusis Mercurio delibamentis, & inuocato eius nomine, vt se placido itinere in meliorem sedis infernæ deduceret partem: cupito hausto mortiferam traxit potionem; ac sermone significans, quasnam subinde partes corporis sui rigor occuparet, cùm iam visceribus eum, & cordi imminere esset locuta, filiarum manus ad supremũ opprimendorum oculorum officium aduocauit: nostros autem, tametsi nouo spectaculo stupefacti erant, suffusos tamen lacrymis dimisit. Hactenus ex Valerio Maximo. Illud igitur: *Ioseph ponet manus suas super oculos tuos*, idem valet, ac si diceret: Ioseph tibi morienti oculos claudet. Et hoc feciſſe Ioseph minimè dubitandum; quanquam infrà Genes. 50. vbi narratur mors Iacob, feciſſe id Ioseph, reticuit Moyses. Sic enim ibi scripsit de Iacob: *Collegit pedes suos super lectulum & obijt. Quod cernens Ioseph, ruit super faciem patris flens, & deosculans eum. Præcepitque seruis suis medicis vt aromatibus condirent patrem.*

Valerius Maximus lib. 2.

PRIMA DISPVTATIO.

De nominibus eorum qui vnà cum Iacob intrauerunt Aegyptum.

Super illis verbis,

Hæc sunt autem nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt Ægyptum: ipse, cum liberis suis. VERS. 8.

10 COMMEMORATIO, quam facit in hoc loco Moyses, eorum, qui vna cum Iacob ingressi sunt Ægyptum, complures habet quæstiones ac difficultates, quas distinctè tractare & explicare conuenit. Prima quæstio est, de discrepantia, quæ videtur esse in 1. lib. Paralipomenon cap. 4. ab hoc loco Geneſis, super numero & nominibus filiorum Simeonis: id autem apparebit, vtriusque loci verbis hîc appositis. Hoc loco sic est: *Filij Simeon, Ismael & Iamin & Ahod & Iachin, & Sohar & Saul filius Chananitidis.* Memorantur igitur & sex, & his nominibus filij Simeon in hoc loco. At in 1. lib. Paralipomenon ca. 4. sic legimus: *Filij Simeon: Namael, & Iamin, & Iarib, Ara, Saul.* Hîc memorantur quinque tantùm filij Simeon, & longè diuersis nominibus. Hanc quæstionem ita soluit falsò nominatus Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in lib. Paralip. In libro, inquit, Geneſi sex describuntur filij Simeon: hîc autem sextus filius tollitur, eo quòd nulla progenies de eo processerit: mutantur verò nomina quædam suis rationibus. In Geneſi

Prima qæstio de filijs Simeõ aliter hic atq; in 1. l. Paralip. memoratis.

scribitur *Ismael* quod interpretatur, Mare Dei: in Paralipomenon vocatur *Nanuel*, id est, loquens cum Deo. Alius in Genesi dicitur Ohad, quod interpretatur Laudatio: in Paralipomenon interpretatur *Iarib*, id est litigans, quia de eius progenie exiuit Zambri, qui cum scorto Madianitide peccans, à Phineees peremptus est. In Genesi nominatur *Iachin*, id autem est præparatio: in Paralipomenon appellatur *Zara*, id autem sonat idem atque *ortus*. Saul verò, qui eodem nomine in vtroque libro cõmemoratur, in hoc loco filius esse Chananitidis tacetur. sic ille Auctor.

Cur hìc memoretur Her, & Onan inter intrantes Aegyptum, qui multo antè mortui fuerant.

Altera quæstio est super filijs Iudæ habens tres difficultates; quarum 11 prima est, Cur inter filios Iudæ & inter eos, qui ingressi sunt Ægyptum, numerentur Her & Onan, cùm isti multis annis mortui fuerint in terra Chanaan, ante ingressum Iacob in Ægyptum? Verùm isti memorantur hîc non quòd de numero fuerint intrantium Aegyptum, cùm manifestũ sit multo antè fuisse eos mortuos: Commemorantur autem, vt appareat quos filios iam genuisset Iudas ante ingressum Iacob in Aegyptum. Quòd autem isti duo non pertineant ad numerum intrantium Aegyptũ, eo perspicuè argumento patet, quòd paulò infrà dicitur posteros Iacob ex Lia, id est, partim ex ipsa, partim ex filijs eius & nepotibus, fuisse triginta tres. At si commemorentur inter istos duo illi Her & Onan filij Iudæ, esset amplior numerus, nempe triginta quatuor.

Cur inter intrantes memorãtur filij Phares, qui multis pòst annis nati sunt.

Altera difficultas est, cur memorentur hoc loco inter intrantes Aegy- 12 ptum duo filij Phares, Hesron & Hamul, qui multis pòst annis quàm ingressus fuerat Iacob Aegyptum, nati sunt: Siquidem Phares natus est vel eo ipso anno, quo Iacob ingressus est Aegyptum, vel vno tantùm anno antè quemadmodũ euidenter ostẽsum est à nobis suprà super c. 38. Gen. ad numerum marginalem 4. Non potuit autem Phares minor esse sexdecim annis cùm genuit istos filios, ergo isti, minimùm quindecim annis nati sunt post ingressum Iacob in Aegyptum: scriptura porrò præmiserat memoraturam se eorum nomina hoc loco, qui cum Iacob ingressi sunt Aegyptum. Sedenim huius difficultatis duplex esse potest solutio, & vtraque à B. Augustino tradita. Primùm dici potest, istos, qui multò pòst nati sunt, dici ingressos Aegyptum; quia etsi non per se; in suo tamen patre Phares, qui verè intrauit Aegyptum, etiam ipsi existimantur intrasse Aegyptum. Similiter enim Moyses paulò pòst, enumeratis filijs & nepotibus Liæ subdit: *Ij filij Liæ, quos genuit in Mesopotamia*: cùm tamen manifestum sit, filios Iuda non in Mesopotamia, sed in terra Chanaam esse natos: idémque de filijs Ruben, Simeonis & Leui, aliorúmque filiorum Liæ dicendũ est. Sed quia sex filij Liæ nati fuerant in Mesopotamia, istorum filij dicuntur esse illic nati, ratione videlicet suorum parentum. Sic

S. August. Augustinus in quæst. 151. in Gen. Altero etiam modo ista difficultas solui potest, sicut eam soluit Augustinus quæst. vltima in Genesim; per ingressum Iacob in Aegyptum, non esse intelligendũ præcisè tempus illud quo ipse Iacob intrauit Aegyptum; sed quoad ipse vixit in Aegypto post ingressum, per annos scilicet decem & septem: vel potiùs, intelligere oportet, omne tempus, quo vixit Ioseph post ingressum patris sui Iacob, per

annos

annos vnum & septuaginta. Nã quia vocante Ioseph & procurante apud Pharaonem, Iacob intrauit Aegyptum, & ibi humaniter ac liberaliter à rege tractatus est cum omni familia sua; idcirco significatio & vsurpatio ingressus Iacob in Aegyptum, extenditur vsque ad finem vitæ Ioseph. vide eundem Augustinum in libr. 16. de Ciuitate Dei, sub finem 40. capitis. *B. August.*

13 Restat tertia difficultas, cur Moyses memorauerit filios Phares, non autem Zare & Sale, nam istos quoque genera sse filios, & suam reliquisse posteritatem, apertè demonstrat liber Numerorum, recensens vtriusque istorum familiam. Respondendum est, id fecisse Moysen propter dignitatem & nobilitatem posteritatis Phares, quæ ius & dignitatem primogenituræ inter posteros Iudæ tenuit: & ex qua processit regalis familia, cuius caput fuit Dauid, eiúsque posteri plurimis anni regnum in ea obtinuerunt. Ex hac item familia & per ipsum Phares, genus & originem ex Iuda traxit Dominus noster Iesus Christus, sicut ostendit genealogia Christi à Matthæo descripta. *Cur hîc per anticipationem memorẽtur filij Phares potiùs quàm Zare, & Sale.*

Tertia quæstio super illis verbis: *Omnes anima filiorum eius & filiarum triginta tres.* Versu 15. Posteri Iacob ex Lia, tam filij & filiæ, quàm nepotes hîc numerantur triginta tres: cùm tamen ex nominibus eorum distinctè paulò suprà commemoratis, aut plures fuisse, aut pauciores necesse sit. Nam si inter istos numerentur duo illi filij Iuda Her & Onan, erunt plures triginta tribus, nempe triginta quatuor. Sin autem ab isto numero illi remoueantur, erunt tantùm triginta duo. Hoc autem, quò apertius Lector intelligat, ponam hîc distinctè numerum istorum posterorum Liæ. Primò Ruben cum quatuor filiis, qui sunt quinque. Secundò loco, Simeon cum sex filiis, qui sunt septem. Tertio loco, Leui cum tribus filiis, qui sunt quatuor. Quarto loco Iuda, præter Her & Onan, cum tribus filiis & duobus nepotibus, qui sunt sex. Quinto loco Issachar cum filiis quatuor, qui sunt quinque. Sexto loco Zabulon cum filiis tribus, qui sunt quatuor. His adde vnicam Liæ filiam, nomine Dinam. Istorum omnium summa, est duorum tantùm, & triginta, quod si istis addere velis duos illos, Her & Onan, præter quàm quod facies contra propositum Moysis, cùm isti multis annis ante ingressum Iacob in Aegyptum mortui fuerint, efficies numerum maiorem quàm tradit Scriptura, nempe triginta quatuor. Quæritur igitur quo modo benè constet iste numerus triginta triũ posterorum Liæ.

14 Placet mihi sententia Caietani qui ex illis verbis, Scripturæ positis suprà in titulo huius disputationis: *Hæc sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt Aegyptum, ipse cum liberis suis:* duo concludit ad præsentem quæstionem pertinentia. Primò enim ex illis verbis, *qui ingressi sunt Aegyptum*, concludit, hîc rationem mortuorum haberi non debere, quippe qui nec tũc, nec postea ingressi sunt Aegyptũ, nec fuerũt in Aegypto: atq; ob hãc causã, duos illos filios Iudæ Her & Onan, qui multò antè mortui fuerant in terra Chanaã, à numero ingredientiũ Aegyptũ esse remouendos. Deinde ex illis verbis: *Ipse cum liberis suis,* concludit, in hunc numerum *Quomodo computatio trigintatrium posterorum Liæ intelligenda sit. Caietanus.*

rum triginta trium à Moſe traditũ hoc loco includi debere ipſum Iacob: atque hac ratione bellè numerum iſtorum triginta trium conſtare. Verba Caietani hoc loco ſic habent: Occurrit quæſtio, quo pacto verificato littera hæc dicens: *Omnes animas filiorum & filiarum Liæ fuiſſe triginta tres.* Nam ſupputando ſupra nominatos in littera, reperiuntur triginta quatuor, comprehendendo duos defunctos filios Iuda Her & Onã: vel iſtis excluſis, tantùm triginta duo. Nec dici poteſt, non ſupputari Dinam: tum quia expreſsè dicitur hîc *filiorum & filiarum eius*: tum quia paulò inferiùs clarè ſupputatur fœmina nomine Sara inter filios Aſer, ſumẽdo animas ſexdecim, vt patet ſupputando. Solutio eſt, quòd verba iſta Scripturæ non ſunt intelligenda ſola, vt ſonant, ſed vt pendent ex antecedentibus illis verbis: *Hæc ſunt nomina filiorum Iſrael, qui ingreſſi ſunt Aegyptum, Iacob & filij eius.* Nam ex illo, *qui ingreſſi ſunt Aegyptum*, excludũtur duo illi defuncti filij Iuda: ex illo autem, *Iacob & filij eius*, comprehendendus eſt Iacob in hac computatione. Et ſic optimè ſubſiſtit illa ſumma triginta trium: adiunctus enim Iacob triginta duobus filijs viuis & Lia, efficit ſummam triginta trium. Sic Caietanus.

De diſcrepãtia quæ videtur eſſe inter lectionem Hebraicã, & Latinam, atque Græcam circa poſteros Beniamin.

Quarta quæſtio, ſuper poſteros Beniamin, qui in hoc capite commemorantur verſu 21. Hebraica namque lectio, & Latina tranſlatio memorant decem poſteros Beniamin, & vocant eos, filios Beniamin. At lxx. interpretum tranſlatio numerans item decem poſteris Beniamin, non omnes facit eius filios: ſed partim filios Beniamin, partim nepotes, partim etiam pronepotes. Licèt enim ſecundùm Hebraicam & Latinam lectionem, Bela & Gera, & Ared nominentur filij Beniamin, attamen lxx. interpretes, qui hæc diſtinctiùs, atque enucleatiùs tradere voluerunt, Belam quidem faciunt filium Beniamin, Geram verò filium Bele, & nepotem Beniamin, Ared autem, filium Geræ, & pronepotem Beniamin. Hinc porrò ardua exiſtit quæſtio, *quomodo potuerit* Beniamin id temporis habere nepotes & pronepotes. Siquidem Beniamin, cùm Iacob intrauit Ægyptum, vigeſimum tertium annum ætatis ſuæ non excedebat: nempe fuiſſe eum natum, aut eo in anno, quo Ioſeph venditus eſt, aut iuxtà id temporis, ſuprà oſtenſum eſt. A tempore autem venditionis Ioſeph, vſque ad ingreſſum Iacob in Ægyptum, viginti tres anni prẽterierunt: tunc enim Ioſeph erat ſexdecim annorum, nunc autem triginta nouẽ. Non igitur fieri poteſt, vt Beniamin intra viginti tres annos ætatis ſuæ, non modò filium habuerit, ſed nepotem etiam ac pronepotem: ſed neceſſariò fatendum eſt, nepotem ac pronepotem aliquot annis poſt ingreſſum eius in Ægyptum eſſe natos. Huius quæſtionis ſolutio hæc eſt: Concedendum eſt, nepotem ac pronepotem Beniamin, non fuiſſe tunc natos, ſed per anticipationem hîc memorari, & dici intraſſe Aegyptum non in ſe, ſed in patre, vel auo, vel proauo, ipſum dico Beniamin, quemadmodum paulò ſuprà diximus de illis duobus filijs Phares, nominatis Heſron & Hamul, quos tunc non eſſe natos, ſuprà oſtenſum eſt. Et hoc modo ſoluit quæſtionem S. Auguſt. in lib. Quæſt. in Geneſim, quæſtione 151.

Quinta

16 Quinta quæstio super posteris Ioseph, qui commemorantur illis verbis: *Natique sunt Ioseph filij in terra Aegypti, Manasses & Ephraim*: versu 20. Hebraica, & Chaldaica, & Latina lectio duos tantùm hoc loco memorant posteros Ioseph, duos, inquã eius filios, Manasse & Ephraim. At trãslatio lxx. Interpretũ numerat septẽ, partim filios, partim nepotes & pronepotes Sic enim habet: *Fuerũt filij Ioseph in terra Aegypti, Manasse & Ephraim. Fuerũt autẽ filij Manasse, quos peperit ei cõcubina Sira, Machir. Machir autẽ genuit Galaad. Filij verò Ephraim fratris Manasse Sutalaã & Taã. Filii autem Sutalaam Edem*: sic habet Græca lectio. Constat porrò istos filios & nepotes Manasse & Ephraim nondum fuisse natos eo tempore, quo tempore Iacob intrauit Aegyptum; Tũc enim Manasses & Ephrain maiores nono anno ætatis esse non poterant. Ioseph enim, cùm intrauit Iacob Aegyptum, erat triginta nouem annorum, vt colligitur ex verbis illis prẽcedentis capitis 45. *Adhuc quinque anni residui sunt famis*: ipse verò triginta erat annorum cùm vxorem duxit, & istos filios generauit, vt suprà Geneſis 41. proditum est. Postea secuti sunt septem anni fertilitatis, & duo sterilitatis; Sic enim ipse Ioseph dixit Genes. quadragesimo quinto, *Biennium est, ex quo cœpit fames esse in terra, & adhuc quinque anni restant*. ex his planè dilucet, tunc Manasse & Ephraim, cùm vix nouem fuerint annorum, non modò pronepotes aut nepotes, sed ne filios quidem habere potuisse: verùm istos longo tempore post ingressum Iacob in Aegyptum esse natos. De his namque scriptum est in extremo hoc libro Geneſis: *Vixit Ioseph centum & decem annis: & vidit filios Ephraim vsque ad tertiã generationẽ: filii quoque Machir filii Manasse nati sũt in genibus Ioseph.*

Cur septuaginta diuersè ad modum cõmemorauerint posteros Ioseph quàm habeat Hebraica & Latina lectio.

17 Atenimverò pro defensione Septuaginta Interpretum dici debet idem, quod paulò suprà diximus de posteris Beniamin: istos videlicet quinque posteros Ioseph esse hîc commemoratos à Septuaginta per anticipationem. Quamuis autem multò post fuerint nati, numerantur tamen inter intrantes Aegyptum, non solùm ratione parentum suorum, qui intrarunt; sed etiam quòd nomine ingressus in Aegyptum, accipiendum sit omne tempus, quo post ingressum Iacob in Aegyptum, vixit non solùm Iacob, sed etiam Ioseph, vt suprà docuimux ex sententia B. Augustini, quam tradit ipse in libro Quæstionum in Genesim, quæstione vltima.

Sed vnde istorum quinque nomina, quæ in libro Geneſis non sunt prodita, septuaginta interpretibus comperta fuerunt? Haud dubiè, vel ex antiquis Hebræorum monumentis & traditionibus, apud quos scripturę continentes genealogias familiarum cuiusque tribus, diligentissimè custodiebantur: vel ex capite septimo prioris libri Paralipomenon, vbi nomina filiorum, & nepotum Manasse & Ephraim similiter fermè commemorantur. Credibile porrò est, istos quinque, licèt nondum essent nati, potissimùm commemoratos esse à septuaginta Interpretibus in honorem Ioseph, quo viuente nati sunt: Ioseph nempe vniuersam paternam in Ægyptum accersiuerat: & dum ipse vixit, pacificè & prosperè inibi fuit. Si quis dicat, videri plures Ephraim posteros fuisse natos viuente Ioseph, quàm qui memorantur hoc loco à Septuaginta: nam

extremis penè verbis huius libri scriptum est, Ioseph vidisse posteros Ephraim vsque ad tertiam generationem : hîc autem non memorantur nisi duæ generationes Ephraim : plures igitur quàm quinque memorari hoc loco debebant de posteris Manasse & Ephraim. Sed respondendum est tres illas generationes sic accipi oportere, vt prima generatio intelligatur esse ipsius Ephraim ex Ioseph: secunda verò, filiorum Ephraim: tertia autem nepotum eius. Et hac ratione non reperientur plures posteri Manasse & Ephraim, qui nati fuerint viuente Ioseph, quàm quos hoc loco recensuerunt lxx. interpretes.

Notabilis admiratio, & dubitatio S Augustini super numero posterorum Ioseph & Beniamin tradito à lxx. Interpretibus.

Miratur S. Augustinus, quomodo lxx. Interpretes in hoc loco facientes summam posterorum Iacob ex Rachele, dicant fuisse decẽ & octo, cùm reperiantur decem & nouem, octo videlicet Ioseph, & posterorum eius; & vndecim ipsius Beniamin & posterorum eius; & cùm Ioseph simul cum posteris suis non sint plures, quàm octo; Septuaginta tamen in eorum summa, dicunt fuisse nouem. Huius rei in explicabilem putat esse Augustinus rationem secundùm historicum sensum; sed confugiendum esse ad occultas rationes mysteriorum, quibus sæpe consecrati sunt numeri in scriptura. Beati Augustini verba hæc sunt in quæstione 152. in Genesim. Videndum est quid sibi velit, quòd cum Ioseph & filij eius non ampliùs quàm octo memorentur, Beniamin verò & filij eius simul, vndecim reperiantur; non decem & nouẽ omnes, sicut sunt octo & vndecim, sed decem & octo referantur in summa: & postea Ioseph cum filijs suis, non octo, sed nouem fuisse dicantur, cùm octo tantùm inueniantur. Hæc omnia quæ indissolubilia videntur, magnam continent sine dubitatione rationem. Sed nescio vtrumpossint cũcta ad literam conuenire; præcipuè in numeris, quos in scripturis esse sacratissimos & mysteriorum plenissimos, ex quibusdam, quos inde nosse potuimus, dignissimè credimus. Sic Beatus Augustinus. 18

Quomodo hîc dicantur sexaginta sex ingressi Aegyptum, cùm mox subiũgat Moyses fuisse septuaginta.

Sexta quæstio super illis verbis: *Cuncta animæ quæ ingressa sunt cum Iacob in Aegyptum, & egressæ sunt de fœmore illius, absque vxoribus filiorum eius, sexaginta sex*: versu 26. Quomodo dicantur fuisse sexaginta sex ingressi Aegyptum cùm paulò pòst dicuntur fuisse Septuaginta? Si dicas hîc excludi Ioseph & filios eius, qui iam erant in Aegypto; & tantùm numerari eos, qui vnà cum Iacob intrarunt Aegyptum; paulò autem infrà comprehendi Ioseph & posteros eius in illo numero septuaginta: si hoc, inquam, dixeris, ne sic quidem difficultates exhauries. Nam si illis sexaginta sex addas Ioseph cũ duobus filijs, nõ septuaginta sex, sed sexaginta nouem hominum numerum efficies. Deinde istorum sexaginta sex, qui numerantur hoc loco non videtur numerus constare posse. Nam paulò suprà intrantes Aegyptum ex posteris Liæ recensuimus triginta tres, postea commemorati sunt triginta quatuor, qui iunctis illis triginta tribus, efficiunt numerum sexaginta septem : non igitur sexaginta sex, sed sexaginta septem fuerunt, exclusis hinc Ioseph & filijs eius. suprà enim post illos trigintatres posteros Liæ commemorati sunt Gad cum septem filijs, & Aser cum septem posteris, & Beniamin cum decem posteris: & Dan 19

cum

cum vno,& Nephthali cũ quatuor. Horum ſumma eſt triginta quatuor; qui ſupradictis triginta tribus additi,efficiunt ſexaginta ſeptem.

Verùm ſolutio quæſtionis hæc eſt : In hoc numero ſexaginta ſex non comprehendi Iacob,ſicut diximus ſuprà comprehenſum eſſe in illo numero triginta trium.Manifeſtè namque,numero illo ſexaginta ſex, Scriptura excluſit ipſum Iacob,cùm dixit:*Cuncta anima, quæ ingreſſæ ſunt cum Iacob in Aegyptum,& egreſſæ ſunt de fœmore illius ſexaginta ſex:*Illud : *Egreſſæ ſunt de fœmore illius:*prorſus excludit Iacob, & tantùm comprehendit eius poſteros. At in illum numerum Septuaginta includitur Iacob. non enim ibi nominantur egreſſi ex fœmore Iacob, ſed omnes animæ domus Iacob,cuius domus ipſe caput erat. *Solutio quæſtionis.*

20 Sedenim duas res in hac commemoratione eorum qui intrarunt Aegyptum cum Iacob,ſubit animum meum vehemẽter admirari. Primùm enim dignum videtur admiratione,cur ſanctus Moyſes inter eos qui Aegyptum intrarunt cum Iacob, numerare voluerit complures nondum tunc natos,ſed multis pòſt annis genitos,ſicut de filijs Phares & de poſteris Beniamin ſuprà dictum eſt:& cur iſtorum tantùm duorum,Beniamin dico & Phares,poſteros tunc nondum natos,memorare voluerit potiùs, quàm aliorum,vt Ruben,Simeonis,Leui,& aliorum.Deinde illud etiam non caret admiratione,cur inter intrantes Aegyptum cum Iacob numerare voluerit Ioſeph,qui viginti tribus annis ante ipſum venerat in Aegyptum,& duos item filios eius,qui nati fuerant in Aegypto, nec aliquando fuerant extra Aegyptum.Cúmque Moyſes duplicem faciat enumerationem eorum qui ingreſſi ſunt Aegyptum,vnam in verſu 26. ſexaginta ſex hominum;alteram in verſu mox ſequenti 27.Septuaginta hominum:mirum videri poſſet cur in priori enumeratione excludere voluerit Iacob & Ioſeph,duóſque eius filios, in poſteriore autem eos omnes includere. Hæc ſunt, quæ nonnihil admirationis habent, & altiori atque ſubtiliori egent conſideratione : quanquam omnia quæ ſanctus Moyſes in animo habuit,dum hæc ſcriberet,non ſunt nobis comperta;nec nota eſſe neceſſe eſt.

SECVNDA DISPVTATIO.

De diſcrepantia, quæ videtur eſſe hoc loco, Lectionis Græcæ à Latina, Hebraica, & Chaldaica,ſuper numero eorum qui in Aegyptum cum Iacob ingreſſi ſunt.

Super illis verbis,

Omnes animæ domus Iacob,quæ ingreſſæ ſunt in Aegyptum fuêre ſeptuaginta. VERS. 27.

21 QVEMADMODVM hic numerus ſeptuaginta intrantium Aegyptum congruat cum proximè ſuperiore numero ſexaginta ſex,nec ſecum Moyſes in iſtis duobus numeris pugnet, paulò antè declaratum eſt. Nunc igitur dicendum eſt de hoc

numero septuaginta hominum, qui dicuntur intrasse cum Iacob Aegyptum. Idem porrò numerus ponitur etiã initio libri Exodi, cùm dicitur: *Erant omnes animæ eorum qui egressi sunt de fœmore Iacob, septuaginta.* Et item sub finem capitis decimi libri Deuteronomij, hæc dixit Moyses populo Hebræo: *In septuaginta animabus descenderunt patres tui in Aegyptũ, & ecce nunc multiplicauit te Dominus Deus tuus sicut astra cœli.* At verò lxx. Interpretes in hoc loco Geneſis posuerunt septuaginta quinque, discrepantes à Scriptura Hebraica: sic enim habet eorum translatio, si Latinè eam reddas, *Omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt in Aegyptum septuaginta quinque.* Eundémque numerũ ponunt in principio Exodi. Quãquam in libro Deuteronomij ca. 10. nequaquam discordantes ab Hebraica Scriptura, septuaginta tantùm commemorant. Beatus autem Stephanus apud S. Lucam, Actor. 7. numerat item septuaginta quinque. Sũt enim hæc eius verba: *Mittens autem Ioseph, accersiuit Iacob patrem suum, & omnem cognationem suam, in animabus septuaginta quinque.* Hæc itaque cùm sic se habeant, meritò quæritur, An translatio lxx. interpretum in isto numero discrepans ab Hebraica & Latina lectione, censeri mendosa debeat, nec vindicari ab errore aliquo modo possit.

Opinio Eugubini.

Eugubinus in Recognitione veteris Testamenti ad veritatem Hebraicam super hunc locum cap. 46. Geneſis, quem in manibus habemus dupliciter respondet propositæ quæstioni. Primùm ait dici posse, numerum illum quinque additum numero septuaginta, tam in Græca translatione Geneſis 46, & Exodi 1. quàm apud B. Lucam Actorum 7. mendosè ac perperam esse adiũctum, inscitia vtique vel incuria librariorum. Sed hoc eius responsum nullo modo est probabile: siquidem & olim, hodiéque omnes Græci codices sic habuerunt, & habent, nec ante Eugubinum, superiorum vllus Doctorum in Tractatu huius difficultatis, ad illud inscitiæ librariorum asylum confugit: sic enim nihil esset negotij, quæstiones omnes, quantumuis arduas expedire. Verùm illud maximè arguit improbabilitatem sententiæ Eugubini, quòd Græca translatio non solùm habet adiunctum illum numerum quinque ad septuaginta, verùm etiam exponit, qui fuerint illi quinque, declarando quorum fuerint filij, & quibus singuli nominibus propriè appellarentur, totum autem hoc, confictum esse à Librarijs, & scripturæ insertum, vltra omnem fidem est.

Alterum Eugubini responsum est, in hoc errasse lxx. Interpretes: verùm quia eorum translatio apud omnes gentes inuulgata iam erat atque celebrata, magnæque auctoritatis, & venerationis; B. Lucam secutum eá fuisse propter inueteratam lxx. Interpretum apud omnes auctoritatem, nimio sanè maiorem id temporis, quàm erat Lucæ auctoritas: ob idque non ausum fuisse eum à lectione lxx. Interpretum discrepare. Sed hoc Eugubini responsum, priori multo peius est, nec solùm reprehensione, sed etiam detestatione dignum. Nam vt taceam quàm sit imperiti hominis, tam insigne vel mendacij, vel inscitiæ crimen Septuaginta interpretibus, optimis nempe, sapientissimisque viris impingere: dicere etiam, B. Lucam, Scriptorem Canonicum, qui afflatu & ductu Spiritus sancti scripsit,

Quàm sit absurdum, S. Stephanum, vel Lucã, sibi contra 70.

scripsit, falsum aliquid scripsisse, aut scienter, aut inscienter, temerarium est, ne dicam impium: si enim hoc semel admittatur, continuò totius scripturæ fides & auctoritas labascet. *translationem secutos esse.*

Ponam in hoc loco verba Eugubini, vt ex his etiam, non solùm nostra commemoratione sententiam eius Lector agnoscat. Non dissentit, ait Eugubinus, in illo numero Septuaginta à Latina translatione Scriptura Hebraica. At Interpretes lxx. addunt huic numero, Quinque. Hæc corruptela, siue à Librarijs profecta sit, siue ab ipsis Interpretibus, fecit vt etiã Actorum Apostolorum capite septimo hîc locus malè legatur. Neque opinandum est S. Lucam, Hebraica, quomodo se haberent ignorasse: sed vel hunc locum, vt se habebat eo tempore citasse, vel eandem ibi corruptelam, quæ & hîc, à Librarijs accidisse. Hæc ergo est eius nodi solutio: quem dicunt quidam ligasse potius, quàm soluisse Hieronymum, dicentem, quòd locus ille dissentiat ab isto in nostra editione: vt ibi habeatur, Iacob descendisse cum septuaginta quinque animabus, hîc autem cum septuaginta tantùm. Verùm facilis erat solutio, si editio septuaginta omnibus in locis esset animaduersa, quippe quæ in commemorandis numeris sit mendosissima. Quòd autem non sit profectus hic error à Septuaginta, indicio est, quòd ipsi in Deuteronomio hunc numerum similiter ponunt, atque est secundùm Hebraicam veritatem. Neque illud est verum, quod ad excusationem eorum affertur, Septuaginta, illos quinque addidisse per anticipationem: Alioqui & alia errata eadem essent ratione defendenda. Magis itaque pium & verum est, errorem agnoscere, eúmque non Septuaginta, sed Librariis adscribere. Lucas verò, siue quòd Hebraicè nesciret, siue quòd ad docendos homines nihil referre putaret, ab Hebraica veritate alicubi dissentire, & sequi potiùs editionem Septuaginta, id temporis vbique recentissimam, maximáque in veneratione habitam, testimonium, vt erat iam vulgatum, citauit: quod & reliqui Apostoli fecerant magis iuxta editionem Septuaginta, quàm ex Hebraica veritate testimonia citando. Hactenus ex Eugubino.

21 Sanctus Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim, super hac ipsa quæstione breuiter disputans, tria quæ ad eius pertinent explicationem, tradit. Primò enim numerum sexaginta sex intrantium Aegyptum cum Iacob priore loco positum à Mose, docet non pugnare cum numero Septuaginta intrantium Aegyptum, qui paulò pòst ab eodem Moyse traditur: quòd in illo priori numero, nec Iacob, nec Ioseph, nec filij eius comprehendantur: in posteriore autem numero illi quatuor inclusi sint. Verba S. Hieronymis hæc sunt: Quòd excepto Ioseph & filiis eius, sexaginta sex animæ de fœmore Iacob egressæ introierint Aegyptum, nulla dubitatio est: ita enim & paulatim per singulos supputatus numerus approbat, & in Hebræis voluminibus inuenitur. Nam quod apud Septuaginta legimus, filios Ioseph natos in Aegypto, fuisse nouem, sciamus, in Hebræo pro nouem esse duos: Ephraim quippe, & Manasse, antequam Iacob intraret Aegyptum, & famis tẽpus ingrueret, nati sunt in Aegypto. Hinc manifestum est, omnes animas, *Solutio quæst.*

quæ ingreſſæ ſunt Ægyptum cum Iacob, fuiſſe ſeptuaginta: Sexaginta enim ſex cum eo ingreſſæ ſunt, & repererunt in Ægypto tres animas, Ioſeph ſcilicet, & duos eius filios: Septuageſimus autem, ipſe fuit Iacob. Sic Hieronymus.

Deinde B. Hieronymus oſtendit quomodo lxx. Interpretes diſcordãtes ab Hebræo, illi numero ſeptuaginta, addiderint quinque. Ait enim, illos quinque eſſe additos per anticipationem: non enim tunc iam erant in Ægypto, ſed poſtea nati ſunt; eos tamen lxx. Interpretes per anticipationem, vt diximus, hîc commemorare voluerunt. Nam quòd ille numerus ſeptuaginta, qui eſt in libris Hebraicis, ſit verus, atque incorruptus, conſtat, etiam ipſorum lxx. Interpretum auctoritate: hi namque in Deutero. cap. 10. poſuerunt deſcendiſſe in Ægyptum ſeptuaginta animas, ita vt eſt in Hebræo. Sed audiat lector ipſum Hieronymum: Illud, quod apud Septuaginta legimus: *Facti ſunt filij Manaſſe quos peperit ei concubina Syra, Machir, & Machir genuit Galaad. Filij autem Ephraim fratris Manaſſe, Sutalaam & Taam: filij verò Sutalaam, Edem:* Hoc, inquã, totũ eſt additũ. Siquidẽ id quod poſtea legimus, quaſi per anticipationẽ factũ eſſe deſcribitur. Neque enim cùm intrauit Iacob Ægyptum, Manaſſe & Ephraim in ea erant ætate vt iam filios generare potuiſſent. Hanc rem, ne videamur aduerſus Scripturæ auctoritatem loqui, etiam lxx. Interpretes in Deuteronomio tranſtulerunt, dicentes, quòd in Septuaginta animabus ingreſſus ſit Iacob in Ægyptum. Si quis igitur noſtræ ſententiæ refragatur, Scripturam inter ſe contrariam faciet: ipſi enim lxx. Interpretes, qui hîc poſuerunt ſeptuaginta quinque animas, per προλῆψιν, id eſt anticipationem, Ioſeph & poſteros eius commemorantes; ijdem in Deuteronomio ſeptuaginta tantùm intraſſe memorarunt. Sic Hieronymus.

Tertio loco, cur B. Lucas Actorum 7. referens numerum *intrantium* cum Iacob Ægyptum, dixerit fuiſſe ſeptuaginta quinque *animas*, ſequẽs nimirum lxx. interpretum tranſlationem, potiuſquàm Hebraicam Scripturam; huius rei duplicem Hieronymus reddit cauſam: vnam quidem ex ſua ſententia, & valdè probabilem, quòd Lucas Scripturam lxx. Interpretum tunc temporis apud gentes multo magis vulgatam, & celebratam, quàm Hebraicam, ſequi maluerit. Alteram verò cauſam reddit ex opinione aliorum non ſanè probabilem, quòd Lucas, vt qui proſelytus eſſet, Hebraicè non eſſet peritus, ſed Græcè doctus, Græcam Scripturam ſecutus citauerit. Sic autem ſcribit Hieronymus: Quod ſi è contrario nobis opponatur, quòd in concione Stephani ad populum, quæ eſt in actis Apoſtolorum, dicantur ſeptuaginta quinque animæ intraſſe Ægyptum, facilis excuſatio eſt: non enim debuit S. Lucas illius Scriptor hiſtoriæ, & in Gentes volumen illud emittens, ſcribere contrarium aliquid Scripturæ Septuaginta, quæ iam fuerat Gentibus diuulgata, quorum auctoritas illo tempore maior erat quàm Lucæ, qui ignotus & vilis, nec magnæ fidei in Nationibus ducebatur. Hoc autem generaliter obſeruandum, quòd vbicumque Sancti Apoſtoli, aut Apoſtolici viri loquuntur ad populos, ijs plerumq; teſtimoniis abutuntur, quæ iã fuerant in Gentibus diuulgata.

uulgata. Licèt plerique tradant, Lucam Euangeliſtam, vt proſelytum, Hebræas litteras ignoraſſe. Atque hæc eſt, ſuper hac quæſtione, Hieronymi ſententia.

22 S. Auguſtinus tantum abfuit ab opinando, vllum eſſe in illo numero Septuaginta quinque, aut librariorum, aut ipſorum lxx. Interpretum errorem, vt eum numerum non ſine afflatu Spiritus prophetici, nec ſine myſterij alicuius ſignificatione à lxx. Interpretibus poſitum eſſe arbitretur. Sic enim ait, Quæſtione 152. Nec lxx. Interpretes mihi in hoc numuero erraſſe videntur: qui propter aliquam myſticam ſignificationem, quadam veluti prophetica libertate, horum numerum complere voluerunt. Et in quęſtione vltima eiuſdem libri: Vnde, inquit, conſtat certi myſterij cauſa, illum numerum ſeptuaginta quinque Scripturam commendare voluiſſe.

An verò talis numerus ſecundùm veritatem hiſtoriæ conſtare poſſit, cùm illi quinque additi ad Septuaginta, dicantur intraſſe cum Iacob, Ægyptum, qui multis poſt eius ingreſſum annis nati ſunt, vehementer dubitat Auguſtinus in illa ipſa Quæſt. 152. ſignificans id videri inexplicabile atque inſolubile. Neque enim dici poteſt, propterea illos quinque dici intraſſe cum Iacob, quia eo viuente in Aegypto illi nati ſunt: Iacob enim poſt ingreſſum Aegypti vixit annos decem & ſeptem: quare in eius obitu Manaſſe & Ephraim maiores vigeſimo ſexto anno eſſe non poterant. Namque, vt ſuprà dictum eſt, cùm Iacob intrauit Aegyptum, iſti nonum annum excedere non poterant. In ætate autem viginti ſex annorum non poterát Manaſſe habere nepotem Galaad, neque Ephraim ipſum Edem, qui inter illos quinque memorantur. Quocirca putat Auguſtinus omiſſa hiſtoriæ conſideratione, ad myſterij rationem referri animum oportere: hæc enim ſunt Auguſtini verba: hæc omnia quæ indiſſolubilia videntur, magnam continent ſine dubitatione rationem: ſed neſcio vtrum poſſint cuncta ad litteram conuenire: præcipuè in numeris, quos in Scripturis eſſe ſacratiſſimos & myſteriorum pleniſſimos, ex quibuſdam, quos inde noſſe potuimus, digniſſimè credimus.

23 At enim idem Auguſtinus poſtea in Quæſtione vltima eiuſdem libri, hac ipſa re accuratiùs videlicet penſitata, adinuenit rationem quandam, qua intelligi & declarari poſſit quemadmodum illi quinque, licèt tunc nondum eſſent nati, verè tamen dici poſſint intraſſe Aegyptum cum Iacob. Exiſtimat enim nomen ingreſſus Iacob in Aegyptum, ad omne tempus, quo poſt ingreſſum Iacob vixit Ioſeph, extendi oportere. Nam quia Ioſeph auctor fuerat ingreſſus Iacob, & omnis familiæ eius in Aegyptũ, idcirco tempus illius ingreſſus pariter cum tempore vitæ Ioſeph, deinceps prorogatum & finitum eſt. Illos porrò quinque eſſe natos viuente Ioſeph, patet ex poſtremis fermè verbis huius libri Geneſis. Sed ipſummet Auguſtinum hæc ſtrictim à me dicta apertè docentem audiamus. Si quiſquam, inquit, exigit quemadmodum etiam ſecundùm hiſtoriæ fidem verum ſit, Iacob cum ſeptuaginta quinque animabus Aegyptum

intraſſe,

intrasse,dicemus,non illo vno die quo Iacob venit in Ægyptum,ingressum eius intelligi oportere:sed quia in filiis suis plerumque appellatur Iacob,hoc est in posteris suis, & per Ioseph constat eum intrasse Ægyptũ, introitus eius accipiendus est quamdiu vixit Ioseph,per quem factum est vt intraret ille. Toto quippe illo tẽpore nasci & viuere potuerunt omnes qui hîc commemorantur, vt septuaginta quinque animæ compleantur vsque ad nepotes Beniamin. Sic enim dicit Scriptura, numerans omnes posteros Iacob ex Lia: *Hi sunt filij Liæ,quos peperit ipsi Iacob in Mesopotamia Syriæ.* Inter quos tamen multi numerãtur nõ ibi nati:sed quia illic parentes ipsorum nati fuerant, ibi eos perhibuit esse natos, quoniam causa qua nascerentur ibi nata est, id est parentes eorum quos Lia ibi pepererat. Similiter igitur quoniam causam intrandi Iacob in Ægyptum præbuit Ioseph, totum tempus, quo in Aegypto vixit Ioseph, ingressio erat Iacob in Aegyptum, per suam videlicet progeniem, quo illo viuo propagabatur, per quem factum est vt ingrederetur. Hactenus ex B. Augustino.

Auctoris sententia.

Nullum esse errorem in illo numero 75.

Meam ego Lectori opinionem,sententiæ B. Hieronymi,& B. August. 24
consonam, quadripartitò breuiter exponam. Primùm censeo,in illo numero septuaginta quinque,nullum esse Librariorumerratum. Non enim tantùm ille numerus, quinque,additur ad septuaginta, verum etiam distinctè,propriè,ac nominatim declaratur,qui fuerint illi quinque,& quorum fuerint filij ac nepotes. Sic enim legitur hoc loco in Græca Translatione: *Fuerunt filij Manasse, Machir: Machir autem genuit Galaad: Filij autem Ephraim, Sutalaam, & Taam. Filij autem Sutalaam Edem.* Hæc autem omnia errore Librariorum fuisse inserta Scripturæ,non capit fidem. Præsertim verò cùm talis erroris & mendæ nullum extet vestigium, *nullumque* vel ex vno aliquo Græco codice suppetat argumentum, & olim, hodiéque omnibus Græcis libris hunc numerum *habentibus:* nullóque superiorum temporum doctore, de fide eius numeri dubitante.

Affirmo deinde, Septuaginta Interpretes in tradendo eo nume- 25
ro septuaginta quinque,nihil prorsus errasse. Principio, nec S. Hieronymus,nec Augustinus,nec Auctor vllus, reuerendæ auctoritatis, super hac re differens,aut dixit, aut dubitauit,aut significauit,Septuaginta Interpretes in eo numero errasse. Adhæc, si errassent illi, non vtique S. Lucas, qui sancto Spiritu mentem eius illuminante ac regente, scripsit, errorem illorum aut ignorasset, aut sciens, volénsque secutus esset in Scriptura Canonica quam condebat: nec errorem B. Stephani,qui testimonium Septuaginta Interpretum in concionando ad populum vsurpauerat,mandasset scriptis, ad perpetuam nempe infamiam S. Stephani & insignem Canonicæ Scripturæ iniuriam. Hoc,si impium est opinari, & illud item, vnde necessariò istud concluditur. Iam verò si lxx. Interpretes errassent addendo illos quinque ad numerũ septuaginta, propterea id esset quòd illi quinque,tunc cũ Iacob intrauit Aegyptũ, non erant nati, sed multo pòst tẽpore generati sunt. Atqui ob eandẽ causã dicendũ esset,

etiam

etiam S.Moysen errasse in illo numero Septuaginta, quos dixit cum Iacob intrasse Aegyptum: siquidem inter intrantes cum Iacob Aegyptum numerauit filios Phares, qui tunc non erant nati, & item complures de posteris Beniamin nõdum eo tempore generatos, vt suprà ostensum est. Quod si nemo, nisi planè impius, auderet Beatum Moysen erroris arguere; cuius est vel inscitiæ, vel impudentiæ, vel amentiæ, lxx. Interpretes, qui eadem in causa sunt erroris accusare atque damnare?

26 His addo, eos, qui vnà cum Iacob intrauerunt Aegyptum, (si presè ac propriè loquamur) fuisse sexaginta sex; & qui dux erat eorum Iacob, fuisse sexagesimum septimum. Et hunc quidem numerum tradidit Moyses in hoc capite, Versu 26. Ioseph namque tunc erat in Aegypto, ante 23. annos illuc ductus: Manasse verò, & Ephraim, nati fuerant in Aegypto, nec vnquam extra Aegyptum fuerant. Quod autem proximè post in Versu 27. adiunxit Moses, fuisse septuaginta qui ingressi sunt Aegyptum, ita scribendo, *Omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuêre septuaginta*: Hoc inquam tripliciter licet interpretari. Primò vt illud *Septuaginta* non referatur ad illud *ingressæ sunt Ægyptum*, sed ad illud *domus Iacob*, vt sit hîc sensus: Omnes animæ domus Iacob erant tunc septuaginta. Et hoc apertius fit ex eo, quod scriptum est initio Exodi in hunc modum: *Erant omnes animæ eorum qui egressi sunt de fœmore Iacob, septuaginta: Ioseph autem in Ægypto erat.* Sed quia proditum est cap. 10. Deuteronomij, Patres Hebræi populi descendisse in Aegyptum cum septuaginta animabus; suppetit altera ratio interpretandi verba illa Mosis. Solet non rarò Scriptura, quod plurimis conuenit, immò omnibus, paucissimis tantùm exceptis, id quasi conueniret omnibus, generaliter enuntiare. Quoniam igitur ex numero illo Septuaginta, duo tantùm non erant ingressi Aegyptum, Manasse dico & Ephraim, cæteri autẽ sexaginta octo ingressi fuerant Aegyptum, idcirco Scriptura ingressum in Aegyptũ omnibus illis septuaginta attribuit.

Tripliciter exponi, posse, 70. fuisse ingressos Ægyptum.

Propriè loquendo non fuisse nisi 66. qui cum Iacob ingressi sunt Ægyptũ.

27 Tertia ratio interpretandi verba illa, huiusmodi est, Eos qui tunc non fuerant ingressi Aegyptum, dici ingressos esse non quidem in se, sed in patribus suis qui tunc intrauerant Aegyptum: nempe Manasse & Ephraim in patre suo Ioseph: & item Hesron & Hallu in patre suo Phares. Nec dura Lectori, atq; insolẽs huiusmodi locutio videri debet: est enim non infrequẽs in Scriptura; quod ego tribus exemplis confirmabo. Apostolus enim ad Hebræos septimo scribit, Leui decimas dedisse Melchisedech; non sanè per se ipsum, quippe qui annos ampliùs cẽtum & quinquaginta post Melchisedech natus est; sed in proauo suo Abrahã, qui decimas obtulit Melchisedech, vt legitur Genes. 14. Deinde Moses Genes. 11. dixit, Arphaxad genuisse ipsum Sale: atqui secundùm translationem Septuaginta Interpretum, & secundùm B. Lucam in tertio cap. historiæ suæ Euangelicæ Arphaxad genuit non Sale, sed Cainan. Verùm quia Cainã fuit pater ipsius Sale, idcirco Arphaxad generãdo Cainan, dicitur genera sse. Sale ergo Sale memoratur quasi proximè genitus ab Arphaxat, non quidẽ in se, sed in patre suo Cainan. In

hoc prętera cap. Genes. cùm Moses omnes filios & nepotes ac pronepotes Liæ commemorasset, mox adiunxit: *Hi filij Liæ, quos genuit in Mesopotamia: omnes animæ filiorum & filiarum eius triginta tres.* Atenim, præter sex filios, & vnam filiam, natos in Mesopotamia, reliqui omnes generati fuerant in terra Chanaam: qui tamen ratione parentum suorum dicuntur nati in Mesopotamia.

Illud deniq; fit mihi verisimile, & Mosem inter intrantes Ægyptum 28
numerasse filios Phares, qui tunc non erant nati; & item lxx. Interpret. commemorasse illos quinq; partim nepotes partim pronepotes ipsius Ioseph; quòd ex Phares prouentura erat regalis progenies, quinetiam ipse Messias: Ioseph autem princeps fuisset fratrum suorum, & duas conditurus esset tribus, multósq; ex sua stirpe principes habiturus, sed non solùm ob hanc causam commemorati sunt illi qui nondum erant nati, verùm ob eam maximè causam, quòd isti nati essent in Aegypto viuentibus adhuc Maioribus suis qui Aegyptum intrauerant. Exempli gratiâ, viuente Phares nati sunt in Aegypto filij eius Hesron & Hallo: & viuente Beniamin nati sunt nepotes & pronepotes eius, qui commemorantur hoc loco: viuente quoque Ioseph nati sunt filij & nepotes Ephraim & Manasse, & filiorum eius.

Quanquam nostræ opinationi videtur illud aduersari, quòd Leui 29
tertius filiorum Iacob, quo tẽpore ingressus cum patre est Aegyptum, agebat ætatis annum 42. triennio quippe maior natu erat, quàm Ioseph. Is porrò vixit annos centum triginta septem, vt proditum est in libro Exodi, cap. 6. quapropter post ingressum patris sui Iacob in Aegyptum, vixit ipse per annos 95. in Aegypto: toto autem hoc tempore, ex tribus filiis cum ipso ingressis Aegyptum, Gerson & Cahath & Merari nullos suscepisse nepotes aut pronepotes, qui post ingressum eius in Aegyptum nati fuerint, est profectò difficile creditu. Si autem tales ei nepotes & pronepotes nati sunt, cur non sunt commemorati similiter vt posteri Ioseph & Beniamin, de quibus dictum est? Præsertim verò cùm Leui perinsignis fuerit persona, vtpote parens Leuiticæ tribus, penes quam solam fuit sacerdotium, & administratio diuini cultus. Verùm neque omnia resecari ad viuum necesse est: & nos huiusmodi quæstionum & difficultatum quasi Labyrinthos, aliis, maiori quàm nos sumus ingenio & doctrina, atque industria præditis, sine errore obeundos, atque perlustrandos, libenter relinquimus.

Numerosa posterorum ex vno homine viuente propagatio. Plinius.

Nemini porrò mirandum accidat, potuisse Iacob, cum tot partim fi- 30
liis, partim nepotibus, ac pronepotibus Aegyptum intrare. Scribit enim Plinius lib. 7. cap. 13. Caium Crispum Hilarũ cum filiis nouem, nepotibus 27. pronepotibus 29. neptibus nouem (omnes erant lxx. quatuor, & ipse septuagesimus quintus) prælata pompa, immolasse in Capitolio. Verba Plinij hæc sunt: In Actis temporum Augusti inuenitur, vndecimo Consulatu eius, Lucioq; Silla Collega, ad tertium Idus Aprilis, C. Crispum Hilarum ex ingenua plebe Fesulana, cum filiis nouem (in quo numero filiæ duæ fuerunt) nepotibus viginti septem, pronepotibus

nepotibus viginti nouem, neptibus nouem, prælata pompa, cum omnibus his in Capitolio immolasse. Hæc Plinius.

Ridiculum est quod de Manethone rerum Aegyptiacarum peruetusto scriptore refert Iosephus in priori libro aduersus Appionem. Tradidit ille, Pastores (sic autem Hebræi vocabantur ab Aegyptiis, quòd illi nō aliam tenere se artem, atque exercere professi essent apud regem Aegypti, cùm illuc primùm venerunt, vt scriptum est Genes. 46. & 47.) maxima multitudine venisse in Aegyptum: & subiugasse sibi Aegyptios, & regnasse inibi per annos trecentos nonaginta tres. Verùm quot sunt istius Auctoris verba, tot propè sunt in veritatem Historiæ peccata. Nam neq; venerunt in Aegyptum Hebræi cum maxima multitudine, sed pauciores septuaginta hominibus: neque sibi subiugarunt Aegyptios: sed contrà seruitutem illis durissimam seruierunt: neque regnarunt per annos trecentos nonaginta tres; cùm neque regnauerint vnquam ibi; neque manserint in Aegypto ampliùs ducentos quindecim annos.

Manethonis super Hebræis qui intrarunt Ægyptū, tria insignia errata.

Cúmque vocauerit vos, & dixerit: Quod est opus vestrum? respondebitis, Viri pastores sumus serui tui ab infantia nostra vsque in præsens, & nos & patres nostri. VERS. 3.

31 CVR tantoperè cuperet Ioseph fratres suos à Rege Pharaone, & ab Aegyptiis haberi pastores; & vt tales, ab illis tractari, multæ fuerunt causæ, quas hîc ego carptim exponam: Primùm verebatur ne Rex faceret eos vel bellatores, vel aulicos, atq; ea ratione dissociarentur inuicem, & distraherētur. Deinde, ne permixti Aegyptiis, quibus præstabant multis animi corporisque virtutibus, eorum contra se inuidiam atque odium, insectationémque concitarent. Has duas causas attigit Iosephus, in libro primo Antiquitatum ita scribens: Percontatus est rex Iosephum, quibusnam studiis fratres eius potissimùm delectarentur; respondit, pastoralem artem callere eos, & nihil aliud exercere. Id autem eo consilio respondit, tum ne distraherentur inuicem, sed vt degentes vnà curam patris haberent: tum nequa illis æmulatio cum Aegyptiis interueniret, si circa eadem cum illis studia versarentur: nam ei genti non erat licitum greges aut pascua curare. Sic Ioseph. Ad hæc timuit Ioseph, ne fratres sui ex conuictu, ac familiaritate Aegyptiorum, impurissimis eorum moribus, vitiisque inficerentur; néve prauis eorum institutis corrupti, impiisque imbuti superstitionibus à sanctissimo veri Dei cultu quē maiores eotum religiosissimè custodierant, paulatim degenerātes abalienarentur. Ad extremum, eo consilio id fecit Ioseph, vt sui cùm se pastores esse profiterentur (quod genus hominum vehementer auersabantur Aegyptij) segregati ab Aegyptiis, separatim viuerent: terrámque Gessen colerent, quæ pascuis erat vberrima, & procul à Regia Aegypti, & in vi-

Cur Ioseph vellet suos haberi pastores.

Iosephus.

cinia terræ Chanaam;ob ídque ad futurum eorum olim ex Aegypto in Chananitidem regreſſum,opportuniſſima.

Laus artis & vitæ paſtoralis ex S. Auſt.

Hoc loco paſtoralem artem & vitam, vt maximè honeſtam & quie- 32
tam,atq; innocentem,& à multis magniſq; vitiis remotam,in illis Patriarchis commendari nobis acutè vidit, & conſideratè perpendit B. Auguſt. ad hunc modum ſcribens in quæſt.153. in Geneſim. Cõmendatur in Patriarchis, quòd pecorum nutritores erant à pueritia ſua & ipſi,& parentes eorum. Et meritò:nam hæc eſt, ſine vlla dubitatione, iuſta ſeruitus,& iuſta dominatio,cùm pecora homini ſeruiunt,& homo pecoribus dominatur. Sic enim de homine dictum eſt cùm crearetur: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & habeat poteſtatem piſcium maris volatilium cœli & omnium pecorum quæ ſunt ſuper terram.* Vbi inſinuatur, rationem debere dominari irrationali vitæ. Seruum autem hominem homini,vel iniquitas,vel aduerſitas fecit.Iniquitas quidem, ſicut dictum eſt: *Maledictus Chanaam, erit ſeruus fratribus ſuis:*aduerſitas verò,ſicut accidit ipſi Ioſeph;vt venditus à fratribus ſeruus alienigenæ fieret. Itaque primos ſeruos, quibus hoc nomen in Latina lingua inditum eſt,bella fecerunt.Qui enim homo ab homine ſuperatus,iure belli poſſet occidi;quia fuit ſeruatus,ſeruus eſt appellatus: inde & mancipia ſunt dicta, quia manu capta ſunt. Eſt enim ordo naturalis in hominibus,vt ſeruiant fœminæ viris,& filij parentibus: quia & illic iuſtitia eſt hæc vt infirmior ratio ſeruiat fortiori. Hæc igitur in dominationibus, & ſeruitutibus clara iuſtitia eſt, vt qui præcellunt ratione, excellant dominatione. Quod cùm in hoc ſæculo per iniquitatem hominum perturbatur,vel per naturarum carnalium diuerſitatem, ferunt iuſti temporalem peruerſitatem, in finem habituri ordinatiſſimam & ſempiternam felicitatem. Nec mirum, paſtores fuiſſe abominabiles Aegyptiis, in quibus vtique figura eſt præſentis ſeculi, *in quo* abundat iniquitas:quoniam abominatio eſt homini iniquo, vir iuſtus. Hæc Auguſtinus.

Notabilis ſententia B. Auguſt. de prima origine & de iuſta ratione ſeruitutis hominum.

Geneſ.1.
Geneſ 9.
Infra 57.

VERS. 34. Hæc autem dicetis, vt habitare poſsitis in terra Geſſen: quia deteſtantur Aegyptij omnes paſtores ouium

Cur Ioſeph tantoperè Hebræis tradi terram Geſſem cuperet.

SATIS indicant hæc verba, quanti faceret Ioſeph terram 33
Geſſen, quantóque ſtudio habitari eam à ſuis curaret. Nec immeritò: optima enim erat alendis pecoribus,in quo erat omnis eorum res familiaris, omniſq; eorum vita exercebatur,atq; occupabatur.Erat præterea procul ab vrbe,& aula regia,nobilioribuſq; Aegypti ciuitatibus,& propinqua terræ Chanaam: ob quas cauſas vehementer cupiebat Ioſeph eam terrã ſuis tradi ad habitãdum. Nec putabat, regem eam denegaturum, aut ægrè eam conceſſurum; quòd fratres Ioſeph eſſent paſtores, ob ídque inuiſi Aegyptiis:quos ne vel ipſi offenderent, vel læderentur ab illis,longè ab eorum conſpectu remo-

remouendos esse, conueniens videretur. In hac terra Gessen. Iacob petens Aegyptum, expectauit Ioseph, vt suprà dictum est versu 28. illis verbis: *Misit Iacob Iudam ante se ad Ioseph, vt nuntiaret ei, & ille occurreret in Gessen.* Erat enim Gessen quasi in introitu Aegypti venientibus è terra Chanaan, quocirca illic Iacob pręstolari voluit occursum Ioseph, vt ibi ab eo doceretur de modo, quo gerere se apud regem, & Aegyptios deberet. In hac terra Hebræi habitarunt per ducentos quindecim annos: eáque omnium terrarum Aegypti, intacta fuit decem illis atrocissimis plagis Aegypti. Magna porrò Dei prouidentiâ, ingentíq; Hebræorum vtilitate factum est, vt terra Gessen Hebræis habitãda traderetur; quo videlicet illis expeditior atque securior inde in Chananitidem esset regressus. Si enim Hebræi habitauissent in extrema parte Aegypti, quæ remotissima est à terra Chanaan, & vergit ad meridiem, cùm terra Chanaan sit versus Septentrionalem plagam Aegypti, necesse fuisset, Hebræos in regressu eorum ex Aegypto in terram Chanaan pertrãsire totam fermè Aegyptum. Tunc verò Aegyptij insurrexissent aduersus eos, & voluissent eos vel opprimere, vel per vim detinere. Nã si cùm eos dimisissent, immò quàmprimùm abire compulissent, mox tamen adducti pœnitentia, armati eos vsque in terminos Aegypti, & per ipsum mare Rubrum hostiliter insectati sunt: quanto magis id fecissent, si necesse fuisset, Hebræos mediam fermè Aegyptum pertransire? Adiice, quòd cùm Hebræi suopte ingenio timidissimi essent, & Aegyptiorum in se crudelitatem diu multúmque fuissent experti, per medium eorum transire nullo modo essent ausi. *Exod 14.*

Pro terra Gessen lxx. Interpretes habent terram Rameſſe, & vrbem
35 Heroum. S. enim Hieronymus in Tradit. in Gen. huiusmodi citat lxx. Interpretum lectionem super hoc loco; *Vt occurreret ei ad vrbẽ Heroum, in terram Rameſſe.* Et subdit, in Hebræo: Nec habetur vrbs Heroum nec terra Rameſſe, sed tãtummodò Gessen (sic enim appellatur, quam nos vocamus Gessen) Nonnulli Iudæorum asserunt Gosen nunc Thebaidem vocari: & id quod postea sequitur, *Dedit eis; vt possiderent Aegypti optimam terram in Rameſſe*; pagum Arsenoiten, sic olim vocatum, autumant S. Augustinus in Locutionib. in Gen. num. 88. cùm citasset lectionem lxx. Interpretum, quæ hìc habet vrbem Heroum, subiũgit hæc verba: Nescio vtrum nomen Heroum facilè in Scripturis reperiatur. Eugubinus in Recognitione huius loci arbitratur, ex errore non ipsorum Septuaginta, sed aliorũ accidisse, vt hìc poneretur vrbs Heroum: cuius vrbis, inquit, quia neque sacer contextus meminit, neque Interpretes alij quicquam super ea re tradiderunt, fateamur necesse est additum id esse ab aliis siue peritis, siue imperitis, sicut etiam S. Hieronymus annotauit. Atenim nõ esse istiusmodi lectionem ab aliis corruptã, sed germanam, & genuinam, ipsorum lxx. Interpretum, præter Augustinum & Hieronymum, qui vt talem commemorarunt eam, constat etiam auctoritate duorũ antiquissimorum Scriptorũ, Iosephi in 1. lib. Antiquitatum, & Philonis in libro de Ioseph, qui eam lectionem, non *S. Hieron.* *S. August.* *Eugubin.* *Iosephus.* *Philo.*

autem noſtram, quæ congruit cum Hebræa, ſecuti ſunt.

Rupertus. Sed cur Aegyptij deteſtabantur paſtores ouium? Rupertus cauſam refert ad Aegyptiorum arrogantiam & ſuperbiam: nam quia Aegyptij vehementer gaudebant & gloriabantur multitudine equorum & curruum: iccirco humile genus paſtorum cõtemnebant, & auerſabantur. Ruperti verba in lib. 9. Commentariorum in Geneſim, cap. 19. hæc ſunt: Aegyptij deteſtabantur paſtores; quia videlicet ipſi in equis & curribus ſuperbiebant plus cæteris gentibus; & idcirco humile paſtorum genus, veluti ignominiam deſpiciebant, & deteſtabantur. Sic Rupertus. Sed contra hanc ſententiam obiicimus: Primùm, quia aliud eſt contemnere, & aliud deteſtari: Scriptura non ait, Aegyptios contempſiſſe genus paſtorum tãquam humile, & vile, ſed deteſtatos eſſe, nempe tanquam impij eſſent paſtores, & religioni Aegyptiorum contrarij. Deinde, non omnes paſtores deteſtabantur Aegyptij, non inquam, paſtores equorum, aſinorum, & camelorum, ſed tãtùm per paſtores ouiũ: quãquam vocabulo ouium hîc oportet intelligere & arietes, & capras, & boues atque vaccas. Erant præterea in Aegypto alia non pauca hominum genera non minùs humilis, & abiectæ conditionis, quàm erant paſtores ouium. Non igitur humilitas conditionis paſtoralis, cauſa fuit Aegyptiis deteſtandi paſtores, ſed alia eius rei quærenda cauſa eſt. 36

Vera itaque cauſa eſt, quòd in genere ouium, arietum, caprarum, & boum, Aegyptij numina aliqua haberent, quæ diuino cultu, & honore venerabantur: quapropter huiuſmodi animalia non ſolùm occidere aut percutere non audebant, ſed ea reuerebantur, atque honorabant: oderántque vehementer alienigenas eorum animalium paſtores, qui ea occidere, & occiſorum carnibus veſci ſine religione vlla ſolerẽt. *Sed obiiciet nobis quiſpiam, Si verum hoc eſſet, quod de Aegyptiis diximus, nulli profectò fuiſſent apud Aegyptios paſtores ouium: at fuiſſe, ſatis indicant verba illa Pharaonis ad Ioſeph de fratribus eius Gen. 47. Si noſti eos eſſe viros induſtrios, conſtitue illos magiſtros pecorum meorum.* Ad hoc reſponderi poſſet, nomine pecorum intelligi equos, aſinos, & camelos: cuius generis animalium fuiſſe paſtores in Aegypto, non eſt dubium. Verùm nos quis vrgere vehementer poſſet verbis illis, quæ paulò infrà in eodem capite leguntur, quibus dicitur, Ioſeph dediſſe Aegyptiis alimenta pro equis, & ouibus, & bobus, & aſinis: Scripturæ verba ſunt hæc: *Dedit eis alimenta pro equis, & ouibus, & bobus, & aſinis, ſuſtentauítque eos illo anno pro commutatione pecorum.* Dicamus igitur etiã Aegyptios fuiſſe paſtores ouium & boum, non quidem ad eſum ipſorum, vel vt ea in alium quempiam vſum occiderent: ſed vel propter eſum lactis & caſei, vel propter lanam ad conficiendas veſtes, vel in vſum agriculturæ ad arandam terram, vel oblectamenti gratiâ, aut honoris, ſicut habentur canes & equi.

BENE

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA IN CAPVT QVADRAGESIMVM SEPTIMVM GENESIS.

ARGVMENTVM.

Introducitur Iacob ad Regem Aegypti, & benedicit ei: Datur Hebræis ad habitandum terra Geſſen: Ioſeph vniuerſam terram Aegypti ſub regis poſſeſſionem ſubiicit: Iacob, appropinquante morte, adiurat filium ſuum Ioſeph de ſepultura ſua in terra Chanaam.

INGRESSVS ergo Ioſeph, nũciauit Pharaoni, dicens: Pater meus & fratres, oues 1
eorum & armenta, & cuncta quæ poſſident, venerũt de terra Chanaam: & ecce
cõſiſtunt in terra Geſſen. Extremos quoque fratrum ſuorum quinque viros con- 2
ſtituit coram Rege: quos ille interrogauit: Quid habetis operis? Reſponderunt: Paſtores ouiũ ſumus 3
ſerui tui, & nos & patres noſtri: Ad peregrinandum in terra 4
tua, venimus: quoniam nõ eſt herba gregibus ſeruorum tuorum, ingraueſcẽte fame in terra Chanaam; petimúſque vt eſſe
nos iubeas ſeruos tuos in terra Geſſen. Dixit itaque Rex ad 5
Ioſeph: Pater tuus & fratres tui venerunt ad te. Terra Ægypti 6
in conſpectu tuo eſt: in optimo loco fac eos habitare & trade
eis terrã Geſſen. Quod ſi noſti in eis eſſe viros induſtrios, conſtitue

7 ſtitue illos magiſtros pecorũ meorum. Poſthæc introduxit Io-
ſeph patrem ſuũ ad Regem, & ſtatuit eum corã eo: qui bene-
8 dicens illi, & interrogatus ab eo: Quot ſunt dies annorũ vitæ
9 tuæ? reſpõdit: Dies peregrinationis meæ centũ triginta anno-
rum ſunt, parui & mali, & non peruenerunt vſque ad dies pa-
10 trum meorũ, quib. peregrinati ſunt. Et benedicto rege egreſſus
11 eſt forâs. Ioſeph verò patri & fratrib. ſuis dedit poſſeſſionẽ in
Ægypto in optimo terræ loco, Rameſſes, vt præceperat Pha-
12 rao: & alebat eos, omnémq; domũ patris ſui, præbens cibaria
13 ſingulis. In toto.n.orbe panis deerat: oppreſſerat fames terram
14 maximè Ægypti & Chanaam. E quib. omnem pecuniã cõgre-
15 gauit pro vẽditione frumẽti, & intulit eã in ęrariũ regis. Cúm-
que defeciſſet emptorib. pretiũ, venit cuncta Ægyptus ad Io-
ſeph, dicens: Da nobis panes: quare morimur corã te, deficiẽte
16 pecunia? Quib. ille reſpõdit: Adducite pecora veſtra: & dabo
17 vobis pro eis cibos, ſi pretiũ non habetis. Quæ cũ adduxiſſent,
dedit eis alimẽta pro equis, & ouibus, & bobus, & aſinis: ſuſtẽ-
18 tauítq; eos illo anno pro cõmutatione pecorũ. Venerũt quoq;
anno ſecundo, & dixerunt ei: Non celabimus dominũ noſtrũ
quod deficiẽte pecunia, pecora ſimul defecerunt: nec clam te
19 eſt, ꝙ abſq; corporib. & terra nihil habeamus. Cur ergo mo-
riemur te vidente? & nos & terra noſtra tui erim? uſeme nos in
ſeruitutẽ regiam, & prębe ſemina, ne pereunte cultore, rediga-
20 tur terra in ſolitudinẽ. Emit igitur Ioſeph omnẽ terrã *Ægypti*,
vẽdẽtib. ſingulis poſſeſſiones ſuas præ magnitudine famis, ſub
21 iecítq; eã Pharaoni, & cũctos populos eius à nouiſſimis termi-
nis Ægypti vſque ad extremos fines eius, præter terrã ſacerdo-
22 tũ, quæ à rege tradita fuerat eis: quib. & ſtatuta cibaria ex hor-
reis publicis præbebãtur, & idcirco non ſunt cõpulſi vendere
23 poſſeſſiones ſuas. Dixit ergo Ioſeph ad populos; En vt cernitis,
& vos & terrã veſtrã Pharao poſſidet: accipite ſemina & ſerite
24 agros, vt fruges habere poſſitis. Quintam patrem regi dabitis,
quatuor reliquas permitto vobis in ſementem, & in cibum
25 familiis & liberis veſtris. Qui reſponderunt; Salus noſtra, in
manu tua eſt: reſpiciat nos tantùm dominus noſter, & læti ſer-
26 uiemus regi. Ex eo tempore vſque in preſentẽ diem in vniuer-
ſa terra Ægypti, regibus quinta pars ſoluitur, & factũ eſt quaſi
in legem, abſq; terra ſacerdotali, quæ libera ab hac conditione
fuit.

fuit. Habitauit ergo Israel in Aegypto, id est, in terra Gessen, & 27
possedit eã: auctúsq; est, & multiplicatus nimis. Et vixit in ea 28
decem & septem annis: factíq; sunt omnes dies vitę illius centum 47. annorum. Cúmque appropinquare cerneret diẽ mortis suæ, vocauit filium suum Ioseph, & dixit ad eum: Si inueni 29
gratiam in conspectu tuo, pone manũ tuam sub fœmore meo: & facies mihi misericordiã & veritatem, vt non sepelias me in Aegypto: sed dormiã cum patribus meis, & auferas me de terra hac, cõdásq; me in sepulchro maiorum meorũ. Cui respon- 30
dit Ioseph: Ego faciã, quod iussisti. Et ille: iura ergo, inquit, mihi. Quo iurãte, adorauit Israel Deũ, cõuersus ad lectuli caput.

PRÆFATIO.

1 HISTORIAM *huius capitis Philo breuiter atque eleganter commemorat, hoc modo scribens: Hoc audito, Ioseph propinquanti Iacob (non speculatores & nuncios in itinere dispositerat) circa regni fines occurrit obuiam. Cúmque conuenissent circa vrbem, quam vocant Heliopolim, effuderunt se in complexus mutuos, vbertim vestes rigando lacrymis: atque ita hærẽtes aliquantisper, diutinum explebant desiderium; & tandem vnà contendebant ad regiam. Ibi rex conspicatus venerandam senis faciem, non vt præfecti sui, sed vt suum patrem excepit honorificè. Exinde post solemnia humanitatis officia donauit eis agrum vbertatis præcipuæ: & quia eius filios audierat esse pecuarios, facultatésque illorum constare pecoribus, suorum quoque gregum & armentorum curam eos gerere voluit. Ioseph porrò tanta fide vsus est in publicis illius regni negotijs administrandis; vt cùm ratio illorum temporũ plurimas ei occasiones præbuisset coaceruandæ pecuniæ, potuisséque omnium sui temporis facilè ditissimus euadere: adulterinis diuitijs veras prætulerit, & cæcis perspicaces: totum argentum & aurum è frumenti pretio collectum, referens in thesauros regios, ne drachma quidem subtracta, contentus tantùm donis quibus eum rex liberaliter remunerabatur. Nec aliter quàm Aegyptum, omnémque eius regni prouincias, externas quoque gentes fame pressas, vir hic nunquam satis laudatus curauit, paterna prouidẽtia distribuens illis alimenta, futurisq; eorum necessitatibus prospiciens. Nam ineunte anno egestatis septimo, accitis agricolis (iam enim vbertatis spes affulPhilo.*

gebat) dedit hordeum & triticum ad sementem, diligenter cauens ne quis hæc alium in vsum verteret, appositis etiam custodibus ex optimatibus, qui sationem obseruarent. Sic Philo.

Quòd autem in posteriori huius capitis parte scribit Moses, exponens quanta Ioseph prudentia & æquitate, & quanta cum regis vtilitate frumenta vendiderit Aegyptijs extremè laborantibus fame, hoc Iosephus in secundo libro Antiquitatum scitè enarrans, ita scribit: Fames in Aegypto crescebat in dies, nullúmque remedium aderat, neque flumine agros rigante, neque vllis de cælo pluuijs. Ioseph autem frumenta non dabat, nisi numerata pecunia; quæ postquam defecit, pecudes ac mancipia pro frumento permutabant. Quibus autem agri erant, partem aliquam rerum in pretium alimentorum regi decidebant: cúmque ad hunc modum omnes eorum possessiones in ius regis deuenissent, alius aliò migrabant, quo certius esset regis dominium: soli sacerdotes immunitatem & agros retinuerunt. Postremò tanta fuit necessitas, vt non corpora solùm, sed animos etiam illius gentis in seruitutem redigeret, ac nihil putarent turpe, quo victus parari posset. Postquam autem cessauit fames, & rigante flumine ad pristinam terra fertilitatem rediit, Ioseph regionis vrbes obeundo, conuocata per singulas multitudine, agrorum, quibus illi cesserant, vsum fructum illis restituit, hortatus vt non secus quàm proprios colerent: iussítque quintam partem fructuum regi pendere, quæ ei iure dominij deberetur. Illi insperata restitutione agrorum læti, culturam eorum strenuè aggrediuntur. Atque hoc pacto tum Iosephi auctoritas, tum eius gentis erga regem beneuolentia non mediocriter creuit, & ius quintæ partis frugum etiam per Regum posteros ac successores permansit. Hac Iosephus.

Iosephus.

VERS. 3. Extremos quoque fratrum suorum, quinque viros constituit coram rege.

SEPTVAGINTA Interpretes non habent illam vocem *extremos*: quæ vox, ob ambiguitatem, cum dupliciter accipi possit, duplicem item reddit sententiam, duplicémque patrem huius loci expositionem. Extremitas namq; dupliciter spectari potest, vel à parte superiori; & idem est atq; primum & summum; vel à parte inferiori, & idem est atque infimum & vltimum: vtroque enim versus dicitur extremitas. Ioseph igitur statuisse corã rege quinq; extremos fratrum suorum, dupliciter potest intelligi: vel vt elegerit quinque omnium suorum fratrum primos: primos dico vel ætate, vel formæ atque corporis præstantiâ, vel loquendi facundiâ, vel agendi pruden

prudentiâ, vt ex illis rex atque proceres Aegyptiorum, generis Ioseph nobilitatem atque claritatem cognoscerent: & ad hanc sententiam interpretantur hunc locum Lyranus, Thostatus, & Thomas Anglicus. *Lyranus. Thostatus. Thomas Anglicus.*

Potest etiam hic locus in contrariam sententiam exponi, vt per *extremos* intelligamus infimos atque vltimos fratrum, vel ætate, vel aliis rebus proximè memoratis: ne rex videlicet, propter eorum præstantiam vel corporis vel animi faceret eos vel bellatores, vel aulicos. Huius interpretationis auctores sunt Hebræi, quos & Oleaster & Hamerus, aliique sunt secuti. Et hoc mihi similius vero fit: nimirum voluit Ioseph, vt illi, vel ipso corporis habitu, atque ipsa facie, fidem facerent regi, atque Ægyptiis se pastores esse, & in pastoralis vitæ laboribus exercitos à pueritia. Ergo mirari est hoc loco singularem prudentiam Ioseph, omnia quæ futura essent in rem, atque in vsum fratrum suorum, solerter prospicientis, diligentérque curantis. Non enim satis habuit, tradi fratribus suis ad habitandum terram Gessen, optimam videlicet, & remotam ab Ægyptiis, ne profanas eorum superstitiones, impurissimosque mores spectarent atque cõdiscerent: verùm insuper omni studio atque cura egit ne fratres sui regiæ aulæ inserrentur, sed magis domestico gauderent otio, & filiorum suorum cultum procurarent. Hanc itaque ob causam, extremos & infimos fratrum suorum in conspectum regis adduxit: nempe, qui nec corporis dotibus multùm commendarentur, neque facie habitúque ipso egregiam animi indolem præ se ferrent: ne rex scilicet ex vnius Ioseph ingenio, & animo, virtutéque, de cæteris eius fratribus itidem existimandum, iudicandúmque putaret. Caietanus diuersum huius loci excogitauit interpretamentum. Sic enim scribit, Iuxta Hebræum habetur: *Et de extremo fratrum suorum accepit quinque viros.* Sensus est ambiguus. Crediderim tamen ego, maiores ex singulis vxoribus Patris, quatuor cum Iuda assumptos fuisse, & appellatos esse de extremo, hoc est, de extremitatibus primis cuiusque vxoris. Sic Caietanus. *Hebræi Oleaster. Hamerus.* *Caietanus.*

PRIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis,

Dies peregrinationis vitæ meæ, centum triginta annorum sunt, parui & mali: & non peruenerunt ad dies patrum meorum quibus peregrinati sunt. VERS. 9.

SEPTVAGINTA Interpretes sic verterunt hunc locum: *Dies annorum vitæ meæ, quos incolo, centum triginta anni pusilli & mali fuerunt dies annorum vitæ meæ, non peruenerunt ad dies annorum vitæ patrum meorum, quos dies incoluerunt.* Quam lectionem sequens & exponens S. Augustin. in quæst. centesima quinquagesima sexta in Gen. Quid est, inquit, *B. Augustin.*

quòd dixit Iacob Pharaoni, *Dies annorũ vitæ meæ, quos incolo.* Sic.n.habẽt Græci, pro quo Latini habẽt, vel ago vel habeo, vel si quid aliud: vtrum igitur ideo dixit *quos incolo*, quia in ea terra natus est, quam nõdum populus, diuinæ promissione hæreditatis acceperat, & ibi vitam ducens, vtique in aliena terra erat: nec solùm quando peregrinabatur in Mesopotamia, verùm etiam cùm ibi erat, vbi natus est? An potiùs secundùm id accipiendum est, quod ait Apostolus: *Quandiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino?* Secundum hoc & illud in Psalm. dictum intelligitur: *Inquilinus ego sum in terra, & peregrinus sicut omnes patres mei.* Similiter intelligendum est, quod deinde adiunxit Iacob: *Non peruenerunt ad dies annorum vitæ Patrum meorum, quos incoluerunt:* Nõ enim aliud voluit intelligi per illud *incoluerunt* nisi vixerunt: ac per hoc significauit, hanc vitam esse incolatum super terrã, id est, peregrinationis habitationem. Sed credo, Sãctis hoc potissimùm cõuenire, quibus Dominus videlicet, aliam patriã, cœlestem vtique, æternámq; pollicetur. Hæc Augustinus.

2. Cor. 5. Psalm 38.

Iuxta hoc Augustini dictum extremum, est quod annotauit B. Hieronym. in Epist. cxx ix. quam scripsit ad Dardanum; in Scriptura Habitatores terræ, appellari peccatores, non autem iustos, hos namq; aduenas & peregrinos, & incolas vocari solere. Ponã in hoc loco partem eius disputationis, quam super ea re illic tractat Hieronym. Illud quoque, inquit, sollicita mente tractemus, vt Scripturarum nos doceat auctoritas, sanctos non fuisse habitatores eius terræ, quàm Iudæi terram repromissionis autumant, sed fuisse tantùm incolas, atque peregrinos. Ex iusti viri legimus persona: *Aduena ego sum, & peregrinus sicut omnes patres mei:* vbicumq; autem habitator terræ legitur, si priora, & media, & extrema spectemus, liquidò scripturarum poterit hæc regula comprobari, semper habitatores terræ, peccatores appellari: de quibus in Apoc. scriptum est: *Væ habitatores terræ:* B. Stephanus dixit, Abrahæ, cui terræ Chanaam possessio à Deo promissa fuerat, ne vestigium quidem pedis eius terræ dedisse. Ac ne quis putaret quod non fuerat datum parenti, esse id posteris redditum. Apost. id refellit in Epist. ad Hebr. de Abraham, aliisque Patriarchis scribens. *Fide peregrinatus est in terra promissionis, quasi in aliena, in tabernaculis habitans cum Isaac & Iacob coheredibus eiusdem promissionis: expectabat enim fundamentum habentem Ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus est:* & cum Sanctos aliquos commemorasset, denique adiunxit: *Iuxta fidem mortui sunt hi homines, non acceptis repromissionibus, sed à longe eas expectantes & salutantes: & confitentes quia peregrini & aduenæ erant super terram:* Sic ex Beato Hieronymo.

Habitatores terræ vocari in Scriptura peccatores nõ autem iustos ex S. Hieron. Ad Hebr. 11. Act. 7 Locus. Apoc. 8. Psalm 38.

Dies peregrinationis vitæ meæ: Iacob verè ac propriè dixit vitam suam fuisse peregrinationẽ: non solùm quo modo Sancti omnes vocãt se peregrinos, etiã si in natali solo degant; quòd terram hanc non pro patria ipsi habeant, sed pro diuersorio vel potiùs exilio; & ad terrã illã semper viuentiũ lacrymantes atq; suspirantes omni studio & desiderio cõtendant: nõ solùm, inquã, ob hanc causam Iacob appellauit vitã suam peregrinationẽ, sed ob id, quòd etiã corporaliter coactus est frequẽter sedes

mutare,& natalem terram relinquere. Primùm enim vt declinaret insidias fratris sui Esau, derelicta terra vbi natus erat, & paterna domo, abiit in Mesopotamiam, vbi per viginti annos seruiuit Laban, vt suprà narrauit Moses ca. 28.& seq. Inde discedēs, venit Soccoth,& per vnum annum ac dimidium inibi habitauit: ex quo loco venit iuxta Sichem, demoratúsque ibi est annis circiter nouem, Genes. 33. vnde venit Bethel,& Ephratam,& denique Hebron, vbi erat pater eius Isaac. Ex quo loco, ad extremum inopia rei frumentariæ, faméque, demigrauit in Ægyptum. Vides igitur quàm instabilis fuerit habitatio Iacob, vt meritò vita eius dicta sit peregrinatio. Verùm perpendamus quod sequitur,

4 *Centum triginta annorum sunt*: Hinc liquidò cognoscuntur, & validè probantur quinque res, quæ sacram Chronologiam multùm illustrant, atque confirmant. Primùm hinc apparet, quoto ætatis Iacob anno, Ioseph natus fuerit: fuit enim is annus nonagesimus primus ætatis Iacob. Si enim tunc Iacob erat centum triginta annorum: Ioseph autem erat triginta nouem, vt colligitur ex cap. 41.& 45. Geneseos, detractis triginta nouem annis Ioseph, ex annis centum triginta Iacob, reliqui sunt vnus & nonaginta. Hinc etiam liquet, Iacob fuisse septuaginta septem annorum cùm venit in Mesopotamiam: Ioseph enim natus est post aduentum eius in Mesopotamiam, expletis annis quatuordecim, vt colligitur ex cap. 30. Gen.& quia exacto priori septennio seruitutis in Mesopotamia, accepit Iacob vxores, ex quibus filios generare cœpit, vt videre in cap. 29. Genes. manifestū est, consummationem coniugij Iacob,& primam filiorum eius generationem competere in annum ætatis eius octogesimum quartum. Præterea hinc quoque enotescit, cuius ætatis fuerint alij fratres Ioseph, cùm Iacob intrauit Aegyptū: Si quidem omnes filij Iacob (præter vnum Beniamin) nati sunt in Mesopotamia intra secundum septennium seruitutis Iacob, vt colligitur ex supradictis in cap. 29.& 30. Genes.& Ruben quidem natus est in principio istius septennij, Ioseph autem in fine. Erat igitur Ruben septem annis natu maior, quàm Ioseph: sed Ioseph erat triginta nouem annorum, vt dictum est, quo tempore Iacob intrauit Aegyptū; ergo Ruben tunc erat quadraginta sex annorum. Et quia Simeon vno fuit anno posterior natu, quàm Ruben, Leui autē duobus annis, Iudas verò tribus annis; hinc apertè cōcluditur, Simeonem fuisse tunc quadraginta quinq; annorum, Leui quadraginta quatuor, Iudam verò quadraginta trium, atque indidem subsequentium fratrum ætas comperta esse potest.

Ex ætate 130. annorū in qua erat Iacob cū intrauit Ægyptum, quinque res colligi ad sacrā Chronologiam pertinentes.

Cuius ætatis erant fratres Ioseph, cùm Iacob venit in Ægyptum.

5 Ex hac item ætate Iacob centum triginta annorū apparet, quot anni præterierint à prima promissione, quam dedit Abrahæ Deus, vbi euocauit eum ex Chaldæa, vsque ad ingressum Iacob in Aegyptum: fuerūt enim anni ducenti quindecim, quod ita probatur: Erat Abraham cùm accepit à Deo primam illam promissionem, annorū septuaginta quinque, hoc enim proditū est Gen. 12. post viginti quinque annos genuit Isaac, nempe cùm esset centenarius, vt dictum est Genesis 21. Post id temporis annis sexaginta, Isaac genuit Iacob, vt legitur suprà Gen. 25.

Iacob porrò cùm intrauit Aegyptum, annorum erat centum triginta, vt in hoc loco traditur. Si ad hos igitur centum triginta annos Iacob addas illos viginti quinque Abrahæ, & illos sexaginta Isaac, conficies numerum illum quem diximus, annorum ducentorũ quindecim à promissione Abrahæ, vsque ad ingressum Iacob in Ægyptũ. Iam verò, cùm B. Paulus ad Galatas 3. scribat, quadringentis triginta annis post illam promissionem Abrahæ, datam fuisse legem Moysi in monte Sinai, tertio nimirum mense post egressum Hebræorum ex Ægypto, vt scriptũ est Exod. 19. hinc liquidò cognoscitur, ab ingressu Iacob in Ægyptũ, vsque ad egressum Hebræorum, duce Mose, ex Ægypto, annos duntaxat quindecim & ducentos effluxisse: Et quòd hinc necessariò consequens est, Hebræos non ampliùs ducentis quindecim annis in Ægypto mansisse, sicut nos etiam super ea re disputauimus copiosissimè in Tertio Tomo Commentariorum nostrorum in Genesim super caput decimum quintum, in Sexta Disputatione.

Sed quid est illud quod dixit Iacob de annis vitæ suæ, *parui & mali?* quomodo parui? an ipsius anni minores & breuiores fuerunt, quàm anni vel Isaac, vel Abrahæ? minime verò; totidem enim mensibus, totidémque diebus singuli constabant. Dicti sunt igitur parui, pro pauci, vt sit sensus, Numerus annorum vitæ meæ paruus & exiguus fuit, comparatus cum numero annorum quos vixerunt patres mei. Est autẽ vsitatum in Scriptura secundùm phrasim Hebraicam, diem & dies ponere pro tempore: Ergo dicere, Dies vitæ fuisse centum triginta annorum, perinde est, quasi dixisset, tempus vitæ meæ fuit centum triginta annorum. Verùm habet difficultatem quod mox Iacob adiungit, se nõ peruenisse ad ætatem patrum suorum. Nam vnde compertum erat Iacob, non pluribus in posterum victurum se annis, quàm vixerant *patres* sui? sed dicendum est, Iacob, quòd esset graui iam senio *oppressus*, ætatéque ante-actæ vitæ multis, magnísque laboribus, atque ærumnis cõflictatâ & contritâ, putasse breui se moriturum, & idcirco omnem vitam, ætatémque suam illis centum & triginia annis determinasse. Vixit tamen postea, decem & septem annis: & sic etiam verum fuit quod dixit, se non peruenisse ad dies vitæ patrum suorum: Si quidem pater eius Isaac vixerat annis centum octoginta: Abraham verò auus eius, centum septuaginta quinque, vt suprà traditum est Genesis 25. & 35.

Decem labores & dolores Sancti Iacob.

Verum cur dies suos vocat malos? haud dubiè significare voluit laboriosos, ærumnosos, calamitosos: hac enim significatione nomẽ Malum & Malitia, sæpe in Scriptura vsurpantur. Vt autem lector agnoscat quàm fuerit vita Iacob laboriosa, & ærumnosa, cursim hìc percensebo labores, & dolores quibus afflictatus est. Primus fuit, cũ ob insidias fratris sui Esau necẽ sibi molientis, coactus est patriã, domúmq; paternã relinquere, & solus ac pauper, &, vt ipse dixit, cum baculo suo longum iter vsque in Mesopotamiam pedibus conficere. Secundus fuit in Mesopotamia, vbi per viginti annos asperrimã seruitutem socero suo Laban seruiuit: auxitque miseriam eius iniquitas Laban decies mercedem

Genes 32.

eius

eius commutantis,vt traditur Gen. 31. Tertius fuit,rursus ingens metus fratris sui Esau venientis ad se cum quadringentis equis Genes. 32. Quartus,ob cædem Sichimitarum à filiis suis factam, timorémque finitimarum gentium,Genes. 34. Quintus,ob mortem dilectissimę vxoris Rachel. Sextus,ob fœdissimum concubitum filij sui Ruben,cũ vxore sua Bala. Gen. 35. Septimus ob venditionem Ioseph, propter quem, in luctu & mœrore fuit per viginti tres annos, Genes. 37. Octauus ob separationem à se, & abductionem in Ægyptum filj sui Beniamin, de cuius vel morte, vel captiuitate vehementer sollicitus & anxius erat. Nonus,ob Simeonem filium suum à Præfecto Ægypti in carcerem inclusum,atque in vinculis detentum. Decimus, quòd ob famis necessitatem cogeretur terram Chanaam derelinquere, & cum omni familia demigrare in Ægyptum,quã terram,gentémque, tam ipse, quàm Maiores eius, suspectam semper habuerant. Videt, opinor, lector, quàm verè dixerit Iacob,dies suos fuisse malos.

Sed quod ille dixit de se,idem profectò in omnes mortales verissimè dici potest:quorũ nempe dies & parui,& mali sunt. Verissima enim est illa Beati Iob sententia: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra,& nunquã in eodem statu permanet*:Et paulò infrà: *Breues dies hominis sunt,numerus mensiũ eius apud te est.Constituisti terminos eius,qui præteriri non poterunt*: Quatuor porrò sunt genera malorum,quibus mortalium vita circumuallatur,obsidetur, & oppugnatur. Sunt mala corporis,vt sitis,fames, nuditas, morborum multitudo & acerbitas, mortísque varij cruciatus. Sunt mala in rebus externis, quæ ad paupertatem & egestatem pertinent, vel ad ignominiam & opprobrium. Sunt item animi mala,vt vitia, & errores, & perturbationes animi, cuiusmodi est timor,tristitia,ira,anxietas,& hoc genus complura. Sunt demum mala quæ nos attingunt, venientia ex personis nobis carissimis & coniunctissimis,vt ex parentibus,filiis,vxore,fratribus, amicis.

Locus Iob ex cap. 14.

Quatuor genera malorum circa mortalitẽ vitam.

Ioseph verò patri & fratribus suis dedit possessionẽ in Ægypto, in optimo terræ solo Rameses, vt præceperat Pharao.

8 AT Pharao præceperat dari fratribus Ioseph Terrã Gessen. sic enim paulò suprà scriptum est, ipsum dixisse Iosepho: *Trade eis terram Gessen*: & hanc ipsam terrã vehementer cupierat,& curauerat Ioseph dari fratrib. suis. hæc sunt enim verba Ioseph ad fratres suos, que supra sub finem capitis 46. posita sunt: *Hæc autem facietis, vt habitare possitis in terra Gessen*: Ipsi quoque fratres Ioseph hanc sibi terram dari petierunt à Rege,dicentes ei, vt in hoc ipso capite paulò superiùs proditum est: *Petimus, vt esse nos iubeas seruos tuos in terra Gessen*: Hæc igitur cùm ita se habeant, quomodo Ioseph dicitur tradidisse suis ad habitandum terram Rameses, & pro ratione subditur, quia ita præcipisset Pharao. Vidit hanc difficultatem

An terra Rameſſes, fuerit eadem, ac terra Geſſen.

tatem Sanctus Auguſtinus, ſed eius ſolutionem quærendam Lectori reliquit. Sic enim ait in quæſt. 157. in Geneſim: Quærendũ eſt, vtrum terra Rameſſes ipſa ſit Geſſen: ipſam enim petierant, & ipſam eis Pharao dari præceperat. Sic Auguſtinus.

S. *Auguſt.* *Caietanus.* *Thoſtatus.*

Caietanus putat, Rameſſes fuiſſe partem quandam Terræ Geſſen, ſed meliorem, & vberiorem cæteris. Idem tradit Thoſtatus: ſed addit Rameſſes fuiſſe ciuitatem multis annis poſt ingreſſum Iacob in Aegyptum ædificatam ab Hebræis in tempore duriſſimæ ſeruitutis qua premebãtur ab Aegyptiis, vt traditur Exod. 1. Quo igitur tempore Iacob intrauit Aegyptum, non erat iſta ciuitas Rameſſes, ſed hîc per Anticipationem commemorata eſt. Sed enim cùm hunc librũ ſcripſit Moyſes (ſi eum ſcripſit, vt multis viſum eſt, poſt egreſſum populi Hebræi ex Aegypto, iam erat ædificata, erátque notiſſima Hebræis. Eſt itaque ſecundùm hanc opinionem illorum verborum hæc ſententia: Ioſeph dedit ſuis ad habitandum optimam terræ Geſſen partem, quæ nunc Rameſſes vocatur, ex nomine Ciuitatis quam ibi poſtea ædificarunt Hebræi.

Non ſolos Hebræos habitaſſe in terra Geſſen, ſed multos ex Aegyptiis.

Cùm autem in hoc loco dicitur terram Geſſen eſſe aſſignatam Hebræis ad habitandum: nemo putet à ſolis Hebræis eam terram fuiſſe habitatam: nam & ante Hebræos illic habitauerant Aegyptij; & vnà cum Hebræis multi etiam poſtea habitarunt Aegyptij, idque duplici argumento probatur. Iuſſit enim Deus, vt legitur Exodi 12. Hebræos ſanguine agni paſchalis immolati, tingere poteſt ianuarum ſuarum, vt eo ſigno domus eorum diſcernerentur à domibus Aegyptiorum, & Angelus percutiens primogenita Aegyptiorum videns domos ſanguine tinctas, innoxiè eas tranſiret. Habitabant igitur in eodem oppido vel Ciuitate Hebræi mixti cum Aegyptiis. Deinde legimus Exodi 11. & 12. in feſtino illo Hebræorum exceſſu, quem Aegyptij vehementer vrgebant, Hebræos & Hebræas mulieres à vicinis Aegyptiis petiiſſe vaſa aurea, & argentea, multámque veſtem. Quid multa? cùm terra Geſſen vberrima eſſet atque optima paſcuis, non eſt credibile non fuiſſe eam habitatam ab Aegyptiis.

* * *

SECVN

SECVNDA DISPVTATIO,

De immunitate Sacerdotum Aegypti.

Super illis verbis,

Emit igitur Ioseph omnem terram Aegypti, vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis, subiecítque eam Pharaoni: præter terram Sacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis: quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur: Et idcircò non sunt compulsi vendere possessiones suas. *Versu 22. Et paulò infrà versu 26.* Ex eo tempore vsque in præsentem diem in vniuersa terra Aegypti, regibus quinta pars soluitur, & factum est quasi in legem: absque terra sacerdotali, quæ libera fuit hac conditione.

6 MEMORABILE fuit Christianis etiã Principibus imitandum, hoc regis Pharaonis erga diuini, vt putabatur, cultus administros sacerdotes, reuerentiæ, ac benignitatis, pietatísque exemplum. Cùm enim vniuersa Aegyptus extrema laborasset fame, comparandíque frumenti gratiâ cogerentur Aegyptij vendere possessiones suas, & se Regis addicere seruitio: soli omnium sacerdotes, à necessitate vendendi terras quibus donati à Regibus fuerant, soluendíque tributi fuêre immunes: quin etiam in summa omnium inopia, faméque, alimentis è publico sibi datis abundabant. Rectè igitur Caietanus: Hinc apparet, inquit, integritas Pharaonis, qui ne in tanta quidem omnium penuria subtraxit solita alimenta sacerdotibus, qui diuino cultui addicti, & speculatiuis scientiis intenti erant. Et Oleaster, Clamat, inquit, locus hic, publicos ministros Dei alendos esse à populis, præsertim verò à Rege: & quantæ Regibus curæ ministri sacrorum esse debeant, etiãsi aliunde habeãt, vnde se possint sustentare: quia nemo suis stipendiis militare debet. Thostatus in eandem sententiam grauioribus etiam verbis hæc scribit: Sicut nunc decimus à Communitate datis sacerdotes sustentantur: ita tunc licèt decimæ non darentur, in qualibet tamen Communitate statuebantur horrea frumentaria ex horreis Communitatis, vnde cibaria sacerdotibus sufficienter tradebantur. Nam quia sacerdotes erant personæ publicæ, administrantes cultum diuinum pro salute totius Communitatis, ob id ex bonis Communitatis sustentari debebant. Tantóq; fuêre tunc apud Aegyptios in honore sacerdotes, vt eis darent Reges terras ad habendum & colendũ, & insuper cibaria ex publicis horreis

Oleaster.

Thostatus.

præberent;ne propter inopiam ad alias se negociationes conferre cogerentur. In quo Reges & Domini huius nostri temporis admodum exprobabiles redduntur : quippe qui ecclesiis, in quibus Sanctissimus veri Dei cultus agitur,qui apud Gentiles non fuit, non solùm bona nõ conferunt; sed etiam ab antiquorum principum deuotione collata,auferant ministris ecclesiasticis ; exactiones,extractionésque,partim publicas,partim priuatas imponentes ; Vt iam idem Rex , Episcopus, & Papa esse videatur : at valdè abominandum est vt filiorum seruituti patres subiiciantur.Hæc Thostatus,qui ante annos propè ducentos vixit.

Theodoret. Nec dissimile est,quod multis seculis antiquior istis Theodoretus paucissimis verbis scriptũ reliquit in tractatu Quæstionis centesimæ sextę in Genesim, his verbis : Sola terra sacerdotum Aegypti à præstando tributo quintæ partis frugum immunis relicta est : vsque adeo venerabantur homines impij eos , qui non erant dij : at verò sacerdotes Dei viuentis non gaudent hac immunitate.Hæc Theodoretus.

Cur sacerdotibus Ægypti data sit immunitas , & victus ex publico.

S. Hieron. ex Cheremone.

Illis porrò sacerdotibus Ægyptiorũ beneficium illud immunitatis 10
& victus ex publico propterea propensiùs indultum est,quòd illi cõtinentiæ ac sapientiæ fama & laude præter ceteros celebrarentur. Ac de insigni eorum continentia ita scribit S. Hieronymus lib. 1. aduersus Iouinianum : Cheremon Stoicus, vir eloquentissimus, narrat, Ægypti antiquos sacerdotes,omnibus mundi negotiis,curísq; postpositis,semper in templo fuisse , & rerum naturas, causásque,& rationes syderum contemplatos esse:nunquam se mulieribus miscuisse;nunquam cognatos,& propinquos, ac ne liberos quidem vidisse. Ex eo autem tẽpore, quo cœpissent diuino cultui deseruire , carnibus & vino semper abstinebant , propter tenuitatem sensus & vertiginem capitis, maximéque propter appetitum libidinis,qui ex eo cibo & potu nascitur.Raro vescebantur pane,ne onerarent stomachum,& si quando comedebant,tusum pariter in cibo sumebant hyssopum,vt escam grauiorem, illius calore,decoquerent.Oleum in oleribus duntaxat nouerãt,idque parum, propter nauseam & asperitatem gustus leniendam.Ouum etiã vitabant & Lac : quorum alterum,carnes liquidas,alterum sanguinem esse dicebant,colore mutato.Cubile de foliis palmarum,quas Baias vocant,cõtextum erat : scabellum accliue & ex vna parte obliquum,pro puluillo in terra,capiti supponebant:bidui,triduíque inediam sustinebant. Humores corporis, qui nascuntur ex otio, & ex mãsione vnius loci nimia victus castigatione siccabant.Hæc de continentia veterum Ægypti sacerdotum,ex Cheremone. S.Hieronymus.

Aristoteles inuentores rerũ Mathematicarum facit Sacerdotes Aegypti.

Erant præterea sacerdotes Ægyptiorũ,insignes admodum, & cele- 11
bres studio & professione sapiẽtiæ ; eius maximè,quæ ad cæremonias, ritúsque colendi Deos pertinebat, & ad scientiam mathematicarum disciplinarum:immò inuẽtionem earum,sacerdotibus Ægypti assignare videtur Aristoteles in princ.Metaphysicæ,cùm ita scribit:Circa Aegyptum mathematicæ artes institutæ sunt : illic enim Gens sacerdotũ vacare permissa est.Et Strabo lib.17.ait, gentem Aegyptiorum trifariam

riam esse diuisam; & alios quidem esse milites, alios agricolas,& alios sacerdotes: & hos exercuisse Philosophiam & Astronomiam, & cum Regibus diuersari solitos. Et Diodorus Siculus lib. 2. tradit, nobiles pueros,& adolescentes Aegyptiorum erudiri solitos à sacerdotibus,& ab his doceri potissimùm litteras,quæ appellabantur sacræ; & item doctrinam Geometriæ,Arithmeticæ,& Astrologiæ. Quòd autem sacerdotibus Aegypti etiam in ætate Herodoti & Diodori victus è publico daretur, atque ingentia suppeditarentur commoda, ex eorum scriptis manifestum est. Herodotus enim in Euterpe,siue libro secundo: Aegyptiorum,inquit,sacerdotes non exiguis afficiuntur cõmodis: nam neque aliquid è re domestica conterunt, neque erogant, sed singulis eorum quotidie cibi sacri cocti præsto sunt,& carnes bubulæ, & anserinæ satis abundéque suppeditantur: vinum quoque vineale traditur. Et Diodorus lib. 2. ad hunc modum scribit: Aegypti vectigalibus trifariam partitis, priorem eorum portionem percipit Collegium sacerdotum, magna apud incolas auctoritate, tum propter Deorum curam, tum propter doctrinam qua plures erudiunt. Hãc partem vectigalium: tum ad sacrificiorum ministeria,tum ad priuatæ vitæ commoda impartiuntur: neque enim Deorum cultum omittendum putant, neque publici consilij, & vtilitatis ministris, æquum censent vitæ commoda deesse. Adsunt enim sacerdotes, grauibus rebus,consilio atque ope ipsis Regibus,futura præuidentes ac prædicentes,tum per sacrificia,tum per astrorum peritiam,ex libris prẽterea sacris Priorum gesta referunt, vnde Reges discant,quę in rebus agendis prodesse queant. Sacerdotes itaque omnes in Aegypto immunes sunt, secundúmque post Reges, honoris & dignitatis locum tenent. Hactenus ex Diodoro.

Herodotus.

Diodorus.

12 Sanctus Thomas in commentariis suis in epistolam ad Romanos super illis verbis capitis XIII: *Ideo & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt,in hoc ipsum seruientes*: egregiè probat,libertatem Clericorum atque immunitatem, maximè cõsentaneam esse naturali æquitati. Vnde etiam,inquit, apud Gentiles liberi erant à tributis illi qui vacabant rebus diuinis. Legimus enim Genes. 47. quòd Ioseph subiecit Pharaoni totam terram Aegypti præter terram sacerdotum,quæ à Rege tradita fuerat eis: quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur. Et infrà dicitur quòd in vniuersa Aegypto quinta pars soluebatur Regi,absque terra Sacerdotali,quę libera ab hac conditione fuit.

S. Thomas.

Hoc autem omnino æquum est. Sicut enim Reges sollicitudinem habent de bono publico in bonis temporalibus, ita ministri Dei in bonis spiritualibus. Et sic, per hoc quod Deo in spiritualibus ministrant, recompensant Regibus,quod pro eorum pace laborant. Hęc Sanctus Thomas.

VERS. 23. & 24. Dixit ergo Ioseph ad populos, En, vt cernitis, & vos & terram vestram Pharao possidet, accipite semina, & serite agros, vt fruges habere possitis: quintã partem regi dabitis: quatuor reliquas permitto vobis in sementem, & in cibum familiis & liberis vestris.

DICET aliquis, Ad quem finem, vsúmve dedit Ioseph Aegyptiis frumentum ad serendos agros? Siquidem in septem illis annis sterilitatis, terra Aegypti neque arari, nec seri potuit; hoc enim dixit Ioseph fratribus suis, vt suprà Gen. 45. scriptum est: *Biennium est*, inquit, *quòd cœpit fames esse in terra, & adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit nec meti.* Verùm sciat Lector, in prioribus sex annis illius sterilitatis Ioseph non dedisse Aegyptiis frumentum ad serendos agros, sed tantùm in vsum cibi & victus; cùm enim terra propter summam siccitatem nihil posset gignere, frustrà terris mandata essent semina. In septimo autem, & vltimo illius sterilitatis anno, quem proximè consecuturus erat annus fertilis, prudenter Ioseph, atque opportunè semina dedit, quibus agri consiti copiosum insequenti anno frugum prouentum ederent. Atque hæc nostra sententia firmari potest auctoritate Philonis, ita scribentis: Ineunte anno egestatis septimo, accitis agricolis (iam enim vbertatis spes affulgebat) dedit hordeum & triticum ad sementem: diligenter cauens, ne quis hæc in alium vsum verteret; appositis etiam custodiis ex Optimatibus, qui sationem obseruarent. Sic Philo. 13

Philo in libro de Ioseph.

Sed num æqua fuit illa conditio siue lex, qua Ioseph obstrinxit Aegyptios vt quintam partem omnium frugum Regi quotannis tributi nomine darent? æquissimam fuisse, ac benignitatis pleniſſimam, eo patet, quòd Aegyptij omnem terram vendiderant Pharaoni, ac se ipsos quoque eius seruitio addixerant: quocirca, vt seruorum, sic Aegyptiorum bona omnia Regis erant. Insignis ergo fuit benignitatis, & suas quibúsque terras reddere, & remissis quatuor partibus prouentus frugum, quintam duntaxat exigere; faceréque de seruis pensionarios, & vt vocant, censuales. Cùm autem terræ admodum fertiles, colẽdæ alijs, pro medietate fructuum iustè tradantur: Aegyptus autem non solùm esset maximè fertilis, sed etiam terra eius sine magno labore coleretur, quantæ fuit liberalitatis, terras Aegyptiis colendas, non pro medietate, sed pro quinta solùm parte frugum tradere?

An fuerit æqua lex exigere ab Aegyptiis quintam partem frugũ.

S. Greg. considerate perpendens quod in hoc loco narratur, Ioseph non ante dedisse semina Aegyptiis ad serendos agros, quàm illi terras suas vendidissent Pharaoni, & seipsos seruituti eius dedissent, ex eo pulcherrimum excudit morale documentum: præclarè disputans, semen verbi Dei his dari vtiliter ad prædicandũ, aliis qui se suáq; omnia Dei seruituti addixerunt. Nã qui se à vitiis abstinẽt, suásq; frænãt cupiditates, vitámq; honestè, atq; innocẽter degunt, eos ait Greg. maximè idoneos 14

neos esse ad prædicandum aliis, persuadendúmque vitiorũ fugam, omniúmque cupiditatum castigationem, & vitę morúmque integritatem. Hæc autem sunt verba B. Greg. huc translata ex lib. 6. Moral. vbi tractat illa verba Iob cap. 5 *Visitans speciem tuam, non peccabis, & scies quoniam multiplex est semen tuum, & progenies tua quasi herba terræ.* Cum à vitiis caro restringitur, ait Gregorius, & mens in virtutibus exercetur, restat vt loquendo quisque doceat vitam alios, quam ipse moribus seruat. Ille nãque vberes fructus prædicationis colligit, qui semina bonæ operationis præmisit. Ille namque bene loquendi facundiã accipit, qui sinum cordis ad perfectè viuendi studia extendit, nec loquentem conscientia præpedit, cùm bona eius vita linguã antecedit. Hinc est quòd Aegyptij, Ioseph dispensante, cùm iuri regis semetipsos tradentes humiliant, frumenta etiam ad semen reportant, dicente illis Ioseph: *En, & vos & terram vestrã Pharao possidet: accipite semina, & serite agros, vt fruges habere possitis.* Frugem quippe ad esum etiam liberi accipimus, cùm & sacro eloquio pascimur, & tamen ad quædam quæ in hoc mundo appetimus in nostris voluptatibus vacamus. Sed serui facti, etiam ad semen frumenta percipimus: quia dum plenè Deo subdimur, etiam verbo prædicationis replemur. Hæc Greg.

TERTIA DISPVTATIO.

De Chronologia totius vitæ sancti Patriarchæ Iacob.

Super illis verbis,

Factique sunt omnes dies vitæ illius, centum quadraginta septem annorum.

15 HÆc Disputatio, aliquot discussis quæstionibus, explicabitur. Prima quæstio: Quoto anno post diluuium Noë natus est Iacob? Natus est Iacob anno post diluuiũ quadringentesimo quinquagesimo secundo. Hoc autem ita probatur: A diluuio vsque ad ortum Abrahæ, numerãtur in cap. 11. Geneseos, anni ducenti nonaginta duo. Abraham centenarius genuit Isaac, Genesis 21. Isaac verò cùm sexaginta esset annorum, genuit Esau & Iacob, vt traditur Gen. 25. si igitur ad illos ducentos nonaginta duos annos, à diluuio vsque ad ortum Abrahæ, addas centum annos Abrahæ, & sexaginta Isaac vsque ad ortũ Iacob, efficies summam illam quam dixi, quadringentorũ quinquaginta duorum annorũ, quib. à diluuio exactis natus est Iacob. Quoniam autem ab exordio mundi vsque ad diluuium Noë, ex cap. 5. Geneseos cõputantur anni mille sexcenti quinquaginta sex: qui additi supradictis quadringentis quinquaginta duobus, efficiunt numerũ annorum bis mille centúmque & octo: hinc apparet, Iacob natum esse anno post mundum conditũ bis 1108.

Quoto anno post diluuium, & post mundum conditum natus sit Iacob.

Secũda quæstio, cuius ætatis fuit Iacob, cùm petiit Mesopotamiam, & ibi vxores duxit, & filios genera uit, & post viginti annos regressus est in terrã Chanaam? Mansit Iacob in terra Chanaam, & in domo paterna, & ferè iuxta Hebron, per annos septuaginta septem. Annum itaque agens septuagesimum septimum, vt insidias fratris sui Esau declinaret, vxorémque acciperet non ex terra Chanaam, sed ex gentilibus matris suæ, & ex stirpe Nachor fratris Abrahæ, cuius posteri habitabãt in vrbe Mesopotamiæ, quæ dicebatur Haran; has inquã duas ob causas Iacob in ea qua dixit ætate petiit Mesopotamiam. Ibi post septẽnium, quo seruiuit Laban, accepit vxores Liam & Rachelem, & ex Lia primum filiorum genuit Ruben: Hoc autem tempus competit in annum ætatis Iacob quartum & octogesimum. Intra secundum autem septennium seruitutis genera uit vndecim filios, & vnam filiam, quorum postremus natu fuit Ioseph, natus vtique anno decimo quarto post aduentum Iacob in Mesopotamiam, & anno ætatis eius nonagesimo primo. Deinde Iacob seruiuit sex annis socero suo Laban in pascendis eius gregibus: exactísque in Mesopotamia viginti annis, inde cum omni familia rediit in terram Chanaam; cùm ipse tunc esset annorum nonaginta septem: siquidem cùm venit in Mesopotamiam, fuisse eum septuaginta septem suprà dictum est. Hæc porrò vera esse ostendimus suprà in prima Disputatione huius capitis, super illis verbis: *Dies peregrinationis meæ, centum triginta annorum sunt.* Expletis præterea decem annis, quibus partim in Soccoth, partim iuxta Sichem habitauerat Iacob, contigit immanis illa Sichimitarum cædes, vt à nobis demonstratum est supra in Præfatione super caput trigesimum quartum: & sub id temporis, quo pergebat ad vrbem Hebron, ad patrem suum Isaac, mortua est ipsi dilectissima vxor Rachel, & natus est Beniamin, vltimus natu filiorum eius: quo tempore Iacob, annum ætatis agebat circiter septimum & centesimum. 16

Diluuiũ Ogygis contigit eo tempore, quo Iacob versabatur in Mesopotamia.

Tertia quæstio, Quid in orbe terrarũ insigne admodum & memorabile accidit eo tempore, quo Iacob mansit in Mesopotamia? Duo perinsignia, & memoratissima in eo tempore contigerunt. Primum enim, quo tempore Iacob versabatur in Mesopotamia, euenit Diluuiũ Ogygis, quod post illud Noëticum fuit maximum & antiquissimũ, & apud Græcos celebratissimum: quo diluuio terra Attica vsque adeo est vastata, vt per annos centum nonaginta nouem, vsque ad Cecropem, sine rege & penè deserta fuisse perhibeatur. De hoc Diluuio legenda sunt quæ tradit Eusebius lib. 10. de Præparatione Euangelica, cap. vlt. Et S. Augustinus in lib. 18. de Ciuitate Dei, cap. 8. & quæ nos super eo Diluuio disputauimus in secundo Tomo nostrorum commentariorum in Genesim, in lib. 12. ad numerum marginalem 79. Incidit porrò Diluuium Ogygis in annis ætatis Iacob circiter octogesimum octauum; id autem probari potest ad hunc modum. Iulius Africanus in lib. 3. Annalium, multorum, atque nobilium Scriptorum auctoritate docet, Diluuium Ogygis præcessisse mille viginti annis primam Olympiadem. 17

Eusebius.
S. Augustí.
Iulius Africanus.

piadem. Nos autem in lib. 11. nostrorum Commentariorum in Danielem, in quæst. 2. argumentati sumus, initium Olympiadum concurrisse cum octauo anno regni Achaz regis Iuda. Si igitur ab octauo anno regis Achaz, retrò præteritos annos percurrens, computes mille viginti annos, istiusmodi computationem finies in anno ætatis Iacob octogesimo octauo. Ab octauo enim anno Achaz vsque ad tertiũ annum regni Salomonis quo cœptum est ædificari Templum, in 3. & 4. lib. Regum colliguntur anni ducenti octoginta tres. Ab ædificatione autem templi vsque ad egressum Hebræorum ex Ægypto, recensentur in 3. lib. Regum, cap. 6. anni quadringenti octoginta. Hinc autem vsque ad ingressum Iacob in Ægyptum, numerantur anni ducenti quindecim, vt suprà ostensum à nobis est. Denique, ab ingressu in Ægyptum vsque ad octogesimum octauum ætatis eius annum, computantur anni quadraginta duo: erat enim Iacob, cùm intrauit Ægyptum, centum triginta annorum, vt scriptum est in hoc quadragesimo septimo cap. Genes. Ex his verò numeris omnibus inter se iunctis, efficitur numerus annorum mille viginti, quibus Diluuium Ogygis, vt probauit Africanus, præcessit primam Olympiadem.

Animaduersio in Iulium Africanum.

18 Ergo quod idem Iulius Africanus prodidit, vt refert Euseb. loco suprà citato, Ogygis Diluuium factum esse in ætate Mosis, quo tempore videlicet is eduxit Hebræos ex Ægypto, id profectò manifestæ falsitatis argui & conuinci potest: in eo namque Africanus nõ solùm contradicit veritati, sed etiã secum ipse pugnat, suásque prorsus euertit sentẽtias. Etenim ipse ponit initiũ Olympiadum in principatu Ioathan regis Iuda: à cuius regni initio, vsque ad principium ædificationis templi Salomonis, ex 3. & 4. lib. Reg. computãtur anni ducenti sexaginta. Hinc porrò vsque ad Mosem, Hebræorúmque ex Ægypto discessum, recensentur in 3 lib. Reg. anni quadringenti octoginta. Ergo Moses (secundùm Chronologiam ab Africano traditam) anteceſſit primam Olympiadem annis, duntaxat, septingentis quadraginta. At Diluuium Ogygis, auctore ipso Africano, mille viginti annis anteiuit primam Olympiadem. Ex quo concluditur, Diluuium Ogygis factum esse annis ducentis sexaginta ante Mosem. Verùm super hac re pluribus disputaturi sumus in primo Tomo Electarũ Quæstionũ, quem post hunc Quartũ Tomum in Genesim (beneuolente, iuuantéque Deo) in lucem efferemus: in quo quæstiones ad Chronologiam pertinentes, quatuor libris comprehensas, subtiliter, enucleatéque tractabimus.

De ingẽti portento quod in ætate Iacob visum esse in cælo traditum est literis.

19 Quæstio quarta, Quodnã fuit magnum illud in cœlo portentũ, quod in ætate Ogygis & S. Iacob factum esse perhibetur? Proximè dictũ est, Iacob æqualẽ fuisse, atque vt Græci vocant, Synchronon Ogygis, quo regnãte Diluuiũ vulgò dictũ Ogygianũ accidit. In ętate igitur Ogygis, & S. Iacobi, ingens, maximéque admirandum in cœlo portentum cõtigit, stella namque Veneris visa est mutasse colorem, magnitudinem, figurã, cursúmque. Hoc quale, quantúmque fuerit portentum, S. August. primum verbis Marci Varronis, tum ex suo sensu declarat in lib. 21. de Ciui

Varro.

Marcus Varro. de Ciuitate Dei, cap. 8. ita scribens: Est in Marci Varronis lib. quorum inscriptio est *de Gente populi Romani*, quod eisdem verbis, quibus ibi legitur, & hic ponam: In cœlo, inquit, mirabile extitit portentum: nam in stella Veneris nobilissima quam Plautus Vesperuginem, Homerus Hesperon appellat, pulcherrimam dicens, Castor scribit, tantum portentum extitisse, vt mutaret colorem, magnitudinem, figuram, cursum; quod factum ita, neque antea, neque postea fit. Id autem esse factum, Ogyge regnante, dicebant Adrastus Cyzicenus, & Dion Neapolites *S. Augusti.* Mathematici nobiles. Subdit posthæc Augustinus ex suo sensu, Quid est, inquit, ita dispositum ab Auctore naturæ cœli & terræ, quemadmodum cursus ordinatissimus siderum? Quid tã ratis legibus fixísque firmatum? Et tamen quando ille voluit, qui summo regit imperio ac potestate quod condidit, stella præ cæteris magnitudine & spendore notissima, colorem, magnitudinem, & quod est mirabilius, sui cursus ordinem, legémque mutauit. Turbauit profectò tunc, si vlli iam fuerunt canones Astrologorum, quos velut inerrabili computatione, de præteritis ac futuris Astrologorũ motib. conscriptos habent: quos Canones sequendo ausi sunt dicere hoc quod Lucifero contigit, nec antea, nec postea cõtigisse. Nos autẽ in diuinis libris legimus etiã solem ipsum & *Iosue 10. 4. Reg. 10. & Isa 38.* Lunã stetisse, petente hoc à Deo, Iosue, donec certũ pręliũ victoria terminaret: & retrorsum abiisse, vt regi Ezechiæ ad viuendũ anni 15. additi, hoc etiam prodigio promissione Dei significarentur adiuncti. Sed ista quoq; miracula, quæ meritis scimus cõcessa Sãctorũ, quãdo credũt isti facta, magicis artibus tribuunt. Sicut est illud, quod dixit Virgilius,

Virgilius. *Sistere aquam fluuiis, & vertere sydera retrò.*

Nam fluuium stetisse superiùs, inferiusque fluxisse, cùm Hebræi, duce Iosue trãsirent Iordanẽ; & retrouersum fuisse solẽ, regnãte Ezechia, in *Iosue 3.* sacris literis legimus. Quod autẽ de Lucifero scripsit Varro, nõ est illic dictũ alicui homini petenti id fuisse cõcessum. Hactenus ex B. Augusti.

Quæstio quinta de ætate Iacob post Rachelis mortem, & ortũ Ben- 20
iamin, vsque ad extremum eius diem. Dictum est paulò suprà, Iacob fuisse annorum circiter septem & centum, cùm natus est Beniamin. Eo ipso anno, aut proximè venditus est à fratribus Ioseph, ductúsque in Aegyptum: cuius Iacob, vt ipse putabat, interitum, per tres & viginti annos incõsolabili luxit mœrore. Hoc autem ita probatur: erat Ioseph sexdecim annorum cum est venditus, vt traditur Genesis 37. Sed natus fuerat anno primo & nonagesimo Iacob, vt suprà dictũ est: Ergo cùm Ioseph est venditus, agebat Iacob annum septimum, & centesimum: finem verò fecit lugendi Ioseph, cùm cognouit, eum viuere, & dominari in Aegypto, statímque profectus est in Aegyptum, annos natus cẽtum triginta, vt scriptum est Genes. 47. Isaac porrò mortuus est, cum Iacob ageret centesimum & vigesimum annum: siquidem Isaac vixit annos centum octoginta, Gen. 35. Sexagenarius autẽ genuerat Iacob & Esau, Genes. 25. Iacob post decem & septem annos, quàm ingressus fuerat Aegyptum, inibi mortuus est, exactis vitæ annis centum quadraginta septem,

septem, vt in hoc ipso capite 47. scriptum est. Reliquit filium suum Ioseph quinquaginta sex annorum: tot enim anni numerãtur à nonagesimo primo anno quo eum genuerat vsque ad centesimum quadragesimum septimum, quo mortalitatem ipse finiuit. Mors denique Iacob centum nonaginta octo annis præcessit egressum Hebræorũ ex Aegypto; ortum verò sancti viri Mosis, annis centum decem & octo. Hoc autem ex eo manifestum fit, quòd ab ingressu Iacob in Aegyptum, vsque ad egressum Hebræorum ex Aegypto suprà computauimus annos ducentos quindecim: Moyses autem octogenarius erat, cùm eduxit populum Hebræum ex Aegypto, vt proditum est in libro Exodi capite septimo. In ætatem porrò Iacob quam egit in Aegypto, incidit ortus sanctissimi Iob, qui admirabile fuit, omnique prædicandum æuo, patientiæ exemplum. Et quia super ætate Iob copiosè disputauimus supra in Tertia Disputatione super caput trigesimum sextum Geneseos, præcipuè verò ad numerum marginalem 23. idcirco eadem in hoc loco iterare superuacaneum esset.

Mors Iacob, quot annis præcesserit egressum Hebræorũ ex Aegypto, & ortũ Mosis.

QVARTA DISPVTATIO.

Cur Iacob tam curiosus & sollicitus fuerit sepulturæ corporis sui in terra Chanaam, & An id laudabile fuerit.

Super illis verbis,

Si inueni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub fœmore meo, & facies mihi misericordiam & veritatem, vt non sepelias me in Aegypto, sed dormiam cum patribus meis; & auferas me de terra hac, condásque me in sepulcro patrum meorum. VERS. 30.

21 DE cæremonia illa ponendi manum sub fœmore, amplissimè disputauimus in 3. Tomo super caput 24. Geneseos, ad numerum marginalem 8. Verùm quæri dignum est, cur tantopere cepiuerit Iacob sepeliri corpus suum in terra Chanaam. Duplex causa reddi potest, quarum altera est litera-
Theodoretus.
lis, altera verò est mystica. Litteralem causam Theodoretus huiusmodi reddit, Cur, inquit, mandauit Iacob sepeliri corpus suum in Hebron? Non quòd de sepultura valdè sollicitus esset, vt quidam putarunt, sed vt familiam suam consolaretur, & doceret, Deum illos omnes traducturum ex Aegypto, & datutum illis terram promissam. vnde postea idem dixit ipsi Ioseph: *En ego morior, & erit Deus vobiscum, reducétque vos in terram patrũ vestrorum.* *Genes 48.* Et Ioseph instante iam mortei, dixit fratribus suis: *Post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere faciet de terra quam iurauit Abrahã, Isaac, & Iacob. Cúmque adurasset eos, atque dixisset: Deus visitabit vos: asportate ossa mea vobiscum de loco isto, mortuus est, expletis centum decem vitæ* *Infra 50.*

Oleaſter. *ſuæ annis.* Sic Theodoretus. Placet mihi quod ſuper hoc loco, & ſuper eo quod nunc agimus, adnotauit Oleaſter: quod proprijs eius verbis hîc ponam. Dulcis eſt, inquit, adeo patriæ amor, vt non ſolùm viui eam deſidere mus, dũ abſumus, verùm etiam mortui, nõniſi in ea quodãmodo requieſcere nos putemus. Quòd ſi altiùs rem hanc cogitatione repetas, hinc cognoſces, quanti ſit ſolatij, animã eſſe in Iuſtorũ & Beatorũ ſocietate; cùm eis mortuis ſecundùm corpus ſociari, tantopere ab ijs viris deſideretur: Sic ille.

Auctor hiſtoriæ ſcholaſticæ. Aliam reddit ſanè permirã eiuſdẽ rei cauſam Auctor hiſtoriæ Scholaſticæ cap. 100. ſuper lib. Gen. hoc modo ſcribens: Cura fuit ſanctis illis ſepeliri in terra Chanaã, in qua ſciebãt Chriſtũ moriturũ & reſurrecturum, vt cum eo reſurgerent. Diſtat verò Abrahamium (id eſt, locus ille vbi ſepultus fuit Abrahã iuxta Hebron) à monte Caluariæ, triginta fermè milliaribus. Hæc ille. Hoc ipſum, ſed pluribus verbis tradit Lyranus. Non ſo-

Geneſ 35.

Lyranus. lùm, inquit Lyranus, propter Abrahã & Iſaac illic ſepultos, deſiderabat Iacob ibidem ſepeliri; ſed principaliter, quòd in illa terra redẽptio generis humani peragenda erat à Chriſto, qui in ea terra naſciturus, & conuerſaturus, & moriturus, & reſurrecturus erat: de quibus Iacob habuit fidẽ & notitiã aliquã. Forſitan etiã videbat in Spiritu, Chriſto reſurgẽte, multos de mortuis cũ eo reſurrecturos, de quorum numero etiam ſe fore ſperabat. Sic Lyranus. Thoſtatus autem non ſolùm idem refert, & approbat; ſed præterea illud adiungit, credi ab omnibus Catholicis, cùm Chriſtus reſurrexit à mortuis, vnà cum eo, tum alios, tum etiam ſanctum Patriarcham Iacob reſurrexiſſe.

S. Auguſt. ſignificare videtur rationem cur Iacob tanto ſtudio & cura teneretur ſepulturæ corporis ſui in terra Chanaam non eſſe petendam ex hiſtorico ſenſu, quem reddunt verba Iacob propriè accepta, ſed ex myſtico ſenſu, continente magnum quoddã myſterium verbis illis conuelatum atque opertum: id autem eſt huiuſmodi; Sepultura corporis mortui figurat remiſſionem peccatorum: in Scriptura etiam idem eſt peccata ſepeliri, & abſcondi, & tegi à Deo, atque remitti ab eo, ac deleri. Hoc videre eſt in illis verbis Dauidis Pſal. 31. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Ecce coniũguntur & conſociantur inter ſe, peccata remitti & tegi à Deo. Et Prouerb. 10. *Vniuerſa delicta operit caritas.* Iacob itaque tam ſtudiosè mandans ſepeliri corpus ſuum in terra Chanaam, propheticè ſignificauit remiſſionem peccatorum humani generis peractum iri à Chriſto in terra Chanaam per mortem, quam ibi ſubiturus erat. Ergo tantoperè deſiderare corpus ſuum ſepeliri in terra Chanaam propheticè deſignabat deſiderium remiſſionis peccatorum, & ſuorum atque vniuerſi generis humani præſtandam à Chriſto per mortem ſuam in ea terra obeundam. Et hæc quidem eſt ſumma ſententiæ ac diſputationis B. Auguſtini. Cuius verba, ne ea Lector deſideret, hîc ponam.

Auguſt. Sic autem ſcribit Auguſtinus in Quæſt. 161. in Gen. Quid ſibi velit, à tãto viro tã ſollicita corporis cõmẽdatio, vt nõ in Aegypto ſepeliatur, ſed in terra Chanaã iuxta patres ſuos, mirum videri poſſet, & quaſi abſurdũ,

nec

nec conueniens tantæ excellentiæ mentis propheticæ, si hæc ex hominũ consuetudine metiamur. Si autem in his omnibus sacramenta quæramus, maioris admirationis gaudium ipsi qui inuenerit, orietur; cadaueribus quippe mortuorum peccata significari in lege, non dubium est: iubentur enim homines post eorum qualemcumque cõtactum purificari. Et hinc ducta est illa sententia; *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tãgit illum, quid proficit lauatio eius? sic & qui ieiunat super peccata sua, & iterum ambulans hæc eadem facit.* Sepultura igitur mortuorum, remissionem significat peccatorum: eò namque pertinet quod dictum est: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Vbi ergo sepelienda erant hoc significãtia cadauera Patriarcharum, nisi in ea terra vbi ille crucifixus est, cuius sanguine est facta remissio peccatorum? mortibus enim Patriarcharum peccata hominum figurata sunt. Dicunt autem, ab eo loco quod Abrahamium vocatur, vbi sunt illa corpora, abesse locum vbi crucifixus est Dominus, ferè triginta miliaribus, vt etiam ipse numerus significari intelligatur qui in baptismo apparuit ferè triginta annorum; & si quid aliud de re tanta, vel hoc modo vel sublimiùs intelligi potest. Dummodò non frustra arbitremur tales ac tantos homines Dei tantam gessisse curam pro sepeliẽdis corporibus suis: cùm esse debeat Fidelium ista securias, vbicumque eorum corpora sepeliantur, vel insepulta etiam inimicorum rabie relinquantur; aut pro eorum libidine dilacerata absumantur, non ideo vel minùs integra, vel minùs glorioſa in eorũ resurectione futura. Hęc S. Augustin. Cuius ista expositio, vt sit vera, & pia, & docta, sicut profectò est; eã tamen mysticam esse potiùs, & allegoricam, quàm litteralem, vel nobis tacentibus, per se lector facilè anima aduertet. Neque enim recedẽdum est à propria significatione verborum, præsertim verò in historica narratione, nisi quid obstet aut veritati, aut pietati: quorum neutrum in verbis & mandatis Iacob de sepultura corporis sui ostendi potest. Cur enim Iacob etiam corporalem sepulturam sui cadaueris in terra Chanaã fieri potiùs, quàm in Aegypto vehementer cupiuerit, optima ratio, secundùm historicum sensum reddi potest: tum ea, quam à Theodoreto traditam suprà exposuimus, tum aliæ complures, quas infrà, cùm explanabimus illa verba Iacob, quæ sunt in c. 49. *Sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici:* afferemus.

Luc. 3.

Expẽditur interpretatio S. Augustini.

QVINTA DISPVTATIO.

An homini Christiano sepultura corporis sui, vel aliorum, valdè optanda, & solicitè curanda sit.

22 EX occasione superioris disputationis hæc in mediũ affertur: Sãctus Augustinus in lib. 1. de Ciuitate Dei, in cap. 12. & 13. satis accuratè super hac quæstione disseruit: cuius, si hoc loco distinctè, explicatéque sententiã exposuerimus, quod in hac disputatione proponitur, & quæritur, lectori planè cognitũ, exploratéq;

perceptũ erit Ac primò quidẽ Auguſt.doctè argumẽtatur, ſi vel neceſſi-
S. Auguſtin. probat ex priuatione ſepulturæ nihil homini accidere mali, nihilque boni adimi.
tate, quapiã, vel Infideliũ crudelitate ſepulturâ corpus priuandum ſit; nihil ob id quempiam mœrere, & dolere debere; quòd nihil in eo damni fiat, nihilque inde mali homini mortuo accidere queat. Ad id autem probandum, affert grauiſſimam illam Domini ſententiam, quam refert S. Lucas capite duodecimo: *Ne terreamini*, inquit Dominus, *ab his qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent amplius quid faciant. Oſtendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete*: Si quidquam igitur obeſſet futuræ vitæ, vel noceret ei qui mortuus eſt, quicquid inimici eius in corpus ipſius, quã tumuis crudeliter facerent, vel relinquendo inſepultum, vel cremando, vel in mare demergendo, vel vſquequaque diſcerpendo ac dilacerando, vel obijciendo feris deuorandum: Si hæc, inquam, æſtimari deberent mala & damna mortui, nequaquam de iſtis dixiſſet Dominus, iſtos poſt interitum hominis nihil amplius habere quod in eum facerent: haberent enim multa & magna in eum facere. Sed quia iſtorum omnium neque ſenſus vllus eſt in cadauere; neque quicquam attingit animam à corpore ſeparatam; idcirco veriſſimè dixit eos nihil ampliùs habere quod faciant. Nam quôcumque corpus proijciant, aut quocumque modo deſtruant ac diſſipent; nihil obeſt id futuræ corporum reſurrectioni: non enim poſſunt ea vel in nihilum redigere, vel extra ambitum & complexum Cœli proijcere, nec obſtare potentiæ Dei, qui totum præſentia ſua implens mundum, nouit vnde reſuſcitet quod creauit. 23

Locus Luc. cap. 12.

Deinde idem argumentatur Auguſtinus ex contrario. Si aliquid prodeſt, inquit, pretioſa ſepultura impio, oberit pio vilis, aut nulla. Præclaras profectò exequias in conſpectu hominum exhibuit purpurato illi diuiti turba famulorum: ſed multo clariores in conſpectu Domini vlceroſo illi pauperi miniſterium præbuit Angelorum: qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, ſed in Abrahæ gremium ſuſtulerunt. 24

Luca 16.

Ad hæc, idem ipſum confirmat Auguſtinus, ipſorum etiam Ethnicorũ teſtimonijs & ſententijs. Sepulturæ curam, inquit, etiam eorum Philoſophi contempſerunt; quinetiam ſæpe vniuerſi exercitus, dum pro terrena patria morerentur, alacres in eum profecti ſunt locum, vnde ſe numquam redituros ſcirent: & vbi poſtea iacerent, vel quibus beſtijs eſca fierent, minimè curauerunt, Verſiculus ille Mecœnatis in primis laudatus à Veteribus & celebratus eſt:

Mecænas.

Nec tumulum curo, ſepelit natura relictos.

Plinius. Plinius mirificè laudans, & vt maximè fortunatam ac felicem prædicans gentem Hyperboreorum; de eorum morte ac ſepultura ita ſcribit: Mors eis non niſi ſatietate vitæ; epulatis, delibutiſque ſenibus luxu, ex quadam rupe in mare ſalientibus. Hoc genus ſepulturæ beatiſſimum. Sic Plinius. Quòd ſi licuit poetæ cuidam, ingenti approbatione, plauſúque dicere;

Lucanus lib. 7

----Tabéſne cadauera ſoluat:
An rogus, haud refert; placido natura receptat.

Cuncta

Cuncta sinu.
---Capit omnia tellus
Quæ genuit. Cœlo tegitur, qui non habet vrnam.

Si hæc, inquam, magno plausu dixit poëta, quanto minùs debent infideles de corporibus insepultis insultare Christianis: quibus & ipsius carnis, membrorúmque omnium reformatio, non solùm ex terra, verùmetiá ex aliorum elementorum secretissimo sinu quò dilapsa cadauera recesserunt, in temporis puncto reddenda & redintegranda promittitur?

25 Postrema Beati Augustini ratio ad id probandum, huiusmodi est: Si ea quæ sustentandis viuentibus sunt necessaria, vt est victus & amictus, quáuis cum graui afflictione desint; non frangunt tamen in viris bonis perferendi tolerandíque virtutem, nec eradicant ex animo pietatẽ, sed exercitatam faciunt fœcundiorem; quanto magis, cùm desunt ea quæ curandis funeribus, condẽdisque corporibus defunctorum adhiberi solent, nõ eos efficiunt miseros, in occultis piorum sedibus iam quiescentes? Quando igitur ista cadaueribus Christianorum, vel in illa magnæ vrbis (Romæ) vel etiam aliorum oppidorum vastatione defuerunt; nec viuorum culpa fuit, qui non potuerunt ista præbere: nec pœna mortuorum qui nõ possunt ista sentire.

Verùm obijciet fortasse quispiam, in Scriptura priuationem sepulturæ defunctorum instar magnæ calamitatis atque infelicitatis commemorari: *Obiectio.* Sic enim est in psalmo septuagesimo octauo: *Posuerunt morticinia seruorũ tuorum escas volatilibus cœli, carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ. Effuderunt sanguinem eorum sicut aquam, in circuitu Hierusalem: & non erat qui sepeliret:* Sed ista commemoratio ad exaggerãdam potiùs crudelitatem eorum qui ista fecerunt pertinet, quàm ad declarandam infœlicitatem eorum qui ista perpessi sunt. *Solutio.* Quamuis enim hæc in conspectu hominum dura & dira videantur, sed pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius est. Proinde, inquit Augustinus, omnia ista, id est curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis sunt viuorum solatia, quàm subsidia mortuorum. *Psal. 115.*

26 Atenimverò, si facultas suppetat sepeliendi corpora defunctorum, maximéque Iustorum atque Fidelium, quibus, tanquam organis & vasis, ad omnia bona opera Spiritus Sanctus est vsus, eorum nullo modo contemnẽda & abijcienda est sepultura. Hoc Aug. probat quatuor argumẽtis: primóque argumentatur, vt vocant à minori ad maius, hoc modo: Si paterna vestis & annulus, aut si quid aliud huiùsmodi est, tanto carius est posteris, quanto maior erga parentes fuit affectus; nequaquam profectò spernenda sunt corpora, quæ multo vtique familiariùs, atque coniunctiùs, quàm quælibet indumenta gestamus. Hæc enim non ad ornamentum, vel adiutorium, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent.

Deinde, hoc ipsum patet exemplo priscorum Sanctorum, quorum funera in Sacris literis legimus, officiosa pietate curata esse, exequiásque magnificè celebratas, prouisámque sepulturam. Quinetiam ipsimet San-

cti viri, dum viuerent, de sepeliendis vel etiam transferendis suis corporibus, grauissima dedere mandata filijs suis, iure iurando etiam ad id faciendum obstrictis: vt de Iacob traditur Genes. 47. & 49. & item de Ioseph Genes. 50. Quid quòd Tobias insigni pietate sepeliendi mortuos, Deũ promeruisse, teste Angelo, commendatur? Et in Euangelio laudabiliter commendantur, qui corpus Domini de cruce depositum, honorificè tegendum, & sepeliendum curarunt. Sedenim supradictis vel argumentis, vel exemplis non id probatur, quòd insit vllus cadaueribus sensus: sed illud declaratur, ad Dei prouidentiam pertinere mortuorum quoque corpora; eíque placere talia pietatis officia, propter fidem Resurrectionis astruendam. Quod si neque apud Deum perit quodcumque examinis hominum membris officium, diligentiáque persoluitur: quantam fore apud Deum putamus remunerationem pro eleemosynis, quas viuentibus & sentientibus exhibemus? Sed pergamus ad alia. De tanto studio & cura Iacob circa sepulturam sui corporis, egregiam Ruperti rationem vide infrà ad numerum marginalem. 29.

Tob. 12.
Ioan. 19.

SEXTA DISPVTATIO.

De discrepantia lectionis Græcæ septuaginta Interpretum, à Latina, Chaldaica & Hebraica lectione.

Super illis verbis,

VERS. vlt. Adorauit Israel Deum, conuersus ad lectuli caput.

QVAM sententiam habet loco Latina translatio, eandem prorsus habet Paraphrasis Chaldaica & scriptura Hebraica: at Editio Græca Septuaginta Interpretum, longè diuersam continet sententiam. De hac igitur discrepantia & dissonantia disputationem hanc instituimus: in qua primò expendemus germanam sententiam Latinæ lectionis; tum de diuersitate lectionis Græcè disseremus. Quænam igitur est illorum verborum sententia: *Adorauit Israel Deum, conuersus ad lectuli caput?* Caietanus sic interpretatur: Senex Iacob, ait Caietanus, in lectulo iacens, super caput lectuli se incuruauit, vel iuxta lectulum sedens, surrexit, & non incuruauit se super terram, quoniam difficile hoc erat seni, sed incuruauit se super caput lecti, gratias Deo agens. Oleaster hunc ipsum exponens locum, Crediderim, inquit, senem incuruasse se super ceruical, quod erat ad caput lectuli, & gratias Deo egisse, quòd adeptus esset id quod maximè cupiebat, vt sepeliretur in terra & sepulcro patrũ suorum. Et dictio Hebraica *Mittah* est à *Natah*, quod est extendere: & significat lectum: vel quòd in eo extendatur homo iacens, vel quòd lectisternia extendantur. Lyranus & Thostatus sic exponunt: Iacob adoraturus Deum, conuertit se ad orientem, videlicet versus terram Chanaam, quæ respectu Ægypti erat Orientalis,

27

Caietanus.
Oleaster.
Lyranus.
Thostatus.

Orientalis,vetustissimus enim mos erat piorum hominum,adorare Deũ, conuersos ad orientem. Sic nempe religiosi Iudæi orabant post factum templum Salomonis,spectantes terram Chanaam,& locum Hierusalem: ídque vbicumque locorum essent,in remotissimis etiam regionibus,vt patet ex cap.6.Danielis. Hoc porrò inde natum est,quòd Salomon,vbi tẽplum ædificauit,suppliciter atque obnixè rogauit Deum,vt si Iudæi apud exteras & longinquas nationes manentes,conuerterent se versus illud tẽplum ad supplicandum Deo,ipse preces eorũ exaudiret, votísque annueret; vt scriptum est in 3.lib. Regum,cap.8. In deserto autem post factum Tabernaculum, locus in quo Hebræi orabant,non erat versus orientem, sed contra occidentem,vt colligitur ex cap.26.Exodi,& 16.Leuitici. Sic ísti. Verum multo antiquior istis Sanctus Hieronymus, in Traditionibus Hebraicis in Genesim,ita locum hunc interpretatur; Sanctus,& Deo dilectus vir Iacob, oppressus senectute,sic habebat lectulum positum vt ipse iacentis habitus absque difficultate vlla ad orationem esset paratus. *S.Hieron.*

Quid autem adorauerit Iacob,quinque reperio apud Auctores interpretationes. Prima est, istiusmodi adorationem Iacob factam esse in honorem Ioseph, eo quòd summum in Ægypto magistratum atque principatum gereret: atque ita censent completum fuisse somnium Ioseph, in quo visus erat Sol adorare ipsum. Debere autem parentes, cùm priuatam agunt vitam, honore cedere filijs suis, publico magistratu atque imperio fungentibus, eruditam Aulus Gellius refert disputationem Tauri Philosophi. Secunda expositio quorundam est Hebræorum,aientium,Iacob ea adoratione vsum esse in reuerentiam Diuinitatis in omni loco præsentis, sed quam ipsi præcipuè ad caput ægrotantis in lecto assistere superstitiosè opinantur. Tertia,hoc loco verbum adorandi positum esse pro collaudare,& gratias agere, qua significatione non rarò in scriptura vsurpatur. Vt sit sensus, Iacob pro eo quod impetrauerat à Ioseph vt se in sepulcro Maiorum suorum conderet, collaudasse eum, atque ei gratias egisse. Et hunc sensum expressit Thargum Hierosolymitanum; sic enim habet. Et laudauit,siue gratias egit Israël super caput lectuli. Quarta: nonnulli existimant,adorationem esse factam à Iacob,ob religionem iuramẽti à filio suo Ioseph præstiti; quòd in iure iurando Dei cõtestatio & inuocatio fieret. Quinta expositio,nec desunt,qui *adorandi* verbum,hoc in loco accipiant& exponãt pro eo quod est simpliciter inclinare,vel incuruarẽ corpus; quòd adorantes caput inclinare & corpus incuruare solerent: Vt sit hic sensus; Iacob senio confectus,morbóque grauatus, ob longum cum Iosepho sermonem habitum defatigatus, se rursus ad caput lectuli, requiem captaturus,reclinauit. Hanc certè interpretationem secuta est noua translatio,quam habet & interpretatur Vatablus. Sic enim vertit hunc locum: *Inclinauit ergo Israel versus caput lectuli:* Harum porrò quinque expositionum mihi quidem tertia & quarta præ ceteris probantur. *Quinque expositiones huius loci. Genesis 27.* *A.Gel.l.2.c.2.* *Vatablus.*

28 Cur autẽ Iacob tanto studio & cura petierit à filio suo Ioseph sepeliri corpus suum in terra Chanaam,vbi erat sepulcrum Maiorum suorum;

neque

neque contentus fuerit simplici affirmatione, vel promissione Ioseph, sed voluerit eum iure iurando firmare quod promittebat; huius, inquam, rei egregiam Rupertus in libr. 9. Commentariorum in Genesim, cap. 21. rationem reddit huiusmodi: Num, inquit, Iacob iurare iussit Ioseph, tanquã eius obedientiæ diffisus, nec aliter securus promissionis eius? Non vtique sic, sed rationem in eius ore ponere voluit, quam in transferendo patris corpore haberet coram Pharaone & seruis eius, compendio dicens: *Pater meus adiurauit me*: atque ita suspicionem fugeret, ne alienum ab amore Teræ Ægypti videretur animum gerere. Sed cur tantus Patriarcha ciuis Cœli, cui viuenti totus mundus exilium fuit, tantoperè de corpore suo curauit, valdè sollicitus, quo loco puluis in puluerem, & cinis in cinerem reuerteretur? videlicet, quòd Terra promissionis donum erat Dei, qui eã terram daturum se posteris eius, & sibi, & Maioribus suis sæpiùs promiserat. Donum autem Dei, quale cumque sit, siue magnum, siue paruum; siue cœleste, siue terrenum; pro honore atque charitate dantis pretiosum est, & debet esse in oculis sapientis. Si ergo moribundus Iacob promissiones terræ quas acceperat, tanta cum gratiarum actione veneratus est, vt saltẽ mortuo corpore illam tenere cuperet: quanto magis viui possessores curare debuerunt, si qui in ea terra viuerent, vt non iratus Deus donum suũ ingratis rursus auferret? Exemplum enim viuis mortuus dedit, vt in spe patriæ cœlestis pignus amarent æternæ hæreditatis. Sic Rupertus.

Rupertus.

Genes. 50.

Et hactenus quidem explicatio est Latinorum verborum: *Adorauit Israel Deum, conuersus ad lectuli caput*, quam Lectionem memorat Sanctus Augustinus, nec parum eam probat & laudat, cùm ait, secundùm eã lectionem, nihil esse loci quæstioni, cùm ea planissimam habeat sententiam. Sic enim scribit, tractando quæst. 162. in Genes. In Hebræo facillima huius quæstionis absolutio esse dicitur, vbi sic scriptum perhibent: *Et adorauit Israel ad caput lecti*: in quo vtique lecto senex iacebat, & ita positum habebat, vt in eo, sine labore, quando vellet, orare posset. Nec ideo tamen quod Septuaginta interpretati sunt, nullum, vel leuem sensum habere putandum est. Hæc Augustinus. 29

August.

Sequitur, vt deinceps Græcam lectionem, notabiliter discrepantem à Latina, Chaldaica, & Hebraica excutiamus, ac diligenter expendamus. Ea verò sic habet: *Adorauit Israel super summitatem virgæ eius*: quanquam super ista lectione variabant tempore Hieronymi & Augustini Codices Latini continentes translationem lxx. Interpretum Latinè redditam. S. Hieronymus sic legit: *Adorauit contra summitatem virgæ eius*: S. Augustinus ait variè legi, vel in, vel ad, vel super: & item vel summitatem, vel fastigiũ, vel caput, vel cacumen virgæ. Et præterea pronomen illud *eius* in emendatis codicibus legi *suæ*: nam Græcè αὐτοῦ si leni spiritu scribatur, significat eius vel illius: sin autem spiritu aspero scribatur αὑτοῦ significat, sui, idem valens atque ἑαυτοῦ. 30

S. Hieronym.

Ponam hîc verba B. Augustini ex tractatu quæst. 162. in Genes. quę sunt huiusmodi: Quod habẽt Latini codices: *Et adorauit super caput virgæ eius*: nonnulli codices emendatiùs habent *super caput virgæ suæ*: vel in capite

pite virgæ suæ, vel in cacumine, vel super cacumen. Fallit enim eos verbum Græcum, quod eisdem literis scribitur, siue *eius*, siue *suæ*: sed accentus (vel potiùs spiritus) dispares sunt, & ab eis qui ista nouerunt, non contemnuntur. valent enim ad magnam discretionem: quamuis & vnam plus literâ habere posset, si esset *suæ*, vt non esset αὐτοῦ sed ἑαυτοῦ. Ac per hoc meritò quæritur, quid sit quod dictum est. Nam si legamus *suæ*, facilè intelligitur, senem, qui virgam ferebat eo more, quo illa ætas baculum solet, vt se inclinauit ad Deum adorandum, id vtique fecisse super cacumen virgę suę, quam sic ferebat, vt super eam caput inclinando adoraret Deũ. Sed quid est: *Adorauit super cacumen virgæ eius*: id est, filij sui Ioseph? An fortè tulerat ab eo virgam, quando ei iurabat Ioseph: & dum eam tenet, post verba iurantis nondum illa reddita, mox adorauit Deum. non enim pudebat eum ferre tantisper insigne filij sui, vbi figura magnæ rei futuræ præsignabatur. Sic Augustinus. *S. Augusti.*

31 Ergo pro varietate illius pronominis *eius* vel *suæ* triplex intellectus Græcę lectionis existit: vel quòd Iacob virga sua nixus adorauerit Deum, vel quòd sumpta virga Ioseph, quam is gerebat ceu insigne sui Magistratus, super eius fastigium inclinans se, Iacob, adorauit non Ioseph, sed Deũ; & hanc interpretationem sequitur Augustinus. vel quòd osculando fastigium virgæ Ioseph ipsum adorauerit, id est, reuerenter honorauerit, vt primarium Aegypti Rectorem & Principem, atque ita completum fuerit somnium eius, in quo visus fuerat sol adorare eum. Et hunc quidẽ intellectum lectionis Græcæ secuti sunt Chrysostomus & Theodoretus. Ille quidem in Homilia sexagesima sexta in Genesim, explanans hæc ipsa verba: *Adorauit Israel ad fastigium virgæ illius*, hunc in modum scribit: Vide decrepitum Patriarcham adoratione sua honorem exhibere filio suo Ioseph, & re ipsa implere visionis eius euentum. Viderat enim solem, & Lunam, (quæ significabãt patrẽ & matrem eius) adorare se. Verùm dicat quispiam, Quomodo mater adorauit eum, quæ iampridem defuncta fuerat? Sedenim perpetuus Scripturæ mos est, à magis principali totum significare. Quoniam igitur caput mulieris est vir, cùm caput adorauit, etiã totum corpus & hac ratione attigit; & sine dubio si vixisset illa, multo magis etiam adorasset illum. Hæc Chrysostomus. Cui simile Theodoretus, in Tractatu quæstionis centesimæ octauæ, ita scribens: Iacob cùm esset senex & infirmus, decumbebat in lecto: sed vbi filium aduentare audiuit, surgens sedit, & baculo nitebatur: dextráque apprehendens summitatem eius, & vultum conuertens versus filium, promissione de sepultura sui corporis à filio sibi facta, adorauit, inclinans caput ad virgam. Atque ita completum est somnium Ioseph, in quo viderat, Solem, & Lunã, & vndecim stellas adorare se. Sic Theodoretus. Nec discrepat Procopius. addens, in adorando virgam Ioseph, adorasse Iacob regnum Christi per illam virgam præfiguratum: multis enim rebus insignem Christi figuram atque imaginem prætulit Ioseph. *Heneſ. 37.* *Chryſoſtomus.* *1. Cor. 11.* *Theodoretus.* *Procopius Gazæus.*

32 In actis præterea secũdæ Synodi Nicenæ est Hadriani Papæ Epistola ad Constantinum & Irenen, in qua Pontifex docet non esse inhærendũ *Adrianus Papa.*

picturarum & imaginum coloribus, sed animum dirigi oportere in prototypa: idque probat exẽplo Iacob; qui virgam Ioseph adorãs, non ipsam virgam, sed cuius erat, filium suum Ioseph spectabat. In eodem Concilio ex Leontij libro quinto Apologiæ aduersus Iudæos profertur fragmentũ quoddam, in quo vindicat ille Christianos Imaginum veneratores ab Idololatriæ scelere, exemplo simul & argumento Iacob Patriarchæ, qui virgam Ioseph filij sui adorans, non virgæ, sed filio eum tribuit honorem. Quid plura? Sanctus Paulus in capite vndecimo Epistolæ quam scripsit ad Hebræos, locum hunc Geneseos secundùm interpretationem lxx. Interpretum, citans maximam ei interpretationi fidem, & auctoritatem, addidit: Apostoli verba hæc sunt: *Fide Iacob moriens singulos filiorum Ioseph benedixit: & adorauit fastigium virgæ eius.*

Leontius.

Locus Pauli ad Hebræos cap. 11.

Tanta porrò diuersitas Græcæ lectionis à Latina, ex ambiguitate vocis Hebrææ nata est: ea namque per se ac præcisè sumpta, id est, punctis (quæ vicem præstant vocalium) indistincta, ambigua atque indifferens est ad significandum lectum, & virgam; pro varietate enim punctorum, quibus notatur, contrahitur ad propriè significandum, aut virgam tantummodò, aut lectum. Si enim scribatur *Matteh*, significat virgam: sin autẽ *Mittah*, significat lectum: priorem itaque significationem eius vocis secuti sunt lxx. Interpretes; posteriorem verò Latinus Interpres; sed paulo interuallo post, initio proximè sequentis capitis 48. eandem ipsam vocem Hebręam ipsimet Septuaginta interpretati sunt *lectum*.

Vnde nata sit diuersitas lectionis Latinæ, & Græcæ.

Sedenim B. Hieronymus in traditionibus Hebraicis in Geneſim, lectionem hanc lxx. Interpretum improbare videtur. Cùm enim memorasset eam hisce verbis: *Adorauit Israël contra summitatem virgæ eius*, subdit: Et in hoc loco quidam frustrà simulant, adorasse Iacob summitatem sceptri Ioseph, quòd videlicet honorans filium potestatem eius adorauerit: cùm tamen in Hebræo multo aliter legatur, sic nimirum: *Et adorauit Israel ad caput lectuli*, & paulò pòst S. Hieronymus referens lectionem illam lxx. Interpretũ, quæ est initio capit. 48. *Et confortatus Israël sedit super lectulũ*, subiungit hanc causam; Cur lxx. Interpretes idem verbũ Hebræum aliter paulò supra, & aliter hîc ediderint, nescio: hoc autem audacter dico, quòd ipsum verbum *mittah* quod ipsi hoc loco in lectulum transtulerũt, suprà, vbi dictum est Iacob adorasse virgam potiùs quàm lectulum nominauerunt. Sic B. Hieronymus.

S. Hieronimus Excutitur animaduersio S. Hieronymi in septuaginta interpretationẽ huius loci.

Verùmenimuerò, si vox Hebræa sine punctis sumpta, vtriusque significationis, vt suprà ostensum est, capax est, nescio cur tantoperè miratus sit S. Hieronymus, conuertisse eam vocem lxx. Interpretes aliquando in virgam, & aliquando in lectum: nec video cur potiùs hoc loco in lectum verti debuerit, quàm in virgam, siquidem sine punctis ea vox & scripta est à Mose, & lecta est à Septuaginta, quinetiam à Hieronymo: vsus enim punctorum post eius ætatem inoleuisse videtur. Et verò auctoritas B. Pauli vtentis lectione lxx. Interpretum, multo præponderat auctoritatem Hieronymi, cogítque sentire lectionem illã Septuaginta verissimã esse.

Cęterum nec dissimulare possum hoc loco, nec satis admirari confi-

dentiam,

dentiam,& audaciam Eugubini,quem ſecutus eſt Lippomanus, qui non eſt veritus dicere,Septuaginta,vocis Hebrææ deceptos ambiguitate, falſam hoc loco ſententiam reddidiſſe:audi ipſum:Septuaginta,inquit,æqui uocatione decepti ſunt.Nam eadem dictio ſine punctorum diſtinctione, & lectum,& baculum ſignificat:at ſi punctis diſtinguatur,nihil ambiguitati relinquitur loci.Si enim ſcribatur *mittah*,ſignificat lectum;ſin autem *matteh* baculum. Ergo cum hîc vertendum eſſet *ad caput lectuli*, ipſi *ad caput virgæ*,iuterpretati ſunt:quod quàm abſurdum, & non intelligibile ſit,ſatis eſt clarum.Eſſetque id mirum, niſi alia huiuſmodi penè infinita in eorum tranſlatione occurrerent.Sic iſte.

Iuſta reprehenſio Eugubini, Lippomanus.

At non ſic Auguſtinus,qui etſi laudauit Hebraicam lectionem,proximè tamen adiunxit,non ideo putandum eſſe,quod interpretati ſunt Septuaginta,aut nullum aut leuem habere ſenſum. Quantæ porrò temeritatis eſt,duos illos & lxx.Interpretes,viros nempe ſapientiſſimos,tot præterea Patres,qui eorum interpretationem ſecuti ſunt, reuerendæ profecto vetuſtatis,admirandæque doctrinæ,ac venerandæ ſanctitatis,ab vno Eugubino,imprudentiæ atque inſcitiæ damnari? Saltem cohibuiſſet eũ auctoritas B.Pauli,interpretationem illam Septuaginta vſurpãtis in commendationem fidei Iacob; niſi fortè non putauit Eugubinus epiſtolam illam ad Hebræos eſſe Pauli,aut ſcriptoris Canonici;aut certè nõ animaduertens hoc:per incogitantiam,atque oſcitantiam, præcipitauit iudicium & ſententiam ſuam in lxx. Interpretes. Si enim vox Hebræa ſine punctis, vt fatetur ipſe,indifferenter ſignificat lectum & virgam; ſine punctis autem legerunt eam Septuaginta Interpretes, cur eos dicit eſſe deceptos, quòd virgam potius hoc loco,quàm lectum tranſtulerunt, cùm vtralibet ſignificatio ad hunc locum Geneſis bellè quadret?

S. Auguſt.

Ad Heb 11.

Obiectio,& obiectionis ſolutio obſeruãda.

35 Sedenim non eſt leue,nec pro nihilo ducendum, quod poſſet contrà ſententiam hanc obijci. Cùm enim aliud ſit adoraſſe Iacob ſuper caput lecti,& aliud eum adoraſſe ſuper virgam Ioſeph,nec potuerit vtrumque ſimul feciſſe Iacob,ſed alterutrũ tantummodò:cùm ſic,inquam,res habeat,neceſſe profectò eſt alterutram lectionem huius loci,id eſt, vel Græcam,vel Latinam eſſe falſam.Verùm non ita eſt:vtraque enim lectio vera eſt,& vtrumque factum eſt à Iacob. Poſtquam enim Ioſeph iurans cum inuocatione & conteſtatione nominis Dei, promiſiſſet patri ſuo Iacob, quod de ſepultura corporis ſui ab ipſo petierat;Iacob prehendens virgam de manu Ioſeph,& conuertens ſe ad caput lecti paululum inclinans corpus ac demittens caput ſuper virgam,adorauit;vel Deum,gratias ei agẽs quod voti ſui compos eſſet factus,vel adorauit,id eſt,extrema illa corporis inclinatione, ac colliſione honorauit filiũ ſuum Ioſeph propter ſupremam dignitatẽ & poteſtatem eius in Aegypto, & propter optatiſſimam, atque gratiſſimam ſibi datam ab eo promiſſionem. Vtrumque igitur fecit Iacob:nam & vertit ſe ad caput lecti, & inclinauit ſuper virgam Ioſeph: huius autem facti partim expreſſit Latina lectio,illud nimirum, de conuerſione ad caput lecti;partim expreſſit Græca tranſlatio, illud videlicet de adoratione Iacob ſuper faſtigiũ virgæ Ioſeph. Totum itaque factum

illud Iacob, per vtramque lectionem coniunctè sumptam integrè ac plenè declaratur.

Excutitur documentũ quoddam S Hieronymi.

In extremo huius disputationis loco videtur adnotandum, ex eo quod 36
Sanctus Paulus hunc locum Geneſis citauit in Epistola ad Hebræos, non vt erat in Scriptura Hebraica, sed vt eùm verterunt lxx. Interpretes, manifestum esse, non perpetuò verum esse documentum illud quod tradidit S. Hieronymus in Epist. centesima quinquagesima prima, quam scripsit ad Algasiam, in Responsione ad secundam eius quæstionem, huiusmodi verbis: Vbicũque de veteri instrumento Euangelistæ, & Apostoli testimonia protulerunt; diligentiùs obseruandum est, non eos verba secutos esse, sed sensum, & vbi Septuaginta ab Hebraico discrepant, Hebræum sensum suis expressisse sermonibus. Sic B. Hieronymus.

At enim in quo discrepat hoc loco, vt vult Hieronymus, translatio Septuaginta ab Hebraica Scriptura; Apostolus Paulus non Hebraicam, sed Græcam lectionem lxx. citauit. Non me fugit afferri posse ad defensionẽ illius documenti, quod idem ipse Hieronymus scripsit in Traditionibus Heb. in Gen. super caput 46. his verbis; Illud generaliter obseruandũ est, quòd vbicunque Sancti Apostoli aut Apostolici viri loquuntur ad populos, ijs plerunque testimonijs abutuntur, quæ iã fuerant in Gentibus diuulgata, videlicet per translationem Septuaginta interpretum. Hæc S. Hieronymus. Sed hoc Hieronymi præceptum vel monitum non habet hîc locum: non enim Apostolus in concione ad populum, sed in Epistola grauissima, & doctissima ad Hebræos scripta, citauit testimonium illud ex libro Geneſis, non secundùm Hebraicam, sed secundùm lectionem Septuaginta. Quanquam si, vt res est, loqui volumus, nec Paulus, nec Septuaginta in eo loco Geneſis à sententia Scripturæ Hebraicæ discessêrunt, ac discreparunt. Vox enim Hebræa, vt suprà dictum est, per se ac sine punctis scripta ambigua est, & capax vtriusque sententiæ, tam eius quam reddidit Latina translatio, quàm eius quæ per Græcam expressa est.

***

BENE

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA IN CAPVT QVADRAGESIMVM OCTAVVM GENESIS.

ARGVMENTVM.

Iacob, iam morti proximus, duos Ioseph filios, Ephraim & Manassen sibi adoptat filios: quibus benedicens, Ephraim præposuit Manasse, & partem quandam hæreditatis, extra communem partem filiorum, donauit Ioseph.

His ita transactis, nunciatum est Ioseph, quòd ægrotaret pater suus: qui assumptis duobus filijs Manasse & Ephraim, ire perrexit. Dictúmque est seni: Ecce filius tuus Ioseph venit ad te. Qui confortatus sedit in lectulo. Et ingresso ad se ait: Deus omnipotens apparuit mihi in Luza quæ est in Terra Chanaam. Benedixítque mihi, & ait: Ego te augebo & multiplicabo, & faciam te in turbas populorum: daboque tibi terram hanc, & semini tuo post te in possessionem sempiternam. Duo ergo filij tui, qui nati sunt in terra Ægypti, antequam venirem ad te, mei erunt, Ephraim & Manasses, sicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi. Reliquos autem quos genueris post eos, tui erunt, & nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis. Mihi enim, quando veniebã de Mesopotamia, mortua est Rachel in terra Chanaan in ipso iti-

1 2 3 4 5 6 7

nere,erátque vernum tempus,& ingrediebar Ephratam,& sepeliui eam iuxta viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur
8 Bethlehem. Videns autem filios eius,dixit ad eum: Qui sunt
9 isti?Respondit; Filij mei sunt,quos donauit mihi Deus in hoc
10 loco. Adduc,inquit,eos ad me,benedicam illis. Oculi enim Israel caligabant præ nimia senectute:& clarè videre non poterat. Applicitóque ad se deosculatus & complexus eos,dixit
11 ad filium suum:Non sum fraudatus aspectu tuo:insuper osten
12 dit mihi Deus semen tuum. Cúmque tulisset eos Ioseph de
13 gremio patris, adorauit pronus in terram. Et posuit Ephraim ad dexteram suam,id est,ad siniſtram Israel:Manasſen verò in siniſtra sua,ad dexteram scilicet patris,applicuítque ambos ad
14 eum. Qui extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim minoris fratris:siniſtram autem super caput Manas-
15 se, qui maior natu erat,commutans manus. Benedixítque Iacob filios Ioseph,& ait:Deus,in cuius conspectu ambulauerũt patres mei Abrahã & Isaac,Deus qui pascit me ab adolescen-
16 tia mea vsque in præsentem diem: Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis:& inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham & Isaac,& crescant in multitudinem super terram. Videns au-
17 tem Ioseph, quòd posuisset pater suus dexteram manum super caput Ephraim, grauiter accepit:& apprehensam manum patris leuare conatus est de capite Ephraim, & transferre su-
18 per caput Manasse. Dixítque ad patrem:Non ita conuenit,pater, quia hic primogenitus: pone dexteram tuam super caput
19 eius. Qui renuens,ait: Scio fili mi, scio: & iste quidem erit in populos, & multiplicabitur: sed frater eius minor, maior erit illo,& semen illius crescet in gentes. Benedixítque eis in tem-
20 pore illo dicens; In te benedicetur Israel atque dicetur: Fa-
21 ciat tibi Deus sicut Ephraim, & sicut Manasse. Constituítque Ephraim ante Manasſen: Et ait ad Ioseph filium suum: Ego morior, & erit Deus vobiscum, reducétque vos ad
22 terram patrum vestrorum. Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quã tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.

PRIMA

PRIMA DISPVTATIO.

Super illis verbis,

Qui extendens manum dexterã, posuit super caput Ephraim minoris fratris: sinistram autem super caput Manasse, qui maior natu erat, commutans manum. VERS. 14.

1 HÆc Disputatio duarum quæstionum tractationem continet. Ac primò quidem Theodoretus annotauit in veteri Testamento, immò etiam ab initio vsque mundi, apud priscos illos atque insignes viros, ferè minores natu filios maioribus fuisse antepositos. Animaduertendum est, inquit Theodoretus, passim Primogenitis præferri natu posteriores: etenim ipsi Cain præpositus est Abel, & ipsi Iaphet antepositus est Sem, cũ hic esset secundus, & Ismaëli prælatus est Isaac, & ipsi Esau antelatus est Iacob, & Iudas atque Ioseph antepositi sunt ipsi Ruben: & Ephraim cõstitutus est ante Manassem, Moyses quoque prælatus est Aaroni, & Dauid septem fratribus, licèt omnium esset postremus natu. Sic Theodoretus.

Theodoretus in quæst. 108. in Genesim.

1. Reg. 16.

Prima quæst.

Verùm quæritur, cur ita factum sit, & permutatus ordo naturalis. Nõ sanè ob illorum hominum mala vel bona merita: nihil dum enim Iacob & Esau boni vel mali egerant, immò nondum nati erant, de quibus tamen dictum est à Deo: *Maior seruiet minori.* Nec de Manasse & Ephraim id potest dici, nihil enim de istis, vel insignis boni vel mali proditum est, vt ob id præferri alter deberet alteri. Immò verò posteritas & tribus Ephraim, non solùm peior fuit tribu Manasse, verum etiam Idololatriæ impietate alias tribus superauit; vt in qua post discessionem decem tribuum à tribu Iuda, idololatriæ scelus maximè viguit ac regnauit. Ex hac nempe tribu prodiit Draco ille, primúsque inuentor, & auctor publicæ Idololatriæ in Israel, Rex Ieroboam: cuius illud in Scriptura perpetuum est insigne, atq; elogiũ; *Qui peccare fecit Israel*, ardẽs enim insanare gnandi libidine, nihil humani diuiníque pensi habens, primus in Dei populo publicæ idololatriæ architectus fuit, cuius deinceps, qui insecuti sunt reges, impietatẽ sequuti sunt, sceleribus scelera cumulãtes. Huius inauspicatũ regnũ Israelitis fuit maximarũ cladium & calamitatũ, supremíq; causa excidij. Ipsa porrò tribus Ephraim propter Idololatriã, aliáq; scelera adeo inuisa Deo fuit, execratáque sanctis viris, vt ob id credant nonnulli, Beatum Ioannem in Apocalypsi capite septimo, in commemorando Prædestinatos viros ex singulis tribubus populi Hebræi, tacitam præteriisse tribum Ephraim. Et illud auget admirationem, quòd cùm Ephraim præpositus à Iacob fuerit, ipsi Manasse, Beatus tamen Ioannes eo loci cùm propriè expresséque posuisset tribũ Manasse, adiunxit ibidem tribũ Ephraim,

Genes. 25. & ad Roman. 9.

non

non tamen sub nomine Ephraim, sed sub nomine patris eius Ioseph: cuius sanè propria in populo Hebræo nulla fuit præter filiorũ eius Ephraim & Manasse, tribus; hinc igitur apparet, translationem primogenituræ à prioribus filiis ad posteriores non ob maiora aliorum præ aliis mala, bonáve merita esse factam.

Quadruplex mysterium.

Cur igitur id factum est? videlicet vt ea re quadruplex adumbraretur & significaretur mysterium. Primum fuit diuinæ electionis hominum ad gratiam, & ad vitam æternam, quam electionem nullo eorum hominum proprio merito, vel naturali, vel morali fieri, sed gratuitò proficiscí ex benignitate, ac mera Dei voluntate, copiosè, grauiter, doctéq; disputat Apostolus in cap. 9. eius, quam ad Romanos scripsit, epistolæ. Alterum mysterium fuit, vt ea ratione significaretur quàm diuersa sint Dei iudicia hominum iudiciis ac sententiis, vt verè in Scriptura dixerit Dominus, cogitationes suas non esse sicut cogitationes vestras, nec vias suas esse sicut vias hominũ. Cuius rei perillustre habes exemplum in Dauide: qui natu minimus omnium fratrum cùm esset, ipse tamen à Deo, posthabitis cęteris omnibus, electus est Rex populi. Itaque cum Samuel iussisset venire ad se omnes filios Isai, & venisset primus natu Eliab, putans eum designatum fuisse à Deo, Samuel dixit: *Num coram Domino est Christus eius?* Sed respõdit Dominus Samueli: *Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius: quoniam abieci eum. Nec iuxta intuitum hominis ego iudico: Homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Tertium mysterium, vt sic prænotaretur fore vt Gentilitas, quæ posterior ad veri Dei cultum & gratiam vocata est, præponenda esset Hebræo populo, qui tanto antè à Deo vocatus, & electus fuerat, & idcirco Primogenitus Dei appellatus. Quartum mysteriũ fuit huiusmodi: sic præsignatum est id quod euenit in creatura intellectuali, quæ duplex est, Angelus & homo. Siquidẽ propter incarnationem Filij Dei, homo, qui nouissimus omniũ conditus fuerat prælatus est Angelo, qui primus fuerat creatus, secundùm illud Apostoli: *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.*

Isa 55.

Locus 1. Reg cap 16.

Locus Apost. ad Hebr c. 2.

Quinque modi translationum verum in signium ab vna persona ad aliam in scriptura percelebres.

Sciat porrò Lector, Translationem rei alicuius præstabilis admodum, atque insignis, vna ex persona ad aliam quinque modis esse factam, in sacris litteris reperiri. Prima translatio fuit Primogenituræ, è maiore filio ad minorem, vt Scriptura narrat de Esau & Iacob, Gen. 25. & 27. & item de Ephraim & Manasse, Gen. 48. Secunda translatio, fuit pontificalis dignitatis & potestatis, qualis facta est ab Abiathar ad Sadoc, vt scriptũ est in 3. Reg. cap. 2. Tertia trãslatio, fuit nuptialis connubij, qualem à regina Vasthi ad puellam Esther esse factam ab Assuero, traditur in lib. Esther c. 1. & 2. Quarta translatio, fuit Regalis solij & principatus, cuius memorabile extat in sacris litteris exemplum in Saul & Dauide: ab illo quippe ad hunc translatio regni, cur & quemadmodum facta sit, narratur in 1. Reg. cap. 15. & 16. Quinta translatio, fuit primariæ dignitatis & gratiæ & potestatis apud Regem, ab vna persona ad aliam: talem esse factam translationem ab Aman ad Mardochæum, in lib. Esther c. 6. & 8. proditũ est: Quænam porrò sub istis quinque Translationibus historicis operta

lateant

lateant mysteria, euoluit exponítque Thomas Anglicus in breuibus Commentariis suis in Genesim, super hoc capite 48.

4 Altera quæstio tractanda est super commutatione manuum Iacob, ponentis dexteram suam super Ephraim minorem natu, qui sibi erat ad sinistrã, sinistram verò suam extendentis super Manasse maiorem natu, qui sibi erat ad dexteram. Quæritur itaque, cur istiusmodi cõmutationem manuum fecerit Iacob. Duplex reddi potest ratio, vna secundùm historicum sensum, altera secundùm intellectũ mysticum. Ac ratio quidem historica huiusmodi est: Nimirũ, ea re voluit declarare Iacob; prælatum iri Ephraim maiori fratri suo Manasse: sicut dextera præstantior habetur, quàm sinistra. Quod autẽ dextera potior & honorabilior apud homines habeatur, quàm sinistra, causa est in ipsa natura; quę dexteram tribus rebus præstantiorẽ fecit sinistra. Fecit enim robustiorẽ & agiliorem, fecit principiũ vnde proueniret motus animalis qui fit secundùm locũ, vt egregiè probat Aristot. in lib. de incessu animaliũ c. 4. & lib. 2. de cœlo, textu 8. fecit deniq; dexteram principale quoddã organum, atque instrumentũ omnium fermè operationũ hominis corporalium: nam quod dixit Aristot. manum esse instrumentorum instrumentum, id potissimùm in dexterã competit. Hinc igitur factum est, vt apud veteres, nomen dexteræ eximiũ quid & honorabile significaret. Quinetiam dextera, & fortitudinem, & fidem, & auxiliũ, & dignitatis ac dominationis excellentiam denotat: ideóque in danda fide porrigitur dextera; & in signum venerationis & subiectionis auersa appetitur.

Cur dextera habeatur quàm sinistra honorabilior.

Aristot.

5 In diuina porrò Scriptura octo obseruauimus dexteræ significationes, atque vsurpationes. Prima pro robore & fortitudine: vt Psalm. 10. *Dextera tua inueniat omnes qui oderunt:* & Psalm. 43. *Bracchium eorum non saluauit eos, sed dextera tua:* Secunda pro auxilio & adiutorio, vt Iob 14. *Operi manuum tuarum porrige dexteram:* Tertia pro exuperantia quadam honoris & gloriæ, vt Psalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dexteris meis:* & Matthei 25. dicuntur Electi in die iudicij collocandi ad dexteram Christi, & 3. Reg. cap. 2. Salomon, quo magis honoraret matrem suam, voluit eam sedere in throno ad dexteram suam. Quarta, pro fragrantia quadam eximij amoris, vt Canticorũ 2. *Dextera illius amplexabitur me:* Quinta pro diuinæ voluptatis ac dulcedinis exuberantia, vt Psalm. 15. *Delectationes in dextra tua:* Sexta vsurpatur pro eo quod est bonũ, & rectum, & sanctum. Contrà verò vocabulum Sinistræ, pro eo quod est malum & prauum, & peruersum, vt Prouerb. 41. *Vias quæ à dexteris sunt nouit Dominus; peruersæ verò sunt, quæ à sinistris sunt:* Vulgò etiam sinistrum vocatur quod malum est atque iniquum, vt sinistra suspicio, sinister oculus, & sinistrum iudicium. Septima, maxima bona, præsertim verò æterna, per dexteram significantur: per sinistrã autem, minima bona, & tẽporalia: hæc pulchrè indicauit Salomon illis verbis: *Longitudo dierũ in dextera eius: & in sinistra illius diuitiæ & gloria:* Per longitudinem dierum significauit vtique Salomon beatæ vitæ æternitatem; per diuitias & gloriam, humana & tẽporalia præsentis vitæ bona.

Octo significationes Dexteræ in Scriptura notabiles.

Locus Eccles. cap. 10.

Octauam significationem Dexteræ continet illa Salomonis sententia: *Cor sapientis, in dextera eius: stulti, in sinistra illius:* Proculdubio hæc Salomonis oratio figurata est: nam si propriè loquamur, & sapientium & stultorum, atq; omnium hominum cor in sinistra corporis parte est; & contra naturam esset, habere cor in dextera. Quid igitur Salomon illis verbis significare voluit? Hoc nempe, sapiẽtis viri cogitationes, & vota, & verba, omnésque actiones dexteras esse, id est honestatis, innocentiæ, ac prudentiæ plenas: omnia eum facere prudenter, aptè, tempestiuè, atq; efficaciter, ac prosperè. Contrà verò stulti, & mens, & lingua, & manus, sinistra sunt; omniaq; facit incautè, ineptè, intempestiuè, atq; improsperè. Etiã vulgò quosdã homines vocamus dextros, id est prudẽtes atq; industrios, in loco atq; tẽpore omnia agẽtes: alios verò minimè dextros, id est imprudẽtes, ac stolidos, ineptosq; atq; improsperos. 6

S. Hieronym. in cap. 10. Ecclesiastæ.

Verumtamen S. Hieronym. sententiam hanc Salomonis explanans, sapientem habere cor in dextera, interpretatur contemplari eum & sapere quæ sursum sunt, id est cœlestia & æterna bona: stultum autem habere cor in sinistra, sapere quæ sunt super terram, id est temporalia tantùm bona expetere, atque sectari. Ponam hîc verba B. Hieron. quæ sunt huiusmodi: Iustus sinistri nihil in se habet, sed totum in eo dextrum est. Et iudicante Domino mundum, agni erunt à dextris, hœdi verò à sinistris. Et in prouerbijs scriptũ est: *Dexteras via nouit Dominus; quæ autem peruersæ sunt, à sinistris sunt*: Qui ergo sapiẽs est, semper de futuro sęculo cogitat, quod ducit ad dexteram. Qui autem insipiens est, de præsenti tantùm sollicitus est, quod positum est in sinistra. Et hanc ipsam sententiam secutus idem Philosophus & Poeta ait:

Matth. 25. Prouerb. 4.

Virgil. in Æneid.

Dextera, qua magni Ditis sub mœnia ducit:
Hac iter Elysium nobis: at læua, malorum
Exercet pœnas, & ad impia iartara mittit.

Firmianus quoque noster in præclaro Institutionum suarum opere græcæ litteræ Y meminit, & de dextris ac sinistris, hoc est, de virtutibus & vitiis plenissimè disputauit. Nec putemus, huic sententiæ illud scripturæ dictum esse cõtrarium: *Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram*: hîc enim pars dextera pro bona accipitur, ibi verò non tam dextera, quàm declinatio dexteræ accusatur: ne videlicet, plus sapiamus, quàm nos sapere necesse est; quia virtutes in medio sunt: & nimietas omnis in vitio est. Hactenus ex B. Hieronymo.

Rom. 12 Prou. 4.

Sed vt disputationem nostram referamus ad id, quod à primo docere voluimus, collocare aliquẽ ad dexteram, alium verò ad sinistrã, certum est signum & argumentum, illum præferri huic. Quanquam apud veteres Persas contrariũ fuisse morem, vsùmq; existimare licet ex verbis illis Xenophontis, quæ de rege Cyro hunc in modum scripta sunt: Vbi venissent quæ ad cœnã eius vocati erant non fortuitò illos collocabat, sed quẽ maximè honorabat, illũ ad sinistram suã sedere iubebat; tanquam hæc magis obnoxia sit insidiis quàm dextera: secundum ad dexterã constituebat, tertium rursus ad sinistrã, quartũ iterum ad dexteram 7

Xenophon lib. 8. Cyropædias. Apud Veteres Persas sinistra honoratior dubatur quàm dextera.

teram ac si plures fuissent, eodē modo agebat. Videbatur enim ei pulchrum esse, si hoc pacto declararet, vt quēque amaret. Sic Xenophon.

Hactenus exposita est ratio historica, & vt vocant, litteralis, illius commutationis manuū Iacob super Ephraim & Manasse: deinceps ratio eiusdem rei mystica declaranda est: Ea verò fuit huiusmodi Iacob instinctu Spiritus Sancti, anteponere volens Ephraim maiori fratri suo Manasse, extendénsque super illos manus suas, ita eas cōmutauit atque conformauit, vt figuraret signum & imaginē Sanctæ crucis ea re præsignificans mysterium crucis Christi, per quod Gētilitas præposita est Iudaismo: illa namque humilitatem Crucis deuota fide est amplexata, hic verò, vt grauissimū scandalum impiè auersatus est. Hanc rationem pulchrè Rupertus explicat, in c. 24. lib. 9. in Genes. Sine dubio, inquit, transpositio manuum Iacob, Crucis expressit figuram. Numquid sic commutando manus, casu figurauit crucem? nunquid non poterat Manassen ponere ad sinistram suam. Ephraim verò ad dexteram? Poterat sanè: Sed propheta erat, & prophetico spiritu sciebat quòd per crucem componenda esset benedictio, quam venturus legislator daret, vel qua, in semine Abrahæ benedicerentur omnes gentes. Nam qui de Christo prædixerat: *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum:* num poterat nescire, quali torculari vua illa esset premenda, & vinum foret exprimendum? Ergo tanquam Propheta simul & Patriarcha, quemadmodum verbis prophetare potuit, Ephraim, qui erat iunior, maiorem futurum Manasse: Sic & manuum positione Crucem Christi præfigurare sciuit: per quam vtique Iudaico populo seniori præferendus erat iunior populus Gentilis. Hæc Rupertus.

Conformatio manuum Iacob figurā expressit sanctæ crucis. Rupertus.

Genes. 12. & 22.

Genes. 49.

Et ante Rupertum, Isidorus, ad eandem sententtam ita scripsit super hunc locum: Ioseph posuit Ephraim ad sinistram Iacob, Manasse verò ad eius dexteram. At Iacob, cancellatis manibus, mysteriū Crucis præfigurans, translata in Ephraim dextera sua, & sinistra in Manasse, & sic Crucis similitudine super capite eorum denotata, futurum Iudæis scandalum, Christianis verò futuram gloriam præsignauit. Et seniorem populum Iudaicum, ex dextro sinistrum, iuniorem verò populum Gentilem, ex sinistro dextrum per crucis mysterium fore præmonstrauit. Sic Isidorus. Primùm igitur in hoc Scripturæ loco præsignatum est mysterium Crucis, quantum ad similitudinem videlicet & figuram eius, nam quantum ad rem ipsam, & mysterium in ipsa completum, ante centum octoginta annos præfigurata fuerat crux Domini per illa ligna quę humeris suis portauit sanctus iuuenis Isaac, cùm à patre suo duceretur in montem, vt illis sacrificaretur Deo.

Isidorus.

Quando primùm crucis mysterium præfiguratum sit.

Genes. 22.

* * *

SECVNDA DISPVTATIO,

Super illis verbis,

VERS. VLT. Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.

HÆc verba duas minimè leues ferunt Quæstiones. Prior 9
Quæstio est, quænam fuerit illa pars, quam Iacob extraordinariam dedit filio suo Ioseph. Posterior quæstio est, quomodo intelligendum sit, Iacob eam partem acquisiuisse sibi in arcu & gladio, id est, per ius & vim bellicam, cùm per omnem vitam fuerit vir pacificus, & à bellis abhorrēs. Ixx. Interpretes ita verterunt hunc locum, sicut refert S. Hieron. in Traditionibus Hebraicis in Gen. *Do tibi Sichimam præcipuam super fratres tuos: quam accepi de manibus Amorrhæorum, in gladio meo & sagitta.* Subdit S. Hieron. Sichima, inquit, iuxta Græcam & Latinam consuetudinem declinata est: alioqui Hebraicè Sichem dicitur, vt etiam Ioannes Euangelista testatur, licèt ibi vitiosè, vt Sichar legatur, error inoleuit: Sichē porrò est nunc Neapolis, vrbs Samaritarum. Sic Hieronym. Vox Hebræa *Sichem* ambiguæ significationis est: nam vt est nomen proprium, significat vrbem Sichē cuius meminit suprà Moses Genes. 33. & aliubi frequens in sacris litteris est mentio. Si autem accipiatur vt nomen appellatiuum, significat Latinè partem: & sic interpretandā esse eam vocem, præter auctoritatem Hieronymi & Hebræorum, & Latinæ translationis, conuincit etiam adiunctum illud nomen *vnam*, quod de parte quidem aptè dicitur, & commodè; de vrbe autem Sichem non potest dici; absurdum enim esset dicere, do tibi vnam Sichem, quasi plures essent vrbes Sichem in terra promissionis.

S. Hieronym.

Trāslatio lxx. Interpretum super hoc loco.

Ioan. 4.

Atenim septuaginta Interpretes, retinentes nomen Hebræū Sichem, vel Sichima, videntur accepisse pro vrbe illa Sichem. Veteres certè Expositores de voce Sichem interpretati sunt hunc locum, affirmantes Iacob dedisse filio suo Ioseph vrbem Sichem, quam per arma filiorum suorum, in vltionem stupri Dinæ, occisis Sichimiis acquisierat. Nam facinus filiorum suorum, quasi suum reputat: quod, licèt primò detestatus sit, postea tamen intellexisse videtur id factum esse Dei voluntate. In hoc autem Iacob præcipuum amorem suum erga Ioseph ostendit; quod licèt Simeon & Leui auctores fuerint illius belli & victoriæ, non tamen eis, sed Ioseph eam vrbē in hæreditariam possessionem donauit. Et hæc est interpretatio & sententia multorum, vt Eusebij, cuius verba citantur in Catena Lippomani super hoc loco, & item Chrysostomi, cuius verba legi possunt in homilia eius in Genes. sexagesima septima.

Prima expositio.

Eusebius. Chrysostō.

Sanctus Augustinus in quæstione 167. in Genesim, superiorem expo- 10
sitionem, atque opinionem Doctorum cōmemorans, non eam probat,

Secūda expositio, quæ est S. Augustini.

eo

eo maximè ductus argumento, quòd Iacob facinus illud filiorum suorum in vrbem Sichem, vehementer detestatus sit, non solùm tunc cùm est patratum, verùm etiã post hæc ipsa verba, quæ dixit filio suo Ioseph, cùm Simeoni, & Leui propter illud facinus maledixit, vt habes infrà Genes. 49. Quocirca putat Augustinus, intelligentiam horum verborũ Iacob in prophetico aliquo Sacramento contineri, quod fortasse fuit huiusmodi: Ioseph præcipuè Christum præfigurauit: datur Ioseph illa terra, vbi Iacob disperdiderat deos alienos, obruendo eos terra; vt per hoc intelligatur Christus possessurus fuisse Gentes, quæ renuntiantes diis patrum suorum, erant in ipsum creditura. Sic enim prædictum fuerat à Dauide inducente Deum patrem ita loquentem filio: *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* *Genes. 35.* *Psalmo 2.*

Verùm ne Lector Augustini verba desideret, ponam ea in hoc loco; Sunt autem huiusmodi: Quod Iacob dixit filio suo Ioseph, dare se illi Sichimam, quam ipse possederat in gladio & arcu suo: Quæri potest quemadmodum valeat ad litteram conuenire: emit enim centum agnis possessionem illam, non autem cepit eam iure victoriæ bellicæ. An quia Salem ciuitatem Sichimorum filij eius expugnauerunt, iure belli potuit fieri vt illa vrbs ei acquireretur? Iustum enim bellum videbatur aduersus Sichimitas, quia tantam priores iniuriam fecerant in eius filia contaminanda. Cur non ergo terram illam dedit filiis suis Simeoni & Leui qui eam per vim bellicam expugnauerant? Deinde, si modò ob illam victoriam glorians Iacob daret eam terram filio suo Ioseph, cur ei displicuerunt tunc filij, qui hoc commiserunt? Cur denique etiã nunc, cum filios suos benediceret, exprobrando, id cõmemorauit in factis eorum? Proculdubio igitur aliquod hîc latet propheticum Sacramentum. Nam & Ioseph præcipua quadam significatione Christum præfigurauit: & ei datur illa terra, vbi Iacob disperdiderat Deos alienos, obruendo eos terra: vt Christus intelligatur possessurus gentes diis patrum suorum renuntiantes, & credentes in ipsum. Hactenus ex Augustino. *Genes. 34.* *Infra 49.*

11 S. Hieronym. priorem quæstionẽ non tractauit, nõ enim apertè declarauit quænã esset illa pars quã Iacob dedit Ioseph. Posteriori autem quæstioni, qua quæritur, quomodo Iacob illam partem acquisiuisset in arcu & gladio, respõdet hoc modo: Iacob dicens partem illã possedisse in arcu & gladio, arcum & gladiũ vocauit iustitiã suam, per quã vtique meruit, vt peregrinus & aduena, interfecto Sichẽ & Hemor, de periculo liberaretur. Timuit enim, vt suprà legimus, ne vicina opida atq; castella, ob euersionẽ cõfœderatæ vrbis, aduersum se cõsurgerẽt: Sed Dominus nõ dedit eis potestatẽ vt nocerẽt illi. Vel certè sic intelligẽdum est: Dabo tibi Sichimã, quã emi in fortitudine mea, hoc est, in pecunia, quam multo labore & sudore acquisiui. Quod autẽ ait, *super fratres tuos* ostendit absq; sorte dedisse eam tribui Ioseph: Si quidẽ eo loco sepultus est Ioseph, & Mausolæum eius ibi hodie cernitur. Sic Hieronymus. *Tertia expositio.* *S. Hieronym. in traditionibus Hebraicis.*

12 Auctor Historiæ Scholasticæ in cap. 101. Historiæ suæ super librum

Gen. ait, partem illam fuisse emptam à Iacob centum agnis, vt dicitur suprà Genes. 33. Sed cùm propter necem Sichimitarũ debuisset illi auferri; Deo mirabiliter eũ protegente, terrorémq; hostibus incutiente, semper eã in sua potestate habuit: & hoc est quod dixit Iacob, eã se in arcu & gladio possedisse. Verba illius Auctoris hęc sũt: Sanè emerat illã partẽ Iacob centũ agnis à Rege Hemor: Sed cũ propter necẽ Sichimitarũ debuisset illi auferri, semper tamẽ eã potestatiuè obtinuit. Sic ille.

Paraphrasis Chaldaica.

Paraphrasis Chaldaica diuersè admodum cõuertit hunc locum: Sic 15
enim habet: *Ego autem dedi tibi partem vnam præcipuam super fratres tuos; quam tuli de manu Amorrhæi, oratione mea & obsecratione:* significatur hac lectione, illa verba Iacob, *In arcu & gladio meo*, non propriè accipienda esse, sed figuratè: & significare religiosissimas & ardentissimas preces Iacob, fusas ad Deum; quibus petebat seruari se ab hostibus: quod plane obtinuit, terrore Domini mirabiliter hostibus eius incusso, vt nihil contra eum facere, aut tentare auderent. Et hoc amplius, quòd per orationem itidẽ impetrauit à Deo, vt & vrbs Sichem, & ager Sichimitarũ in potestate sua esset, nec eius possessione spoliaretur, atq; priuaretur: Porrò hãc interpretationẽ secutus est Rabbi Aben Esra & Thostatus.

Nec videri cuipiam debet huiusmodi interpretatio vel dura, vel insolens: cùm ea sit rationi consentanea, & consuetudini sacræ Scripturæ satis cõueniens. Illud namque, per quod hostes siue inuisibiles, siue visibiles, in bello siue corporali, siue spirituali, debellantur atque profligãtur, quis appellare dubitet arma bellica? Per eleuationem manuum Mosis orantis Deum victi & cæsi sunt Amalecitæ, vt legitur Exod. 17. Si quis igitur quærat quibus illi victi sint armis; nónne responderi verissimè potest, per illam orationem, & eleuationẽ manuum Mosis fuisse superatos? Sanctus quoque Apostolus docet panopliam quãdam Spiritualẽ, i. omnis generis armaturã, Christianis aduersus inuisibiles hostes perpetuò decertãtibus esse necessariam. Ad hunc enim modũ scribit Ephesiis: *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli: induti loricã Iustitiæ: calceati pedes in præparationem Euangelij pacis: in omnibus sumentes scutũ fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeã salutis assumite: & gladium Spiritus; quod est verbum Dei: per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in Spiritu.*

Locus Apostoli ad Ephes. cap. 6.

Rab. Salomon. Lyranus. Sexta expositio.

Rabbi Salomon, quem sequitur Lyranus (fuit enim eius, tanquã sui 14
cõpatriotæ, vt ait Thostatus, valdè studiosus) sic exponit hunc locum: Cùm propter cædem Sichimitarũ, vrbísq; excidium vehementer Iacob timeret incursum vicinarũ gentium aduersus se, cõfisus Dei auxilio & præsidio, armauit se, suósque, & stetit in porta Sichem, expectãs aduentum & insultũ hostiũ. Sed illi penitus à Deo pauefacti ac perterriti adoriri eum nõ sunt ausi. Atq; hac ratione obtinuit Iacob iure belli terrã illã, quod est acquisiuisse eã in arcu & gladio: Sichimitis, propter violationẽ Dinæ, & vitã, & vrbem meritò perdẽtibus. Fuisse porrò regionem illã Sichimitarũ post eorum cædẽ in potestate Iacob, claro est indicio, quòd filij Iacob deinde pascebant greges suos in Sichimis, vt legitur

gitur Genesis 37. tanquam in terra iuris & potestatis Iacob. Sic iste Salomon. Verùm meritò eum refellit Thostatus, quòd enim Iacob armauerit se, omnémque familiam suam,& fuerit in porta Sichem expectans aduẽtum hostium,nusquam traditum est in Scriptura,sed ab isto Rabbino, maximo fabularum & mendaciorum architecto planè cõfictum est. Deinde non propter istud diceretur Sichem acquisita in arcu & gladio, sed potius propter cædem Sichimitarũ vrbísque euersionem antea factam à filiis Iacob. Ad hæc non erat decens neque conueniens modestiæ ac pietati Iacob . prædicare fortitudinem suam bellicam,sibíque victoriam illam arrogare,ac non potiùs eam tribuere Deo, qui eius auctor fuerat mirabiliter compescens hostes ne Iacob lædere, aut etiam aggredi auderent.

15 Caietanus vtramque quæstionem breuiter tractat & soluit. Priori quæstioni respondet,partem illam à Iacob datã Ioseph,fuisse prædium quoddam situm in Samaria iuxta *S*ichem , quod Iacob dedisse filio suo Ioseph testatur Sanctus Ioannes in Euangelio cap.4. Posteriori autem quæstioni quomodo acquisierit eam partem Iacob in arcu & gladio, respondet Caietanus, istud factum Iacob nõ esse proditum in Scriptura,sicut nec alia multa facta, & dicta illorum Patriarcharum.Fuisse autem istud facinus Iacob diuersum à cæde Sichimitarũ,& vrbis Sichem euersione,patet dupliciter: nam illud narratur tanquam proprium facinus Iacob,hoc autem non eius fuit, sed filiorum ipsius:quod etiã vehementer ei displicuit,tãtum abest,vt id sibi attribuerit.Deinde Iacob dixit se acquisiuisse eam partem de manu Amorrhæi : Sichimitæ verò non erant Amorrhæi , sed Heuęi,vt scriptum est suprà Genes.34. Hæc est sententia Caietani. Verba eius sunt huiusmodi : Hebraica dictio, Latinè interpretata *partem*,& est nomen proprium loci Sichem , & est nomen , appellatiuum significans partem : hîc verò esse nomen appellatiuum testatur illud adiectiuum *vnam*. Æquiuocatio itaque eius nominis occasio fuit vt textus iste exponeretur de vrbe Sichem. Duæ igitur sunt quæstiones : vna,quæ fuerit illa pars data Ioseph : altera,quando & quomodo eam Iacob acquisierit iure beli de manu Amorrhæi. Et prima quidem quęstio aliqualiter nota est ex Ioannis Euangelio capite quarto , vbi dicitur prędium à Iacob datum Ioseph fuisse in Samaria iuxta ciuitatem Sichar. Secundæ autem quęstionis nullam penitus notitiam habeo , quia nullibi legitur Iacob pugnasse cum Amorrhęo. Verùm & hęc littera insinuat multas res à Patriarchis esse gestas, quas Moses tacuit. Significanter autem dixi nusquam legi Iacob pugnasse cum Amorrhęo, ad excludendum scilicet insultum aduersus Sichimitas factam non à Iacob , sed à filiis eius : Siquidem Sichimitæ non Amorrhæi,sed Heuæi erant,vt patet ex superiori capit.3. Genesis. Sic Caietanus.

16 Andreas Masius in Commentariis suis in librum Iosue super extremis penè verbis capitis vltimi , ad numerum 32. tractat hanc ipsam quæstionem. Ac primò quidem refert aliquot expositiones huius *Octaua expositio.*

loci

loci ab Hebræis traditas, quas nos paulò infrà cõmemorabimus. Tunc ait, satis videri sibi probabilem expositionẽ B. Hieron. suprà positam, qui illud *in arcu & gladio meo* interpretatus est *in fortitudine mea*; id autem est, in pecunia quam multo labore & sudore acquisiui. Deinde ostendit vehementer displicere sibi expositionem primo loco suprà positam, eorum qui putarunt, Iacob istis verbis significasse facinus illud filiorum suorum, cædem dico Sichimitarum vrbísque vastationẽ. Denique prodit sententiam suam; existimans Iacob primùm pretio emisse partem illius agri à filiis Hemor, in quo cum suis manere posse, vt scriptum est suprà Gen. 33. Deinde ex vicino agro expulisse Amorrhæos, qui eum per vim ceperant. Itaque quod Iacob dixit de arcu & gladio suo, non ad priorem emptionem à filiis Hemor, sed ad hanc quam dixi, ex vicino agro eiectionem Amorrhæorum referri debet. Verba Masij sic habẽt: Existimãdum est, Iacobum redemisse primùm pretio ab Hemoris popularibus exiguum fundum in quo cum suis manere posset, vt legitur Gen. 33. Deinde verò, paulatim ex vicino agro pepulisse Amorrhæos: quem illi agrum non iure, sed armis eripuerant Sichimitis, cùm Iordanem transmisissent populabundi. Neque enim Iacob ait se ab Hemor eum agrum arcu & gladio quæsiuisse; sed ab Amorrhæis: Hemor autem & Sichẽ fuisse Heuæos, sacris ipsis testatum est verbis, suprà initio cap. 14. Sic Masius.

Nona expositio. Sunt præterea huius loci aliquot expositiones Hebræorum quas hîc 17
strictim attingam. Prima est, Iacob, tanquam vatem dixisse hæc verba per Anticipationem: vt illud *quam tuli*, dictum sit pro, Quam nepotes siue posteri mei accepturi olim sunt iure bellico, cum vniuersam expugnabunt Chananitidem. Nomen autem Amorrhæi posuit pro vniuersis terræ Promissionis habitatoribus, quòd omnium, propter insignem fortitudinem & corporis proceritatem, celebratissimi essent. *Decima expositio.* Secunda expositio; hunc locum esse intelligendum de Ioseph: cuius nempe filij duas partes in Diuisione Terræ promissionis accepturi erant: atque ita *Vndecima expositio.* videtur Ioseph accepisse partem vnam vltra fratres suos. Tertia expositio, gladium & arcum Iacob, diuinum fauorem intelligi oportere; quo nimirum ille apud Sichimitas gratiosus, agrum, in quo fixis tabernaculis consideret, obtinuit, haud magno pretio, cùm esset alioqui homo peregrinus, & qui plurimo pecore, grauis videri indigenis potuit aduena. *Duodecima expositio.* Quarta expositio, credibile esse, cùm Iacob filium suum Ioseph hoc agro donaret, proiectis illum versus, aliquot sagittis, gladióque protento, solemni quodam ritu Barbaros illos, specie tenus exuisse sua possessione, belli iure: similiter atq; Elisęi iussu, memoratur Rex Ioas, emissis sagittis, percussóque terræ solo, Syriam certa spe veluti debellasse. *4. Reg. 9.*

Decimatertia expositio, quæ est Auctoris. Ego meam super hac quæstione opinionem tribus propositionibus 18
breuiter comprehensam explicatámque Lectori aperiam. Prima propositio: Pars illa quam Iacob dedit filio suo Ioseph, & quam dixit tulisse de manu Amorrhæi in arcu, & gladio suo, non fuit vrbs Sichem, quasi eam filij Iacob, iure belli, stuprũ videlicet sororis vlciscentis, sibi

& patri

& patri suo iustè acquisierint. Hæc præpositio duplici ratione firmatur. Ac primò quidem constat, facinus illud filiorum Iacob in Sichimitas, fuisse iniquissimum ac sceleratissimum: nec vnum modò ac simplex fuisse peccatum, sed nouem habuisse secum complicata peccata, & contra omne ius & iustitiam bellicam fuisse patratum, & hoc quidem nunc demonstrare supersedemus, cùm id multis & manifestis rationibus sit à nobis suprà comprobatum, cùm explanaremus cap. 34. in disput. 1. & ad num. marg. 18. Si igitur factũ illud in Sichimitas fuit iniustissimum, non fuit profectò per illud factum vrbs Sichem iure belli acquisita ipsi Iacob: nec de illa vrbe, nec de illo facto filiorum Iacob potest intelligi quod ipse dixit: *quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Deinde illud facinus Simeonis & Leui in Sichimitas, & in eorum vrbem, Iacob tunc valdè improbauit, vt scriptum est sub finem cap. 34. Genes. illis verbis: *Quibus perpetratis audacter, Iacob dixit ad Simeon & Leui: Turbastis me, & odiosum fecistis me Chananæis, & Pherezæis habitatoribus huius terræ. Nos pauci sumus, illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea.* Quomodo igitur facinus illud, quasi suum fuisset, sibi Iacob tanquam gloriabundus assumeret? Ipse verò postquam hæc verba dixit Iosepho, & huiusmodi dono eum præ cęteris filiis locupletauit simul & honorauit; iam moribundus, in eo, quem cum filiis nouissimum habuit, sermone, facinus illud in Sichimitas vehementer detestatus est, grauissimisque verbis illius auctores Simeon & Leui accusauit, atque damnauit; nec ad se illud factũ vllo modo pertinuisse, nec sibi vlla ratione adscribendum esse cõtestatus est. Et verba quidem Iacob huiusmodi fuêre: *Simeon & Leui fratres, vasa iniquitatis bellãtia, in consilium eorum non veniat anima mea.* Et cætera quæ sequuntur. Quomodo filij Iacob acquisierunt iure belli vrbem Sichem, cum Iacob appellet eorum arma, *arma iniquitatis bellantia*? Aut quomodo Iacob factum illud, tanquam præclarum & glorioſum sibi attribuisset, cùm se ab illo fuisse alienissimum, & penitus abhorruisse contestatus sit? *Genes. 49.*

91 Secunda propositio. Pars illa, quam Iacob dedit Ioseph, non fuit nisi pars agri, quã multos ante annos, regressus ex Mesopotamia, & habitãs iuxta vrbem Sichem emerat à filiis Hemor, centum agnis. Sic enim scriptum est suprà Genes. 37. *Transiuit Iacob in Salem Sichimorum, quæ est in terra Chanaam, postquam reuersus est de Mesopotamia Syriæ, & habitauit iuxta oppidum: emitque partem agri, in qua fixerat tabernacula à filijs Hemor patris Sichem, centum agnis, & erecto altari, inuocauit super illud fortissimum Deum Israel.* Hunc agrum, siue fundum, siue prędium, esse à Iacob datum Ioseph, apertè indicat S. Ioannes in Euãgelio cap. 4. illis verbis: *Venit (Iesus) in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædium quod dedit Iacob filio suo. Erat autem ibi fons Iacob:* Et paulo infrà Samaritana dixit Domino: *Numquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius & pecora eius?* De isto fonte siue puteo ita scribit Borchardus in descriptione Terræ sanctæ in prima parte, cap. 7. num. 17. A porta Sichem Australi, quantum bis iacere posset ar- *Borchard.*

cus, est fons Iacob, super quem fatigatus ex itinere, sedit Iesus, ex quo petiuit aquam à Samaritana. Fons ille effosus est in via, qua tendimus in vrbem Hierusalem: supra fontem, ad dextram mons est præcelsus, habens duo velut capita; quorum vnum mons Garizim, alterum mons Hebal nuncupatur. Sic ille.

Fuisse autem agrum illum emptum à filiis Hemor eum ipsum qui datus est Ioseph à Iacob, satis manifestum eo fit argumento, quod in eo ipso potissimùm agro ossa Ioseph condita sunt à filiis Israel, cùm reuersi in Terram Chanaam, debellatis, exterminatisque antiquis eius terræ habitatoribus, possidere eam terram atque obtinere cœperunt. Sic enim legimus sub finem libri Iosue: *Ossa quoque Ioseph quæ tulerant filij Israel de Ægypto, sepelierunt in Sichem in parte agri, quem emerat Iacob à filiis Hemor patris Sichem, centum nouellis ouibus.* Nulla porrò erat ratio vt ossa Ioseph conderentur in eo agro quem emerat Iacob, potiusquàm in alio loco, præsertim verò in aliqua nobili vrbe earum quæ pertinuerunt ad sortem Ephraim filij Iacob, nisi quòd ager ille fuisset is quem Iacob donauerat filio suo Ioseph. Rectum enim iudicauerunt esse proceres Hebræorum, vt in eo potissimùm loco sepelirentur ossa Ioseph, quem locum ei Iacob singulari quodam munere, extra sortes & partes fratrum eius iam morti proximus donauerat. Nec temerè profectò opinatur Dauid Chimhi, cumprimis nobilis Hebræorum doctor, Iacob sepulturæ causâ dedisse hunc locum Ioseph: quòd animum eius, quem ipse moriens, suæ apud cæteros filios auctoritatis & potestatis, curæq; quasi vicarium relinquebat; vellet modis omnibus à rerum Aegyptiacarum amore prorsus abalienatum, in promissæ terræ cogitationem & studium auertere.

Chimhi.

Cur in scriptura perfrequēs fiat mentio arcus & gladij.

Tertia propositio. Illud quod dixit Iacob, *In gladio & arcu meo*, dupliciter potest accipi, vel propriè, vel figuratè, ac metaphoricè. Si propriè accipiatur, scire conuenit, solere diuinam scripturam ea locutione frequenter significare in vniuersum arma bellica, quòd apud illos veteres Hebræos, arcus & gladij præcipuus esset in bellis vsus. significatur etiam istis verbis ars & prudentia militaris, & item robur ac fortitudo bellica. Ad hanc sanè sententiam interpretandum est illud psalmi: *Non in arcu meo sperabo, & gladius mens non saluabit me.* hoc autem est, Ego spem tuendæ salutis ac vitæ meæ non in meis armis, nec in mea prudentia vel fortitudine bellica locatam habeo, sed in Dei præsidio ac protectione. Legere item est in multis Scripturæ locis, conterere, vel confringere arcum, pro eo quod est robur ac vires bellicas frangere, & ad nihilum redigere. Præterea, esse arcu eruditū & doctum, idem est in sacris litteris, atque peritum esse bellandi, & strenuum ac fortem esse bellatorem. Hinc itaque facilè est intelligere, quam sententiam habeat illud quod dixit Dauid in planctu quem fecit super nece Saul, & Ionathæ. Sic enim scriptum est in libr. secundo. Reg. cap. 1. *Præcepit (Dauid) vt docerent filios Iuda arcum*: id est, vt docerent Iudæos disciplinam militarem, artémque bellandi, vt præualere possent Philistæis, à quibus

Locus psal. 43

Locus 2. Reg. cap. 1.

à quibus tunc tanta fuerant clade profligati & cæsi.

Si propriè igitur accipiatur illud, *In gladio & arcu meo* erit hic sensus, Quem armis meis & bellica fortitudine ereptum Amorrhæis mihi acquisiui. Verùm id quando, & qua ex causa, siue occasione, & quomodo id factum sit à Iacob, nusquam traditum est in sacris litteris. Sed verisimile est quod dixit Masius, primò emptum fuisse eum agrum à Iacob; pòst, ex vicinio & cõtermino agro, quem per vim Amorrhæi Sichimitis eripuerant, Iacob eos vi bellica expulisse, atque ita priorem agrum amplificasse. Vel, eum ipsum agrum, cùm post discessum suum ex vrbe Sichem inuasissent atque occupassent Amorrhęi, Iacob armis suis, suorúmque, exterminatis illis, recuperasse suum agrum.

Sin autem illud *in arcu & gladio meo*, non propriè, sed figuratè ac metaphoricè dixerit Iacob, tribus id modis exponi potest. Duos modos attigit S. Hieronymus à nobis suprà expositos. Primò, vt per ea verba significetur iustitia Iacob, id est, innocentia, quòd ab illo scelere filiorum omnino alienus & mundus fuisset; & idcirco meruerit vt hostes eius, à Deo videlicet coërciti, nec ipsum, nec bona eius attingere auderent. Deinde, vt *per arcum & gladium* significetur fortitudo, id est, pecunia, quam Iacob multo labore & sudore acquisierat. Postremò, vt idem sit *in gladio & arcu meo*, quod, per orationem & obsecrationem meam; sicut vertit Paraphrasis Chaldaica: vt sit hic sensus; Cùm propter cędem Sichimitarum, atque vrbis eorum euersionem in maximo essem periculo perdẽdi agrum illum, quem emeram, quin etiam vitam, omnémque familiam; arripui solita mihi, vsitatáque arma, ardentes dico ad Deum preces; quibus in tantum Dei benignitate profeci, vt & vitæ discrimen euaserim, & agrum illum adhuc obtinuerim, licèt inuitis, & atrocia minãtibus vicinis populis. Erant porrò illi populi, si propriè loquamur, non Amorrhæi, sed Chananæi & Phærezæi, vt dictum est suprà Genes. 33. Verùm hìc vocabulo Amorrhęorum, significantur in vniuersum gentes illę septem habitantes, & obtinentes tunc Terram Promissionis. Causam verò eius rei, & paulò suprà indicauimus, & fusiùs exposuimus in tertio Tomo nostrorum Commentariorum in Genesim, super caput decimum quintum, ad numerum marginalem 87.

*

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA IN CAPVT QVADRAGESIMVM NONVM GENESIS.

ARGVMENTVM.

Sanctus Iacob diuino prophetiæ ſpiritu plenus, iam morti proximus, prædicit filijs ſuis multa eorum poſteris, longè pòſt ventura.

1 VOCAVIT autem Iacob filios ſuos, & ait
eis: Congregamini, vt annunciem quæ
2 ventura ſunt vobis. Congregamini, & au-
dite filij Iacob, audite Iſrael patrẽ veſtrũ.
3 Ruben primogenitus meus, tu fortitudo
mea, & principium doloris mei: prior in
4 donis, maior in imperio. Effuſus es ſicut
aqua, non creſcas: quia aſcẽdiſti cubile patris tui, & maculaſti
ſtratum eius. Simeon & Leui fratres, vaſa iniquitatis bellãtia.
5 In conſilium eorũ non veniat anima mea, & in cœtu illorum
6 nõ ſit gloria mea; quia in furore ſuo occiderũt virũ, & in volũ-
tate ſua ſuffoderũt murũ. Maledictus furor eorũ, quia pertinax
7 & indignatio eorũ, quia dura: diuidã eos in Iacob, & diſpergã
8 eos in Iſrael. Iuda, te laudabũt fratres tui: manus tuæ in cerui-
9 cib⁹ inimicorũ tuorũ, adorabũt te filij patris tui. Catulus Leo-
nis Iuda; ad prędã fili mi aſcẽdiſti: requieſcẽs accubuiſti vt Leo
10 & quaſi Leæna, quis ſuſcitabit eũ? Nõ auferetur ſceptrũ de Iu-

da

da,& dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gẽtium. Ligans ad vineã pullũ suum,& ad 11
vitem,ô fili mi,asinam suam.Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.Pulchriores sunt oculi eius vi- 12
no,& dentes eius lacte candidiores. Zabulon in littore maris 13
habitabit,& in statione nauium pertingẽs vsque ad Sidonem.
Issachar asinus fortis accubans inter terminos. Vidit requiem 14. 15
quòd esset bona:& terram quòd optima:& suppossuit humerũ
suum ad portandum,factúsque est tributis seruiens.Dan iudi- 16
cabit populum suum sicut & alia tribus in Israël. Fiat Dan co- 17
luber in via,cerastes in semita,mordens vngulas equi,vt cadat
ascensor eius retrò. Salutare tuum expectabo, Domine. Gad, 18. 19
accinctus præliabitur ante eum, & ipse accingetur retrorsum.
Aser pinguis panis eius,& prębebit delicias regibus.Nephthali 20. 21
ceruus emissus,& dans eloquia pulchritudinis. Filius accres- 22
cens Ioseph,filius accrescens,decorus aspectu;filię discurrerũt
super murum. Sed exasperauerunt eum & iurgati sunt, inui- 23
derúntque illi habentes iacula.Sedit in forti arcus eius,& dis- 24
soluta sunt vincula brachiorum & manuum illius per manus
potentis Iacob : inde pastor egressus est lapis Israël. Deus pa- 25
tris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi bene-
dictionibus cœli desuper,benedictionibus abyssi iacẽtis deor-
sum,benedictionibus vberum & vuluæ. Benedictiones patris 26
tui confortatæ sunt benedictionibus patrum eius, donec ve-
niret desiderium collium æternorum: fiant in capite Ioseph &
in vertice Nazaræi inter fratres suos. Beniamin lupus rapax: 27
mane comedet prædam & vespere diuidet spolia. Omnes hi 28
in tribus Israël duodecim : hæc locutus est eis pater suus, be-
nedixítque singulis benedictionibus propriis. Et præcepit eis, 29
dicens:Ego congregor ad populum meum: sepelite me cũ pa-
tribus meis in spelunca duplici quæ est in agro Ephron He- 30
thæi,contra Mambre in Terra Chanaam,quã emit Abraham
cum agro ab Hephron Hethæo in possessionem sepulchri:vbi
sepelierunt eum & Saram vxorem eius : ibi sepultus est Isaac 31
cum Rebeca coniuge sua : ibi & Lia condita iacet. Finitísque 32
mandatis quibus filios instruebat,collegit pedes suos super le-
ctulum & obiit : appositúsque est ad populum suum.

PRÆFATIO.

NOVISSIMA *verba quæ proximus morti Iacob dixit duodecim filiis, qui patriarchæ fuerunt, & parentes duodecim tribuum, ex quibus omnis Hebræus populus constabat; iampridem vsu receptum est, vt Benedictiones duodecim Patriarcharum inscribantur & appellentur; cùm tamen, vt verè monuit Ambrosius in libro de Benedictionibus Patriarcharum cap. 2. & Ruffinus in libro eiusdem tituli ad Paulinum, nec non & Theodoretus in Quæstionibus in Genesim, quæst. vlt. minimè congruat is titulus cum ipsa oratione Iacob, per quam maledicitur primogenito Ruben, & item Simeoni ac Leui. Quamobrem Ambrosius, Prophetia, inquit, dicenda est oratio Iacob, non benedictio: siquidem, Prophetia, est denuntiatio futurorum; Benedictio autem, sanctificationis, & gratiarum votiua collatio. Declarant hoc ipsum verba quibus Iacob primò affatus est filios:* Cõgregamini, *inquit,* vt aunũciem quæ ventura sunt vobis in diebus nouissimis. *Non enim dixit:* Vt benedicam vobis, *sed,* vt annunciem vobis que ventura sunt. *Illud quoque ad huius rei confirmationem valet, quod Moses post verba Iacob subiungit:* Hæc locutus est eis pater suus, benedixitque singulis, benedictionibus propriis: *ergo quæ prius locutus fuerat, non fuerant benedictiones, sed prædictiones.*

Ambrosius. Ruffinus. Theodoret.

Nec similis ratio est supremorum verborũ quæ Moyses proximè ante mortem suam locutus est filiis Israël, vt legitur Deut. 33. ille enim apertissimis verbis benedixit singulis tribubus. Sic enim eo loco scriptum est: Hęc est benedictio qua benedixit Moses seruus Dei filiis Israël ante mortem suam. *Atque hæc quoque sententia est apud Hebræos Rabbi Abraham, & Aben Ezra. Quod autem cõmemorat hoc loco Thostatus, dixisse quosdam Iudæos, eorúmque Rabbinum Salomonem, Iacob paratum quidem fuisse benedicere filiis; sed recedente ab eo Spiritu Dei, incidisse in delirium, eóque factum esse vt quibusdam benediceret, aliis malediceret; ridiculum, absurdum, impium est. Sed vnde, inquies, communis de illo titulo sentẽtia originem habuit? Videlicet quia plerisque filiis Iacob bona & fausta denuntiauit, visum est orationem eius ex maiore parte posse benedictionem appellari. atenim bona quæ illis Iacob denuntiauit, non optando, & precando, quod est benedicere; sed prædicendo, quod est prophetare, locutus est.*

Thostatus in Gen. hoc loco.

Fuit

3 *Fuit olim non incelebris liber hoc titulo prænotatus: Oratio vel narratio Ioseph filij Iacob patriarchæ, apud veteres tam Hebræos, quàm Christianos nõ parum habens auctoritatis. Eum librum vocat Origenes Mysticam orationem. Nec mirum placuisse ipsi; suffragari enim videbatur erroribus eius. Namque in secundo tomo explanationis Euãgelij Ioannis huius præcipuè libri testimoniis vtitur Origenes ad fidem astruendam opinioni suæ de incarnatione quorundam Angelorum, quos ille ad exemplum, & imitationem Christi assumpsisse humanũ corpus & animum credidit. Et in tomis explanationis libri Geneseos, ex eo ipso libro demonstrare volens, omnes humanorum euentuum significationes & prænotiones in astris cæli tanquam in libris legi posse à peritis siderum inspectoribus, ad hunc modum scripsit: vniuersum cælũ est quasi liber quidam apertus omnia futura in se velut præscripta & prænotata continens. Quocirca in Oratione Ioseph sic intelligi potest illud quod Iacob dixit filiis suis; Legi in tabulis cæli, quæcumque contingent vobis & filiis vestris. Quæ verba ex illo ipso libro sumpta refert Eusebius libr. 6. Euangelicæ præparationis, & Procopius Gazæus in expositione primi capitis libri Geneseos.*

Origenes de incarnatione Angelorum.

Origenes putauit in astris prænotari omnia futura.

Verumenimverò eam orationem & scripturam abiicit Athanasius in Synopsi, & inter apocrypha scripta reiicit: nimirum nec astra præsignare possunt futuros euentus hominum, vt à nobis disputatum est in primo tomo Commentariorum nostrorum in Genesim, cap. 4. eius disputationis quam contra Astrologos scripsimus: & vt astra præsignificarent res futuras, Iacob tamen non per Astromantiam, sed diuino afflatu & spiritu, quæ commemorãtur hoc loco prædixit. Nec illud ignoret Lector, Iosephum historicum Hebræum, qui in cætera Patriarcharum historia narranda minimè ieiunus est, extremam hanc orationem Iacob vix attigisse. In libro enim secundo Iudaicarum antiquitatum hoc tantùm de ea scribit: Iacob septem & decem annis in Aegypto exactis inter manus filiorum vitam finiuit, precatus eis priùs prosperitatem & abundantiam; & vaticinatus quòd singulorum posteri in partem possessionis Chanaæorum terræ essent peruenturi: id quod factum est aliquanto pòst tempore. Hæc ibi Iosephus.

Athanasius.

Iosephus.

***

Genes. 49. VERS. 1. & 2.

Vocauit Iacob filios suos,& ait eis, Congregamini vt annunciem quæ ventura sunt vobis in diebus nouissimis. Congregamini & audite filij Iacob;audite Israël patrem vestrũ.

MOs fuit priscis patribus veteris Testamenti,cùm se præsentirent vicinos morti, conuocatis filiis & posteris suis vel amicis,aut quorum ipsi præcipuam gerebant curam, suprema verba loqui, quibus aut ventura ipsis prænuntiarent,aut salutaria bene viuendi præcepta & documenta traderent. Ac licèt primus omnium id fecisse legatur in sacris litteris Iacob patriarcha; credibile tamen fit idem fecisse Adamum, Noë, Abraham & Isaac. Sed quia nouissima illorum oratio nihil habuit insigne & notabile, vel ad prædictionem rerum futurarum, vel ad singularem aliquam posterorum eruditionem, ob eam,opinor, causam non est illa literis & memoriæ prodita. Licèt autem valdè insignis fuerit benedictio illa qua Isaac benedixit Iacob, vt narrat Moses Genes. 27. ea tamen nõ fuit nouissima,& imminente morte collata, vt hæc Iacob. Exemplum patris sui Iacob secuti sunt filij eius, duodecim dico Patriarchas populi Hebræi. Sanè ferebatur olim peruetustus liber hac inscriptione, *Testamentum duodecim Patriarcharum.* In eo multa erant prophetica oracula, graues item ad studium virtutis, Deíque cultũ exhortationes:nonnulla ex libro Henoch inserta vaticinia de iis quæ filiis & nepotibus duodecim Patriarcharum euentura erant, de futuris Hebræorum sceleribus & pœnis, de mundi Saluatore ab Hebræis occidendo,& de Iudæorum ob illius necis vindictam euersione, captiuitate, ac per omnes gentes vniuersúmque orbem terrarum dissipatione. Meminit huius libri Origenes homilia 15.in Iosue, & Procopius Gazæus in Commentariis suis in Genesim. 4

Testamentum patriarchariũ.

Origenes. Procopius. Gazæus.

Moyses quoq; sub finem vitæ suæ nouissima oratione quã habuit ad filios Israël,& benedixit illis, & vice testamenti multa reliquit futurarum rerum oracula & perutilia documenta: vt videre licet in extremo libro Deuteronomij. Idem fecisse Iosue, declarat liber eius cap. 24. idémque fecit Samuel 1.Regum,cap.12. Dauid primi Paralipomenon duobus vltimis capitibus, Tobias cap. 3. & Mathathias primi Machabæorum cap. 2. Auctor porrò & conditor noui Testamenti Christus Iesus post nouissimam cœnam quam mortalis egit cum discipulis suis, ad mortem pergẽs,sermonem habuit bene longum ac planè diuinum, ac cœlestium oraculorum atque præceptorum refertissimum. Cuius exemplo incitatos, legimus idem fecisse magnos & patriarchas Monachorum ac Religiosorum hominum, Antonium dico,Benedictum, Franciscum,Dominicum,aliósque. 5

Animam hominis sub tẽpus mortis diuinatricẽ esse vetus opinio multorum, sed falsa.

Inoleuerat quidem olim apud multos satis graues & nobiles philosophos ea opinio,animum hominis, appropinquante morte,diuiniorẽ euadere,& vi quadã afflari & affici diuinãdi futura: vnde Xenophõ lib. 8.Cyrũ inducit vicinũ morti,affirmantẽ sub tẽpus mortis hominis animam esse diuinatricẽ: & Plato in Apologia,Socratem hæc loqui facit: 6

In illud, inquit, tempus incidi, quo homines maximè solent ventura prædicere, cùm iam morituri sunt. Sed ea opinio vana & futilis est, quanquã eam apud Ciceronem libro 1. de Diuinatione, Quintus Cicero eius frater multis exemplis probare ac firmare conatur: verùm ea vel fabulosa & conficta sunt, vel artificio & fallacia dæmonis composita. Nec verum est, animum hominis propinquante morte diuiniorem effici: quin potiùs cõtrà, quia tunc maximè deficitur corporis ac sensuum viribus, & morborum ac dolorum cruciatu vehementiùs conflictatur, languidior, confusior, atque obtusior fit ad intelligendum. Falsum quoque, tunc eum acriùs & veriùs prospicere futura. Quod si in aliquibus id contingat, id vel ad magnam prudentiam, & rerum ciuilium atque humanarum peritiã longissimo vitæ decursu ab illis comparatam, vel ad cœlestem Dei afflatum & instinctum referri conuenit. Verùm expendamus verba Iacob supra nobis ad explanandum proposita. *Cicero.*

7 In supradictis verbis Iacob bis ponitur verbum illud *Congregamini*, & illud *Audite*, scilicet ad maiorem emphasim & vim orationis, & ad maiorem captandam docilitatem & attentionem; significat enim non tãtùm congregationem corporum & attentionem aurium, sed intentionẽ mentis, & vt ita dicam, congregationem cogitationum, ne aliò diuertantur atque dissipentur. Quo indicauit Iacob, maximi momenti esse, atque eorũ plurimum interesse, quæ dicturus erat, ea ipsos percepta & cognita habere. Rupertus libro 9. Commentariorum in Genesim, cap. 25. ait his verbis denotari duplicem congregationem, & auditionem, alterã secundùm corpus, alteram secundùm animam: Et quia filij Iacob alij sunt filij secũdùm carnem, & alij secundùm promissionem ac spiritum, vt diuinè Paurus disputat ad Rom. 4. & 9. & ad Galat. 4. idcirco putat ipse hæc Iacob oracula & vaticinia, secundùm historiam quidem ad Synagogam; secũdùm verò allegoriam & sensum à Spiritu sancto principaliter intentum, ad Christi Ecclesiam pertinere. Pro illo: *Vt annuntiem vobis* Hebraicè est, *Enuntiabo vobis*: verùm significantius est verbum Hebræum. Namque *Vagarh*, significat ante conspectum & ante oculos ponere: inde enim est præpositio *Vegeth*, significans coràm, & è regione. *Rupertus.*

8 Sequitur: *Quæ ventura sunt in nouissimis diebus:* Fuit igitur hæc denuntiatio Iacob, prophetia diuinitus ei data: nam futura contingentia nosse, solius Dei est. Habuit autem hanc Iacob, vt licet conijcere, non modò sensibili, nec per visiones imaginarias, sed per supernaturalem mentis illustrationem, quod est excellentissimum prophetiæ genus. Hæc autem prænuntiari, eo voluit Deus, vt cùm essent completa, intelligerent Hebræi, ea non casu, neque naturæ necessitate, sed Dei voluntate & ordinatione cõtigisse: præsertim autem vt haberent Hebræi certissimum & manifestissimum indicium eius temporis quo venturus erat Messias, videlicet cùm defecisse cernerent sceptrum de Iuda, & Ducem de fœmore eius.

Per nouissimos autem dies intelligere oportet posteriora tempora, quæ scilicet consecuta sunt id temporis, quo Iacob hoc vaticiniũ edidit: vt idẽ significet, *In nouissimis diebus* quod *in consequentibus vel futuris tem-* *Quid per nouissimos dies intelligere oporteat.*

poribus & sæculis. Certè quæ Iacob denuntiauit filijs suis, eorum quædam exitum habuerunt eo tempore quo duodecim tribus terram Chanaam sortitione diuisam possederunt: ad hoc enim tempus spectat quod Iacob dixit de Simeone & Leui: *Diuidam vos in Iacob, &, dispergam eos in Israel:* Et illud de Zabulon: *In littore maris habitabit Zabulon, & in statione nauium pertingens vsque ad Sidonem.* Alia verò contigerunt tempore Iudicum, vt illud de tribu Dan: *Dan iudicabit populum suum, sicut & alia tribus in Israel, Fiat Dan coluber in via, &c.* quis non videt pertinere ad Samsonem, qui ortus est ex tribu Dan & Iudex fuit populi Hebræi, quique frequenter ac variè occursans Philistæis vehementer eos afflixit atque contriuit? quanquam hoc vaticinium multi, & in primis clari Patres interpretati sunt de Antichristo, vti dicemus cùm ventum erit ad eius loci expositionem. Illud quoque quod de Iuda dixit Iacob: *Iuda te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti:* nemo est tam imperitus sacræ historiæ, vt non animaduertat esse id completum in regibus Iuda, præsertim autem in Dauide. Denique; illud, *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*; præmonstrat expressè tempus Messiæ. Exitus igitur & cõplementum huius prophetię Iacob diuersis admodum tẽporibus accidit.

Iudic 13.

Nec solùm hoc loco nouissimi dies significant quod diximus, sed alijs 9 quoque multis locis: nobis vnum & alterum indicasse satis fuerit. Apud Danielem cap. secundo interpretaturus Daniel visionem statuæ, quam rex in quiete viderat, præfatus est illud: *Indicauit tibi Deus, ô Rex, quæ ventura sunt in nouissimis temporibus.* vbi illud *nouissimis temporibus* significat idem atque [posterioribus temporibus quæ tuam ætatem tuúmque imperium consecutura sunt.] Vnde quod hîc Daniel dixit: *in nouissimis temporibus*, paulò infrà quasi exponens dixit: *Deus ostendit regi quæ ventura sunt postea.* ergo idem est, *quæ ventura sunt in nouissimis diebus*, ac, *quæ ventura sunt postea* id est, post tuum imperium. Certè monarchia Persarum, quæ proximè subsecuta est Imperium Chaldæorum, exorta est tribus tantùm & sexaginta annis post visionem illius statuæ, cuius pectus & brachia argentea, monarchiam illam Persicam figurabant: at verò monarchia Græcorum significata per ventrem & fœmora ærea illius statuæ, minùs trecentis annis exstitit post visionem illius statuæ. Alter locus est in Nouo Testamento apud B. Paulum prioris Epistolæ ad Timotheum, capite quarto, & posterioris capite tertio; quibus locis prædicit fore vt in nouissimis diebus exurgant homines se ipsos amantes, deficientes à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, &c. nouissimi autem dies significati à Paulo, fuerunt tempora proximè subsecuta ætatem Apostolorum: namque homines illi à Paulo præscripti & præsignati, fuêre sectatores Simonis, & item Gnostici, aliique similes hæretici. Quocirca B. Iudas in sua Epistola quam scripsit post excessum Apostolorum, significat, nouissimos illos dies prædictos ab Apostolis, sua ætate iam venisse.

Non

Non me fugit, Rabbi Dauid Kimhi super secundum caput Isaiæ affirmare, quoties in Scriptura nominantur nouissimi dies, vel dicitur, in fine aut in termino dierum, significari tempus Messiæ; idémque docuisse eo loco, & Michææ 4. B. Hieronymum, Lyranum aliósque nec paucos, nec minutos auctores: tempus autem Messiæ ac legis Euangelicæ propterea nouissimum appellari, quòd fuerit finis & terminus status Iudaici, quantum ad legem, Sacerdotium, & Regnum, & finis prophetiarum ac figurarum veteris Testamenti; & quia post legem Euangelicam non erat expectanda alia Lex, nec aliud sacerdotium, nec alia Sacramenta. Nō est omittenda interpretatio huius loci, quam habet Thargum Hierosolymitanum, quæ Latinè conuersa hanc reddit sententiam: *Congregamini & docebo vos finem reconditum, arcana & abscondita; & præmium quod manet iustos, pœnam item impiorum, atque felicitatem horti Eden quænam illa sit.* Sic est ibi. Secundùm quam interpretationem liquet, hanc Prophetiam Iacob non tantùm ad bona temporalia & terrena, verùm etiam ad spiritualia & sempiterna pertinere.

An nouissimi dies in Scriptura, significent dies siue tempus Messiæ.

Rabb. Dauid Kimhi

Hieron.

Lyranus.

Thargum Hierosolymitanū.

9 Isidorus Pelusiota, discipulus B. Chrysostomi, vir, in sua ætate, celeberrimi nominis, scripsit, auctore Suida, tria millia Epistolarum ad diuinæ Scripturæ interpretationē pertinentiū. Mihi tres duntaxat videre adhuc cōtigit Epistolarū eius libros, industriâ & diligētia eruditissimi Billij collectos, & Latinè redditos. In horum primo libro, & in Epistola trecentesima sexagesima quinta, & trecentesima sexagesima sexta, permirum quid, planéque paradoxum scribit. Ait enim, sanctum Iacob, eo consilio, atque animo, cùm iam proximus esset morti, cōuocasse omnes filios suos, vt eis futurum mysterium incarnationis Filij Dei, & descensus eius in terras ad redimendum genus humanum exponeret. Sed quia tantum illi mysteriū audire non erant digni, repentè Deus mentem eius mutauit: fecítque vt prorsus eorum quæ dicere parauerat, oblitus, non prænuntiaret illis futura, sed præterita, & iampridem gesta commemoraret. Hanc porrò suam opinionem firmat auctoritate testimonióque Isaiæ prophetæ. Verùm præstat Isidori verba hîc apponere, Lectori attentè consideranda, pensitandáque: ea verò sunt huiusmodi: Cùm Iacob, qui futura dicturum se promiserat, præterita tantùm filijs suis narraret; contra ea quæ pollicitus fuerat, haudquaquam incedebat: verùm Dei digito sensus ipsius tactus est, eíque vtile silentium indictum est. Nam cùm futuram ex ipsius diuinæ dispensationis incarnationem exponere constituisset; eorū, quæ proposūerat, obliuione captus est: commutatis videlicet ijs quæ nondum facta fuerant, cum ijs quæ iam præterierant. Nam tibi quidem, inquit Deus, quia mentem habes tanto mysterio dignam, non abs re ipsius quoque cognitio credita est: at isti minimè parem Patri suo pietatem habituri sunt. Isaias sanè ipsius Iacob hæsitantiam, & animi perplexitatem, eámque, in quam inciderat instituti sermonis interruptionem (dum alia, quàm quæ vellet, loqui iussus est) his verbis indicauit: *Nedicas Iacob: Abscondita est à Deo via mea, & Deus meus abstulit iudicium, & abscessit à me.* Nihil enim Deus sancto Iacob, quem

Suidas.

Permira quædam opinio Isidori Pelusiotæ.

Isidorus Pelusiota.

Locus Isa cap. 40. secundum Translationem Septuagintæ.

chariſſimum habebat, eripuit, præter eam, de qua dixi, ipſius ad filios pollicitationem; ob pietatis reiectionem quam in ipſis fore proſpiciebat. Hæc Iſidorus.

Sed ego iſtam opinionem poſſum aliquot argumentis oſtendere nequaquam congruere ac conſentire cum ijs, quæ de nouiſſimo illo Iacob ad filios ſuos ſermone & vaticinio ſcripſit in hoc capite Moſes. Principiò vnde compertum fuit Iſidoro, Iacob voluiſſe tantùm exponere filijs ſuis myſteria venturi Meſſiæ? niſi fortè ex illis verbis quæ dixit eis Iacob: *Cõgregamini, vt annuntiem vobis quæ ventura ſunt in nouiſſimis diebus.* Putauit fortaſſe Iſidorus, per nouiſſimos dies non aliud intelligi debere, niſi tempus Meſſiæ, quòd ita ſæpè appelletur in Scriptura. Atenim paulò antè oſtenſum eſt, & in hoc loco, & alibi frequenter in Scriptura, per nouiſſimos dies ſignificari non tempus Meſſiæ, ſed in vniuerſum tempora futura poſt id temporis, quo illud dicitur; ſiue tempora illa ſint priora tempore Meſſiæ, ſiue poſteriora. Deinde ait cùm Iacob vellet futura prædicere filijs ſuis, repentè mutata diuinitus mente, commemoraſſe tantùm præterita. Sed hoc eſſe falſum narratio ipſa Moſis quæ in hoc capite traditur, apertè demonſtrat. Nam ex vndecim prophetijs Iacob hîc expoſitis, octo ſolas continent prædictiones futurorum: in tribus porrò, quarum vna pertinet ad Ruben, altera ad Simeon & Leui, tertia ad Ioſeph, licèt quædam memorentur præterita, adijciuntur tamen etiam quædam alia futura, nec illa præterita dicuntur, niſi in ordine ad futura. & hoc liquidò cernet Lector attentè prophetias illas conſiderans. Adhæc dicit Iſidorus, voluiſſe Iabob exponere filijs ſuis myſteria venturi Meſſiæ; ſed id facere prohibitum eſſe à Deo, quòd illi tantorum myſteriorum cognitione prorſus eſſent indigni. At in ipſis his prophetijs, quas hoc capite ſcripſit Moſes, multa extant prædicta Iacob de Meſſia. Tempus quippe aduentus eius, apertè præmonſtrauit, dicens: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus eſt.* Meſſiam porrò, non Iudæorum modo, ſed Gentium etiam Saluatorem fore, perſpicuè indicauit Iacob illis verbis, *Ipſe erit expectatio Gentium.* Iam verò ſecundùm expoſitionem omnium fermè Patrum, verbis illis Iacob, *Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum*, futura Meſſiæ ſanguinolenta paſſio & mors præfigurata eſt. Sicut etiam verba illa: *Ad prædam aſcendiſti: requieſcens accubuiſti vt Leo, & & quaſi Leæna: quis ſuſcitabit eum?* victoriam Meſſiæ reſurgentis adúbrat, iuxta illud: *Vicit Leo de tribu Iuda.* Teſtimonium denique illud Iſaiæ, quo ſuam Iſidorus firmare opinionem voluit; non pertinet ad perſonam ipſius Iacob, ſed ad poſteritatem eius, & populum Hebræorum, qui ſæpenumerò in Scriptura, nomine Iacob & Iſrael appellatur. Valent autem illa verba ad conſolationem populi Hebræi: ne propter ingentes calamitates, malaque grauiſſima, quibus erat affectus & afflictus, putaret omnino ſe deſertum à Deo, & proiectum eſſe. Verùm quæ ſuper iſta opinione Iſidori hactenus diſputata ſunt, ſatis Lectori eſſe debent.

PRIMA

PRIMA PROPHETIA
De Ruben.

Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio. Effusus es sicut aqua, non crescas: quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius. VERS. 3. & 4.

11 IACOB in alloquendo filios seruat ordinem generationis & ortus eorum quantum ad primos quatuor & duos vltimos, quantum verò ad ceteros, minimè. Et ordo quidem generationis eorum, vt patet ex cap. 29. & 30. Geneseos, hic fuit: Ruben, Simeon, Leui, Iuda, Dan, Nephthali, Gad, Aser, Issachar, Zabulon, Ioseph, Beniamin. Miratur Ruffinus in libr. de Benedictionibus Patriarcharum, cur scriptura, quoties memorat duodecim filios Iacob, ferè diuerso eos ordine recenseat, vt videre licet Genes. 30.46.49. Numeror. 1.2.7.10.12.13.26.34. Deutero no. 27.33. Iosue 15. Orsus est igitur Iacob prophetiam à Ruben, quod is primus esset filiorum, *Fortitudo mea.* Dicitur qui erat primogenitus, fortitudo ipsius Iacob, quòd eum genuisset Iacob cùm erat valido corpore & florenti ætate, agens annum circiter octogesimum quartum, quæ ætas florens æstimari debet comparatione totius vitæ Iacob, quæ fuit centũ quadraginta septem annorum. Vel dicitur fortitudo patris, quia in ipso apparuit virile robur & perfectio patris. Nam tunc demum vnumquodque perfectum est, cùm generare potest sibi simile, vt docet Aristot. lib. 4. Meteororum. Vel nominatur fortitudo, quia ipsum maximè decebat esse robur ac firmamentum patris sui, & quasi baculum senectutis eius.

Ruffinus.

Cur primogenitus dicatur fortitudo vel dolor patris.

12 *Principium doloris mei,* ita dicitur, quia Ruben ob incestum cum nouerca sua commissum, dolorem patri grauissimum inussit: vel quia ipse primum attulit laborem & solicitudinem patri vt rebus eius prospiceret. Sic enim naturâ comparatum est, vt parentes, statim vt genuerunt filios, cura incessat & sollicitudo consulendi ipsis, eorúmque rebus prouidendi. Vel, vt interpretatur Thostatus, primogenitus filius dicitur dolor patris, quòd in virginibus primus congressus nõ sine dolore ac pœnitentia peragitur: id quod etiam dixit Plin. lib. 10. ca. 63. Homini tantùm, inquit, primi coitus pœnitentia, augurium scilicet vitæ à pœnitenda origine. Hanc interpretationem si admittimus, etiam illud intelligere licet, quanta fuerit Iacob castitas, qui ante primum vxoris congressum, iam grandis natu nullam mulierem attigerat. Pro his autem verbis, Pagninus & alij ex Hebræo ad verbum sic vertunt: *Principium roboris vel laboris mei.* Vox enim Hebræa *on* significat robur & laborem: opus enim robore est ad ferendũ laborem. Chaldaicè est *Principium seminis mei:* Græcè est, *Principium vel caput filiorum meorum*, quomodo nominatur primogenitus Deutero. 21. Veruntamen in hac lectionum varietate eadem est sententia.

Genes 35.

Thostatus in ca. 49. Genes.

Plinius.

Pagninus.

Prior in donis, maior in imperio. Supplendum est illud, *esse debebat.* & his quidem verbis duplex tangitur prærogatiua primogenitū: quarum altera pertinebat ad vtilitatem, significata illis verbis, *Prior in donis*; etenim in diuisione hæreditatis paternæ, primogenitus præponebatur ceteris filiis, accipiendo duas partes hæreditatis, & de bonis paternis dabantur ei cuncta duplicia; hoc enim præceperat Deus Deuter. 21. *Dabit*, inquit, *pater primogenito suo de ijs quæ habuerit, cuncta duplicia, iste est enim principiū liberorum eius, & huic debentur primogenita*, atque hoc quidem seruauit Iacob erga filium suum Ioseph, ad quem transtulit ius primogenituræ Ruben quantum ad hoc: vide c. 48. lib. Gen. & cap. 5. lib. 1. Paralipom. 13

Altera prærogatiua primogeniti pertinebat ad honorem & dignitatē, quæ significatur illis verbis, *Maior in imperio.* Habebat enim primogenitus quasi regalem quendam principatum atque dominatum in omnes fratres: id quod licet perspicere ex ijs verbis quæ dixit Isaac Genes. 27. benedicens filio suo Iacob, eúmque constituens primogenitum.

Octo primogenitorum antiquitus, prærogatiuæ.

Octo porrò memorantur fuisse primogenitorum prærogatiuæ in populo Dei, etiam ante legem Mosis. Prima, Erant Sacerdotes, & idcirco Leuitæ assumpti sunt vt essent Sacerdotes in cultu Dei loco omnium primogenitorum Israel, vt 2. c. Numer. traditur. Secunda: Primogenitus sedebat primus in mensa, maiórq; portio ei dabatur: vide 42. c. Gen. Tertia: Benedicebat ille alios fratres, & ipsi submittebant se illi, & adorabant eū. Quarta: Habebat imperium & dominatū in fratres, vt Gen. 27. indicant verba Isaac. Quinta accipiebat duplices partes paternorum bonorum, vt traditur Deut. 21. Sexta: Primogeniti redimebantur quinque siclis, alij verò filij minimè, tanquam illi specialiter essent Deo consecrati & addicti. Septima: Vtebatur singulari quodam vestitus genere, id est, præ ceteris fratribus delicato & pretioso: quamobrem Iacob induit vestes Esau. Octaua & vltima prærogatiua: Primogenitus singulariter benedicebatur à patre iã moribundo: atque has ferè omnes prærogatiuas perdidit Rubē. 14

Paraphrasis Chaldaica.

vnde paraphrasis Chaldaica sic habet hoc loco: Tuū erat vt acciperes tres partes potiores prę fratribus tuis, sacerdotiū, primogenituræ, & regnū: sed quia peccasti, data est primogenitura Ioseph, regnū Iuda, sacerdotiū Leui.

Varietas lectionum. Hieronymus.

Pro supradictis verbis, *Prior in donis, maior in imperio,* Pagninus vertit, *Excellentia dignitatis, excellentia fortis.* Arias Montanus sic reddit: *Excellentia extollendi, excellentia fortis.* B. tamen Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim ita transtulit ex Hebræo: *Maior ad portandum, & maior robore*, Verùm multò dissimillima est lectio Græca, quæ, vt hîc refert Hieronymus, sic habet: *Durus ad ferendum, & durus procacitate & iniuria.* 15

Ruffinus.

Ruffinus ita legit: *Durus in conuersatione, & durus temerarius contumeliam irrogasti.* Romana editio Græca quæ ad fidem & veritatem vetustorum exemplarium censetur emendatissima, ita expressit: *Durus ad ferendum, & durus peruicax fecisti contumeliam:* quæ verba nihil sanè faciunt ad declarandam dignitatem futuram Ruben, si is non peccasset; sed valent potiùs ad exaggerandum peccatum eius: quasi dicat, ipsius scelus fuisse valdè durum & intolerandum, ex maxima temeritate & contu

contumacia natum, & cum ſumma patris iniuria atque cõtumelia coniunctum.

16 Sequitur: *Effuſus es ſicut aqua, non creſcas.* Hierony. ex Hebræo habet. *Effuſus es ſicut aqua, ne adijcias.* Pagninus vertit, *Leuis ſicut aqua.* Montanus, *Feſtinatio ſicut aqua.* Verùm hæc omnia eôdem recidunt: ſenſus enim eſt, Non potuiſti cohibere tam nefariam libidinem; ſed præceps ruens ad ſcelus, effudiſti eã, & vt ait Hieronymus, quaſi aqua quæ vaſculo non tenetur, voluptatis effuſus es impetu. Ergo his verbis denotatur intemperantia libidinis Ruben; qui ne à nouerca quidem ſua, patre adhuc viuente, temperare ſibi, & libidinem coërcere potuerit. Ceterùm diuerſa eſt apud Lyranum interpretatio horum verborum: Hoc intereſt, ait Lyranus, inter aquam & alios liquores, vt vinum, oleum, atramentum, quòd hi dum ex vaſe quo continentur, effunduntur, ſemper aliquid ſui relinquunt inhærens vaſi; vel ſubſtantiæ, vt mel; vel ſaporis, vt vinum; vel coloris, vt atramentum; vel odoris & pinguedinis, vt oleum; aqua verò effuſa nihil horum relinquit, non ſaporem, non colorem, non odorem, ſed omnino vacuum relinquitur vas. Putat igitur Lyranus eo ſignificari, Ruben ſuo ſcelere perdidiſſe omnes prærogatiuas primogenitorum. Atenim Thoſtatus ſic exponit: aqua effuſa non attollit ſe ſuper terram, ſed ad decliuiora & humiliora loca terræ defluit: Sic Ruben, cùm propter ius primogenituræ extolli debuiſſet ſuper ceteros fratres, propter ſcelus ab ipſo admiſſum depreſſus & deiectus eſt.

Hiero. in traditionibus Hebraicis.

Lyranus.

Differentia liquorum.

17 Illud porrò quod ſubditur, *Non creſcas*, prophetia eſt eius quod futurum erat, dictum enim eſt *Non creſcas*, pro Non creſces. Quid eſt autẽ *Non creſcas?* Non creſcas dignitate, ſupereminendo aliis, vel noncreſcas propagatione familiæ, videlicet numerosè multiplicata poſteritate. Atq; hic poſterior ſenſus videtur conuenientior: namq; vt ex lib. Numer. licet animaduertere, tribus Ruben non ęquè ampla & numeroſa fuit ſicut ceteræ tribus, præſertim autem tribus Iuda. Quapropter etiam Moyſes ſpiritu prophetico, vt eſt in Deuteronom. cap. 33. de tribu Ruben loquens: *Viuat*, inquit, *Ruben, & non moriatur, & ſit paruus in numero.* Græca lectio ſic habet: Sicut aqua non efferueſcas, vel vt alij legunt, non ebullias, id eſt, non extollaris, neque creſcas, vt ſolet aqua bulliens, & efferueſcẽs: vel non caleſcas ad multiplicandam prolem. Sic enim exponit Theodoretus.

18 Verùm quęrat aliquis, Quomodo Iacob, vir nempè ſanctiſſimus, maledicat & imprecetur mala filio ſuo, cùm id ne in ipſos quidem inimicos fieri deceat? Sed facilis eſt reſponſio: Sępenumero quidem in ſacris literis legi, ſanctos viros mala eſſe imprecatos hominibus ſceleratis: vide pſalmo 34. 54. 82. 108. & Iſaiæ cap. 2. Et ne credatur id feciſſe eos perturbatione animi, vt ira, vel odio incenſos, ſcire conuenit, eiuſmodi orationes non fuiſſe ſanctorum hominum imprecationes aut vota, ſed prædictiones propheticas: quocirca verba optatiui modi declaranda ſunt per verba indicatiui & futuri temporis. Sanè apud Iſaiam, capite 2. pro illo: *Ne dimittas illis hoc peccatum*, lxx. Interpretes faciunt Deum ea verba loquentem: *Non dimittam eis hoc peccatum.* Præterea viri ſancti intelligẽtes illa

Theod. in Gen. q. 109 & vlt.

Sanctos imprecari mala hominibus ſceleratis, quomodo ſit intelligendum.

illa mala esse impijs æterno Dei decreto parata & constituta, conformãtes se ad eius voluntatatem, volunt id quod velle Deum norunt: quinetiã se ipsi offerunt & exhibent diuinę iustitiæ ac vindictæ ministros: sicut fecit Elisæus 4. Reg. c. 2. aduersus eos pueros qui ei illudebant & insultabant. Lege B. Augustin. lib. 12. contra Faustum, ca. 33. Similiter beatus Petrus fraudem & perfidiam Ananiæ & Saphiræ repentina morte puniuit: & Paulus contumaciã Magi Elymæ prædicationi euangelicæ repugnantis subita cæcitate percussit. Adijce quod non ferè solent sancti imprecari mala spiritualia, sed tantùm corporalia, quæ scilicet futura sperant improbis, tanquam medicinam sanandis morbis animi, ac velut frænum coërcendis ac reprimendis eorum cupiditatibus, & quasi acres quosdam stimulos incitandis eorum animis ad studium virtutis, Deique cultum & legis eius obsequium. Vnde Dauid: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine.* Et rursus: *Cum occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur:* & alio loco loquens de ipso: *Bonum,* inquit, *mihi, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.*

Augustin. Act. 5.

Psal. 82.

Psal. 77.

Psal. 18.

Restant extrema illa verba huius vaticinij de Ruben explicanda: *Quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.* Quibus verbis indicat Iacob iustam sibi fuisse causam maledicendi filio suo Ruben: Historia rei huius nota est ex cap. 35. lib. Genes. vbi traditur, Ruben dormiuisse cum Bala vxore patris sui, nec id latuisse patrẽ. In quo scelere multa erant implicata crimina, primum adulterij, violando alienam vxorem, tum incestus, constuprando nouercam suam; ad hæc summæ ingratitudinis atque irreuerentiæ & insignis contumeliæ aduersus patrem suum. Quocirca B. Paulus 1. ad Corinth. 5. exaggerans huiusmodi peccatum, vehementer obiurgat Corinthios, quòd tale peccatum non seueriſsimè castigassent: *Auditur*, inquit, *inter vos talis fornicatio, qualis nec inter gentes, vt habeat quis vxorem patris sui. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum qui id operatus est.* Et subdit, se decreuisse eum hominem tradere Sathanæ in interitum carnis. Pagninus sic vertit hunc locum: *Ascendisti cubile patris tui, tunc polluisti, stratus meus* excisus fuit: Et sic videtur legendum secundùm punctuationem Hebræorum; id est, inquit Kimhi, & Aben Esra, *A die quo tu polluisti stratum meum, stratus meus fuit excisus vel defecit:* quo significatur, post id temporis Iacob nunquam rem habuisse cum Bala, sed eam à suo thoro separasse. Simile fecit Dauid decem suis concubinis, congressu Absalonis fœdè violatis, vt est in 2. Reg cap. 16.

Opinio B. Ambrosij expenditur.

Verùm Ambrosius lib. de Benedictionibus Patriarcharum ca. 2. hanc 17
nostram interpretationem, quæ verè historica est, vt falsam & ab Hebræis confictam improbat. Iudæi, inquit, putant Iacob dixisse hoc ad Ruben, quia cum concubina sua Bala concubuerat, & patrium thorum polluerat. Sed facilè refelluntur: hoc enim erat antè gestum. Iacob autẽ, nõ ea quæ gesta erant, sed quę ventura erant in nouissimis diebus, professus est se esse dicturum. Ergo Iacob videns, persequentibus Iudæis, futuram Domini passionem, execratur immanem primogenitæ plebis audaciam,

quæ in

quæ incredula, nec legi Dei subdita, iugum Christi dura nescіens portare ceruice, auctorem vitæ non solùm scelere necis, sed etiam sacrilegæ insultationis affecit iniuria. Sic Ambrosius. Sed profectò Ambrosij expositio mystica potiùs est quàm literalis, vt manifestum est cuiuis eam perpẽdenti. Nec eius refutatio nostræ interpretationis firma est: Scelus enim Ruben iam pridem admissum hîc memoratur à Iacob, vt iustam esse ostendat causam eius pœnæ seu vindictæ, qua eum punitum iri prædicit. Prophetia igitur Iacob, pœnam & vindictam Ruben respicit vt futurã; vt eius autem causam & meritum, narrat flagitium Ruben iam patratum. Non igitur secundùm hanc expositionem contra propositum & sententiam suam fecit Iacob. Concludam hunc locum, subijciens quasi paraphrasticam eius explanationem à Hieronymo traditam in Quæstionibus Hebraicis in Genesim. Sensus, inquit Hieronymus, loci huius est hic; Tu Ruben es primogenitus meus maior in liberis: & sedebas iuxta ordinem natiuitatis tuæ, & hæreditatem quæ primogenitis iure debebatur, sacerdotium scilicet & regnum accipere debebas: hoc quippe in portando onere & prævalido robore demonstratur. Verùm quia peccasti, & quasi aqua quæ vasculo non tenetur, voluptatis effusus es impetu, idcirco præcipio tibi vt vltra non pecces, sisque in fratrum numero pœnam ex peccato luens, quòd primogeniti ordinem perdidisti. Sic Hieronymus. *Hieronymus.*

18 Atque historica quidem huius vaticinij enarratio ita se habet. Mystica porrò, id est, allegorica & tropologica quoque attingenda est. Allegorica triplex à Patribus traditur. Etenim Ambrosius & Isidorus hanc prophetiam applicant ad populum Hebræum & Christum Dominum. Nãq; in Exodo & apud Oseam populus Hebræus appellatur filius & primogenitus, prior vtique in donis, & maior in imperio: multas enim magnásque prærogatiuas à Deo accepit, quas priore parte Deuteronomij Moses cõmemorat, & Paulus ad Rom. 9 eásque nos fusiùs explicauimus lib. quarto Commentariorum in Danielem super illa verba Cant. trium puerorũ: *Benedicat Israel Dominum, laudet & superexaltet eum in secula.* Is autem populus perdidit omnia Dei beneficia, & à Deo maledictus est, quia ascendit cubile Dei, & stratum eius commaculauit, quia fuit contumelioſus contra carnem & corpus Christi, affigens illud cruci: Sancta verò illa Humanitas fuit quasi lectus Diuinitatis. Si enim deliciæ sunt Dei esse cũ filijs hominum, quanto magis esse cum filio suo? de quo ipse dixit: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Hunc lectum macularunt Iudęi cùm Christum occiderunt. *Allegorica interpretatio triplex. Ambros. Isidorus. Dan 3. Prou. 8. Matth 3. & 17.*

Ruffinus sequitur hanc interpretationem quæ pertinet ad populum Hebræum: sed discordat eo quòd illud de cubili maculato & strato polluto, non de Christo interpretatur, sed de lege Mosaica, per quam Legem Deus in eo populo tãquam habitabat & requiescebat. Eam porrò Iudæi legem macularunt quatuor modis: primò, non eam obseruando; tum intelligendo eã tantùm carnaliter & secundùm literã quæ occidit, nõ secũdùm spiritũ qui viuificat: ad hæc cùm lex Mosis esset velut pędagogus, vt ait Paulus, prępарãs & idoneũ faciẽs eum populum ad accipiẽdã Christi *Ruffinus.* *Quatuor modis Iudæi polluerunt legem Mosis.*

gratiam, Iudæi prætulerunt legem gratię Christi, & maluerunt esse sub
2.Cor.3. iugo legis quàm sub Christi libertate. postremò Iudæi vanè & superbè
Gal.3. gloriabantur de externa legis obseruantia, nullo respectu, nullaque cura
habita fidei, charitatis & iustitiæ: quę res precipuus erat legis fructus ac
Mat 9.& 23. finis.

Glossa ordinaria. Tertia allegoria tangitur in Glossa, pertinens ad Luciferum vel Adamum. Etenim Lucifer fuit quasi primogenitus inter alios Angelos, amplissimis Dei muneribus super omnes ornatus; qui tamen effusus est sicut aqua, de sua felicitate sibi vanissimè placens, & superbissimè insolescens: quocirca effusus est de cælo nempe deturbatus ac deiectus, quia ascendit cubile Dei, honorem scilicet soli Deo debitum affectans: id quod significant verba eius apud Esaiam: *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero Altissimo.*
Esa.14.

Tropologia. Cęterùm secundùm tropologicum sensum, possunt hæc accommodari ad Pseudoprophetas & hæreticos, vt facit Rupertus. Ruben quippe typus est Hæreticorum, qui videri in Ecclesia volunt tanquam primogeniti, gloriantes de Spiritu, de puro verbo Dei, de magnis donis eloquentiæ ac doctrinæ; atque ob id alios præ se contemnentes. Verùm quia lectum patris sui polluunt, id est, Ecclesiam, & conscientias simplicium ac rudiũ hominum falsis doctrinis maculant, meritò diuinis, & Ecclesiasticis maledictis, execrationibus & pœnis plectũtur. Simile quid dici potest in malos Prælatos Ecclesiæ, eósque magis quo sunt maiores: siquidem in populo Christiano Prælati, sunt velut primogeniti, honoribus, delicijs, omniúmque bonorum copia affluentes; verùm effunduntur sicut aqua, quia cùm ad amorem cœlestium rerum omne studium suum conferre deberent, terrenarum rerum cupiditatibus depressi, defluunt ad amorem & consectationem bonorum huius mundi. Hi maculant cubile Dei, hoc est, Ecclesiam suo exemplo dehonestant atque turpant, & tantæ dignitatis fastigium, exemplo vitæ valdè fœdant. 23

Quatuor documenta. Possunt hinc præterea quatuor elici perutilia documenta; primũ: Boni patris esse flagitiosos filios asperè tractare, & pro meritis eorum castigare: nam qui talibus filijs indulgent, iusto Dei iudicio per ipsosmet filios
1.Reg.3. grauiter puniuntur, vt contigit Heli pontifici & regi Dauidi: Alterum,
2.Reg.18. vindictam admissi sceleris semper esse timendam, nam etsi sæpe lenta & sera, nunquam tamen irrita est. Ecce sceleris, Ruben, post quadraginta annos quàm fuerat ab eo patratum, & à Iacob dissimulatum, vindicta & pœna pronuntiata est. Tertium, quàm vili de causa sæpissime homines
Genes.25. peccando plurima & maxima bona perdant. Nonne Ruben omnia pri-
Hebr.12. mogenituræ bona amisit breuissimæ voluptatis turpissima mercede? quémadmodum Esau quoque edulio lentis vendidit primogenita. Quartum; quantum sit scelus & nefas, contumacem & contumelioſum esse in parétes: cuius rei tria sunt perillustria in sacris literis exempla, vnum Cham filij Noe, alterum Ruben filij Iacob, tertium Absalonis filij Dauidis.
Genes 9.
2.Reg.18. 24

SECVN

SECVNDA PROPHETIA,
De Simeone & Leui.

Simeon & Leui fratres, vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea; quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum quia pertinax; & indignatio eorum quia dura: diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israël. *Genes. 49. Vers. 5. 6. & 7*

25 AD intelligentiã huius prophetiæ, memoria repetere oportet historiam cædis Sichimitarum factam à filijs Iacob, præcipuè tamen à Simeone & Leui, quam narrauit suprà Moses capite trigesimo quarto huius libri. Hoc igitur eorum facinus, vt plenum iniquitatis, furoris & crudelitatis, detestatur Iacob hoc loco. Ac licèt omnes filij eius ad cædem illam faciendam concurrerint: quia tamen eius cædis faciendæ impulsores, auctores & principes fuerunt Simeon & Leui; propterea eos tantùm culpat, & incusat Iacob. Signatè verò appellauit eos fratres, non quidem carne; namque ea ratione alij quatuor similiter erant eorum fratres, eodem scilicet patre matréque generati; sed fratres vocantur societate, & concordia sceleris. *Vasa iniquitatis bellantia.* Vocabulum vas in Scriptura, prout varijs cum rebus iungitur, varias item habet significationes; sed in vniuersum significat idem atque instrumentum: vnde vasa bellantia vel bellica, significant instrumenta bellica, id est, arma; & vasa psalmi, id est, instrumenta musica. Abominatur igitur Iacob arma bellica, quibus iniquè vsi sunt Simeon & Leui ad cædem Sichimitarum: nam illud, *Vasa iniquitatis*, Hebraismus est, pro, vasa iniqua, vel iniquè adhibita.

26 Sed quæ & quanta fuit in ea cæde illorum iniquitas? Sanè multiplex & grauis admodum ac deformis. Primò, cædes illa facta est contra pacẽ datam & pactum initum cum Sichimitis: deinde per dolum & fraudem fecerant pacem, non sincerè sed simulatè, quo faciliùs ac vehementiùs homines inermes atque incautos opprimerent: præterea peccarunt contra suam ipsorum religionem, nam cùm suasissent illis vt ritum Iudaicum circuncisionis subirent, nihilominus tamen eos iam ad Iudaicam religionem adscitos interemerunt: ad hæc occiderunt eos cùm maximè circuncisionis cruciatu & dolore conflictarentur: his accedit, quòd non solùm interfecerunt Sichem qui auctor fuerat stupri, sed omnes insuper ciues, homines scilicet innocentes, nec eius flagitij participes: ad extremum, nõ satis fuit neci dare homines, sed præterea vrbem vsquequaque vastarunt & euerterũt. itaq; maior scelere vindicta fuit. Supra, in caput. 34 ad num. marginalẽ 18. ostendimus nouẽ peccata filiorũ Iacob in illa cæde notari. *Quàm multiplex & quàm grauis iniquitas fuerit in cæde Sichimitarum.*

Quæstio, an iusta fuerit cædes Sichimitarum propter verba Iud.

Ceterùm existit quæstio, quemadmodum Iacob cædem illam Sichimitarum tantopere detestetur, cùm eam sancta illa mulier Iudith non solùm commendet, verùm etiam Deo auctore atque incitatore factam prædicet; Namque c. 9. libri eius in ea precatione quam habuit ad Deum, hęc dixit: *Domine Deus patris mei Simeonis, qui dedisti illi gladium in defensionẽ alienigenarum qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, & denudauerunt fœmur virginis in confusionem, & dedisti mulieres illorum in prædam, & filias illorum in captiuitatem, & omnem prædam in diuisionem seruis tuis qui zelauerunt zelum tuum.* Ait igitur Iudith, Deum dedisse Simeoni gladium in vltionem Sichimitarum. nam hoc significat illud, *in defensionem alienigenarum.* frequens enim est Latino Interpreti, pro vlcisci, defendere; & pro vltione defensionem ponere, veluti ad Roma. 12. *Nõ vosmetipsos defendentes, sed date locum iræ:* & Iudith cap. primo. *Iurauit per Thronum suũ quòd se defenderet ab illis regionibus.* ait item Simeonem eo facto zelauisse zelum Dei, Deúmque non solùm approbando, sed etiam remunerando illud factum; dedisse illi quasi mercedem operis, mulieres & virginis in captiuitatem, omnémque supellectilem in prædam. 27

Locus Iudith. cap. 9.

Magist. histor. Scholastic. Dionysius. Chartus.

Magister Historiæ Scholasticæ, & Dionysius Carthusianus super eum locum Iudith, viderunt hanc difficultatem, & ad hunc modum expediri posse putarunt. Cædes, inquiunt, Sichimitarum tripliciter cõsiderari potest: vel ex parte Dei, & sic iusta fuit, decuit enim Deum fœdissimum illud stuprum non inultum dimittere: vel ex parte Sichimitarum, qui quoniã de scelere vel ab ipsis, vel apud ipsos commisso nullam egerant pœnitentiam, digni profectò erant supplicio: atque hac duplici ratione cædes illa laudari potest & laudata est à Iudith: vel ex parte Simeonis & Leui, & sic planè iniusta fuit, quia cum dolo & contra datam fidem, & post fœdus ac pacem initam facta est; & hac ratione eam Iacob dãnat ac detestatur. Veruntamen, si quis consideratè perpendat supradicta verba Iudith, aduertet, hoc istorum responso nequàquam exhauriri propositam difficultatem. Dicit enim Iudith Simeonem zelasse zelum Dei, ergo videtur laudare cædem illam, etiam ex parte Simeonis. 28

Lyranus & Auctoris sententia.

Quocirca similius vero est responsum Lyrani, qui explanans verba illa Iudith, iubet nos in illa cæde duas res considerare; quarum altera, est zelus quo incensi sunt illi ad faciendam cædem; altera, est modus quem in facienda cæde tenuerunt. Zelus quidem fuit odium stupri sororis, quod iustum erat & laudabile, voluntas etiam vlciscendi tantum scelus, hoc est, vt non abiret inultum & impunitum, & hoc quoque bonum fuit: denique studium repellendi iniuriam sorori illatam, quod erat honestum. Ac de his quidem laudatus est Simeon à Iudith. Atenim modus quo ista fuit executi, & ad effectum perduxerunt, prauus, peruersus & abominabilis fuit, id est, vt diximus, per dolum, & cum summa crudelitate. Quamobrem & cædem, & cædis auctorem meritò detestatus est Iacob. 29

Sed purgamus quæ sequuntur exponere, *In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea.* Sensus est: Absit, vt ego tanto sceleri vlla ratione assensus sim, & tam iniqui consilij participatione 30

fœda

fœdauerim gloriam meam. vel: Abſit, vt factum illud ad laudem & gloriam meam pertinuiſſe putetur. Totum hoc eò ſpectat, vt demonſtret Iacob, ſe neque tunc participem fuiſſe illius ſceleris, & nunc ipſum deteſtari. Alij ſic exponunt; Nolit Deus, vel, Auertat Deus, vt in concilium ac cœtum eorum aliquando veniat anima aut gloria mea: nam vt ſunt temerarij & furentes, ne mihi quidem parcerent: quod ita diceremus Italicè: *Dio guardi la vita e l'honor mio dalle conſulte & congregationi loro.* Vox *Conſilium*, Hebraicè ſignificat non modò conſilium, ſed quicquid occultum & ſecretum eſt.

Rabbi Salomon illud, *In conſilium eorum non veniat anima mea*, ait ſpectare ad facinus Zamri qui inſpectante Moſe cum vniuerſo populo intrauit lupanar vt coiret cum muliere quadam alienigena: quamobrem Dei zelo incenſus Phinees, vtrumque gladio perfodit. Vide c. 25. Numer. Itaque pro conſilio legit & intelligit Salomon ſecretum locũ, id eſt, lupanar: hoc ergo ſcelus præuidens Iacob ſpiritu prophetico, illis verbis abominatus eſt. fuit autem Zamri de tribu Simeonis. Quod autem ſubiungitur, *Et in cœtu illorum non ſit gloria mea*, idem Salomon pertinere exiſtimat ad ſeditionem illam quam Core, qui erat de tribu Leui, concitauit aduerſus Aaron, arrogare ſibi volens dignitatem & poteſtatem ſacerdotalem: cuius rei Moſes hiſtoriam ſcripſit c. 16. Numer. Sedenim cum ea interpretatione nequaquam conſonant verba quæ proximè ſequuntur: *In furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum*: quod ad hiſtoriam Zamri & Core minimè quadrat.

31 *Quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murũ.* Illud, *virum*, vel dictum eſt pro *viros*, id eſt, Sichimitas omnes, poſito ſingulari pro plurali; vel occiderunt virum, idem valet atque, fuerunt homicidæ: vel potiùs ſingulariter dictum eſt, occiderunt virum, propter Sichem ſtupri auctorem, cuius vnius vlciſcendi nimia cupitate, etiã ad alios omnes eius ciues cædes illa graſſata eſt. Illud *ſuffoderunt murum*, hanc habet ſententiã: Tanto furore debacchati ſunt, vt non contenti fuerint cæde hominum, ſed inſuper vrbem vſquequaque depopulari, vaſtare ac demoliri voluerint. Suffodiſſe eos murum, in hiſtoria eius rei quæ ſupra narrata eſt cap. 34. non ponitur expreſsè, ſed fortaſſe ſignificatur illis verbis: *Simeon & Leui arreptis gladiis ingreſſi ſunt vrbem confidenter, interfectiſque omnibus maſculis, Hemor & Sichem pariter necauerunt.* Illud, *Confidenter ingreſſi ſunt vrbem*; ſignificare videtur, audacter eos eſſe ingreſſos diruendo partẽ aliquã vrbis: vel potiùs ſignificatur aliis illis verbis proximè ſequentibus: *Quibus egreſſis, irruerũt ſuper occiſos cæteri fili Iacob, & depopulati ſunt vrbem in vltionem ſtupri.* Ex quibus verbis exiſtimare licet, Simeonem & Leui auctores fuiſſe cædis hominum, cæteros autem fratres eorum tantùm direptionis & vaſtationis vrbis.

32 Pro illo, *Suffoderunt murum*, lxx. verterunt, *Subneruauerunt taurum*: nã vox Hebræa *Sor*, frequenter vſurpatur in Scriptura ad ſignificandũ taurũ vel bouem: Eſt autem Subneruare, incidere neruos, id eſt, infirmare vires & robur tollere. Per taurum ſignificatur Sichem, qui ętatis iuuenilis cùm

esset, pollebat robore corporis. Hebræi significari putant Ioſephum, ad
Gen 37. quem occidendum primi omnium Simeon & Leui conſpirarunt, & ceteris fratribus in eius necem conſpirandi auctores fuerunt: nam licèt hoc in ſacris literis explicatè non tradatur, eſt tamen valdè veriſimile. neque enim minores fratres auſi eſſent tantum ſcelus tentare, niſi eius faciendi priores & maiores fratres principes fuiſſent.

Ibidem. Ac non fuiſſe cędis eius auctorem Ruben neque Iudã, eo liquet, quòd Ruben adnixus eſt liberare Ioſeph de manu aliorum fratrum, & Iudas vt necem eius auerteret, ſuaſit eum vendi Iſmaelitis: conſequens igitur eſt principes eius ſceleris fuiſſe Simeonẽ & Leui. Ad huius quoque rei confirmationem facit, quòd cùm Ioſeph in Ægypto inſimulaſſet fratres ſuos proditionis quaſi eſſent exploratores, & idcirco vnus eorum relinquendus eſſet quaſi obſes in poteſtate Ioſeph, relictus eſt Simeon, vt qui auctor fuerat conſpirationis aduerſus Ioſeph, ipſe præ ceteris eius ſceleris
Gen. 42. Caietan. pœnas lueret. Atque hunc in modum argumentatur Caietanus; cui etiã ſuffragatur Thargum Hieroſolymitanum, ſic habens hoc loco: *In ira ſua occiderunt virum, & in voluntate ſua vendiderunt Ioſeph, qui aſſimilatus eſt boui.* Comparatus eſt autem tauro Ioſeph, propter dignitatis & poteſtatis
Geneſ 36. Infrà 41. eius excellentiam primùm ipſi puero in ſomnis demonſtratã, poſtea comparatam in Ægypto. Moſes certè Deuter. 33. benedicens Ioſeph, comparat eum primogenito tauri.

Atenimuerò hæc interpretatio præterquam quod continet ſententiã leuibus nixam coniecturis, etiam non congruit cum eo quod adijcitur, *Occiderunt virum*, non enim Ioſeph ab illis occiſus eſt. Dicitur porrò furor eorum pertinax, & dura indignatio, quia etiam poſt pacem factã, fœdúſque percuſſum perdurauit, neque exſaturari potuit mediocri pœna; nec niſi omnia funditus euertendo ac delendo expleta eſt.

Diuidam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſrael, His verbis continetur 33 prophetia Iacob pertinens ad pœnam ſceleris eorum, nam ſuperiora facinoris eorum expoſitionem ſimúlque deteſtationem habẽt: ſenſus autem horum verborum eſt: Quia, inquit, ſceleratiſſimam iſti duo coierunt ſocietatem, idcirco non habitabunt ſimul in Terra promiſſionis, ſed diſiuncti erunt inuicem: quod ita euenit. Simeon enim non habuit ſeparatam hæreditatem, ſed eam accepit in medio tribus Iuda, vt traditur Ioſue 19. tribus autem Leui diſperſa erat per omnes tribus: nam quia nulla eſt data Leuitis hæreditas, aſſignatæ ſunt illis ciuitates ad habitandum, ſparſæ per
Ex tribu Simeonis fuiſſe pædagogos & magiſtros puerorum. alias tribus. Hebræi tradunt ex tribu Simeonis fuiſſe pædagogos & magiſtros puerorum populi Hebræi, qui victus parandi & lucri faciendi cauſa ceteras tribus peruagabantur in docendis & erudiendis pueris occupati. Cui traditioni adeſt Thargum Hieroſolymitanum, in quo locus hic ita expreſſus eſt: Dixit pater noſter Iacob, Non conuenit vt hæc caſtra ſimul ſint: alioqui nullus populus, nullúmque regnum poterit conſiſtere corã eis. Diuidam ergo tribum Simeonis, vt ſint Scribæ & doctores legis in Synagoga Iacob: tribum verò Leui diſtribuam vt præſit concionibus, vel contentionibus inter filios Iſrael.

Verùm

34 Verùm illud inquisitione & explicatione dignũ est, cur Moses, Deut. 33. omnibus aliis tribubus benedicens, solã tribum Simeonis sine benedictione prẽterierit. Nec est probabile responsum eorum qui aiunt, quia Iacob maledixerat Simeoni, propterea Mosen noluisse eius tribui benedicere: namque ob eandem causam nec tribui Ruben, nec Leui benedicere debuisset Moses. Illud foret probabilius (siquidem verũ esset) propterea indignã benedictione Simeonis tribum esse iudicatã, quòd ille eius tribus sator & parens, ad necem Ioseph inferendã præ ceteris incubuisset: sed quia hoc probari non potest, magnã fidem non habet. Illud igitur verius dictu fuerit, quia non multo ante, vt est in lib. Numer. cap. 25. Zamri princeps tribus Simeonis, spectante Mose atque vniuerso populo, lupanar Madianitarum ingressus, cum quadam Madianite concubuerat, summo cum mœrore totius populi & principum indignatione, atque insigni Dei contumelia: quia etiam huius facinoris recens erat memoria, ad eius detestationem Moses ei tribui suam benedictionem impertiri noluit.

Dubitatio cur Moses Deut. 33. benedicens cæteris tribubus, prætermerit tribum Simeonis.

Vera solutio.

35 Dicendũ prẽterea nonnihil est (vt curioso lectori satisfaciamus) de varietate lectionis huius loci: S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim, hanc citat lectionem huius loci ex interpretatione Septuaginta interpretum: Simeon & Leui fratres consummauerunt iniquitatem adinuentionis suæ: In consilium eorum non veniat anima mea, in congregatione eorum non æmuletur iecur meum, quia in furore suo interfecerũt homines, & in desiderio suo subneruauerunt taurum: quam lectionem ait discordare à veritate Hebraica quæ hanc reddit sententiam: Simeon & Leui fratres: vasa iniquitatis arma eorum. In arcanum eorum non veniat anima mea, & in conuentu eorum ne dissoluatur gloria mea: quia in furore suo interfecerunt virum, & in libidine sua foderunt murum. Significat autem his verbis, inquit Hieronymus, non sui consilij fuisse, quod illi Sichimitas fœderatos viros interfecerint, contráque ius pacis & amicitiarum, sanguinem fuderint innocentem, & quia quodã furore siue crudelitate rapti muros hospitæ vrbis euerterint. Illud, *Diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israel*, bene congruit cum euentu. Leui enim hæreditatẽ propriã non accepit, sed inter alias tribus, paucas vrbes ad habitandũ habuit: Simeon quoque, vt est in libro Iosue, proprium funiculum non est consecutus, sed de tribu Iuda quiddã accepit. Et in 1. Paralip. ca. 4. scriptũ est, cùm multiplicata esset tribus Simeonis, nec haberet possessionis locũ, exisse in desertum ad quærendum sibi locum. Quidam propheticè, interfectos homines, Apostolos, & subneruatum taurũ à Pharisæis, Christum interpretantur. Hactenus ex Hieronymo.

Varietas lectionis.

Hieronymus.

Iosue 19.

36 In Paraphrasi verò Chaldaica pro illo, *In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea*, sic est, In secretis eorũ non fuit anima mea, & cùm congregarentur ipsi vt irent, non descẽdi de gloria mea. Sẽsus est: Nõ consuluerunt me quãdo consultarunt de occidẽdis Sichimitis, sed clã & ignorante me facinus illud & deliberarũt & perfecerunt. Illud, *Non descendi de gloria mea*, variè potest exponi: vel, Non sum assensus illis, ne perderem gloriam & claritatem famæ quam vsque ad id

tem

temporis habueram; vel, Non receſſi à Deo qui eſt gloria mea, vt tale quiddam contra illius voluntatem deſignarem; vel, Non ſum deductus de ſententia & propoſito animi mei, probè ſciens quid æquũ, iuſtum honeſtum & glorioſum factu eſſet aut non eſſet. Iam verò pro illo: *Occiderunt virum*, in Hebræo ſic eſt: Occiderunt occiſione, id eſt ingentẽ, atrocem horrendámque hominum cædem fecerunt: geminatio enim illa ad exaggerationem facit.

Expoſitio myſtica.

Reſtat vt quæ ad myſticum vaticinij huius ſenſum & intelligentiam pertinent, carptim dicamus. Et allegorica quidem huius prophetiæ interpretatio eadem ferè traditur ab Ambroſio, Ruffino, Iſidoro, Ruperto. 37

Ambroſius. Ruffinus. Iſidorus. Rupertus.

Aiunt Iacob ſpiritu prophetico vidiſſe execrandum concilium in quo Scribæ & Sacerdotes de necando Meſſia deliberaturi erãt: doctores autẽ legis & Scribæ, vt placet Hebræis, erãt de tribu Simeonis; Sacerdotes autem de tribu Leui. Iſtos porrò narrant Euangeliſtæ concilium feciſſe vt Iesũ morti traderẽt. & Dominus noſter dixit: *Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum & Scribis, & condemnabunt eum morte. Maledictus fuit illorum furor, quia pertinax*, nimirum toties vehementer cupiente & adnitente Pilato, Ieſum, vt planè innocentem dimittere; illi contrà obnixè obſtiterunt clamantes, Tolle, crucifige eum. Nimis quoque dura fuit eorum indignatio, quia Barabbam homicidam dimitti, auctorem autem vitæ occidi flagitarunt.

Matt. 20.

Ioann. 19.

Rectè igitur de ipſis dicitur *Occiderunt virum, & ſuffoderunt murum*, id eſt, corpus eius flagellis, clauis ac lancea lacerauerunt atque perfoderunt: aut quia tãto ſcelere admiſſo meruerunt ipſi, vt proſtratis mœnibus vrbs Hieruſalem funditus euerteretur, & ſupremo ipſi opprimerentur exitio. Vnde ſequitur: *Diuidam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſrael:* Deſierunt enim, vt inquit Rupertus, eſſe veri filij Iacob, in eorum locum ſuccedentibus, & hæreditariã promiſſionis benedictionem cernentibus, qui ad fidem Chriſti ex Gentibus conuerſi ſunt. Vel, Diuidam eos per ciuiles diſcordias & inteſtinas ſeditiones, quæ auctore Ioſeph in vltimis libris Iudaicarum antiquitatum, & in ijs quos de bello Iudaico ſcripſit, anteceſſerunt bellum Romanorum aduerſus Iudæos, & Hieroſolymitanũ excidium. Sanè illud *diſpergam eos*, veriſſimè contigit: namque eo bello victi captíque per omnes terræ plagas miſerrimè diſſipati ſunt: quod prędictum fuerat per Dauidem pſal. 58. *Deus*, inquit, *oſtendit mihi ſuper inimicos meos, ne occidas eos. Diſperge illos in virtute tua.*

Rupertus.

Morale documentum de reprimendo appetitu vindictæ.

Licet prætera morale quoddam & perutile documentum ex hac prophetia capere, omnem ſcilicet immoderatam vindictam, etiam quæ videtur zelo iuſtitiæ concipiãt, ſuſcipi ſtudio repellendę iniuriæ & recuperãdi honoris, eſſe repudiandam atque fugiendã: ſed illam tamen tam lege diuina quàm humana execrandã eſſe, quæ ad ſimilitudinem illius vindictæ Simeonis & Leui his quoque circunſtantiis inſignita fuerit: Prima, ſi fiat per dolum & fraudem, maximè verò ſub obtentu pacis & amicitiæ: Secunda, ſi aduerſus homines incautos, inermes, & ad reſiſtendũ inualidos: Tertia, ſi aduerſus eos qui verſantur in ſummis ærũnis & calamitatibus, 38

aut

aut magnis animi corporisve doloribus cruciantur: Quarta, si ea vindicta redundet in contemptum & iniuriam religionis: Quinta, si magnitudo vindictæ grauitatem sceleris, & iniuriæ mensuram excedat, nullóque respectu humanitatis barbara & ferina crudelitate sæuiatur.

TERTIA PROPHETIA.

De Iuda.

Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. Catulus Leonis Iuda, ad prædam, fili mi, ascendisti: requiescens accubuisti vt Leo, & quasi Leæna: quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ô fili mi, asinam suam. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum. Pulchriores sunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores. *Genes. 49. Vers. 8. 9. 10. 11. 12.*

39 HÆc Prophetia, quam de Iuda edidit Iacob, & Moses posteritati literarum monumentis consignatam prodidit, vt est nobilissima & celeberrima, sic est aliqua in parte obscurissima & ad explicandum difficillima. Ex hac euidens firmumq; ducitur argumentum ad redarguendos Iudæos qui Messiam adhuc venisse negant: & perspicua ratione concluditur, dominum Iesum Saluatorem nostrum verum esse Messiam. Sed enim veritatem huius Prophetiæ cum ipso euentu, rerúmque successu comparare atque componere, valdè arduum & impeditum opus est. quò maiori studio & cura enitendum & perficiendum nobis est, vt quemadmodum fecimus in illa Danielis de Septuaginta Hebdomadis prophetia; ita quoque veritatem huius prophetiæ, quoad eius fieri possit, manifestam & planam lectori faciamus. Ac primò quidem singula verba subtiliter ac diligenter excutienda & ponderanda sunt, vt germana & propria eorum sententia, & vt vocant, literalis sensus enotescat, deinde sensus quoque mysticus indicabitur: postremò duas insignes admodum quæstiones tractabimus, alteram contra Iudæos, vtrum hæc prophetia denotet tempus aduentus Messiæ, alteram cum Christianis Doctoribus, quēadmodū hæc prophetia intelligēda & interpretāda sit, vt eius veritati euētus aptè respōdeat.

Spectat porrò hæc prophetia ad laudem Iudæ vel potiùs posteritatis & tribus eius: nam in Iudam qui filius fuit Iacob, penè nihil competit eorum quæ hîc dicuntur. Prædicat autem Iacob quatuor excellentias Iudæ, primam honoris & laudis, quòd ipsum cæteri fratres laudaturi & adoraturi essent, alteram fortitudinis, quòd vt Leo hostes suos debellaturus esset: tertiam, principatus atque imperij diuturnitatis

eius vsque ad Messiæ aduentum, qui ex ea tribu generandus erat, quartam, incredibilis abundantiæ bonorum temporalium, maximè autem vini & lactis.

Matth.16. *Iuda te laudabunt fratret tui.* Hebraicè est, Iuda tu diceris Iuda, & iuxta 40
nomen tuum quod significat laudem vel confessionem laudis, continget tibi, nam te laudabunt fratres tui. Vide 29.cap. Geneseos. Sic Dominus dixit Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Paraphrasis Chaldaica sic habet hoc loco; Iuda, tu confessus es & non erubuisti; in te confitebuntur fratres tui. Quid illud fuerit, quod Iudas confiteri non erubuerit, difficile est diuinare. Quidam referunt ad factũ Thamar, quod ille non abnuit, sed simpliciter cõfessus dixit, *Iustior me est*, &c. Genes. 38. Alij referunt ad liberationẽ Ioseph à cæde quam ei ceteri fratres moliebãtur, Genes. 37. Vel illud; *confessus es, & non erubuisti*, positum est pro futuro, confiteberis & non erubescES, more scilicet prophetiarum, in quibus propter certitudinem præterita ponuntur pro futuris. Illud; in te confitebuntur fratres tui, intelligi potest, vel in te, vel propter te: vel simpliciter, Te confitebuntur siue laudabunt omnes fratres tui, & ex nomine tuo vocabuntur omnes Iudæi.

Iudith.1. *Manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum*: Hebraicè singulariter est, 41
in ceruice, sensus est: Subiugabis tibi inimicos tuos. Hoc impletum est in ipsa tribu Iuda statim post mortem Iosue: hanc enim monitu Dei ducem secutæ aliæ tribus debellarunt hostes suos: sed euidenter ac perfectè cõpletum est in Dauide, sicut patet legenti 1. & 2. lib. Reg. Id quod ipsemet de se confirmat psal. 17. *Persequar*, inquit, *inimicos meos, & comprehendam illos: & non conuertar donec deficiant. Confringam illos, nec poterũt stare, cadent subtus pedes meos. Et inimicos meos dedisti mihi dorsum* (Hebraicè est, ceruicem) *Comminuam eos vt puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum delebo eos. Populus quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.* Idem quoque cõtigit quibusdam alijs regibus Iuda,
3 Reg.15. vt Asa, Iosaphat & Ezechiæ. Chaldaicè ita est; Manus tua præualebit hoInfra 22. stibus tuis, dissipabuntur inimici tui, erunt vertentes verticem coram te,
4.Reg 19. præuenient te petituri pacem tuam. Petere pacem tuam, vel significat, honorificè & amanter salutare pacem; hoc est salutem, & omnia fausta precando; vel ambire pacem alicuius vehementer optando in pace esse cum aliquo. Hanc quoque Iuda victricem hostium suorum fortitudinẽ significauit Moses Deut. 33. illis verbis, quibus benedicens Iuda dixit, Manus eius pugnabunt pro eo, & adiutor illius contra aduersarios eius erit, *Adorabunt te filii tui*: Hebraicè pro adorabunt, est, incuruabunt se tibi. Hinc apparet, ius primogenituræ pertinens ad honorem & potestatẽ, ex Ruben translatum esse ad Iudam. siquidem Isaac Genes. 27. vt primogenito dixit Iacob: *Seruiant tibi populi, & adorent te tribus: esto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filii matris tuæ.*

Catulus Leonis Iuda: Hoc potest conuenire etiam in Iudam qui filius 42
fuit Iacob, eum nẽpe tradunt fuisse omnium fratrum suorum fortissimũ & generosissimum. Et in primo lib. Paralip. cap. 5. sic est: *Iudas erat fortissimus*

tissimus inter fratres suos: de stirpe eius principes generati sunt. rectè autem comparatur Leoni qui est fortissimus animalium, & illis maximè terribilis, de quo scriptum est in Prouerb. *Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pauebit occursum.* & Amos. 3. *Leo rugiet, qui non timebit?* Catulus porrò leonis etiam audacior est, vel vt cõtrariarum & validiorum virium inexpertus, vel vt acutioribus firmioribúsque dentibus instructus, vel vt cibi prædæque auidior. Nomen verò Catuli Leonis præcipuè conuenit in Dauidem de tribu Iuda generatum, qui etiamnum adolescens pugnabat cum leonibus & vrsis, eósque superabat, & Goliath gigantem, terrorem Hebræorum, deuicit. *1. Reg. 17. Ibidem.*

43 *Ad prædam fili mi ascendisti.* Hebraicè est, expræda; verbum autem Hebræum propriè significat raptum, & dilaceratum, vt cùm leo bestiæ alicuius membrum discerpsit & rapuit sibi in cibum. Hieronym. legit, ex captiuitate: sed in idem recidit. Septuaginta verterunt *Ex germine*, quod nullam habet cum Hebræa & Latina lectione conuenientiam, nec video quem sensum reddat secundùm historiam; nisi fortè significatur, Iudam nihil degenerasse à maioribus suis, sed moribus factisque ostendisse ex sanctorum se ac fortium virorum stirpe generatum. Hoc loco paraphrasis Chaldaica hanc habet lectionem: Potestas erit in principio, & in fine magnificabitur regnum de domo Iuda, eò quòd à iudicio occisionis, fili mi, animam tuam abstinuisti: sensus est; Primò non erit plenum regnum in Iuda, sed magnificentia quædam, & potestatis atque imperij excellentia super alias tribus: processu tamen temporis iniusti regni fastigium assurget: & hoc meritus est Iudas propter æquitatem & iustitiam qua vsus est, tum liberando nurum Thamar ab incendio; tum eripiendo innocentem Ioseph ex manibus fratrum interficere eum cupientium. *Hieronym. in Traditionibus Hebraicis.* *Genes. 30.* *Infra 37.*

44 *Requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna: quis suscitabit eum?* Hebraicè est: Incuruauit se & accubuit: alluditur ad morem leonis, qui postquam rapuit prædam, incuruat se super crura (id enim Hebræum verbum significat) & cubat, nec vult surgere, licèt transeant alia animalia, quasi nullum timens. Pro leæna, Hebraicè est, Labi, significans leonem maiorem. Sed quia ea vox in plurali habet formam fœmininam, dici potest in singulari significari vtrumque sexum. S. Hieronymus ferè vertit leænam. Pro illo: *Quis suscitabit eum?* Hebraicè est: Quis surgere vel stare faciet eum? id est, Quis irritabit eum? quo significatur, subiugatis omnibus hostibus securè Iudam & tutò victurum. Nimirum ita contigit Dauidi post multas victorias, debellatis Philistæis, Moabitis, Ammonitis, Idumæis & Syris, vsque ad Euphratem: sed maximè sub Salomone pax floruit, lege quartum & quintum caput libri tertij Regum. Sensus igitur est: Profligatis hostibus in secura pace erit, nec quisquam eum lacessendo & irritando audebit ad bellum concitare. In Chaldaica paraphrasi ita legimus hunc locum: Quiescens habitabit in fortitudine sicut leo & sicut leæna, non est regnum quod commouebit eum. *1. Reg. 8. & 21. Paralip. 9.*

VERS. 10. Non auferetur sceptrum de Iuda,& dux de fœmore eius.

RVPERTVS lib.3. de victoria verbi Dei cap.9. ait hanc esse tertiam Dei promissionem datam homini de aduentu Mes- 45
siæ. Nam prima expressa est ijs verbis, quæ Deus serpenti dixit Genes.3. *Inimicitias ponam inter semen tuum & semen mulieris:& ipsum conteret caput tuum.* Secunda promissio data est Abrahæ Genes.22. *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Tertia promissio,& quidem prioribus multo expressior,per Iacob his verbis pronuntiata & mundo publicata est.

Esser.5.&15. Pro,*Non auferetur*;Septuaginta habent, Non deficiet. Hebraicè est, Non recedet,à verbo *Sur*,quod significat recedere, declinare, separare. *Sceptrum*,Hebraicè *Sheueth* significans virgam regiam, quale est sceptrum,& qualis erat virga Assueri.In Psalm 44. dicitur: *Virga directionis, virga regni tui:*significatur igitur regalis dignitas & potestas,ideo Septuaginta verterunt:*Non deficiet princeps*,& Ionathas,*reges*. Solet nonnunquá in Scriptura nomen virgæ poni pro afflictione & oppressione, vt in *Psal.* 2.*Reges eos in virga ferrea:*& apud Esaiam, *Assur virga furoris mei:*& apud Paulum: *Quid vultis? In virga veniam ad vos, &c.* Verùm ea significatio hîc locum non habet, vt manifestum est ex ijs quæ proximè sequuntur, quæ declarant Iacob loqui de principatu & dominatu Iudæ, omnia illi læta faustáque & glorioſa prænuntiando. Nec verum esset non recessuram fuisse à tribu Iuda virgam afflictionis vsque ad Messiæ aduentũ;cùm ea Tribus,regnantibus Dauide & Salomone,florentissima & felicissima fuerit.*De Iuda*,hoc est de familia,posteritate & tribu Iuda, Onkelus & Ionathas verterunt,de domo Iuda.

Et dux, sic etiam Septuaginta. Hebraicè est *Mechochech*, significans eum qui facit scribere leges & decreta.hîc ponitur pro legislatore. *idem* nomen Psalmo 59.Latinus interpres vertit regem,ibi *Iuda rex meus.* Est autem munus summi principis ac regis,sancire leges, & decreta condere. Isaias certè cap.33.tribus glorioſis nominibus Messiam insigniuit, Iudicis,Legislatoris & Regis.*Dominus*,inquit,*iudex noster*,*Dominus legifer noster*,*Dominus rex noster, ipse saluabit nos.De fœmore eius*, Septuaginta: De fœmoribus.Hebraicè ad verbum:*De inter pedes eius,* sensus igitur est:Ex semine vel ex stirpe eius.Onkelus & Ionathas habent: De filiis filiorum eius.S.Hieronym.honestati aurium consulens, ne nominaret genitalia, quod proximum erat posuit,De fœmore;& alibi dicitur,Ex vtero,etiam in viris,vt Genes.15.& 2.Reg.16.certè locus virilitatis,vt est inter fœmora,sic est in imo ventris.

Donec veniat qui mittendus est. Illud *donec* expressiùs reddiderunt On- 46
kelus & Ionathas:Ille quidem, non deficiet in seculum seculi vsque dum veniat Messias,hic autem, vsque ad tempus quo veniet. *Qui mittendus est*,Messias scilicet:nam hoc nomen expressè hîc Onkelus, Ionathas & Pagninus posuerunt.Certè Messias hoc vocabulo, *Missus*, sæpe insignitur in Scriptura : nimirùm inter omnia quæ Deus misit hominibus. Christi missio fuit maximè optata,& expectatata, promissa, & salutaris homini

hominibus. Hebraicè est *Shiloh* obscuræ admodum & ambiguæ significationis:nam prout varia ex origine seu radice ducitur,sic ad varias significationes applicatur. Etenim quia *Scil* filium significat,quidam vertunt, donec veniat filius eius : intelligi volentes Messiam,Oleaster repetit originem eius à *Scialah*, & significari vult eo nomine quietum,securum & pacificum,quo nomine Messias commẽdatus &nobilitatus est,tum apud Isaiam,tum apud Zacha.c.9.Est præterea *Shiloh* proprium nomen cuiusdã loci,qui erat in sorte vel in tribu Ephraim,vbi ductæ sunt sortes super diuisione terræ promissionis,Iosue 18.mãsit quoque eo in loco arca Domini vsque ad Samuelem,vide Psal.77.& Hier. cap. 7. Eugubinus putat tempore S.Hieron.non fuisse scriptum *Shiloh*, sed *Saliach*,vt loco litteræ *he* fuerit *chet*,& ita significari,vt ipse vertit,Missum.

Oleaster.

1.Reg.4.
Augustin.
Eugubinus.
in Genes.

47 Septuaginta verterunt:*Donec veniant quæ deposita sunt ei*.Sic enim secundùm ipsos legit Augustlibr.12.contra Faustum,cap.42.& lib.17.de Ciuit.Dei,cap.41.Cyprianus lib.1.contra Iudæos legit *Deposita illi*. alia Lectio habet, *Donec veniat cui repositum est*. Sic legit Ignatius, Irenæus, Tertullianus,Ambrosius,Leo Papa,& S.Hieronymus. Iustinus Martyr, & interpres Origenis vtrãque lectionem agnoscunt:in Codicibus Theodoreti manuscriptis,in vlt.quæst.in Gen.bis est.*Qui reseruatur*,vel *Quod reseruatur* Hæc circa translationem Septuaginta huius loci annotauit Flaminius Nobilius, quem ego virum propter magnam probitatem & doctrinam,& meam multorum annorum cum eo familiaritatem,amoris simul,& honoris causa libenter nomino.

Augustinus.
Cyprianus.
Ignatius.
Irenæus.
Tertullianus.
Ambrosius.
Leo Papa.
Hieronymus.
Iustinus.
Theodoretus.
Flaminius
Nobilius.
Eugubinus.

Opinatur Eugubinus, Septuaginta diuisam legisse dictionem illam *Shiloh* in *Sci*,quod significat relatiuum *quis*, *quæ*, *quod*: & in pronomen *Lo*,quod significat,*ei* vel *ipsi*,vt sensus fuerit: *Donec veniat quod ei*,suppleuisse autẽ ipsos septuaginta illud *repositum est*.Dicũtur autẽ reposita, quę sunt nobis valdè cara & pretiosa, & quia nihil erat carius aut pretiosius aduentu Messiæ, aut quod æquè illustraturum atque nobilitaturum esset tribum Iuda,idcirco dicitur: *Donec veniat quod est ei repositum*. Messias porrò erat repositus siue depositus in promissis Dei, in prædictionibus vatum, denique in multis figuris & signis, atque in omnibus penè ceremoniis Iudaicis.

48 *Et ipse erit expectatio gentium*:Hebraicè est:*Et ei erit obedientia populorum*;Id est,obedient illi populi & accipient leges eius:quod in parte contigit Dauidi,vt de se ipse testatur Psal. 17. *Populus quem non cognoui. seruiuit mihi,in auditu auris obediuit mihi*:sed omninò completũ est in Christo Domino,cui dixit Deus pater Psal.2. *Postula à me,& dabo tibi gentes hæreditatem tuam*: Et psalm.71. *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei*. Quamobrem psalm.44. faustis vocibus ei acclamatur: *Intende prosperè, procede,& regna*. Rabbi Salomon ait vocem Hebræam significare congregationem populorum, & indicari multos populos ad eius ditionem & imperium aggregatum iri: quod aliquatenus euenit in principatu Dauidis, qui multas gentes parere sibi, & tributum pendere coegit.

2. Reg. 12. Hiero. in Tradit. Hebraicis.

Hieronymus in vna littera sensum mutauit: nam vox *Ia* est à verbo *Iacha*; & habet prædictam significationem. S. Hieronymus deriuasse eam videtur à *Chaua*, quod significat expectare, & frequenter littera *He* ponitur in loco *Vau*, & tunc habet significationem qua vsus est hîc B. Hieronymus, quod tamen propterea non probatur peritis linguæ Hebrææ, quòd talia nomina quæ fiunt per præpositionem literæ *Ioa* perquàm rara sunt, nec ferè sunt nisi propria nomina, quale non est in hoc: nec reperitur hæc vox alibi quàm in præsenti loco, & cap. 30. Prouerb. Onkelus habet, Et ipsi obedient Gentes. Ionathas, Subiicientur ei omnes reges terræ.

Quomodo Christus expectatio fuerit Gentium, cùm illa nullam ad uentus Christi notitiam habuerint.

Cæterùm Latina Lectio hanc fert quæstionem, Quomodo Messias 49
fuerit expectatio Gentium, cùm is ante suum aduentum nullo modo esset Gentibus cognitus. Namque apud Isaiam cap. 65. (idémque vsurpatum à Paulo est ad Romanos decimo) de Gentibus loquens Deus, ait: *Iuuentus sum à non quærentibus me, palam apparui iis qui me non interrogabant.* Eadem difficultas accidit loco illi Aggæi cap. 2. *Veniet desideratus cunctis gentibus.* Tribus modis hic nodus solui posset; primo, vt soluit Iustinus in eo Dialogo quem habuit cum Thriphone Iudæo, interpretando hæc verba non de primo, sed de secundo aduentu Messiæ, qui sicut in primo aduentu fuit expectatio Iudæorum, ita in secundo aduentu erit expectatio Gentium quæ in ipsum crediderunt. Similiter eundem locum exposuit Augustinus scribens libr. 8. de Ciuitate Dei, cap. 35. Iam verò, inquit, quod sequitur: *Et veniet desideratus cunctis gentibus*: de nouissimo eius expectatur aduentu. Vt enim desideratus esset expectantibus, priùs oportuit eum dilectum esse credentibus. Idémque repetit cap. 48. eiusdem libri. Non, inquit, prior aduentus eius desideratus erat omnibus gentibus; non enim quem debebant desiderare, *sciebant*, in quem non crediderant. Sed hanc profectò Iustini & Augustini expositionem verba illa Iacob excludunt, quæ proximè antecesserunt: *Non auferetur sceptrum de Iuda, &c. donec veniat qui mittendus est*: quibus verbis manifestum fit, non de secundo, sed de primo Messiæ aduentu Iacob loqui.

Iusti. martyr.

Augustinus.

Altera ratio explicandi hanc difficultatem illa est, cùm dicitur, Gentes 50
desideraſſe & expectasse aduentum Messiæ, non esse propriam, sed figuratam, & metaphoricam locutionem, qua scilicet illud significetur, tantoperè Gentes indiguisse aduentu Messiæ in remedium malorum quibus oppressæ tenebantur, vt si nouissent ipsum, proculdubiò ardentissimèe ius aduentum desiderassent atque expectassent. quemadmodũ frequens est cùm in sacris, tum in profanis literis dicere, terram desiderare vel expectare imbres, soles, ventos, significando terram istiusmodi rebus vehementer indigere, quò fructus optatos & expectatos hominibus ferre queat. Hac eius vocis significatione vsus Moses dixit terram promissionis expectare de cœlo pluuias, Deute. cap. 11. id est, indigere pluuiis, & eas in tempore accipere.

Nec sanè tertia illa via dissoluendæ huius quæstionis repudiari debet,

voca

vocabulum expectationis hoc loco esse positum pro spe & fiducia,& sẽtentiam Iacob intelligi debere de Gentibus iam ad Christi fidem conuersis:mos enim scripturæ est conuersos ex Gentibus ad Christũ etiam post conuersionem appellare Gentes; ad differentiam videlicet Iudæorum. Audi Paulum loquentem cum Gentibus iam Christi fidem amplexis, ad Ro.11. *Vobis dico Gentibus, Quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo,& c.* Sensus igitur est: Non tantùm Iudæi, sed multò maximè Gentes Messiã recipient, atque in eo suam spem,omnémque fiduciam collocabunt:quemadmodum prædixerat Isaias ca. 11. secundùm translationem septuaginta: *Erit radix Iesse,& consurget qui sit princeps Gentium,& in eo Gentes sperabunt.* *Scriptura cõuersos ex Gẽtilismo ad Christum etiã post conuersionem, nominat Gentes.*

51 *Ligans ad vineam pullum suum,& ad vitem asinã suã.* His verbis & aliis proximè sequentibus prædicit Iacob fertilitatem eius regionis,quæ in diuisione terræ Chanaam sorte obuentura erat tribui Iuda. Tria verò ponuntur summæ fertilitatis eius terræ argumenta: primò quidem quòd tã grandes habitura esset vites, eásque adeo vuis onustas, vt posset asinus ad vnam vitem alligari, & ex illa sola vuis onerari, cui rei fidem facit quod prodidit Moses in libro Numerorum, cap. 13. Deinde tantam significat fore vini abundantiam,vt id non modò sufficiat bibendo,sed etiam supersit ad lauandas vestes: quod accipiendum est quasi hyperbolicè dictum, neque enim significatur vestes esse lauandas vino, sed indicatur abundè superfuturũ vinũ nõ ad bibẽdũ tãtùm,sed vt,quemadmodũ aqua vestes, sic eo lauari possint:postremò tãtam fore significat vini & lactis copiam, vt habituri sint homines oculos rubicũdos præ nimia potatione vini:idẽque assiduè & affatim lacte vescentes, habituri sint dẽtes lactei candoris.

52 Onkelus & Rabbi Salomon censent quidem hisce verbis demonstrari fertilitatem terræ Iuda, verùm aiunt ea verba non propriè, sed figuratè & parabolicè accipienda.Nam illud: *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem asinam suam.* significat,tam iuuenes quàm senes in tribu Iuda futuros iustos,adhærentes legi & doctrinæ Dei. Itaque pullus significat filios,asina parentes:ligare,est adhærere:vitis,est lex;vinea,synagoga.Illud, *Lauabit in vino stolam suam,* significat principes Iuda vsuros pretiosis vestibus, ex pupura & serico quod sit tinctum coccineo colore:per oculos rubros à vino,significantur montes, ex quibus vsquequaque longinquus fit prospectus:qui montes in terra Iuda abundaturi erant vitibus & vino. Dentes lactei,significant colles,campos,loca spatiosa quę frumento abũdabunt, & propter vbertatem ac bonitatem pascuorum gregibus & armentis copiosa erunt. Quod si lectorem iuuat hanc interpretationem ex ipsamet paraphrasi Chaldaica cognoscere;hæc sunt eius verba: Circundabit Israel ciuitatem suam,populus ædificabit templum suum,erúntque iusti in circuitu eius,& factores legis iuxta doctrinam eius,purpura bona, erit vestimentum eius, operimentum eius, sericum tinctum coccino variisque coloribus:rubicundi erunt montes eius,in vineis stillabunt torcularia eius vinum,albicabunt campi eius frumento & gregibus ouium.Sic est ibi. *Onkelus. Rab. Salomon.*

Sed

Sed paululum expendamus singula verba: *Ligans ad vineam pullum* 53
suum, & ad vitem asinam suam. Hebraicè *gephe* significat propriè vitem, & item locum in quo sunt vites. Vox *guhir* significat pullum, non quemlibet sed asini, & aliquando etiam muli, propter cognationem quam is habet cum asino. Vox *Sorecha*, quam Interpres Latinus vertit vitem, significat vitem optimam, nobilem, præstantem: potest etiam deflecti ad significandum ramum seu palmitem, quemadmodum vertit Pagninus. Sequitur:

Thostatus. Burgensis. Carthusiã. *Lauabit in vino stolam suam, &c.* Thostatus, Burgensis & Carthusianus contendunt hæc verba secundùm literalem sensum non dici in tribum Iudæ, nec significare fertilitatem terræ sortis eius, sed intelligi debere de Messia. Cùm enim illud participium, *ligans*, sit tertiæ personæ, non potest referri ad Iudam, de quo locutus fuerat Iacob in secunda persona, sed iungi debet cum eo quod proximè antecessit: *Donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Sed hoc leue est, siquidem Iacob etiam de Iuda locutus est in tertia persona, dicens, *Quis suscitabit eum?* Et, *Non auferetur sceptrum de Iuda.* Constat præterea, in prophetiis etiam in eodé sermone frequentissimum esse trãsitum ex vna persona in alias. nihil igitur prohibet, quinimò perbellè conuenit, verba hæc interpretari de singulari & eximia fertilitate sortis Iuda, quæ cùm aliorum bonorum, tum lactis & vini feracissima fuisse dicitur.

MYSTICA VATICINII
de Iuda explanatio.

EXPLANATO igitur primo loco literali sensu *huius vaticinij*, sequitur vt secundo loco mysticam quoque, *sed breuem* 54
& succinctam eiusdem prophetiæ intelligẽtiam & interpretationẽ tractemus. *Iuda te laudabunt fratres tui.* Nomen Iuda, significans confessionem siue laudem, mirificè conuenit Christo Domino, qui ab exordio vsque conceptionis suæ nunquam destitit confiteri & laudare Deum, quippe qui statim vt mũdum ingressus est, se ipse offerens Deo Patri, dixit, *Ecce venio, In capite libri scriptum est de me, vt faciam, Deus, voluntatem tuam.* Omnes autem electi, siue homines, siue Angeli, fratres Christi sunt per gratiam adoptionis: sicut etiam ipse filius Dei est secundùm naturam, sic illi per gratiam filij Dei facti sunt. Quapropter appellatur ipse primogenitus in multis fratribus.

Psalm 39. Hebr. 10. Rom. 8.

Laudari verò Christum ab omnibus suis fratribus, licet intelligere ex 55
eo quod narrat Ioannes Apocalyp. cap. 5. vidisse se circa thronum Dei quatuor animalia, & viginti quatuor seniores, per quos omnes electi tam veteris, quàm noui Testamenti significantur: & insuper millia millium Angelorum, & hi omnes concinebant & celebrabant laudes Agni: quin etiam vidit omnem creaturam quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra dicentem, *Sedenti in throno, & Agno, Benedictio, honor, & gloria, & potestas in secula seculorum.* Vniuersa item ecclesia tũ militãs, tum triũphans,

phans Deum laudat per Christum Dominum, quemadmodum ipsamet canit Ecclesia: Per quem maiestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt potestates.

Verùm de quo nostrum hunc Iudam laudant fratres eius? De hoc ipso, inquit Rupertus, quod fecit ipsos fratres suos: cùm enim inimici essent Dei, per Christum facti sunt non tantùm amici, sed etiã hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: vnde Ioãnes primæ Epist. cap. 3. *Videte*, ait, *qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus*: & apud eundem in Apocal. cap. 5. mystica illa animalia & seniores laudant Agnum: *Quia*, inquiunt, *redemisti nos Deo in sanguine tuo, & fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram.* *Rupertus. Rom. 5. Infra 8.*

56 *Adorabunt te filij patris tui.* Lege Psal. 71. in quo multa Dauid cecinit de adoratione ac veneratione Messiæ, sed hoc ipsum expressiùs Paulus ad Philippen. 2. *Vt in nomine eius*, inquit, *omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum, &c.* Cum qua Pauli sententia Hebræa lectio huius loci conuenientior videtur, sic habens: *Incuruabunt se tibi filij patris tui*: sequitur: *Manus tuæ in ceruicibus inimicorũ tuorum.* Mirabiliter Christus omnes suos inimicos subiugauit, Diabolum, qui ei necem molitus fuerat: Iudæos, qui eum repulerunt: Gentes, quę ei cõtradixerunt. Itaq; illud Dauid. in Psal. 109. magna in parte iã completũ est: *Confregit in die iræ suæ reges. Iudicabit in nationibus: implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum.* & in Psal. 44. *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadẽt in corda inimicorũ regis.* Hoc figurauit apud Dan. cap. 2. lapis ille percutiẽs atque in puluerẽ redigens statuã, quæ regna mũdi huius repræsentabat. *Catulus Leonis Iuda.* Appellatur Christus, inquit Ambros. Catulus Leonis, vt intelligitur Christum esse filium suum cõnaturalẽ & consubstantialem Deo patri; sicut Catulus Leonis parenti suo leoni. Sed quia nomen catuli videtur significare paruum, quid & minus Patre, ne cui suspicio incideret Filium esse minorem Patre, ad eam suspicionem arcendam mox subditur: *Accubuisti vt Leo, & quasi Leæna.* *Ambros.*

57 *Ad prædam fili mi ascendisti:* Maximus prædator fuit Christus, & prædandi causa in mundum venit: quocirca iussit Deus per Isaiam cap. 8. imponi ei nomen prædatoris; *Voca*, inquit, *nomen eius, Accelera spolia detrahere, Festina prædari.* Quàm multos Christus deprædatus est & rapuit de manu & faucibus Dæmonis! Hebraica lectio habet: Ex captiuitate ascendisti: quod pulchrè competit in Ascensum Christi. cùm ex inferno in terram, tum ex terra in cœlum: Ascendens enim in altum, captiuam duxit captiuitatem.

Requiescens accubuisti vt Leo. Requies & accubitus Christi, fuit mors eius & sepultura. *Ego*, inquit, *dormiui & somnum cepi, & exsurexi.* Mortuus est Christus vt Leo, quia fortitudinem suam plusquam leoninam in morte sua maximè declarauit: non solùm quòd moriens totum mundum concusit, tremefecit atque conturbauit; sed eò maximè, quòd mortem moriendo destruxit, & cadens ipse, diabolum prostrauit. Vnde Paulus. *Quod infirmum est Dei, fortius est*, inquit, *omnibus hominibus.* Sic *Psalm. 67. Ephes. 4. Psalm. 3. Matth. 27. 1. Cor. 11. Iudith. 16.*

etiam Samson,tum maximè demonstrauit robur suum,cum intra ciuitatem,quasi carcere quodam incluſus teneri videbatur:& cùm demolitus columnam, moriens ipse pariter hostes suos interemit.

Russinus mirũ refert de catulo leonis.

Refert hoc loco Ruffinus tradi à physiologis hanc esse catuli leonis naturam,cùm natus est,triduum dormire,tertio autem die, fremitu patris tremefacto cubili, excitari. Hoc bellè quadrat in triduum mortis Christi,& in eius resurrectionem,potentia Dei patris,cum magno custodum sepulcri terrore factam. *Quis suscitabit eum?* Quasi dicat;non indiget aliena potentia vt resurgat. Propria auctoritate, ait Ambros.natus est,proprio arbitrio mortuus est,propria potestate suscitatus est.Et hoc ipse Dominus dixerat, *Potestatem*, inquit, *habeo ponendi animam meam,& iterum sumendi eam.*

Matth. vlt. Ambrosius. Ioan. 10.

Non auferetur sceptrum de Iuda & dux de fœmore eius: Non deficiet regnũ Christi,quod est Ecclesia, nec regni eius princeps, qui est Pontifex summus, eius Vicarius : qui dicitur de fœmore eius,vel quia sicut filius succedit in dignitatem & auctoritatem patris,ita summus Pontifex subit vicem Christi quantum ad dignitatem & auctoritatẽ:vel quia scriptum est in Apocal. Christũ visum esse Ioanni habere in vestimẽto & in fœmore suo scriptũ:*Rex regum & Dominus dominantium*;inde summus Pontifex tantam habet dignitatis & potestatis vim& excellẽtiam. 58

Donec veniat,qui mittendus est. Vsque ad diem iudicij stabit Ecclesia militãns,& in ea summus Pontificatus:ideo Dominus dixit, *Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi* : & Petro dixit, *Tu es Petrus,& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Ipse erit expectatio Gentium.* Tota expectatio militantis Ecclesiæ est secundus aduentus Christi, sicut Paulus ait: *Expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei.* Hæc itidem Ecclesiæ triumphantis expectatio est propter consummatam totius hominis felicitatem. Vnde Ioannes in Apocalypsi audiuit animas Sanctorum magno clamore expectantes Dei iudicium. Et responsum est illis, vt requiescerent & expectarent adhuc tempus modicum, donec conserui & fratres eorum complerentur.

Apoc. 19.& 1. Tim 6. Matth. vlt. Supra 16. Tit. 2. Apocalyp. 6.

Ligans ad vineam pullum suum,& ad vitem asinam suam. Pullus significat populum Gentilem,asina Iudaicum:vitis,est ipse Christus;vinea, Ecclesia quæ ex gentibus & Iudæis congregata est. Christus enim fuit lapis angularis coniungens vtrumq; parietem, & faciens vtraq; vnum. Duplex autem est ligamen fidelium,vnum ad vitem, id est, cum Christo per fidem, spem & charitatem; alterum ad vinearn, id est, cum Ecclesia, per vnitatem, pacem, & concordiam : prius ligamen rumpunt Hæretici,posterius Schismatici. 59

Ephes.2.

Lauabit in vino stolã suã:stola & indumentũ Christi,fideles sunt.legitur in Ecclesiasticis historijs,B.Petro Episcopo Alexãdrino visũ esse Christum cum veste lacerata,& dixisse; Vestis mea Ecclesia est,quã peruersis & impiis opinionibus Arius dilacerauit.hanc Ecclesiam lauit Christus suo sanguine,*Lauans nos à delictis nostris in sanguine suo*, vt legitur in

Ephes.5.

Apoca

Apocalypsi cap. 1. & ideo lauit Ecclesiam, vt nec maculam, nec rugam habens vllam, pura, immaculata & sancta esset. Signare autem dicitur *In vino*, quia sanguis Christi fuit Ecclesiæ lauacrum, pretium, & potus.

Pulchriores sunt oculi eius vino: Paulus ad Ephes. 4. ait, Deū dedisse Ecclesiæ Prophetas, & Apostolos, Doctores item & pastores ad ædificationem corporis eius quæ est Ecclesia, ne tanquam paruuli fluctuantes circumferamur omni vento doctrinæ. Oculi igitur Ecclesiæ, Prophetæ & Apostoli fuerunt: nam sicut oculi celsissima parte locati, regimen habent totius corporis; sic Prophetæ, & Apostoli, supremum docēdæ, regendæ, tuēdæque Ecclesiæ dignitatis ac potestatis gradum tenuerunt. Sed cur isti oculi dicuntur pulchriores vino? equidem quatuor in vino laudari video, colorem, odorem, saporem, vim præterea exhilarandi & roborandi. Talia quædam fuisse in Apostolis licet animaduertere: colorem quidem, sanctitatē exterioris vitæ & conuersationis: odorē, virtutum interiorum fragantiam: saporem, dulcedinem doctrinæ, prædicationis, & gubernationis: virtutē, exhilarandi & corroborandi, efficaciam eorū & patiendi, & faciēdi magna, in miraculis præsertim patrandis, quibus Ecclesiā maiorem in modum recreabant, atq; cōfirmabant.

Ephes. 1. & Coloss. 2.

Oculi Eccles. Prophetæ & Apostoli.

Quatuor in vino laudari.

Dentes eius lacte candidiores. Per dentes, nec ineptum nec alienū fuerit intelligere pastores & Doctores Ecclesiæ. triplex porrò dentium munus est: conferunt enim ad comminuendum & conterendum cibum, sine quo attritu non posset is postea bene concoqui: vulgatum est enim, & fertur in primis apud medicos iuxta ac Philosophos, primam fieri in ore, ac per dentes cibi concoctionem. Deseruiunt, etiā dentes procudendæ linguæ ac formandæ locutioni & sermoni. Valent denique ad mordendum. Similiter triplex est, secundùm allegoricā intelligentiam, munus pastoris ac doctoris Ecclesiæ: primū est loqui, id est, prædicare & docere, quæ plebem Christianam nosse non modò necesse est, sed etiam quoquomodo expedit: Deinde mordere, id est, castigare, reprehendere: Vnde Paulus dixit Timoth. *Prædica verbum, insta opportunè, importunè argue, obsecra, increpa:* Ad hęc, cibū terere, & quasi pręmansum in os audientiū ingerere: non quidem eundem, eodémque modo confectum & comparatum prębere omnibus, sed accommodatè ad singulorum habilitatem atq; captum. ideo Paulus dixit eidem Tim. *Solicitè cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem rectè tractantem verbū veritatis.* Pro illo: *rectè tractātem*, Gręca lectio significat, rectè scindētem: quibusdam enim solidior, aliis tenerior ac mollior, quibusdam copiosior, aliis parcior & scindendus & tribuendus est cibus.

Dentes pastores & Doctores Ecclesiæ. Triplex munus & vsus dentium.

2. Timoth. 4.

Supra. 2.

Explicantur duæ disputationes, altera contra Iudæos, altera verò cum Christianis Doctoribus.

62 EXPOSITVS est à nobis hactenus vaticinij huius de Iuda sensus, & intellectus, tā historicus quàm mysticus, restat vt extremo loco duas tractemus disputationes, quę ad eiusdē prophetię vim & veritatem penitus cognoscendā plurimum conferunt.

Sed ante omnia, duo prænotanda sunt quæ in earum disputationũ tractatu sæpius vsui nobis futura sunt. Primùm igitur scire conuenit, ab eo tempore quo Iacob edidit hoc vaticinium, id est, ab eius morte, vsque ad id tẽporis quo defecit omnino principatus Iudaicus ad alienigenas translatus, præterijsse annos mille sexcentos nonaginta octo; vsque ad Messiæ verò aduentum, id est ortum Christi Saluatoris nostri, annos mille septingentos triginta quinque: qui numerus annorum ad hunc modum colligitur. A morte Iacob vsque ad egressum Hebræorum ex Ægypto anni fluxerunt centum nonaginta octo: namq; à promissione diuinitus facta Abrahæ anno ætatis eius septuagesimo quinto (vt scriptum est cap. 12. Genes.) vsque ad legem datam Hebræis per Mosem (Lex verò data est tertio mense qnàm egressi fuerunt Hebræi ex Ægypto) transierunt anni triginta & quadringenti (tot enim memorat Paulus cap. 3. Epist. ad Galat.) Iam verò à septuagesimo quinto Abrahæ anno vsque ad mortem Iacob, ex ipso libro Geneseos computare licet ducentos & triginta duos annos: ex quo manifestè cõcluditur, à morte Iacob vsque ad egressionem Hebræorum ex Aegypto, vel vsque ad legem datam, centum nonaginta octo annos excurrisse.

A tempore huius Prophetiæ, vsque ad Iudaici principatus defectionem præterijsse annos 1698. vsque ad Christi autem ortum 1735.

Rursus ab egressu Hebræorum ex Ægypto vsque ad ædificationem templi Salomonis transactos esse quadringẽtos atq; octoginta annos, in sexto capite libri tertij Regum proditum est: hinc porrò vsq; ad liberationem populi Hebræi ex captiuitate Babylonica factam primo anno monarchiæ Cyri, quingentos annos exactos esse, tertius & quartus liber Reg. apertè docent: à reuersione autẽ Hebræorũ ex captiuitate vsq; ad defectum imperij Iudaici transisse annos quingentos & triginta, eo liquet, quòd primus annus monarchiæ Cyri fuit etiam primus annus Olympiadis quinquagesimæ quintæ: imperiũ autem Iudaicum defecit occiso Antigono Iudaicæ stirpis vltimo Rege Iudæorum, & Herode alienigena imperium Iudaicum rapiẽte: quod euenit, teste Iosepho lib. 14. Iudaicarũ antiquitatũ, Olympiade 185. Coss. M. Agrippa & Canidio Gallo, quorum cõsulatus, vt constat ex fastis Capitolinis, competit in annum vrbis conditæ septingẽtesimum decimum sextum: à cæde autem Antigoni, & exordio regni Herodis pacifici vsque ad ortum Christi domini, id est, vsque ad annũ quartũ Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartę, triginta & septem anni pręterierunt. Ex hac igitur computatione satis apparet verum esse quod suprà diximus, ab eo tempore quo Iacob edidit hoc vaticinium, vsq; ad id temporis, quo primùm defecit sceptrum Iudaicum, effluxisse annos mille sexcentos nonaginta octo: vsque ad Messię verò aduentum & ortum Saluatoris nostri, annos mille septingentos triginta quinque.

Iosephus.

Illud prętera Lectorẽ ignorare nolumus, regimẽ populi Hebręi non vnius semper modi fuisse, sed quadruplicẽ distingui posse formã gubernationis eius populi. Primùm enim suprema potestas & dominatus penes Duces fuit, Mosen dico & Iosue, per annos 66. nam Mosem quadraginta annis præfuisse populo Hebræo, sacris litteris testatũ est; Iosue autem

63

Deut. 29.

autem viginti sex annos ferunt eiusdem populi principatum tenuisse. Deinde fuit penes Iudices, i. ab Othoniele vsque ad Samuelem, per annos trecentos triginta: Adhęc penes Reges, à Saule vsq; ad Sedechiam, per annos quingentos tredecim: Nouissimè fuit penes Pontifices, hoc est, post reditum Hebræorũ ex captiuitate Babylonica vsque ad Herodẽ, per annos quingentos viginti. Hinc si detrahas centũ octoginta annos captiuitatũ quæ narrantur in libro Iudicũ, & captiuitatis Babylonicæ, itémq; annos decem interregni post mortẽ Iosue, vt significatur in libro Iudicum, & apertè traditur à Iosepho, reliquum erit tẽpus omne, quod Iudæi principes habuerunt suæ gentis vsque ad Herodem, annorum mille trecentorum & decem. Atque his præmissis & cõstitutis, aggrediamur primam disputationem quæ contra Iudęos tractanda est.

Principatus Iudaicus fuit penes Duces. annis 66. penes Iudices annis 330. penes Reges 513. penes Pontifices vsque ad Herodem annis 520. Iosephus.

DISPVTATIO
contra Iudæos.

Denotari hac prophetia Iacob, certũ tempus aduentus Messiæ, & ex ea concludi euidẽter iampridẽ veniſſe Messiã.

64 IVDÆI qui fuerunt post aduẽtum Christi, cùm à Christianis, qui Messiam venisse, & hunc esse Saluatorem & Dominũ nostrum Iesum Christum ostendunt, cùm aliis diuinæ Scripturæ testimoniis, tum hoc vaticinio Iacob vehementer vrgerentur atq; premerentur: multiplici tergiuersatione vim huius vaticinij eludere atque effugere conati, varias huius prophetiæ interpretationes cõfinxerunt, quibus apertam rectámque eius sententiam quoquo modo infuscarẽt atque peruerterent, has eorum commentitias expositiones volumus hoc loco commemorare, ac refellere breuiter, fideliter, diligenter.

65 Prima Iudęorũ interpretatio. Aiunt vocẽ Hebręã *Sheueth* quã Latinus Interpres vertit, sceptrũ siue virgã, significare hoc loco nõ virgam dominationis ac principatus, sed virgam tribulationis & tyrãnicæ oppressionis. Vt sit sensus: Non recedet à tribu Iuda vexatio & oppressio, quoad veniat Messias. Verùm hãc interpretationẽ falsam esse, liquet dupliciter: tum q̃ post illud, *Nõ auferetur sceptrũ de Iuda*, subditur: *Et dux de fœmore eius*. Ergo loquitur Iacob de virga principatus & dominationis, non autẽ oppressionis, & vexationis. Quinimò videre licet, omnia quę Iacob in hac prophetia denuntiat tribui Iuda, esse fausta, prospera, & glorioſa. tum etiam perspicuè falsum est nunquã recessisse à tribu Iuda vexationem & tyrannicã oppressionẽ vsque ad Messiæ aduentũ: Siquidẽ ex libris Reg. palàm est, fuisse penes tribũ Iuda à Dauide vsque ad Sedechiam, per annos ferè quingentos, regalem principatum & imperium, & aliquandiu potentissimum etiam atque florentissimum.

66 Secunda interpretatio: non eum esse huius prophetiæ sensum quem iactant Christiani, sed planè cõtrarium: Neque enim significatur, prin-

cipatum in tribu Iuda nunquam defecturum vsque ad Messiæ aduentũ, sed illud potius significatur, post aduentum Messiæ, nullo tẽpore deinceps sceptrum Iudæ defecturum : adueniens enim Messias restituet tribui Iuda regnum, idque in posterum ita firmabit, vt nunquam deficiat. Sed ista expositione planè corrumpitur ac peruertitur sententia Iacob. Nam ipse ait, *Non deficiet sceptrum, donec veniat Messias*, isti exponunt, Non deficiet, postquam venerit: *donec autem venerit*, &, *postquam venerit*, valdè diuersa sunt, illud enim respicit futurum Messiæ aduẽtum, hoc autem, iam præteritum.

Rabbi Salomon. Tertia interpretatio Rabbi Salomonis. Cõcedit iste significari hoc 67
vaticinio, mansurum in tribu Iuda sceptrũ, donec veniat Messias, negat tamen venisse adhuc Messiam, quia manet adhuc in tribu Iuda sceptrũ & imperium. Sed vbi terrarum aut gentium sceptrum & imperium habet tribus Iuda? Respondet, in his regionibus quæ sunt circa Mediam, Assyriam, Babylonem, & circa montem Caucasum. Hanc opinionem, vt suo tempore à Iudæis vulgò iactatã memorat Origenes initio lib. 4. de Principiis. Sed quem non magis iuuet ridere istius hominis impudentiã & mendacia, quàm cõfutare sententiam? Esto, habeat sceptrum & imperium in illis regionibus tribus Iuda, multísque sęculis habuerit, non propterea tamen non impletum esset vaticiniũ Iacob, quippe qui loquitur de principatu & imperio quod trib. Iuda habitura erat in terra promissionis. Id quod planũ est ex his quæ subiũgit Iacob de fertilitate terræ quæ sorte obuenit tribui Iuda in diuisione terræ promissionis.

Sed profectò impudentimũ est, minimęq; ferẽdũ istius Rabbini mẽdaciũ de imperio tribus Iuda in illis regionib. Ex omnibus. n. historiis liquidò cõstat, ex eo tẽpore quo Iudæi in captiuitatem ducti sunt, siue decẽ tribus primò, siue deinceps tribus Iuda, semper illas regiones sub alienigenarũ regum fuisse imperio. Primùm enim fuêre sub Assyriorũ & Chaldęorũ imperio, tũ sub Medorũ & Persarũ, deinde sub Alexandri magni & Gręcorũ, postea sub Parthorũ, ad hæc rursus sub regibus Persarũ, hoc autẽ seculo partim sunt sub imperio Turcarum; partim sub eius qui vulgo appellatur Magnus Sophi, & est Persarum Imperator.

Quarta interpretatio. aiunt, verbum illumd *Shiloh* pro quo Latinus 68
1. Reg. 4. Interpres posuit: *Qui mittendus est:* significare vrbem Silo, in qua multo tempore fuit arca Domini, & in eadem vrbe primus rex Hebræorum Saul creatus est, & multis post annis inibi rex electus est Hieroboam, qui separauit decem tribus ab imperio regum Iuda; volunt igitur hunc esse sensum prophetiæ: Non recedet principatus à Iuda, donec veniat Shiloh, id est, donec in Silo vngatur in Regem Saul qui erat ex tribu Beniamin, in quem translatus est principatus ex tribu Iuda. Similiter donec veniat Shiloh, id est, Hieroboam, qui in ea vrbe assumptus est in regnum decem tribuum.

Sed enim istam expositionẽ falsam esse, multis argumentis conuincitur. Principiò, destruunt isti rectam verborum prophetiæ constructionem. Iacob. n. dixit nõ defuturũ sceptrũ donec veniat Shiloh, quod nõ

potest

potest intelligi de ciuitate, interpretari autē donec Saul aut Hieroboā assumantur in reges in ciuitate Silo, non est aliud quàm ex suo sensu nouam sententiam adiicere prophetiæ Iacob. Quid quod falsum est, Saulem & Hieroboam creatos esse reges in Silo? Siquidem Saulem creatum esse regem in Masphat, Hieroboam verò in Sichem, apertis verbis traditur in 1. Reg. cap. 10. & in 3. lib. cap. 12. Quomodo præterea quadrat in Saulē & Hieroboā quod sequitur: *Et ipse erit expectatio gentium?* Deniq; quod ab istis dicitur, ad Saulē trāslatum fuisse imperiū ex tribu Iuda, & tunc verè sceptrū Iuda defeciſſe, perspicuè falsum est: Tū quia proximè ante Saulē principatus Hebræi populi fuit penes Samuelem & Heli, aliósque iudices qui nō fuerunt ex tribu Iuda: tū etiā quia post Saulem, tantùm abest vt defecerit sceptrum in tribu Iuda, vt maximè tunc imperium in ea tribu fundatum sit per Dauidem qui succeſſit Sauli, firmatúmque sit in posteris Dauidis per annos fermè quingentos.

69 Quinta interpretatio quæ cēsetur probabilior cæteris, per illud, *Qui mittendus est*, non significatum esse Messiam, sed Nabuchodonosor Regem Chaldæorum, quem missum esse à Deo ad punienda scelera Iudæorum apertè prodiderunt Hieremias & Ezechiel. Volunt igitur hūc esse verum germanúmque huius prophetiæ sensum: Habebit tribus Iuda regale imperium, donec veniet rex Nabuchodonosor: is enim regale imperium ademit tribui Iuda, capto, effosísque oculis, ducto Babylonem rege Sedechia, post quem nullus deinde posterorū Dauidis, aut ex tribu Iuda regnauit apud Iudæos. *Hierem. 25. 27. 36. 50. 51. Ezech 26. 4. Reg vltim.*

Atque hac etiam ratione vaticinium hoc Iulianum Apostatam & hostem Christianorum intellexisse ex verbis quæ commemorat Cyrillus Alexandrinus lib. 8. eorum decem quos aduersus illum conscripsit, licet intelligere, quæ sic habent: Quòd non deficiat princeps de Iuda, neque dux de femoribus eius, non de Messia vel de Iesu dictū est, sed de regno Dauidis, quod cessasse constat in Sedechia, nouissimo posterorum Dauidis rege Iudæorum. *Iulianus Apostata. Cyrillus Alexandrinus.*

Verūtamē procul verò hāc esse interpretationē, eo maximè patet argumēto, quod nullo modo cōpetit in regē Nabuchodonosor, id quod proximè Iacob subiecit: *Et ipse erit expectatio gentiū*: tantū. n. abest vt eū Gentes desiderauerint, & expectauerint, vt tanquā infensissimū hostem & tyrannum crudelissimū vehementer oderint, eiúsque calamitatibus, infortuniis & exitio incredibiliter lætatæ sint, quemadmodū significat Isaias cap. 14. Quanquam autem Deus miserit Nabuchodonosor ad castigandos Iudęos, solus tamen Messias simpliciter & præcisè nominatur in Scriptura Missus vel mittendus neq; id nomen in aliū quempiam dicitur, nedū in istum regē impiū, quē scilicet Azarias apud Danielem cap. 3. appellat iniustissimū & pessimum vltra omnem terram. 70

71 Sexta Interpretatio. Aiunt quidā vaticiniū hoc pertinere ad Messiā, & ad perpetuitatem principatus in tribu Iuda vsque ad Messię aduentū, verùm dicunt non esse prophetiam, vt vocant, prędestinationis, id est, absolutè certam & omnino implendam, sed esse prophetiam cōditionalem

nalem,quales sunt multæ cõtinentes Dei promissiones aut cõminationes,quæ non simpliciter & omnino impleri debent, sed sub cõditione, quæ si abest,destinatum non habent exitum. Promiserat Deus Iudæis æternã terræ Chanaam possessionẽ & habitationẽ,sed sub ea tamen cõditione,si vicissim ipsi pietatem & iustitiã colerẽt, legémq; Dei custodirent:quod ipsi quia nõ præstiterunt, propterea diuini promissi participes nõ sunt facti. Similiter igitur Deus per Iacob promisit tribui Iuda principatũ vsq; ad Messiæ aduentũ;nõ tamen absolutæ,sed sub cõditione,si à Dei cultu & obseruãtia diuinæ legis nõ recederet,quod quia secus euenit,idcirco minimè peruenit ad effectũ hoc Dei promissum.

Atenim duo faciunt cõtra hanc expositionem: tum quod prophetiæ conditionales vel expressam habent illã cõditionem,vel ex aliis diuinę Scripturæ locis ea cõditio elici potest & cognosci:at vaticiniũ hoc Iacob neq; conditionem habet vllã,neque quod ea intelligi debeat conditionaliter,vspiam in sacris literis significatur. Dicere igitur,non esse prophetiam absolutã,est temere loqui,& pro suo arbitrio fingere quod sibi placeat. Accedit, quod sicut prophetiæ de aduentu Messiæ fuerunt absolutæ,& vt dicunt,prædestinationis, sic etiã prophetiæ omnes quæ denotabant varias circunstãtias aduentus Messiæ:exempli gratiâ, quòd esset futurus Messias ex semine Abrahę,& ex stirpe Dauidis esse generandus,quòd eum Virgo esset paritura, quòd nasciturus esset in Bethlehem.Quemadmodum igitur hæ prophetiæ fuerunt absolutæ, nó autem conditionales, sic etiam hæc prophetia censenda est quæ tempus Messiæ aduentus ex defectu principatus in tribu Iuda cognosci voluit.

Esa.7.
Matth.1.
Mich.5
Luc 1
Matth.1.

Nam licèt Iacob non expressè dicat principatum in Iuda tunc defecturum,cùm veniet Messias,perspicuè tamen significat,si quando contingat deficere principatum in Iuda, tunc certissimè aduentum Messiæ expectari oportere. Nam si non deficiet donec veniat Messias, ergo cùm iam defecerit,necesse est iam venisse Messiam.Quod si hoc vaticinium de tempore aduentus Messiæ non est absolutum,sed conditionale; consimili profectò ratione nobilis illa prophetia Danielis de tempore aduentus Messiæ; septuaginta hebdomadis denotato ac definito, non absoluta,sed conditionalis fuerit.

Dan.9.

DISPVTATIO CVM CHRISTIANIS

Doctoribus, quemadmodũ veritas huius prophetiæ cum ipso euentu,rerúmque successu congruat atque consentiat.

DIscvssis aqtue profligatis Iudæorum commentitiis interpretationibus, alterum & quidem grauius ac difficilius cum Christianis Doctoribus subeundum est certamen. Est enim valdè operosum & arduum liquidò ostendere, quemadmodum prophetiæ huius veritati euentus & res ipsa planè respondeat. Hac in re plu

re plurimi maximíque viri vehementer laborarunt ac desudarunt, quorũ tamen omnium vix vnum reperies (vt ex hac nostra disputatione Lector intelliget) qui scopum, veritatis attigerit; multos autem videre licet qui ab eo longissimè aberrauerint. Summa difficultatis huius in eo versatur, quòd populus Hebræus statim post egressum ex Aegypto & legẽ à Deo acceptam, principes gentis suę habere cœpit, dissimili tamen, diuersis tẽporibus, principatu. Nam primi principes eius populi, fuêre duces, Mosen dico & Iosue, qui summo cum imperio ei populo præfuerunt per annos sexaginta sex; quorum neuter fuit ex tribu Iuda, sed Moses ex tribu Leui, Iosue autem ex tribu Ephraim.

73 Deinde principatus fuit penes Iudices vsque ad Saulem primum regem per annos plus trecentos: toto autem eo tempore de tam multis, id est, quindecim iudicibus, duo tantùm fuerunt ex tribu Iuda, Othoniel & Abesam, per annos septem & quadraginta principatu defuncti. Post hæc imperium fuit penes Reges quorum primus fuit Saul ex tribu Beniamin: post quem rex creatus est Dauid ex tribu Iuda, in qua tribu mansit regalis principatus penes Dauidis posteros vsque ad captiuitatem Babylonicam, per annos quadringentos septuaginta tres. Post reuersionem autem Hebræorum ex captiuitate Babylonica in patriam suam, vsque ad Herodem, per annos quingentos viginti summus Iudæorum principatus in manu fuit Pontificum qui erant de tribu Leui. Nam quod scripsit Iustinus libro trigesimo sexto, Iudæorum eosdem esse reges & sacerdotes, ad hoc tempus tantùm pertinet. *1 Reg. 10. 2. Reg. 2*

74 Ex hac igitur breui narratione apparet, cùm principatus Iudæorum ab egressu eorum ex Aegypto vsque ad Herodem steterit annos mille quingentos, ex toto eo tempore annos duntaxat quingentos viginti principatum habuisse tribum Iuda: Ergo ante Dauidem principatus Iudaicus extra tribum Iuda fuit per annos quadringentos; post reuersionem autem ex captiuitate, fuit etiam extra tribum Iuda, præter vnum Zorobabel, quantum ex sacris litteris potest intelligi, & fuit penes tribum Leui per annos plus quingentos vsque ad Herodem & ad Messiæ aduentum; quomodo igitur constare potest veritas huius vaticinij, quo significatur futurum in tribu Iuda principatum vsque ad Messiæ aduentum? Hic nodus valdè torsit viros doctos, qui nullum non mouerunt lapidem, vt commodam eius soluendi rationem aliquam inirent. Varias igitur adhibuerũt vias & rationes, quibus explicarent propositam difficultatem, & veritatẽ huius vaticinij aptè cum euentu componere atque concordare possent: quas nos ad præsens exponemus diligenter, & expendemus.

75 Prima est sententia Eusebij Cæsarienſis libro octauo de Demonstratione Euangelica, & Diodori Tarsensis, vt citatur in Catena in Genesim. Arbitrantur isti Iacob non significare hac prophetia imperium populi Hebræi futurum penes tribum Iuda vsque ad Messiæ aduentum, sed illud tantùm indicasse, tribum Iuda comparatam cum alijs tribubus, fore semper illis dignitate & honore præstantiorem, etiam tunc cùm erat penes alias tribus principatus. *Eusebius. Diodorus.*

Idem significat Hugo Sancti Victoris in annotationibus in Genesim super hunc locum, ita scribens. *Non auferetur sceptrum*, id est, dominium quoddam; sicut quòd prima tribus Iuda intrauit mare rubrum, & prima obtulit oblationem in deserto, vbi constructum est Tabernaculum, & &huiusmodi alia quæpiam parua prælatio. *Donec veniat, qui mittendus est*; in Hebræo est donec veniat Silo, vbi Saul à Samuele inunctus est in Regem. Et est sensus, Vsque ad Saulem & post eum habebit Iuda principatum, quia eripuit Ioseph de manibus fratrum suorum. Sic Hugo.

Verùm hæc sententia non est probabilis: nam illud vocabulum, *sceptrũ* vel, vt Hebræa sonat, virga regia, & vt verterunt lxx. Princeps, & illa vox *dux*, vel vt significant Hebræa, legislator, manifestè denotant summam principatus & imperij potestatem. Neque illud rationi cõsentaneum est, si supremum imperium diu fuerit continuatum in alia tribu, non fuisse eam, quo tempore principatu potiebatur, ceteris nobiliorem & honoratiorem: supremus enim principatus longo tempore continuatus in aliqua familia, facit eam multo nobiliorem cæteris quæ eo principatu carent. Quis igitur dubitet credere, cùm post reuersionem Hebræorum ex captiuitate Babylonica, per annos plus quingentos, Pontifices qui erant de tribu Leui, summum imperium obtinuerint, & plerique regalem maiestatem simul cum dignitate pontificia coniunctam habuerint, fuisse apud Hebræos eo tempore tribum Leui omnium nobilissimam atque honoratissimam?

Cyrillus. Alexãdrinus.

Altera sententia Beati Cyrilli in lib. 8. aduersus Iulianum Apostatam. 75
Negat Cyrillus post captiuitatem Babylonicam defecisse sceptrum & & principatum in tribu Iuda, quinimò putat, statim vt Iudæi reuersi sunt ex Babylonica captiuitate, principem eorum fuisse Zorobabelẽ qui erat de tribu Iuda, vt apud Esdram & Zachariam videre licet: eúmque principatum deinceps in posteris eius vsque ad Herodem esse perpetuatum.

Sed pace tanti viri dictum sit, non videtur verum quod sumit. Nullus enim posterorum Zorobabelis summum habuisse principatum apud Iudæos legitur, vel in sacris literis, vel in historijs Iosephi: sed contra legitur, fuisse id temporis imperiũ eius populi penes Pontifices, qui erant de tribu Leui. Quid quod Cyrillo aduersari videtur Hieremias cap. 22. quippe qui prædixit nullum Iechoniæ posterorum (fuit autem Zorobabel nepos Iechoniæ) potestatem habiturum in Iuda. Hæc sunt verba Hieremiæ de Iechonia: *Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur, nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltra in Iuda.* Verùm vt daremus Cyrillo, à Dauide vsque ad Herodem fuisse principatum in tribu Iuda, non propterea tamen omnino expedita esset difficultas proposita: Quid enim Cyrillus diceret de eo tempore quo principatus Hebræorum ab egressu eorum ex Aegypto vsque ad Dauidem fuit penes alias tribus per annos fermè quadringentos, vt suprà diximus?

Liranus. Thostatus. Carthusianus.

Tertia sententia Lyrani, Tostati, & Carthusiani hoc loco, quam alij 76
permulti sequuntur. Negant isti etiam post reditum Iudæorum ex captiuitate

uitate Babylonica tribum Iuda omnino perdidisse sceptrũ, & imperium. Nam licèt tunc principatus fuisse videatur penes Pontifices, ipsi tamen Pontifices paterno quidem genere erant ex tribu Leui, sed materno erãt ex tribu Iuda: propter nobilitatem enim harum duarum tribuum mutua inter illas miscebantur, & iungebantur connubia. Id quod planum fit exemplo Aaronis, qui primus fuit Pontifex: is enim duxit Elisabeth vxorem, filiam Aminadab principis tribus Iuda, vt habes in libro Exodi capite sexto, & posteriori libro Paralipomenon traditur Iosabeth filiam Ioram Regis Iuda, vxorem fuisse Ioiadæ pontificis. Ergo principatus Iudaicus, etiam quo tempore fuit penes Pontifices, fuit aliqua ex parte penes tribum Iuda, ex qua illi Pontifices genus trahebant maternum.

77 Sed hæc opinio facilem habet confutationem. Primùm, etsi aliquando Pontifices vxores ex tribu Iuda duxerint, semper tamen, aut plurimùm duxisse eos, nec isti ostendunt, cùm probare tamen deberent, nec sanè ostendi potest; quin contra solitum fieri, vt ex sua tribu, quæ nobilissima erat, propter imperium vxores acciperent Pontifices, credibilius videtur. Sed esto, semper aut plerunque Pontifices vxores ex tribu Leui duxerint, non propterea tamen difficultas tollitur: quippe secundùm hanc prophetiam sceptrum fore prædicitur penes tribum Iuda; apud Iudæos autem nemo censebatur huius aut illius tribus esse propter genus maternum, sed tantummodò propter paternum, quapropter genealogiæ illorum nonnisi per genus paternum contexebantur.

78 Nam si secus esset, ratio illa B. Pauli qua in epistola ad Hebræos cap. 7. argumẽtatur, Christum Dominũ non fuisse sacerdotem ex tribu Leui, & secundùm ordinẽ Aaron, quia Christus fuit ex tribu Iuda, ex qua nullus vnquam sacerdotio functus est; hæc, inquam, Pauli ratio infirma esset: Namque sic ei occurri posset, matrem Domini nostri fuisse quidem ex tribu Iuda paterno genere, sed materno ex tribu Leui, & idcirco Christũ participem fuisse vtriusque tribus, & in vtraque tribu censeri posse. Sed illud meo iudicio aduersus istius sententiæ sectatores non parum valet. Fatentur isti sceptrum fuisse penes Pontifices, qui paterno genere, id est, simpliciter erant ex tribu Leui, materno autem, id est, secundùm quid ex tribu Iuda: ergo sceptrum, & imperium toto eo tempore nonnisi secundùm quid fuit penes tribum Iuda, simpliciter autem, & propriè fuit penes tribum Leui. Ex quo rectè concluderetur, prophetiam hanc Iacob, vel magis, vel æquè saltem pertinuisse ad tribum Leui, quàm ad tribum Iuda. *2. Paral. 22.*

Nonnulli ætatis nostræ, viri sanè docti, & clari nominis scriptores, putauerunt, & scriptis prodiderunt, Machabæos, Iudam dico, Ionatham, & Simonem eiúsque posteros, qui principatum summum in populo Iudaico vsque ad Herodem obtinuerunt, etiam paterno genere fuisse de tribu Iuda. Rectè enim illi pro sua prudentia, & doctrina animaduerterunt, si Machabæi genus tantùm maternum duxissent ex tribu Iuda, id nequaquam facere, vt principatus tunc fuisse dicatur penes tribum Iuda, sicut nos paulò antè ostẽdimus. Quod autẽ illi paterno genere fuerint ex tribu *Genebr in Chronologia vbi de Machab.*

Iuda,duplici argumento persuadere volunt,primò,auctoritate B.Cyrilli, qui libro octauo aduersus Iulianum affirmat principatum Iudaicum etiã post captiuitatem Babylonicam permansisse in posteris Zorobabelis, & Dauidis,vsque ad Herodem.Sed ego hanc Cyrilli opinionem paulo suprà,validè(vt opinor)confutaui.

An Machabæi paternum genus ex tribu Iuda duxerint

Tum id maximè probare contendunt ex quibusdam verbis quę sunt in priore libro Machabęorum sub finem quinti capitis,vbi agitur de quibusdam Iudæis,qui inconsultè, ac temerè inito cum hostibus conflictu ceciderant.Et subditur:*Illi autem non erant de semine virorum illorum per quos salus facta est in Israel.Et viri Iuda magnificati sunt valdè in conspectu omnis Israel,& gentium omnium vbi audiebatur nomen eorum.* Illud,*Et viri Iuda*,secundùm illos haud dubiè significat viros ex tribu Iuda, nec alios sanè,aut certè potissimũ,Iudã & fratres eius:erãt igitur illi de tribu Iuda.

Sed non est hoc firmum argumentum:tum quia altera lectio eius loci sic habet:*Et vir Iudas,& fratres eius magnificati sunt. &c.* tum verò quia etiam secundùm eam lectionem nihil locus hic adiuuat eorum sententiam.significatur enim illis verbis,*Viri Iuda*,id est, qui sequebantur ducem eius belli Iudam,milites scilicet,& comites atque adiutores eius in eo bello;significatur,inquã,eos viros,qui cũ Iuda militabãt,propter egregia ab illis patrata facinora esse apud omnes magnificatos, & celebratos.

Machabæi non iure hereditario,sed per electionem populi & ad tempus principatum acceperunt.

Enimuerò principatum Iudaicum non abuenisse Machabæis iure hæ- 79
reditario,quasi ipsi essent de tribu Iuda & ex Dauidis stirpe,sed delatum eis fuisse per electionem populi;nec simpliciter,sed quoad surgeret propheta,qui ex Dei sententia doceret quid facto opus esset, apertis verbis traditur in priore libro Machabæorum,in cuius cap.9.sic est:*Et congregati sunt omnes amici Iuda,& dixerunt Ionathæ, Nunc te hodie eligimus esse nobis in principem, & ducem ad bellandum bellum nostrum.* Et in capite 14. eiusdem libri sic legitur:*Iudæi,& sacerdotes consenserunt Simonem esse ducem suum,& summum Sacerdotem in æternũ,donec surgat propheta fidelis.*

B. Hieronymus.

Certè Beatus Hieronymus super caput.21.Ezechielis non semel asse- 80
ueranter ait regnum Iuda,& Dauidis omnino finitum esse in Rege Sedechia,qui fuit vltimus ante captiuitatem Babylonicam,nec vltra fuisse: nã quamuis postea Machabæorum posteri,& regnum,& pontificatum obtinuerint;non tamen ipsis iure debitum fuisse,nec in ipsis locum habuisse prophetiam illam Iacob,*Non auferetur sceptrum de Iuda.* Non sum nescius,eundem Hieronymum super primum caput Sophoniæ scriptum reliquisse,vsque ad tempus passionis & mortis Domini nostri perseuerasse Reges Iuda de stirpe Dauid,secundùm illam prophetiam Iacob:*Non deficiet princeps de Iuda,nec dux de femoribus eius,donec veniat cui repositum est,& ipse erit expectatio gentium.* Verùm quod eo loco dixit Hieronymus & obiter,& in tropologica expositione,& ex aliorum fortasse,vt plerunque solet,sensu,non valdè curandum est:præsertim cùm id manifestè sit falsum.Nemo enim est,qui nesciat,multo ante passionem Domini,id est, per annos septuaginta,principatum Iudaicum esse ad alienigenas, quorum primus Herodes fuit,translatum.

Quod

81 Quod autem Machabæi paterno genere fuerint de tribu Leui, non de tribu Iuda, vt supradictis auctoribus visum est, adeo perspicuis verbis docet sacra Scriptura, vt neminem, qui animum modò aduertat ad eius verba, negaturum putem. Loquens in priore libro Machabæorum sub initiũ secũdi capitis de Mathathia, qui pater fuit Machabæorum, eiúsque genus indicans, sic ait: *In diebus illis surrexit Mathathias filius Ioannis filij Simeonis, sacerdos ex filiis Ioarim:* id est, ex vice, & familia Ioarim, quæ inter viginti quatuor familias posterorum Aaronis, sorte prima exiit, vt habes 1. Paralip. ca. 24. & Iosephus idem narrans lib. 12. Antiquitatum, dicit eum fuisse sacerdotem ex vice Ioaribi.

Machabæos paternum genus ex tribu Leui traxisse docet Scriptura.

Ioseph.

Deinde B. Paulus, vt paulò suprà diximus, simpliciter ait, nullum vnquam de tribu Iuda seruisse altari: ex quo argumentatur, Dominum nostrum, qui fuit ex tribu Iuda, non fuisse sacerdotem secundùm ordinem Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedech. Et quia Deus in lib. Num. & alibi, grauissimis verbis, quin etiam pœnis vetuerat quenquam ministeria sacerdotum tractare, qui non esset ex tribu Leui, & semine Aaron, propterea non modò vetitum, illicitum & inauditum erat apud Iudæos, esse aliquem ex alia tribu, quàm Leui, vel Pontificem, vel etiam sacerdotem, vt id munus vel tractare, impium & execrandum haberetur, & nonnunquam miris à Deo prodigiis editis seueriſſimè vindicatum esset, vt ostendunt exempla Dathan, & Abiron, & Oziæ Regis Iuda.

Hebr. 7.

Ps. 109.

Num. 16

2. Paral. 26.

82 Quarta sententia. Quidam aiunt, illud vocabulum *sheueth*, quod Latinus interpres vertit, sceptrum, alij virgam, nonnunquam in sacris literis significare tribum siue familiam: quod Oleaster probat ex illis verbis psalmi 70. *Tribum Ephraim non elegit, sed elegit tribum Iuda.* Vbi pro illa voce (tribum) Hebraicè est *sheueth:* hac igitur significatione eam vocem esse positam hoc loco: vt sensus prophetiæ sit: Non auferetur tribus Iuda, id est, Permanebit vsque ad Messiam.

Oleast.

Sed contra hanc interpretationem facit communis sensus Hebræorũ, & Patrum, paraphrasis item Chaldaica, translatio Septuaginta, & ferè omnes versiones, quæ vocabulo imperij, sceptri, regni, principatus, regalis virgæ, eam vocem expresserunt. Deinde secundùm istam expositionem, Iacob nihil dixisset eximiũ, aut singulare de tribu Iuda, sed quod in alias quoque tribus communiter, & æquè conueniat. nam (vt de aliis taceam) certè tribus Leui vsque ad Domini nostri aduentum, non secus quàm tribus Iuda permansit.

83 Quinta sententia Pauli Burgensis hoc loco, Galatini libr. 4. de Arcanis fidei, Ioannis Annij in Breuiario temporum Philonis, & Ioannis Lucidi in libro de Emendatione temporum, vbi agit de vita Christi. Affirmant isti, Moysen Dei iussu, vt proditum est Numerorum 11. instituisse Senatum quendam siue Collegium septuaginta virorum, quos delegit omnes ex tribu Iuda: & hoc collegiũ vocant isti, Sanedrin, penes quod erat summa potestas, & auctoritas circa ea quæ spectabant ad legem Moysi, siue moralia essent illa, siue cæremonialia, siue iudicialia. illi callebant, & apud se tenebant interiorem sublimiorémque intelligentiam Scripturæ, quam

Burgen.

Galat.

Annius.

Lucidus.

vocabãt Cabala, quod verbum significat Receptionem, quòd ea doctrina non per publicam disciplinam, & scripta acciperetur, sed per secretam traditionem spectatis probatísque auditoribus commendaretur.

Io. Mirandul. Ioannes Mirandulanus, ait tale fuisse illud Collegium, quale est in Ecclesia Collegium Cardinalium, eósque viros appellari solitos in sacris literis seniores, quorum traditiones, & præcepta Iudæi summa obseruantia reuerebantur, & custodiebant. de his intelligi volunt, quod est in Psal. 81. *Deus stetit in synagoga deorum, &c.* & rursus: *Ego dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes.* De hoc igitur Senatu qui totus, vt diximus, erat de tribu Iuda, censent isti prophetiam hanc Iacob esse intelligendam: Siquidem penes húc Senatum mansit suprema potestas vsque ad Herodem, qui paulò ante Christi ortum omnem ei senatui auctoritatem, ac potestatem ademit.

Sed in hac opinione multa sunt animaduersione & castigatione digna. 84
Principiò, deberét isti ostendere ex sacra Scriptura, vel probatis historiis, talem fuisse vnquam in populo Hebræo Senatum, qualem ipsi depingũt, & permansisse eum vsque ad Herodem. Certè apud Iosephum diligentissimum, & curiosissimum Iudaicarum rerum scriptorem, mirum de isto Senatu silentium est: nec Philo quicquam prodidit; nam illud Breuiariũ temporũ, non veri Philonis fuit, sed Philonis Anniani, id est, vel ab ipso Annio, vel ab alio quopiam confictum, vt à nobis demonstratum est lib. 12. Commentariorum nostrorum in Danielem, quæst. 1.

Verùm demus istis, talem fuisse aliquándo senatum in populo Hebræo: 85
illud tamen non est eis concedendum, illum Senatum fuisse totum ex hominibus tribus Iuda. nam nec hoc isti probant, nec est sanè probabile: quin magis credibile est, si talis fuisset Senatus, eum non ex vna tribu Iuda, sed ex omnibus fuisse delectum atque conflatum; quo scilicet *cunctis* tribubus satisfieret, vt omnium ratione habita, iudicia, & *decreta illius Se*natus propensiùs, ac libentiùs omnes amplecterentur. *Sic* enim non semel apud Hebræos esse factum, replicantem sacros annales, facile est intelligere. Quotiescunque enim ex vsu illius populi fuit, certum aliquem numerum virorum prudentium & proborum deligere, vel ad res ciuiles prudenter tractandas & administrandas, vel ad grauissimum aliquod negociũ, & ad publicũ bonũ spectãs expeditè, & rectè conficiendũ, semper fuisse eos viros legimus non ex vna aliqua tribu, sed ex omnibus electos.

Huius rei aliquot sunt in sacris literis exempla. Primum Exodi cap. 18. vbi narratur, Mosen ex consilio soceri sui Iethro constituisse super populum principes, & iudices ex toto Israele. Alterum exemplum Numerorũ cap. 13. de duodecim exploratoribus missis à Mose ad speculandam terrã Chanaam, ex qualibet tribu vno eorum delecto. Tertium exemplum narratur ab Aristea, Iosepho, & Eusebio de duobus & septuaginta interpretibus sacræ Scripturæ, quos rogatu Philadelphi Regis Ægypti misit Eleazarus Iudæorum Pontifex, senos ex qualibet tribu omnium sapientissimos diligendo, ad conuertenda sacra Biblia ex Hebræo sermone in Græcum: nec vspiam legitur in sacris libris tales aliquos septuaginta viros ex vna tantùm tribu fuisse delectos. Nam quod isti proferunt ex

lib.

lib. Numero. de illis septuaginta senibus quos delegit Moses, eorum opinioni minimè suffragatur, quin potiùs refragatur. Deus enim iussit illos septuaginta viros elegi de senibus Israel. Audis, de senibus Israel, non autem de senibus Iuda? Vocabulo enim Israel, antequam decem tribus separentur à Iuda, vniuersus populus Hebræus significabatur.

Quid multa? liberaliter cum istis agam; fuerit sanè iste senatus in po-
86 pulo Hebræo vsque ad Herodis tempora, fueritque vniuersus ex tribu Iuda: non propterea tamen proposita difficultas circa hanc prophetiam exhauritur. Siquidem Iacob loquitur de sceptro, & suprema potestate atque imperio, tale autem sceptrum, & imperium nõ erat in isto Senatu, sed vel in Duce, vel in Iudice, vel in Rege, vel in Pontifice, penes quos in diuersis temporibus fuit summus Hebræi populi principatus. Illi enim septuaginta viri, erant tanquam consiliarij Principis, & vt iudices populi, nec penes illos, sed penes Principem erat sceptrum & imperium. Similiter nempe, vt in regno Galliæ, sub Rege Galliæ est, quod vulgo appellãt, Parlamentum: & in regno Hispaniæ sub rege est, quod vulgo appellant Concilium Regium seu Concilium status: & Romæ, atque in Ecclesia sub ipso Papa est Concilium Cardinalium, & olim apud Romanos erat Senatus, tempore Imperatorum.

Sexta opinio Caietani hoc loco. Caietanus tractans hanc ipsam quam in manibus habemus quæstionem, ad hunc modum scribit: (volo enim propria eius verba adscribere, quo planiùs & certiùs eius sententiam lector intelligat) Discurre, inquit, & discute, Nouitie, expositiones omnes tã Hebræorum, quàm aliorum, & reperies nullã quadrare verbis illis Iacob: *Non auferetur virga de Iuda*, nisi hanc meam, hoc est, [Non auferetur penitus principatus de tribu Iuda, donec veniat Messias.] Ablatus sanè fuit antea, sed non penitus: impeditus est ad tempus principatus eius, sed non totaliter desijt, siquidẽ remansit semper certitudo Messiæ nascituri de tribu Iuda, ad differentiam reliquarum tribuum, quòd in reliquis tribubus potuit omnino deficere principatus, ita quòd nunquam ampliùs recuperaretur: in tribu autem Iuda quicunque & quotcunque acciderunt defectus principatus, siue Regalis, siue Ducalis, certa tamen erat spes principatum esse reddendum tribui Iuda.

Illud autem: *Donec veniat Messias*; non est sic accipiendum, quasi post Messiæ aduentum defecturus sit principatus Iuda, immò tum maximè firmandus erat & perpetuãdus in æternum. Verùm satis fuit tollere id quod poterat esse ambiguum: non enim poterat esse dubium, an regnum Messiæ futurum esset æternum, sed an principatus Iudaicus vsque ad Messiæ aduentum futurus esset perpetuus: & ad hoc tollendum dubium prædixit Iacob, quamuis imperium Iuda non esset confirmandũ vsque ad Messiam, non esse tamen penitus auferendum, sed certissima expectatione expectandum esse, vsquequò ex muliere tribus Iuda, nasceretur filius qui redimeret regnum Israel. Libra cæteras expositiones, & inuenies in illis multa falsa permista, & multa voluntariè & gratis dicta, huic autem nostræ nullum occurrit offendiculum, & propterea præpono illam cæteris.

Atque

Atque hæc quidem Caietanus, cuius opinionis hæc est summa, dupliciter potuisse auferri sceptrum de tribu Iuda, vel secundùm actum ad tẽpus, vel omnino sine vlla spe iterum aliquando ipsum recuperandi: priori modo negari non posse aliquando defecisse sceptrum Iuda; sed posteriori modo nequaquã defecisse: semper enim mansisse in tribu Iuda certissimam spem nasciturum ex ea tribu Messiam, qui principatum eius repararet ac firmaret in æternum.

Caietanus.

88 Verùm hæc sententia Caietani, si rectè pensetur, paruam aut potiùs nullam habere probabilitatem reperietur. primùm enim dubitari non potest quin Iacob locutus sit de principatu & imperio Iuda terreno & temporali, non autem de spirituali, siquidem potestas verè spiritualis nunquã fuit in populo Hebræo: neque enim lex Mosis, nec sacerdotium Aaronicum, nec sacrificia, ceteræque legales cæremoniæ vim habuêre producẽdi vllum spiritualem effectum; vt ex illa disputatione quam tractat Beatus Paulus in Epist. ad Hebræos, perspicuè licet cognoscere. Et vt *fuerit* talis potestas spiritualis in populo Hebræo, ea tamen non fuit in *tribu Iu*da, sed in tribu Leui, penes quam solum erat sacerdotium & Pontificatus. Maneat igitur, Iacob esse locutum de terreno & temporali principatu Iuda. Talem autem principatum post captiuitatem Babylonicam omnino perdidit tribus Iuda, tam scilicet quantum ad actum, quàm etiam quantũ ad spem recuperandi, nunquã enim postea principatum recuperauit. Nã Messias cùm venit, non reparauit terrenũ & temporale regnum Iuda aut Dauidis, sed fundauit & firmauit spirituale, nempe Dominus ipse testificatus est regnum suum non esse de hoc mundo, & Hiere. 22. cap. prædixerat, neminem futurum ex semine Iechoniæ qui ampliùs regnaret & potestatem haberet in Iuda, videlicet temporalem & terrenam. *Dominum* autem nostrum fuisse de stirpe Iechoniæ, non sinit nos dubitare genealogia eius quam descripsit Matthæus.

Refutatio Caietani.

Ioan. 18.

Matt. 1.

89 Illud præterea valdè officit sententiæ Caietani, quòd secundùm eam, iacere videretur causa Christianorum, & contumacia Iudæorum exultaret ac triumpharet. Etenim argumentatio qua Patres omnes vsi sunt ad conuincendos Iudæos de aduentu Messię ex hoc vaticinio Iacob contexta, infirmissima esset ac planè nulla. Sic enim illi argumentãtur: Iacob vaticinatus est non defecturum principatum Iuda donec veniret Messias; sed defecit tempore Herodis, quo tempore natus est Iesus; iam igitur venit Messias; nec is alius fuit quàm Dominus Iesus. Hanc Iudæi argumentationem facile, secundùm Caietani expositionem eluderent: dicerent enim, tempore Herodis defecisse principatum Iuda quãtum ad actum, sed non quantum ad spem recuperandi: exspectari enim ab ipsis adhuc Messiæ aduentum, qui principatum Iuda non solùm reparabit, sed multo maximè amplificabit. Non igitur ex defectu imperij Iudaici qui contigit tẽpore Herodis & Domini nostri, conuinci posset iam venisse Messiam.

Adijce, quòd Caietanus non satisfacit difficultati quantũ ad illos quadringentos annos ab egressu ex Ægypto vsq; ad Dauidem, qui principatũ fundauit in tribu Iuda. Per illos enim annos principatus non fuit penes tribum

tribum Iuda,sed penes alias tribus:quocirca non potest dici quod ait Caietanus,eam tametsi perdiderit,principatum quantum ad actum non tamen perdidisse, quantum ad spem recuperandi.

90 Septima opinio Melchioris Cani lib. 2. de locis theologicis,c. 11.in solutione quarti argumenti. Cùm tres de supradictis opinionibus eo loci breuiter commemorasset Canus,ex suo sensu subdit hoc:Nos,inquit,quibus consilium est alienas expositiones non inimicè aut insectari, aut repellere,faciliùs hunc nodum expediemus,si ex primo Machabæorum libro intelligemus,populum Iudæorum ducatum Machabæis tradidisse non tanquam proprium & hæreditarium,sed ad legem depositi conseruandum,vt videlicet Israeliticam plebem interea tuerentur,donec surgeret propheta fidelis qui eos instrueret,vel quem de tribu Iuda venturum expectabant:qua ex re sceptrum de tribu Iuda non auferebatur, & præsertim quòd ipsa quoque tribus Iuda in hoc populi condictum & sententiam à principio saltem creditur consensisse.Ita Canus. *Melchior Canus.*

91 Verùm hæc opinio siue coniectura,multiplici patet confutationi.Primùm Canus,fortasse nolens, delabitur in opinionem Caietani à nobis paulò suprà confutatam:cogitur enim dicere quod ille dixit, tribum Iuda perdidisse principatam multis sæculis ante Messiæ aduentum; perdidisse,inquam,quantum ad actum siue quantum ad vsum;non tamen perdidisse quantũ ad proprietatẽ & ius,siue,vt ille dixit, quãtũ ad certam spem iterũ recuperandi.Ergo secundùm expositionẽ Cani,nõ posset hac prophetia Iacob peruinci contra Iudæos iam venisse Messiã propter defectũ principatus in tribu Iuda:diceretur enim,perdidisse tribum Iuda iampridem principatũ quantum ad actũ siue vsum;retinere tamen ipsum quantum ad ius & proprietatem quæ in aduentu Messiæ reducatur ad actum.

Præterea quid Canus dicet de Pontificibus qui ante Machabęos summum in populo Iudaico principatum post reditum ex captiuitate Babylonica obtinuerunt?neque enim probare potest,illis fuisse delatum communi eius populi consensu.Vnde porrò enotuit Cano, tribum Iuda consensisse in electionem Machabæorum ad imperium? Iam verò cùm per quadringentos annos ante Dauidem principatus Iudaicus fuerit penes Duces & Iudices ex alijs tribubus,quomodo ad explicandam hanc difficultatem interpretatio Cani valere potest?

Denique,vt dixi,ex hac prophetia non posset ostendi,tempore Herodis,quo natus est Dominus,venturum fuisse Messiam,& hunc fuisse Saluatorem nostrum,in quo vno vaticinium hoc Iacob, sicut omnia aliorũ vatum oracula,completum fuerit,quia nimirum tunc principatus Iudaicus defecit translatus ad alienigenas.Nam vel intelligitur defeciisse quantum ad actum & vsum,& hoc non valet: Tum quia dicetur prophetiam Iacob intelligi oportere de defectu quantum ad ius & spem recuperãdi, tũ quia non primũ defecit tẽpore Herodis principatus in tribu Iuda, sed quingentis circiter annis antea.Vel intelligitur defeciisse tũc,id est,tẽpore Herodis omnino,id est,etiã quantũ ad ius & spem recuperandi: sed hoc probari non potest, dicent enim Iudæi adhuc supereſſe tribui Iuda ius

& spem iterum obtinendi principatum, cùm scilicet venerit Messias, quẽ illi etiamnum venturum expectant. Verùm de aliorum opinionibus circa huius vaticinij intelligentiam & interpretationem satis adhuc fuerit à nobis disputatum.

AVCTORIS IVDICIVM DE VERO ac germano huius prophetiæ Iacob intellectu & sententia.

QVÆNAM igitur est nostra sententia? Breuiter dicam. Credo equidem vaticinium hoc intelligi debere in vniuersum de ipsa gente Iudaica, quæ duodecim in tribus erat diuisa: de tribu autem Iuda nonnisi secundùm congruam quandam applicationem, siue, vt in scholis loquimur, appropriationem intelligi debere, aut posse: vt hic sit prophetiæ huius intellectus; futurum semper in gente Iudaica, & penes viros eius gentis principatum donec veniret Messias. Illud *semper* non significat perfectá continuationẽ temporis, excludens omnem interruptionem; constat enim tempore captiuitatum amissum esse principatum absolutum & planè liberũ; sed quia id contigit ad breue tempus, & rursus postea recuperatus est principatus, idcirco illud pro nihilo ducitur. Semper igitur vsque ad tempus Herodis & ortum Domini nostri, qui principatum tenuerunt in populo Hebræo, fuerunt ex ea gente & non alienigenæ, siue fuerint ex tribu Leui, vt accidit post reditum ex captiuitate Babylonica; siue de tribu Iuda, vt tempore regum à Dauide vsque ad Sedechiam; siue ex alijs tribubus, vt euenit post egressum ex Aegypto vsque ad tempora Dauidis. 92

Cur igitur, dicet aliquis, Iacob hanc prophetiam propriè de tribu Iuda pronunciauit, si non ei propriè conuenit, sed in commune pertinet ad omnem gentem Iudaicam? Dicam de hoc paulò infrà, & causas eius rei valdè probabiles exponam. Sed priùs ostendere oportet veram esse hanc interpretationem, & præ ceteris omnibus à Lectore amplectendã. Quod sanè dupliciter potest demõstrari. hæc enim interpretatio reddit prophetiam Iacob planam & facilem intellectu atque creditu, nihil continet absurdi, nihil confictum habet, nihil gratis & temerè dictum, non inuoluitur difficultatibus quibus aliæ expositiones inexplicabiliter intricatæ sũt, nullis premitur incommodis quibus aliæ omnes vehementer vrgentur, denique mirificè congruit & consentit cum euentu, & ipso rerum successu. Siquidem quicunque ante Herodem tenuerunt apud Hebræos imperium, ex genere, & stirpe Iudaica fuerunt, primúsque alienigenarum Herodes non per electionem populi, sed per vim & per auctoritatem & potestatem Romanorum, occisis legitimis Principibus imperium Iudaicum sibi vendicauit. 93

Confirmatur hoc ipsum præterea auctoritate vetustissimorũ scriptorum Ecclesiasticorum, & grauissimorum Patrum, qui similiter vt nos hoc vaticinium intellexerunt & explanarunt; & idcirco nullam circa ipsum 94

moue

mouerunt quæstionem, nullámque senserunt difficultatem. Iustinus Martyr in eo sermone quẽ habuit cum Tryphone Iudæo, & scriptis prodidit, sic ait: Iacob patriarcha duos Christi aduentus prædixit, & in primo fore ipsum passibilem; post quem, nec prophetam vllum vos habituros, nec regem qui sit vestri generis (audis illud, vestri generis id est, ex genere & stirpe Iudaica) & cùm Iustinus memorasset hoc vaticiniũ Iacob, subdit: Certè non estis tam impudentes, vt negare audeatis prophetas & quales cunque principes nunquam vobis defuisse vsque ad aduentum Christi: sed postquam Christus Dominus in gente vestra exortus & necatus est, nunquam prophetam habuistis nec habetis, immò ne regem quidem proprium. Sic Iustinus. Vides igitur, quemadmodum Iustinus intellexerit semper futuros principes generis & stirpis Iudaicæ, qualescunque illi fuerint, id est, ex qualicunque tribu? *Iustinus Martyr.*

Verùm apertior est hac de re sententia Eusebij, qui libro primo Histo-
95 riæ Ecclesiasticæ, cap. 6. ad hunc modum scribit: Eodem tempore cùm Herodes primus extero & peregrino genere ortus Iudaicæ gentis regnũ obtinuisset, prædictio Iacob, *Non deficiet princeps de Iuda, &c.* finem videbatur consecuta; tantisper enim prædictio illa euentum non habuit, dùm sub principibus ex ea gente prognatis potestas esset, qui quidem initium imperij ab ipso Mose capientes, vsque ad Augusti regnum duraverunt, sub cuius imperio Herodes primus externæ gentis stirpe procreatus Iudæorum principatum à Romanis adeptus est; ad quem cùm peruenisset regnum Iudæorum, pro foribus iam is adesse sentiebatur secundùm Prophetæ oraculum qui futurus esset gentium expectatio: quippe ex illo tempore principes qui successione vsque ab ipso Mose deriuata, Iudæorum potirentur imperio, deficere ac prorsus euanescere videbantur. Nã ante captiuitatem Babylonicam gens Iudaica subiecta fuit Regibus: ante Regum verò tempora, Iudicibus: post reditum autem ex captiuitate Babylonica, Pontifices summam rerum administrarunt vsque ad Herodem: ex quo tempore principes & Duces ex Iuda, hoc est, ex Iudæorum familia, & gente prognati, Rempublicam illam regere destiterunt: atque hoc ipso tempore aduenit promissus à Deo Messias Saluator noster: vt in eo completam esse prophetiam Iacob dubitari nullo modo possit. Hactenus ex Eusebio, qui clarissimis verbis per principes ex Iuda, interpretatus est principes ex gente & stirpe Iudaica, non autem ex peregrina & externa, qualis fuit Herodes. *Euseb. Cæsariensis.*

Consimili ratione Athanasium intellexisse hoc vaticinium non obscurè significant eius verba in libro de Incarnatione verbi; ait enim hoc vaticinio Iacobũ definiuisse tempus quo duraturum erat regnum Iudaicum, scilicet vsque ad Messiæ aduentum. Non dixit Athanasius, regnum in tribu Iuda, sed vniuersè regnum Iudaicum, id est, quod obtinerent qui Iudaica stirpe ac gente prognati essent. Idem sensisse B. Ambrosiũ non obscurè indicat ipse, in capite quarto eius libri quem edidit de Benedictionibus Patriarcharum: nam interpretans illud; *Non deficiet Dux ex Iuda donec ille veniat*, ait vsque ad ortum Saluatoris fidem regalis succes-

sionis apud Iudæos integrã esse conseruatã, posteà verò per Herodẽ adulterata successione prærogatiuam dignitatis amisit. Ergo hoc ait Ambrosius significasse Iacob; seruatum iri in Iudicibus & Regibus Iudæorum intemeratę successionis hæreditatem, donec veniret Messias. Vult igitur Ambrosius propterea nõ defecisse sceptrũ de Iuda vsq; ad Messiã, quod Iudæi vsque ad Herodẽ proprios & suę gentis principes sẽper habuerũt.

Chrysostomus. S. Chrysostomus hom. 67. in Genesim exponens illa verba, *Non deficiet princeps in Iuda*: Manifestè, inquit, declaratur his verbis tempus quo aduenturus erat Messias: tandiu enim, ait Iacob, durabunt Iudaica & princeps Iudæorum, quoad ille venerit. Idem in eo libro qui inscribitur: Demonstratio aduersus Gentes quòd Christus sit Deus. Scriptura, inquit, etiam tempus quo venturus erat, manifestauit, dicens: *Non deficiet princeps ex Iuda*, nam tunc comparuit, cùm iam deficerent Principes Iudaici, & sceptris Romanorum subderentur. Beatus Augustinus libro 18. de Ciui-

Augusti. tate Dei, capit. 45. ita scribit de Iudæis: Deinde Herodem alienigenam regem habere meruerunt, quo regnante natus est Christus: iam enim venerat plenitudo temporis significata prophetico spiritu per Iacob, cùm dixit; *Non deficiet Princeps ex Iuda, &c.* Non enim defuit Iudæorũ princeps ex ipsis Iudæis vsque ad istum Herodem, quem primum acceperunt

Theodoretus alienigenã regẽ. Theod. q. vlt. in Gen. explanans prophetiã hanc Iacob: Hoc, inquit, aduentus Domini indiciũ est clarissimũ: cùm enim Christus nasceretur, defecerũt Iudęorũ Reges, Principes sacerdotũ, & Prophetæ, & imperabant Iudæis reges ex alia tribu. Vbi Theod. per aliam tribum (vt manifestum est consideranti sententiam eius) intellexit aliam familiam, stirpem, genus, id est, non ex genere & gente Iudaica.

Rupertus. Rupertus lib. 9. Cõment. in Gen. cap. 29. tractãs hoc vaticiniũ Iacob 97 de Iuda, hũc in modũ scribit: Iã verò quasi quæreretur *quãdo ille Messias* veniet, & quod signũ tẽporis aduẽtus eius, cõtinuò sequitur: *Nõ auferetur sceptrũ de Iuda, &c.* Quãdo ablatũ est sceptrum de Iuda? ex tũc videlicet, quãdo regnũ Iudæorũ Romanis tradẽtibus adeptus est Herodes alienigena patre Idumæo, matre ortus Arabica. Et Reges sanè iãdudũ defecerãt à tẽpore captiuitatis Babylonicæ: Duces tamẽ qui erãt ex gẽte illa, per seuerarũt vsq; ad cõtentiones Hyrcani & Aristobuli, qui ex cõmistis tribubus, sacerdotali scilicet & Regia orti, Regnũ & Sacerdotiũ discordib⁹ inter se animis diuidẽtibus cõtẽdẽdo, & inuicẽ pugnãdo, tãdẽ occasionẽ porrexerũt Romanæ potestati; locũq; aperuerũt alienigenæ Herodi. Vnde prudẽter nõ tantùm dictũ est: *Nõ auferetur sceptrũ de Iuda*; sed additũ est, *Et dux de fœmore eius.* Tũc primùm sublatũ est sceptrũ de Iuda, quãdo

Luc. 2. tulit illud Herodes, qui vtiq; Iudæus non erat. Tũc autem Iesus Christus

2. Pet. 1. Dei filius in Bethlehẽ Iuda de virgine matre nasci dignatus est. Cũ ergo dixit, *Nõ auferetur sceptrũ de Iuda, &c.* firmũ sermonẽ propheticũ sanctissimus Prophetarum Iacob quasi lucernã in caliginoso loco lucentem at-

Gen. 49. tollit, vt sciat inquisitor regni Dei, quando, vel ex quo certus esse debeat de aduentu eius quem laudare & adorare debeant omnes fratres eius.

Luc. 2. Huic lucernæ seu prophetico sermoni Simeõ senex attendens, cùm videret regnante alienigena ablatũ esse sceptrum de Iuda, intellexit tempus

esse vt veniret, qui mittendus esset; & idcirco ianuas cœlorũ vnde vẽturũ illum sperabat, tandiu suspensa prece pulsare non destitit, donec responsũ aeciperet à Spiritu sancto, non visurum se mortẽ, nisi priùs videret Christum Domini, & vidit: & sicut legebat in hoc Scripturæ loco; *Ipse erit expectatio Gentium*, ita credidit & confessus est eum esse lumen ad reuelationem Gentium. Vnde autem scire poterat Iacob illum fore Gentiũ expectationem? Ex Deo videlicet, non solùm quia propheta erat, sed quia etiam Deum Abrahæ auo suo promisisse meminerat, *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Idem Rupertus lib. 3. de victoria verbi c. 9. hoc ipsum, paucioribus quidem verbis, sed non minùs apertis tradit; nam illud *non auferetur sceptrum de Iuda*, nõ intelligit ipse de tribu Iuda propriè, sed interpretatur, non defuturum principẽ ex Gente Iudaica. Hæc Rupertus. Apparet igitur ex supradictis auctoritatibus, illud, *Non auferetur sceptrum de Iuda*; Patres non intellexisse de vna tantùm tribu Iuda, sed in vniuersum de gente, stirpe & genere Iudaico. Ad veritatem igitur huius prophetiæ comprobandam satis fuerit ostendere, nunquam Iudæos vsque ad tempora Herodis habuisse reges alienigenas, sed habuisse semper Principes ex stirpe & gente Iudaica, qualicunque ex tribu illi fuerint. *Genes. 22.*

98 Cæterũ aduersus hãc nostrã interpretationẽ in prõptu est sanè grauis & in speciẽ prævalida obiectio. Nã cũ Iacob nouissimo hoc sermone quẽ cum filiis suis habuit sigillatim, propriè ac distinctè quæ singulis filiis ac posteritati eorũ vẽtura erant prænũciauerit, ratio ipsa cogit credere cùm in hoc vaticinio alloquitur Iudã, propriè filium Iudam & tribũ eius alloqui, non autẽ vniuersè cũctum populum Iudaicũ: alioqui solus omnium filiorũ Iudas hoc sermone prophetico à Patre suo Iacob esset præteritus, neque hoc vaticiniũ ad singularem aliquam dignitatem & prærogatiuam tribus Iuda, potiùs quàm aliarum tribuum cuiuslibet pertinuisset. *Grauis obiect.*

99 Deinde in hoc vaticinio, quæ antecedunt illud, *Non auferetur sceptrum de Iuda*, illa dico verba: *Iuda te laudabunt fratres tui, adorabunt te filij patris tui*, non in commune pertinent ad populum Iudaicum, sed propriè ad Iudam & eius tribum. Similiter verba illa quæ consequuntur, *Ligans ad vitem pullum suum, &c.* propriè denotant fertilitatem regionis in terra Chanaam, quæ tribui Iuda sorte obuenit: quare si prima & extrema huius vaticinij propriè spectant ad tribum Iuda, etiam illud quod inter hæc medium est: *Non auferetur sceptrum de Iuda*, ad eandem tribum propriè spectabit. Ridiculum enim & absurdum est dicere, Iacob primis extremísque vaticinij verbis allocutũ esse filiũ Iudam, mediis autem verbis deflexisse sermonem propheticum ad vniuersum populum Iudaicum. Et verò nulla ratio est cur Iacob loquens de tribu Iuda potiùs quàm de alia qualibet tribu, dixerit illud, *Non auferetur sceptrum de Iuda*, si id non propriè & singulariter ad tribum Iuda, sed communiter atque indifferenter ad gentẽ Iudaicam pertinuisset. Præcipua igitur vis huius obiectionis in eo est, quòd nulla videtur esse ratio, si illud, *Nõ auferetur sceptrũ de Iuda*, nõ propriè spectat ad tribũ Iuda, sed in vniuersũ ad gẽtẽ Iudaicã, cur Iacob illud dixerit alloquens filiũ Iudam potiùs quàm alium quẽlibet filiorũ, & cur

potiùs adiungere illud voluerit cæteris quæ de Iuda dicebat, & applicare ad tribum Iuda, quàm ad aliam tribum.

Solutio obiectionis.

Verùm commodè respondèri potest; cur id fecerit Iacob, tres afferri 100
posse causas valdè probabiles. Prima causa hæc est: prænouerat Iacob spiritu prophetico principatum Iudaicum futurum penes tribum Iuda, & longissimo tempore, & florentissimum atque potentissimum, fuit enim penes tribum Iuda per annos quingentos viginti. Nam primùm tempore Iudicum, per annos septem & quadraginta fuit penes Othonielem & Abesa, viros de tribu Iuda: postea à Dauide vsque ad Sedechiam, fuit penes eandem tribum Iuda per annos quadringentos septuaginta tres, quo tempore imperiũ Iudaicum, maximè verò sub Dauide, & Salomone amplissimum, florentissimum ac potentissimum fuit, præstantissimique reges claruerunt, bellica quidem gloria Dauid, sapientia Salomon, sanctitate ac pietate Iosaphat, Ezechias & Iosias. Rectè igitur Iacob vaticinium de principatu Iudaico præcipuè ad tribum Iuda voluit applicare.

Altera causa: præuiderat item Iacob eodem spiritu prophetico, fore *ali-* 101
quando, vt vniuersus populus Hebræus à tribu Iuda nomen accipiens, non iam, vt antea, vel Hebræus, vel Israelita, sed Iudaicus appellaretur: quod primum accidit auctore Iosepho, post reditum ex captiuitate Babylonica. Etenim post id temporis omnes appellati sunt Iudæi, & regio eorum nominata est Iudæa, & regnum Iudaicum: cuius rei fuit causa, quòd ex captiuitate non alia tribus redierit quàm tribus Iuda, mixta tamen cũ tribu Beniamin: & regio terræ promissionis quam tenuit post reditum ex captiuitate, plurimum ea fuit, quæ ad sortem tribus Iuda pertinebat. Non igitur alienum fuit, quod Iacob de vniuerso populo Hebræo vaticinabatur, id accommodasse ad tribum Iuda.

Iosephus lib. 11. Antiquitatum.

Tertia causa, eáque, vt opinor, potissima & probabilissima, *illa fuit: licèt* 102
post reditum ex captiuitate Babylonica, qui sceptrum & *principatum* tenuerunt, Pontifices fuerint de tribu Leui, ipsum tamen sceptrum & imperium fuit in tribu, & ex tribu Iuda. Hoc vt planè intelligatur, scire conuenit, ex captiuitate solam tribum Iuda reuertisse in terram Chanaam, & item regionem quam tunc & deinceps vsque ad Herodem possederunt Iudæi, eam fuisse quæ aut tota, aut maxima ex parte ad sortem tribus Iuda pertinebat; nam aliæ partes terræ Chanaam olim cæteris tribubus assignatæ, possidebantur id temporis à Samaritanis aliisque gentibus. Præterea ciuitas regia & caput ac sedes regni, vrbs erat Ierusalem; quæ vrbs post Dauidem ad tribum Iuda pertinuit. itaque licèt persona quæ tenebat sceptrum, esset de tribu Leui, attamen ipsum regnum & ditio regni, & ciuitas regia, & subditi ei regno ad tribum Iuda pertinebant. Defecit igitur persona de tribu Iuda semper principatum tenens, ipsum tamen sceptrũ non defecit in tribu Iuda: nam illud quod subditur, *Et dux de fœmore eius*, intelligi potest sub hac disiunctione, nunquam defecturum de tribu Iuda vel Principem, vel principatum & sceptrum. Etenim vel ipsi pontifices qui post reditum ex captiuitate summam in ea potestatem habuerunt,

quam

quamuis esset de tribu Leui, non tamen appellabantur Reges aut Principes Leui, sed Iuda.

103 Ponam exemplum cuiuis manifestum, quo res hæc nemini non clara & certa sit. Sceptrum & imperium, & vt vulgò dicitur, Corona Hispaniæ, abhinc circiter centum annos translata videtur ad personas Austriacæ familiæ olim extraneæ sanguini Hispanico, sed per connubiũ Ioannæ Ferdinandi Regis Catholici filiæ, & Philippi filij Maximiliani Imperatoris in regiam stirpem Hispanicam insitæ: non ob id tamen verè dicetur defecisse sceptrum vel corona Hispanica; nam licet personæ fuerint extraneæ gentis & familiæ, ipsum tamen sceptrum eiúsque amplitudo & potentia dominationis, Hispanica est, manétque eadem corona Hispaniæ, etiamsi penes diuersi generis ac gentis personas fuerit. Quanquam hoc exemplũ eo deficit à vero, quòd qui de gente Austriaca imperiũ Hispanicũ tenuerunt, hodiéque felicissimè tenent, licèt paternum genus habeãt Hispanis extraneum, maternum tamen Hispanicum est, quod apud Hispanos ius habet hæreditarium; quocirca propter maternum genus debebatur illis iure hæreditario Hispanicum imperium. Esset igitur ad id quod agitur, magis accommodatum exemplum imperij Polonici; quod nuper vidimus post excessum nouissimi Sigismundi Regis, in Henricum Vallesiũ, & post hunc in Stephanum Battoreum Principem Transyluaniæ translatum, nec ob id tamen sceptrum, & regnum in Polonia tunc defecisse dici posset. Ad eundem igitur modum de sceptro ac principatu Hebræi populi, ac de tribu Iuda cogitare & sentire conuenit.

104 Illud porrò scire oportet, quo tẽpore cœpit Hebræus populus habere Principes suæ gentis, fuisse primum principatum non penes tribum Iuda, sed penes tribum Leui in Mose, & penes tribum Ephraim in Iosue, qui secundùm Mosen tenuit principatum: consecutum deinde est tempus Iudicum, qui vsque ad Saulem primũ regem fuêre quatuordecim; Horum primus Othoniel, & nonus Abesan fuerunt de tribu Iuda, ceteri ex aliis tribubus. Verùm eo tempore etiam sine principatu, summa erat in tribu Iuda dignitas & auctoritas; nam cùm forma gubernationis eius temporis esset Aristocratia, id est, optimatum dominatus in eo statu primas sine controuersia tenebat tribus Iuda. cuius rei clarum & certum est illud argumentum, quòd post mortem Iosuę consultus Deus ab Hebræis, quem in gerendo bello aduersus hostes ducem ac principem sequerentur: respondit, vt sequerẽtur Iudam, sicut scriptum est in exordio libri Iudicũ. Quod autem eo tempore Politia Hebræorum Aristocratiæ formam haberet, testis locuples est Iosephus, qui libro sexto Iudaicarum Antiquitatum ad hunc modum scribit: Sub Mose & Iosue Optimates Rempublicã administrabant: post Iosue mortem, octodecim annos populus fuit sine summo magistratu, deinde rursus ad pristinam formam regiminis redierunt, eum qui belli scientia & fortitudine præcelleret, supremum iudicem constituendo, quamobrem totum hoc tempus quo talis hic status durauit, appellauerunt Iudicum. Sic Iosephus.

Tẽpore Iudicum Politiam populi Hebræi fuisse Aristocratiam. Iosephus.

Sed

Sed vnus etiam nunc reſtat eximendus lectori ſcrupulus. Dicet enim aliquis; Cùm hæc prophetia Iacob euidentiſſimum & validiſſimum cõtra Iudæos de aduentu Meſſiæ præbeat argumentum, quî factum ſit vt hoc vaticinio, contra Iudæos diſputando, nec Dominus noſter, nec Euãgeliſtæ, nec Apoſtoli vſi ſint; quos tamen plurimis Vatũ oraculis & teſtimoniis vſos eſſe cõſtat. Verùm in prõptu eſt cauſam reddere. ex hac enim prophetia illud tantũ cõcludi poteſt, quo tẽpore natus eſt Saluator noſter, eo tẽpore venturũ fuiſſe Meſſiã: tũc enim primùm defecerat principatus, ex gẽte Iudaica tranſlatus ad Herodẽ alienigenam: ſed hoc Iudæi non negabant. Quin etiam pro certo habebant tam docti quàm ipſum vulgus, in proximo eſſe Meſſiæ aduentum. Vnde Samaritana dixit Ioan. 4. Scio quia Meſſias venit. At verò hominem illum qui dicebatur Ieſus, filium Marię, & vt putabatur, Ioſeph, illum inquam hominem verum eſſe Meſſiam qui expectabatur, quod Iudæi negabant, & aduerſus eos vrgebant Apoſtoli; hoc inquam, argumentari & concludere non licet ex prophetia Iacob. Non igitur mirum, ea non eſſe vſum nec Chriſtum Dominum, nec Apoſtolos.

Cur nec Chriſtus Dominus, nec Apoſtoli, nec Euangeliſtæ vſi aliquã do ſint hoc vaticinio Iacob.

Summa igitur opinionis noſtræ tres potiſſimùm res continet; primò enim arbitramur, Prophetiam hanc Iacob ſi vniuersè, & in commune intelligatur de ipſo populo Hebræo, eſſe omnino verã, & hanc eſſe eius ſententiam, Hebræos ſemper vſque ad Meſſiæ aduentum habituros ex ſua ſtirpe ac gente principes: atque ita prorſus eueniſſe comperiet, ſiquis memoria repetat principes eius populi omnes à Moſe vſque ad Herodem, atque hac ratione plerique Patrum eam prophetiam interpretati ſunt. Deinde cenſemus, de nulla duodecim tribuum Iſrael propriè, vt ab aliis tribubus diſtincta eſt, verè dici poſſe in ea fuiſſe ſceptrum & ſupremum imperium Iudaicum ab initio vſque ad Meſsiæ aduentum. Siquidem tribus Iuda (de qua id magis dubitari poſſet quàm de alia quauis tribu) à Moyſe vſque ad Dauidem, per annos plus quadringentos triginta, non habuit imperium in eo populo niſi in duobus tantùm Iudicibus, Othoniele & Abeſa, & in iſtis per annos duntaxat quadringenta ſeptem. Poſt reditum autem ex captiuitate Babylonica & Zorobabelis principatum, vſque ad regnum Herodis, per annos ſcilicet ampliùs quingentos cum ſummo imperio præfuerunt Iudaico populo Pontifices, qui erant de tribu Leui.

Epilogus totius diſputationis.

Tertio loco illud etiam affirmamus, licèt hæc prophetia non in vna tãtùm & ſola tribu Iuda effectum ſuum ex toto habitura eſſet, verè tamen rectéque applicatam fuiſſe eam tribui Iuda potiùs quam alicui aliarũ tribuũ, duas ob cauſas, tũ quòd ſceptrũ & imperium Iudaicum longiſsimo tempore, id eſt, per annos plus quadringentos ſeptuaginta continuatũ fuerit in tribu Iuda, eóque tempore potentiſsimum & glorioſiſsimum fuerit: tũ quòd, etſi poſt reditum ex Babylonica captiuitate qui ſceptrũ & principatum tenuerunt, Pontifices fuerunt qui erant ex tribu Leui, attamen ipſum imperium, &, vt vulgò dicitur, Corona, erat tribus Iuda. Namque & ipſum regnum, id eſt regio, quæ poſsidebatur, vel tota, vel

vel maxima ex parte ad sortem tribu Iuda pertinebat, & qui subditi erant ei regno, homines erant tribus Iuda; hæc enim sola, admixtis sibi Beniamitis, reuersa est ex captiuitate: Ciuitas quoq; regia & sedes atq; caput regni, id est, vrbs Hierusalem, à Dauidis vsque tempore pertinuit ad tribum Iuda. Quo factum est, vt post reuersionem ex captiuitate Babylonica, & tota illa gens, Iudęorum nomine appellata sit: & quamuis qui tenebant imperium essent de tribu Leui, attamen nec ipsum regnum dicebatur Leuiticum, sed Iudaicum, nec principes appellabantur reges Leui, sed Iuda.

Dicam hoc ipsum paulò etiam, si potero, expressiùs, & breuiùs; cupiens scilicet vt nostra hæc opinio facilius in eorũ qui legent hæc, animis imprimatur, & penitus hæreat impressa. Prophetia hæc dupliciter intelligi potest: primò quidem in cõmuni de vniuerso populo Hebræo: vt sententia illorum verborum, *Non auferetur sceptrum de Iuda, &c.* hæc sit, Non desinet populus Hebræus habere principes quorum imperio regatur ex sua stirpe, gente, ac sanguine, quousque veniat Messias. Quo circa illud *de Iuda*, idẽ valet atq; *de populo Iudaico*, vel *de Iuda*, significat propriè tribum Iuda; sed posita est pars illius populi nobilissima, pro toto populo: vt interdũ Hierusalẽ vel Sion pro Iudæis, & Babylon pro Chaldæis in vniuersum, & Samaria vel Ephraim pro regno decem tribuũ. Atq; hac ratione intellecta hæc Prophetia, simpliciter atq; omnino vera esse liquidò perspicitur; à Mose enim vsq; ad Herodẽ, imperium Iudaici populi, non alij quàm qui ex stirpe ac gente Hebręorum erant, obtinuerunt. Et hanc prophetiæ huius intelligentiam sequuti sunt ferè Patres qui ante mille annos fuerũt. Cur autem Iacob vaticinium, quod in vniuersum pertinebat ad populũ Hebræum, tunc potissimùm voluerit pronũtiare, cum loquebatur de tribu Iuda, causas suprà exposuimus.

Altera huius prophetiæ interpretatio est, non minùs quàm superior probabilis, quinetiã planior ad intelligendũ, & ad credendum procliuior: totam hanc Prophetiam proprie ad tribum Iuda pertinere: & sententiam eius esse hanc, Cùm tribus Iuda principatũ in populo Hebræo nacta erit, tenebit ipsum perpetuò, nec perdet vnquam quousq; veniat Messias: quod ita planè euenit. Etenim primò adepta est regale imperium creato rege Dauide; idq; tenuit in posteris eius vsque ad captiuitatẽ Babylonicã. Posteà, licèt personę tenẽtes in eo populo sceptrum, fuerint Pontifices de tribu Leui; attamen sceptrum ipsum atque imperium, & vt vulgo dicitur, *la Corona*, erat tribus Iuda: namq; ipsa regio & ditio eius regni, & subditi, & sedes regni, & ciuitas regia erant tribus Iuda; quapropter appellabantur reges & regnum Iuda, non autem Leui. Hoc autem sceptrum & imperiũ Iuda, licèt Herodes quoque habuerit; quia tamen non habuit legitimè, id est, nec hereditario iure, nec populi consensu & electione: sed iniquè sibi delatum à Romanis, etiam per vim ipse rapuit: idcirco verè dicitur regnante Herode ablatum esse sceptrum de Iuda. Præsertim verò cùm lege Mosis vetitũ esset, nequis alienigena (qualis erat Herodes) rex fieret Hebræorum. Sic enim scriptum

est Deut. 17. *Constitues regem tibi de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem, regem facere, qui non sit frater tuus.* Verùm contrà superiorem interpretationem nostram illud posset opponi, in vaticinio Iacob duo esse coniunctè posita, & nõ ablatum iri sceptrum de Iuda, & non defuturum ducem de fœmore eius, donec veniret Messias: at post reuersionem Iudæorum ex Babylonica captiuitate, duces & principes eius populi non fuerunt ex tribu Leui, sed ex Iuda. Veruntamen hoc ita soluitur: illud *Donec veniat, qui mittendus est*, refertur ad illud priùs, *Non auferetur sceptrum de Iuda*, non autem ad illud posterius, *Et dux de fœmore eius.* Solet enim scriptura, cùm plura coniunctè præmisit, extremo loco ponere aliquid, quod non ad omnia illa præcedentia, sed ad vnum aliquod eorum tantùm referatur. Cuius rei exemplũ in promptu est ex cap. 15. Geneseos. Dixit Deus Abrahæ, *Peregrinum erit semen tuum in terra non sua: & subijcient illud seruituti, & affligent illud quadringentis annis.* Hoc extremum, *quadringentis annis*, tantùm refertur ad illud primum, *Peregrinum erit semen tuum in terra non sua:* Nõ autem ad *illud, Subiicient seruituti & affligent*, Si quidem seruitutem, & afflictionem Hebræorum sub Ægyptiis, etiam ducentis annis breuiorem fuisse, non semel suprà ostendimus, & in tertio Tomo super illud caput 15. & in hoc quarto Tomo non vno tantùm loco. Manserunt enim Hebræi quindecim & ducentis tantùm annis in Ægypto: in quibus per septuaginta annos, quibus vixit Ioseph post ingressum Iacob in Ægyptum, quietè ac feliciter fuerunt in Ægypto.

QVARTA PROPHETIA.

De Zabulon.

Genes. 49. VERS. 13.

Zabulon in littore maris habitabit, & in statione nauium pertingens vsque ad Sidonem.

ZABVLON decimus fuit ordine generationis filiorũ Iacob, & sextus eorum quos genuit Lia. Huic præscribens Iacob situ eius regionis, quã eius posteritas & tribus in sortitione & partitione terræ Chanaam possessura erat, significat eam fore maritimam & confinẽ Sidoni. Hoc quamuis exiguũ & leue videatur; magni tamen intererat prædici, opulentam & abundãtem fore sortem Zabulon, propter maritima commercia & mercaturæ negotiationem; scilicet vt intelligerent Hebræi, quã terram Chanaã ipsi obtinuissent eã neq; casu obtigisse illis, nec humana prudentia & potentia, sed diuina gratia & ope: quippe cum animaduerterent, tot seculis ante, & promissum & prædictũ eis fuisse, quam quæq; tribus eius terræ portionem, & cuius conditionis atq; qualitatis possessura esset, idq; cernerent tam distinctè, propriè atq; expressè per Iacob fuisse præsignatũ: ideoq; nihil ipsi dubitarẽt de eius terræ cõsecutione, neq; vbi eã adepti essent, vllã cum habitatoribus eius, vel ob metũ, vel ob securitatẽ coirent so- 106

cietatem

cietatẽ,fœdúsve initent. Quo fuit profectò detestabilior Iudæorũ diffidentia & peruicacia,qui audita proceritate ac fortitudine habitatorũ eius terrę,protinus desperata eius acquisitione,in Ægyptũ regredi constituerunt, vt in lib. Numerorum,cap. 3.& 14. scriptum est. Nec minùs execranda fuit eorum ignauia qui Chananæis toties à se tamq; mirabiliter profligatis,tamen turpis lucri pactione,contra Dei iussa peperceruũt,& vnà secũ habitare,quos iussi fuerãt penitus exterminare,passi sunt.

Varietas lectionum.

107 Sex expẽdamus verba huius prophetiæ,& ante omnia varietatem lectionum quæ vix est notabilis. Pagninus ita vertit: Zabulõ in portu maris habitabit, & erit in portu nauiũ, & terminus eius vsq; ad Sidonem, vel, vt alij reddunt, Latere suo ad Sidonem pertinget; vel, vt habet Oleaster, Ad sinum marium habitabit, & ipse ad sinum nauium, terminus eius super Sidon. Dixit autem numero multitudinis, *ad sinum marium*, quia in sinu siue portu, duo videntur quasi maria; alterum quod sinu concluditur, & alterum quod extra sinum est. Septuaginta sic habent: Zabulon iuxta mare habitabit, & ipse secus accessus nauium, & pertendet vsque ad Sidonem. Paraphrasis Chaldaica huiusmodi effert sententiam: Zabulon in littore maris habitabit, ipse subiugabit regiones nauibus, bonumque maris comedet, & terminus eius pertinget vsq; ad Zedon. In vocabulo *Zabulon* pulchra fit annominatio, significat enim habitationem: pulchrè igitur dicitur, *Zabulon habitabit*. Pro vocabulo *littoris*, Hebraicè est, *Coph*, significans & littus, & portum, & sinum: significatur igitur, regionem eius fore maritimam & portuosam, vel sinuosam. Pro illo autem, *Et in statione*, Hebraicè est eadẽ vox, quæ suprà, *Coph*, ducta à verbo *Caphaph*, quod significat tegere, abscondere seu protegere, quia portus protegit naues à furore ventorum, & idcirco naues appelluntur ad portum quo sint tutæ ac securæ, vnde septuaginta verterunt, iuxta accessum nauium.

108 Pro illo: *Pertingens vsque ad Sidonem*. Hebraicè ad verbum est: Et latus eius super Sidon. vox Hæbræa *Iarech*, significat fœmur & latus, & ponitur ad significãdum, plagam terræ Zabulon spectaturam Sidonẽ, id est, terminum eius fore versus Sidonẽ. Verùm quia in lib. Iosue ca. 19. cum subtiliter describuntur fines & termini sortis & regionis Zabulõ, nulla fit mentio Sidonis quam tamen, cùm esset vrbs illa antiquissima & nobilissima, tacitã minimè præteriisset Iosue: propterea existimat Andreas Masius in Cõmentario eius capitis, Sidonem non fuisse terminũ sortis Zabulõ, neq; aliud significare hoc loco voluisse Iacob, quàm posteros Zabulon habituros ad mare, versaturósq; frequenter in portubus & naualibus, atq; mercaturã facturos apud Sidonios, & cum Sidoniis illam ipsam maris orã tenentibus, ac mercatoribus toto orbe celeberrimis: ex quo futura erat illius tribus Zabulon ingens opulentia & rerum omnium abundantia. Quod indicauit paraphrasis Chaldaica dicens, Subiugabit regiones nauibus & bonum maris comedet: similiaque significauit Moses Deuteron. 33. cùm benedicens Zabulon dixit: *Lætare Zabulon in exitu tuo*, significãs Zabulonitas feliciter exituros in mare, &

Andreas Masius.

Locus Deut. cap 33.

nauigaturos ad fora rerum venalium, rémque foris ac peregrè facturos. Subdit Moſes: *Inundationem maris quaſi lac ſuget, & abſconditos theſauros arenarum*: non obſcurè ſignificans, per mare importatum iri in eius regionẽ multa & magna bona, tum ad victum eius, tum ad opulentiam.

Inſignia terræ Zabulon.

Atque hæc fuit temporalis & terrena fœlicitas ſortis Zabulon. Verùm 109
tempore Chriſti Domini noſtri habuit tria etiam ad laudem & decus inſignia. Primùm enim in ea tribu fuit mons Thabor glorioſa Domini transfiguratione nobilitatus: fuit item ciuitas Nazareth ante alias vrbes clara & veneranda propter ortum Deiparæ Virginis, Conceptionem Domini noſtri & educationem, multorúmq; annorum inibi habitationem: denique in ea terra Dominus noſter exorſus eſt prædicare Euangelium, vt traditur Mat. 4. quamobrem quaſi lętabũdus Iſaiæ c. 9. dixit: *Terra Zabulon & terra Nephthali, via maris trans Iordanem Galilæa Gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis.* Quibus verbis ſignificatur, futuros per id tempus quo Meſſias prædicaturus illis eſſet Euangelium, Zabulonitas vitioſiſſimis atque corruptiſſimis moribus.

Matth 17. Luc. 1.

Locus Matthæi.

Maritimæ gentes ferè vitioſiores mediterraneis.

Nimirum animaduertere licet, ciuitates & gentes maritimas, pluri- 110
bus atq; maioribus quàm mediterraneas vitiis eſſe obnoxias, tum propter ſuperbiam quæ naſcitur ex fiducia virium; ſunt quippe maris præſidio munitæ; tum ob auaritiam, quòd ad lucra mercaturæ incumbunt: deniq; ob rapinas & prædas, ad quas opportunitate maris, & naualium commoditate inuitantur: adiice quòd cùm ſint emporia & aduenarum receptacula, facilè peregrinis moribus, vitiis atque erroribus inficiuntur. Quapropter noluit Plato, ciuitatem, quam ſuę Republicæ deſignabat futuram Metropolim, eſſe maritimam, ſed minimùm decem millia paſſuum mari remotam; habere tamen vicinum portum, vt ea ratione nec externis moribus prauis, aut vilibus facilè corrumperetur, nec omnino tamen vtilitate maris iucunditatéque priuaretur. Talem fuiſſe Hieroſolymitanæ vrbis ſitum qualem deſiderabat Plato, docet Euſebius libro 12. de Præparatione Euangelica cap. 27.

Plato.

Euſebius.

Allegorica expoſitio. Ambroſius.

Allegoricam huius prophetiæ de Zabulon interpretationẽ copioſè 111
& eleganter tractat B. Ambroſ. in lib. de benedictionibus Patriarcharũ, cap. 5. quam nos, quo plura breuiori oratione complectamur, non verbis Ambroſij, ſed noſtris, licèt minùs diſertis exponemus. Hæc prophetia de Zabulon, ſecundùm allegoriam, præclarè ad Chriſti Eccleſiam accommodatur, in quam benè conuenit nomen Zabulon, ſignificans habitaculũ ſiue habitationem. Namq; in Eccleſiam veriſſimè dici poteſt illud quod in Pſal. 30. *Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem ſibi. Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hìc habitabo, quoniam elegi eam.* Eſt enim Eccleſia omnium fidelium & ipſius Dei habitatio in terris. Dicitur autẽ Eccleſia habitare in littore maris. Significat. n. mare, mundum tempeſtatibus & procellis vitiorũ turbatum & agitatum, iuxta quẽ eſt Eccleſia: nã licet in mundo ſit, nõ eſt tamen de mundo, ſed eſt in littore & in terra, firma ſcilicet & immobilis: pulſatur quidẽ fluctibus mundi,

Qualis ſit Eccleſia Catholica.

ſed

sed nõ frangitur, quinimò quasi scopulus ipsos fluctus frãgit ac dissipat: similis domui fundatæ, non super arenam, sed super firmam petram, cuius insuperabilem firmitatem descripsit Dominus in Euangelio. *Matth.7.*

112 Est autem iuxta littus Ecclesia: prospicit enim Hæreticorũ, Iudæorũ & Paganorum naufragia, periculorum ipsa immunis & expers, & quasi prompta & parata & velut obuia excipiendis ex naufragio mundi ad securũ ipsius portum confugientibus. Est præterea mercaturæ dedita: neq; enim aliud in terris agit Ecclesia, quàm spirituales merces inter Deum & homines tractare: in quam sanè veriùs competit quàm in Zabulonitas, quod Moses dixit Deut. 33. *Lætare Zabulon in exitu tuo: inundationem maris quasi lac suges, & thesauros absconditos arenarum*, Id est; Fœlix eris & nimium fœlix Christi Ecclesia, cùm ex Iudæa ad Gentilitatem exibis: per totum enim orbem terra marique dilataberis, & præcipuas mundi delicias diuitiásque possidebis. Suges lac gentium, & mammillâ regum lactaberis: accipies pro ære aurum, pro ferro argentum, pro lignis ac lapidibus ferrum. Quod autem subdit Iacob: *Pertingens usque ad Sidonem*; non id vacat mysterio. Sidon enim significat venationem. Significatur igitur, Ecclesiam Christi nõ solùm quia futura erat iuxta mare, habituram piscatores hominum, sed etiam venatores, id est, ex omnibus insulis & regionibus terræ continentis, innumerabiles ad eius magisteriũ, cultum & obsequiũ esse venturos. Quare huc accõmodari posset quod est apud Hierem. cap. 16. *Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos: & posthæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle & de cauernis petrarum.* *Esa. 49. & 60*

QVINTA PROPHETIA.

De Issachar.

Issachar asinus fortis accubans inter terminos. Vidit requiem quòd esset bona, & terram quòd optima: & suppositit humerum suum ad portandum, factúsq; est tributis seruiens. *Genes 49. Vers. 14. & 15.*

113 PRÆNVNCIAT Iacob in diuisione terræ Chanaam tribũ Issachar sortituram & fertilitate & amœnitate soli regionem optimam ac fœliciſſimam; & idcircò deditos fore Issacharitas agriculturæ, adeóque natalis soli amantes ac tenaces futuros, vt quiduis passuri potiùs sint, quã se à sedibus suis abstrahi: quemadmodum clitellarij muli quãtumuis onusti, si læta gramina, quæ carpãt, periter nacti fuerint, nec ipso onere, nec etiã fustibus facilè propelluntur. Simile est illud quod de hac ipsa tribu dixit Moses Deut. 33. *Lætare Issachar in tabernaculis tuis:* significans videlicet fertili eos amœnáque regione sua delectatos, libenter mansuros domi, nec ad externa loca negotiationis causâ profecturos. *Locus Deut. cap. 33.*

Campus Esdrelon.

Argumentum bonitatis terræ. Issachar, vel vnus campus Esdrelon, 114
maxima ex parte intra sortem Issachar contentus, esse potest: nullus enim eo per totam Chananæã terram locus est amœnior atque vberior, abundat enim frumento, oleo, vino, atque omnium rerum copia, quæ ad victum cultúmque hominum conferunt. Erant præterea in sorte Issachar montes Gelboe, propter cædem Saulis & Ionathæ maledicti, diríſque à Dauide rege affecti, quasi propter necem tantorum virorum inibi factam, digni essent qui perpenderent naturalem fertilitatem, & amœnitatem, qua proximè commendabantur.

Montes Gelboe.

Varietas lectionum.

B. Hieronymus in traditionibus Hebraicis in Genesim, hanc citat 115
lectionem huius loci ex Septuaginta Interpretibus: Issachar bonum desiderauit requiescens inter medios cleros, & videns requiem quia bona est, & terram quia pinguis, suppoſuit humerum suum ad laborandum & factus est vir agricola. Subdit Hieronymus: In Hebræo ita legi, Issachar asinus osseus recumbens in terminis, & videns requiem quia bona est, & terram quia pulchra est, inclinauit humerum suum ad portandum, & factus est in tributum seruiens. Interpretatur autem appellari asinum osseum, quòd in cultura terræ & vehẽdis ad mare oneribus eorum quæ in suis finibus nascebantur, plurimum laboratus esset, regibus quoque tributa pensitaturus: Hebræos porrò tradere his verbis, per metaphorã significari quòd Issachar Scripturas sanctas die ac nocte meditans, plurimùm in earũ studio elaboraturus esset, & ideo omnes tribus ei seruituras, quasi magistro dona portantes. Paraphrasis Chaldaica huiusmodi habet lectionẽ: Issachar diues in [illegible] facultatibus, & possessio eius erit inter terminos, vidítq. [illegible] partem quòd bona erat, & terram quod fructifera erat, [illegible] ciétq. prouincias populorum, & deleuit habitatores eárum, & qui relicti sunt in eis, serui & tributarii eius facti fuerunt.

Sed expendamus sigillatim verba huius prophetiæ secundùm nostrã 116
lectionem. *Asinus fortis*, Hebraicè, asinus ossis, seu osseus, id est, magnorum & firmorum ossium: in quo est robur animalium. Oleaster ait vocé Hebræam significare dorsum seu spinã dorsi: & ideo vertit, *Asinus dorsi*, id est, habens robustum dorsum ad ferenda onera. Cur autem pro, *Asinus fortis*, Septuaginta posuerint, *bonum desiderauit*, vide hoc loco Eugubinũ. Onkelus reddidit: diues in facultatibus. *Accubans inter terminos* Septuaginta verterũt, inter cleros siue sortes: nãque Issacharitæ à meridie contermini erant Manassensibus, à septentrione Zabulonitis. Vel hoc dictum est, quia tribus Issachar intra nobiles admodum terminos interiacebat, habens ad occidentem mare Mediterraneum & montem Carmelum, ab Oriente verò mare Tiberiadis, quam etiã perluebat torrens Cison, non incelebris in Scriptura, quẽ humor partim ex monte Thabor, partim ex Hermon & Gelboe defluens geminum faciebat, altero alueo ad occasum in mare Mediterraneum, altero ad Ortũ in lacũ Genesareth decurrentem. Kimhi & Oleaster pro *inter terminos*, vertunt, *inter sarcinas seu onera*, affirmantes id propriè significari vocabulo Hebræo: significari autem asinum fortem, qui etiam cùm requiescit, non

Augustin Eugubin.

leuatur

leuatur onere,sed sub eo quietem capit:eóque denotari Issacharitas in rusticis laboribus fore assiduos atque indefessos:adeo vt laborem & curam agriculturæ in loco solatij & quietis sint habituri. Vel illud:Cubabit inter terminos, significat fore vt Issacharitæ inter terminos suæ regionis consistant,nec externas negotiandi causa terras petant.

117 *Vidit requiem quod esset bona,& terram quòd optima.* Id est, elegit vitam quietam,qualis est agricolarum,vacuam nempe à periculis &molestiis tam bellicis quàm aulicis:ad quod vitę genus trahebatur bonitate soli, quod ei optimum,vel vt habent Septuaginta,pingue,siue vt propriè significat vox Hebræa,pulchrum & elegans sorte contigerat. De quieto ac fortunato agricolarum statu elegans est apud Virgilium secundo Georgicorum digressio quæ incipit:

O fortunati nimium,sua si bona norint,
Agricolæ.

Qua de re multa quoque & præclara Homerus libro 6. & 7. Odyssææ, Cato,Varro,& Columella in exordio suorum voluminum de re Rustica,Plinius libro 18.primis aliquot capitibus prodiderunt. *Et suppositit humerum suum ad portandum*, vel secundùm Septuaginta, ad laborandū. Perstat in metaphora de asino forti, & significat libenter Issacharitas subituros omnem laborem atque molestiam in cultura terræ propter vberrimos eius prouentus: vel quia abundabant bonis maximè vendibilibus & expetitis à mercatoribus,solebant ea, vel suis vel animalium humeris deportare ad mare,vt inde mercatoribus vēdita exportarētur.

Virgilius.
Homerus.
Cato.
Varro.
Columella
Plinius.

Factus est tributis seruiens. Septuaginta diuersam reddiderunt sententiam,transferentes,factus est vir agricola. Paraphrasis Chaldaica contrarium planè sensum expressit:Subijciet,inquit, prouincias populorū & delebit habitatores earum, & qui relicti fuerint, serui & tributarij eis erunt. Verùm cur præcipuè dicantur Issacharitæ futuri vectigales, triplex ratio potest adferri. Etenim cùm propter fertilitatem suæ regionis omniū essent ditissimi, solebant à regibus plus ceteris tribubus onerari & grauari tributis. Ipsi quoque ne ab externis hostibus infestarētur,vel à suis regibus euocarētur ad militiam,vel ad aulā,& patrio solo, fertilissimo scilicet & amœnissimo,abscedere & abesse cogerētur,libēter hanc redimebant vexationem largiendis muneribus & pensitandis tributis. Ad hæc,ex aliis tribubus plurimi seruiebant Regi vel in aula vel in militia, vel aliis quibuslibet muneribus regiis: quapropter vel immunitatem tributorum,vel remissionem à Rege mercedis loco cōsequebantur:Issacharitæ autem bellicum laborem ac molestiam,& aulicam ambitionem auersati,suisque bonis contenti,nec immunitatem, nec alleuationem vectigalium merebantur.

118 Hæc prophetia de tribu Issachar(ne intelligentiā eius mysticā omnino prętereamus(pulchrè aptari potest ad virum iustum,maximè verò humilem &mitem Iusto enim bene conuenit nomē Issachar,significās mercedem, cui enim merces in cœlis à Deo parata est nisi iusto? huic nempe per Isaiam Dominus:*Dicite*, inquit, *iusto quoniam bene; fructum enim*

Mystica interpretatio.

Esa. 3. Matth. 5. *enim adinuentionũ suarum comedet:* Et Christus in Euangelio: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* His consona sunt quæ de eadem tribu dixit Moses Deut. 33. *Lætare*, inquit, *Issachar in tabernaculis tuis*, quasi dixerit: Lætare, iuste, siquidem vt Dauid ait: *Vox exultationis, & salutis in tabernaculis iustorum. Asinus fortis.* Quàm bene quadrat similitudo? *Vt iumentum factus sum apud te*, inquit Dauid, *& ego semper tecum.* Saluator noster vnũ omnium animaliũ insedit asinum: Et sanè nullo in hominum genere libentiùs quàm in humilibus acquiescit. Asinus est animal humile, mansuetum, totúmque hominis addictum obsequio & vtilitati: talis est erga Deum humilis & mansuetus. *Fortis*, Nihil est quod ad tolerãda mala quamlibet multa & ardua, magis hominem robustum firmúmque reddat, quàm humilitas & mansuetudo; nam qui de se humiliter sentit, is nunquam sibi putat iniuriam fieri, nec se indebita sibi atque immerita mala pati. Mansuetus porrò nullis iniuriis nullísque malis lacessitus commouetur, nedum ad iram vel vltionem incitatur.

Psalm. 117 Psalm. 72. Matth. 21.

Accubans inter terminos. Propterea iustus nunquam non est læto & tranquillo animo, tam secundis rebus quàm aduersis, quia cubat inter terminos. Prospicit enim quis post hanc vitem finis bonorum & malorum futurus sit, cernítq; improbos breui voluptate sempiternũ emere dolorem; bonos contrà temporario labore cõparare sibi æternam felicitatem. In horum cõsideratione terminorũ conquiescens, nullũ detrectat laborem, nullũ periculum recusat, nihil sibi graue & acerbum vel intolerandum ducit. *Supposuit humerum suum ad portandum.* Duos habemus humeros, quia duplex est laboris genus: alij labores pertinent ad animũ, ad corpus alij, vir iustus vtrumque humerum supponit ad laborãdum, quia corpus pariter atq; animũ offert ad quoslibet *labores pro* Christi gloria & hominũ vtilitate perferendos. *Factus est tributis seruiẽs.* Iustus tributum debet & soluit, Deo, Proximo, & sibi: Deo tributum amoris, religiosi cultus, obedientiæ & patientiæ: Proximo, dilectionis, iustitiæ, cõpassionis, ac misericordiæ: sibi mortificationis & cõtinẽtiæ.

SEXTA PROPHETIA.

De Dan.

VERS. 16. 17. 18. Dan iudicabit populum suum sicut & alia tribus in Israël, Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrò. Salutare tuum expectabo, Domine.

Iudith. 13. DRAE VIDENS Iacob, tribum Dan, quæ satis alioqui obscura & ignobilis futura erat, maiorẽ in modũ à Samsone qui ex ea tribu fuit, illustratũ ac nobilitatũ iri, propterea vaticiniũ hoc de tribu Dan, totũ retulit ad Samsonem. Fuit autem

autē talis reuera Samſon robore corporis ac fortitudine animi, qualē fuiſſe Herculē ambitioſo mendacio finxerunt Greci. Et verò vtriuſque tempora non multū diſcrepant: namq; fuiſſe eos propemodū ſynchronos, indicat Euſeb. in Chronicis. A Latina lectione huius loci nihil diſcordat Græca, & Hebraica lectio; niſi quod pro illo, *Ceraſtes in ſemita*, Hieronymus legit, *regulus*, pro illo, *Salutare tuum expectо, Domine*, lectio quam ſequitur Ruffinus, & quam habet nouiſſima Septuaginta Interpretū editio Romana ſic habet: *Salutem Domini expectās*, quod refertur vel ad equitem, vel ad mordentem vngulas equi. Paraphraſis Chaldaica hanc reddit ſententiam: De tribu Dan eligetur & conſurget vir. In diebus eius redimetur populus eius, & in annis eius requieſcent ſimul tribus Iſrael: huius terror irruet ſuper populos, & cædes eius præualebit in Philiſtæis: Tanquam ſerpens & coluber quieſcet in via, & tanquam aſpis inſidiabitur in ſemita: interficiet robuſtos in caſtris Philiſtæorū, equites cū peditibus: eneruabit equos eorū & quadrigas, & dejiciet aſcēſores eorū retrorſum. Redēptionē tuā expectabo, Domine.

Quæ poëtæ finxerunt de Hercule, ſimilia eorum eſſe quæ de Samſone narrantur, nec eorum tempora diſcrepare.

Euſebius.

Ruffinus.

122 *Dan iudicabit populum ſuum, ſicut & alia tribus Iſrael.* Alluditur ad nomen Dan, ſignificans iudicare ſeu vindicare: nam Rabbi Salomon ſic interpretatur: Vltionem capiet populi ſui de Philiſtæis, vt cùm dicitur: *Dominus iudicabit populū ſuum.* Et ex hoc vaticinio & ſuperioribus atq; poſterioribus quibuſdam apparet agnominatione vocabulorum in his oraculis edendis delectatum eſſe Iacob. *Sicut & alia tribus in Iſrael.* Ex multis aliis tribubus fuēre iudices populi Hebræi, præter quatuor, Ruben, Simeonis, Gad, & Aſer. Putat quidē Caietanus Iephte, qui Iudex fuit, de Gad fuiſſe: ſed ſimilius vero eſt fuiſſe eum de tribu Manaſſe: ſiquidē is fuit (vt traditur in libro Iudicū) de Galaad, quæ terra cecidit in ſortē Manaſſis, vt habet Ioſue 17. Nam Barach, quē inter Iudices ac Duces populi Hebræi recenſet Samuel 1. Reg. fuit de tribu Nephthali.

Deut. 33.

Iudit. 11.

Ex qua tribu fuerit Iephte.

123 *Fiat Dā coluber in via, ceraſtes in ſemita, &c.* Illud, *fiat*, more prophetico poſitum eſt pro, fiet, vel erit: Hæc autē verba nonnulli exiſtimāt facere ad vituperationē tribus Dā, quaſi ea futura eſſet valdè aſtuta, inſidioſa, fallax & ſerpentina malitia pollens, cuius rei nonnullū extat argumentum in libro Iudicum, cap. 18. Sed verius dictu fuerit, ea verba referri ad Samſonem: qui comparatur colubro & ceraſti, vt ſignificetur quàm is fuerit terrificus & formidandus hoſtibus. Quemadmodum enim nemo audet ingredi per eā viam, & ſemitā quam ſcit à venenatis ſæuiſq; ſerpētibus obſideri: ita populū Hebræum duce ac propugnatore Samſone, nullus hoſtiū audebat infeſtare: aut quia, ſicut ſerpentes latent in viis, & inopinatò aggreſſi hominē feriunt mortiferè, ita Samſon incautos nec opinantes aggreſſus hoſtes, magnas ſæpe eorum ſtrages edidit.

124 Coluber Hebraicè dicitur, *nachash*, à verbo *nachash*, quod ſignificat augurari ſeu incantare; vel quia ſerpentes norunt incantatorum artes, & voces effugere, vt de aſpide proditum eſt Pſal. 57. aut quia per ipſum auguria & incantationes fieri ſolēt. De Ceraſte vide Pliniū lib. 8. c. 23. Eſt autē Ceraſtes, genus ſerpentis (auctore Solino c. 30.) præferēs qua-

Plinius.

Solinus.

Ceraſtes quale animal.

drigemina cornicula, quorũ oſtentatione velut ad eſcam illectas aues perimit: nam reliqua corporis tegens arenis, nullũ ſui prębet indicium, niſi ex ea parte qua inuitatis ad paſtũ auibus necẽ affert. B. Hieronym. pro Ceraſte legit, Baſilicus ſeu Regulus. *Mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retrò.* Significatur aſtutia eius ſerpentis, etiã quos non tangit interimentis, ſicut ſerpens mordens calcaneum equi, nec tangens equitẽ, deiicit tamen ipſum in terrã & occidit. Spectat autem hæc oratio ad extremũ facinus Samſonis, omniúmq; factorũ eius celeberrimũ,

Iudith 16.

cùm colũnas theatri, quod Philiſtæorũ principib. erat cõpletũ, demolitus, tria millia eorum ruina oppreſſa, ſimul ipſe occumbẽs, interfecit.

Locus perobſcurus.

Sed illud quod ſequitur, perobſcuram habet ſententiã; *Salutare tuum* 115 *expectabo, Domine.* Hebraicè ad verbum eſt, ſalutẽ; Chaldaica paraphraſis habet, redemptionem; Alij, Saluatorem. Veruntamẽ perobſcura eſt hæc ſententia: & argumentum magnæ obſcuritatis, eſt multiplex interpretandi eius ratio à Doctoribus excogitata. Oleaſter tres huius loci expoſitiones ponit, ſic enim ſcribit: Quemadmodũ ſolẽt ſenes & ægroti inter verba emittere ſuſpiria, ita Iacob fecit; qui feſſus inter tot verba, vocem illam emiſit ad Deum: Salutẽ tuam expecto, Domine; id eſt, Spero quòd ſanabis me; aut, Sana me, Domine, quoniam ſalutem tuam ſpero. Si verò ſententiã cum præcedẽtibus iungere vis, tunc ſenſus erit: Quoniam hanc tribum Dan ſerpentina malitia præditam fore video; ſpero Domine vt me ſalues ab ea, quemadmodum de Simeone & Leui dixerat: *In conſilium eorum non veniat anima mea.* Prior tamen expoſitio mihi magis germana literæ videtur. Eſt & tertia: Salutẽ tuam expecto, Domine, vt ſcilicet hæc mea vaticinia impleantur per Meſſiam qui eſt ſalus tua. Sic Oleaſter. Verùm has interpretationes eſſe perquàm leues, vel me non dicente, per ſe Lector intelliget.

Oleaſtri tres expoſitiones.

Quarta expoſitio.

Alij exiſtimant hæc verba Iacob continere precationẽ qua vſus eſt 116 Samſom, cùm ſiti admodũ fatigatus ac propemodum moribundus, potum à Deo poſtulauit. *Sitiens valdè Samſon,* inquit Scriptura, *clamauit ad Dominum, dicens: Tu dediſti in manu ſerui tui ſalutem hanc maximam, & en in ſiti morior, incidamq; in manus inimicorum iſtorum, &c.* Vel potiùs verba illa referri debent ad nouiſſimas preces Samſonis, vt eſt in eodem lib. cap. 17. *Samſon,* inquit Scriptura, *inuocato Domino, ait: Domine Deus memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem priſtinam, vt vlciſcar me de hoſtibus meis, & pro amiſſione duorum luminum vnam vltionem recipiam.*

Iudith. 15.

Quinta expoſitio.

Hieronym. Rupertus. Lyranus

B. Hieronym. eúmq; ſecuti Rupertus, Lyranus, aliíque cõplures putant Iacob prophetico ſpiritu contemplantem eximias & admirandas 117 virtutes Samſonis clariſſimáq; facinora, incidiſſe in eam cogitationem, num fortè Samſon futurus eſſet Meſſias; Verùm quia intellexit, eũ poſt mortem non ſtatim ad vitam rediturum, & poſt eius principatum nihilominus Hebræos ductũ iri in captiuitatem, liquidò agnouit nequaquam illum fore Meſſiã. Et idcirco protinus exclamauit, *Salutare tuum expectabo Domine*: quaſi diceret, Alium ego exſpecto Saluatorem populi mei, quàm vel Gedeonem, vel Samſonem. Adeſt huic expoſitioni

Thargum

Thargum Hierosolymitanum, in quo sic est ad verbũ hoc loco: Dixit Pater noster Iacob, Non expecto redemptionem Gedeonis, quæ est salus temporalis, neque redemptionem Samsonis, quæ est salus transitoria, sed expecto redemptionem Messiæ filij Dauid, qui venturus est vt adducat sibi filios Israel, cuius redemptionem expectat & desiderat anima mea. Sic ibi. eadémq; itidem habentur in paraphrasi Chaldaica editionis Complutensis.

Paulus Burgensis.

128 Hanc interpretationem minimè probabilem esse censet Paulus Burgensis hoc loco: Non enim talis vel dubitatio, vel etiam suspicio Iacobi animum subire potuit: ei nempe notum erat, & ipse paulo antè significauerat, Messiam futurũ de tribu Iuda: non igitur Samson qui erat de tribu Dan, Messias esse poterat. Ac licèt maximi roboris fuerit Samson, haud magni tamen consilij & prudentiæ fuit; & quędam gessit satis inconsultè atque imprudenter, quæ in Messiam cadere non potuissent.

Sexta expositio.

129 Est alia quędam huius sententiæ interpretatio. Iacob secutũ esse morem Prophetarũ; qui quoties loquũtur de persona aliqua, vel de re quapiam quæ illustrem vẽturi Messiæ similitudinem & imaginem gereret: repentè in eius vel desideriũ vel præconium, vel rerum ad ipsum pertinentium prorũpere solent. Samson porrò decẽ rebus Messiam mirificè præfiguràuit. Primò, conceptio Samsonis, vt etiã Christi, fuit diuinitus per Angelũ parẽtibus nuntiata. Secundò, fuit Samson Nazaręus, id est, cõsecratus Deo ab infantia vsque ad mortẽ, nihil immundum aut quod inebriare posset bibẽs, vel comedẽs: neq; nouacula ascẽdit super caput eius. Tertiò, duxit vxorẽ Gentilẽ contra voluntatẽ parentum, prætérq; fas legis Mosaicæ, verùm Dei consilio & instinctu. Quartò, robur eius & fortitudo dicitur fuisse in capillis, præsertim verò in septẽ crinibus. Quintò, leonẽ in se ferociter irruentẽ manibus suis in frusta discerpsit. Sextò, asini maxillâ occidit mille Philistæos. Septimò, petẽti à Deo potũ, ex maxilla asini ad bibendũ aqua scaturiuit. Octauò conclusus intra ciuitatẽ ab hostibus, media nocte surgens euulsas cardinibus fores ciuitatis cum postibus & seris in apicẽ montis, humeris suis deportauit. Nonò, trecẽtas vulpes caudis inuicem colligatas cum facibus incensis immisit in areas Philistinor, quæũ nõ segetes tantùm omnes, sed etiam vineas & oleas incendio perdiderunt. Decimò, duas columnas quibus domus Philistæorum principibus completa sustinebatur, suis manibus apprehendens atque conquassans demolitus est: eáque ruina moriens ipse plures hostium quàm dum vixerat interemit. Iacob igitur dum vaticinabatur de Samsone, quòd is multiplicem ferret similitudinem Messiæ, flagrans aduentus eius desiderio & expectatione, orationem suam erupuit in illa verba, *Salutare tuum expectabo, Domine.*

Samson decẽ rebus figuram fuisse Messiæ. Iudic. 13 14. 15. 16.

Septima expositio.

130 Nec mihi non illa placet huius sententię interpretatio, Iacob lumine prophetico vidisse quo tẽpore populus Hebræus vehementrr ab hostibus Philistæis vexandus erat, missurũ Deum eo tẽpore Samsonem, virũ fortissimũ, qui afflictis rebus subueniret, & firmissimũ Hebræis aduersus hostes quasi propugnaculũ & præsidium futurus esset: nec eo tãtùm

tempore id facturũ Deum, sed quotiescunq; illis magnis in periculis & angustiis versarentur, si piè ac fidẽter ad misericordiã Dei pręsidiúmq; confugerent, missurũ Deum, qui eos periculis & malis eriperent, & ab hostibus defenderent: quod sæpe factũ esse, liber Iudicũ ostendit, tales enim fuêre Othoniel, Gedeõ, Iephte, aliiq; quos propterea in eo libro Saluatores esse appellatos legimus. Iacob igitur hęc animo prospicientem atq; contemplantem, ex occasione Samsonis, de quo præcedentia vaticinatus erat, generalẽ illam sententiam pronuntiasse: *Salutare tuum expectabo, Domine*, quasi diceret, Non tantùm in illa persecutione Philistæorũ quos profligabit Samson, sed in omni alia persecutione hostili expectabo, id est, populus meus, cuius ego caput sum (nam loquitur de populo Hebræo sub nomine suo) expectabit vel expectare debebit salutare tuum, id est, abs te vel salutem vel saluationem & redemptionem, vel saluatorem. Ac mihi quidem hæ duæ postremæ interpretationes secundùm literalem sensum videntur omnium probabilissimæ.

Septima expositio.

Octaua expositio de Antichristo, & an ille futurus sit de tribu Dan.
Thostatus.
Oleaster.
Caietanus.
Irenæus.
Hippolyt.
Ambros.
August.
Prosper.
Theodor.
Gregor.
Andreas.
Cesarienſ.
Areta.
Haymo.
Richard.
Anselm.

Restat vltima interpretatio multis probata celebratáque quæ *hoc vaticinio* dixit Iacob de tribu Dan, non tam ad Samsonẽ pertinere, quàm ad Antichristũ, etiam secundùm sensum historicũ, vel certè secundùm mysticũ intra corticẽ illius historiæ inclusum, & à Spiritu sancto principaliter intentũ. Sumunt autẽ istius expositionis auctores quasi certũ, de tribu Dan futurũ Antichristum. Hoc incertum esse dixit Thostatus: sed Oleaster longiùs procedens, etiã fabulosum esse ausus est dicere. sed quale obsecro est, vetustissimã in populo Dei traditionẽ, plurimorum, atq; in primis nobilium scriptorum auctoritate firmatam, scriptísque proditam, tanto fastidio ac supercilio reiicere? quanto cautior hoc loco Caietani fuit opinio, qui licet hoc non planè certum atq; indubitatum dicat, eo tamen posito, asseueranter dicit & euidenter ostendit, eiusmodi expositionem cum sententia verborum Iacob aptissimè congruere. 131

Hoc igitur vaticiniũ Iacob de Dan, intellexerũt atq; interpretati sunt 132 de Antichristo Iren. lib. 5. aduersus hæreses, Hippolyt. Martyr in orat. de Consum. seculi, Ambros. in lib. de Benedict. Patriarch. c. 7. August. quæst. 22. in Iosue, Prosper lib. de Promissionibus & prædictionibus Dei, Parte 4. Theodoret. quæst. vlt. in Genes. Greg. lib. 30. Moral. c. 18. Deniq; super cap. 7. lib. Apocal. Andr. Cæsarien. & Areta, Haymo, Richard. Anselm. Rupert. & cõplures alij. Cùm enim eo loco Iohannes recẽsitis omnibus aliis tribubus Iudæorũ, solam in ea tribuũ enumeratione prætermiserit tribum Dan, id fecisse Ioannẽ dicunt Patres in odium ac detestationẽ Antichristi, quẽ ex tribu Dan futurũ esse cognouerant.

Neq; obest huic Patrũ opinationi quòd apud Ioannẽ eo loco in com- 133 memoratione tribuum, etiam tribus Ephraim præterita videatur, non enim præterita est, siquis rem paulò attentiùs consideret, sed ea significata est, siquis rem paulo attentiùs consideret, sed ea significata est per tribum Ioseph; siquidem non alia erat tribus Ioseph, quàm tribus Ephraim & tribus Manasse. Cùm igitur distinctè nominata sit tribus Manasse, cõsequens est, eã quę appellatur tribus Ioseph, nõ aliã debere intelli

intelligi quàm tribum Ephraim. Verùm vtcũque sit, Antichristum esse futurũ de tribu Dan, licèt ex sacra Scriptura non possit euidenter ostendi, attamen propter antiquissimam eius rei traditionem, & tot ac tantorum Patrum consensum, fidem meretur.

134 Cæterum quomodo verba huius prophetiæ in Antichristum cõpetant, & Theodoretus quęstione vltima in Genesim, & S. Gregorius lib. 30. Moralium fusè ostendunt, nos hîc summatim cõprehedemus. *Dan iudicabit populum suum*, Antichristum, qui ex tribu Dan futurus est, vt regem suum primi omnium studiosè sequẽtur Hebræi: *Erit autẽ sicut coluber in via, & Cerastes in semita.* Per viam significantur filij huius seculi, lam voluptatum & vitiorum viam terentes; istis erit Antichristus quasi coluber in via, id est, pestifera doctrina, venenum erroris, & impietatis, lenocinijs & blanditiis voluptatum imbutum eorum animis infundet. Per semitam significantur homines arctioris & seuerioris vitæ: aduersus quos insurget Antichristus vt cerastes quadrigemina cornua ferens: Similiter Antichristus quatuor maximè rebus sectatores ac professores virtutis & pietatis seducere conabitur, primùm simulatione sanctitatis, tum ostentatione scientiæ & eloquentiæ, deinde mirabilitate prodigiorum quæ faciet: ad extremum terrore potentiæ suæ, ac tormentorum, quibus aduersantes sibi cruciabit, immanitate. *Theodor. Gregorius.*

135 *Mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrò.* Equus, animal est magni fastus & ambitionis, & alacre ad bella: qua re mundũ hunc designat calcaneus equi, extremum est mundi tempus quo vẽturus est Antichristus: mordere calcaneũ equi, est nouissimo illo mundi æuo atrocissimã persecutionem concitare: ascensores equi, Principes sunt mundi, bonis & deliciis eius affluentes, quos faciliùs cæteris in suam sententiã & obsequium pertrahet Antichristus. Retrorsum cadere, in solos cõuenit reprobos. Cadunt sanè boni aliquando, sed in faciem suam: nam etsi nonnunquam labuntur, lapsum tamen suum agnoscunt, & seriò pœnitentes errati sese prosternunt coram Deo, peccatum suum amarè flentes, & dicentes cũ Dauide: *Peccatum meum contra me est semper:* Mali verò retrorsum cadunt; nam neque quid, quantúmue peccauerint considerant aut æstimant, neque de resipiscendo ac resurgendo per veram pœnitentiam curant. Impius nempe, vt dixit Salomon, ambulat, & nescit vbi corruat. *Aliter boni & labi atque improbos.* *Psal. 50.*

136 *Salutare tuum expectabo Domine,* Iacob præuidens Iudæos pro Messia recepturos Antichristũ, sicut illis prædixit Dominus noster Ioã. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me: alius veniet in nomine suo, & illum recipietis.* Illum alium quem recepturi sunt Hebræi, Antichristum fore interpretati sunt Patres. Hoc igitur prouidẽs Iacob, & toto animi sensu abominatus, exclamauit, Absit hoc à me, non ego Antichristum recipiam, sed cùm ille venerit, tum ego expectabo Saluatorem, aduẽtus enim Antichristi, erit prænuntius appropinquantis Christi ad iudicium: quo enim tẽpore Antichristus maximè desæuiet, veniet de cœlo Christus, & impium illum interficiet Spiritu oris sui, vt scribit Paulus. Quãuis igitur tempus Antichristi propter eius persecutionem tristissimum *Prou. 4.* *2. Thes. 2.*

& acerbissimum erit;hoc tamen afferet solatij Sanctis, quòd scient in proximo esse aduentum Domini.

Locus Deuter. c 33.

Concludam hanc prophetiam de Dan,si adiecero breuissimã expo- 137
sitionem eorum verborũ quibus Moses benedixit tribui Dan,quæ verba Mosis trigesimo tertio capite Deut.sic habent: *Dan catulus leonis, fluet largiter de Basan.*Sic quoque vertit Pagninus.Sed alij pro illo,*fluet de Basan*,cẽsent ex Hebræo vertendum: Exiliet,vel,prosiliet:& verò ita verterunt Septuaginta.Horum verborum duplex est interpretatio.Altera est Lyrani & Caietani:Describitur, inquit Caietanus, situs sortis Dan;in ea nempe ciuitate quæ dicebatur Lachis, quã Danitæ de tribu sua appellauerũt Dan,vt proditum est in libro Iudicum capit. decimo octauo.Aiunt enim esse ibi fontem principium fluminis Iordanis, qui fons subterraneo meatu fluit ex quodam alio fonte qui est in terra Basan;& propterea dicitur quòd Dan saltabit de Basan.Aqua enim scaturiens in vno fonte,quæ occulto meatu procedens inuenitur,*scaturiens* in alio fonte,dicitur saltare de loco ad locum. Ita Caietanus. *Similia* scribit Lyranus.

Hanc interpretationem valdè adiuuat paraphrasis Chaldaica,quæ 138
sic habet eo loco:Dã fortis sicut catulus leonum,terra eius irrigatur à torrentibus,qui fluunt de Mathanan.Appellat Chaldæus paraphrastes terrã Basan,Mathanã,non solùm ibi,sed vbiq.Cuius appellationis causam inuestigans Masius super caput duodecimũ Iosue, suspicatur eum

Masius.

litterã *Mẽ* posuisse pro *Beth*, quod etiã apud Græcos non est insolens; aut fortassis quia eius interpretis tẽpore sic vulgò appellaretur:Iam verò *Schin* in *Tau* conuertere,vsitatissimum est Chaldæis & Syris. Memi-

Eusebius.

nit quidem Eusebius in lib.de locis Hebraicis vrbis Mathanan, sed locatæ ad Arnonem,id est,extra Basanitidem.Quod autem *suprà dictum* est Iordanis fontem fuisse in Dan,confirmãt Hebræi *qui* hanc esse aiũt explicationem vocabuli Iordanis,*Iored min Dan*:id autem est,fluens ex *Dan*.Is locus postea nominatus est Panæas,sed Philippus Tetrarcha tẽpore Saluatoris nostri instauratã vrbem de Cæsaris & suo nomine Cæsaream Philippi appellauit,quæ abest à Sidone versus Orientem millia passuum circiter triginta quinque;& quia versus Septentrionem habet à tergo montẽ Libanum,quo terminabatur Chananæa regio,propterea sæpe in sacris literis Dan pro termino terræ sanctæ Aquilonari dicitur, sicut Bersabea pro Australi.

Altera interpretatio est:In regione Basan robustissimos & rapacissimos fuisse leones;qui ex insidiis & improuisò sæpe in homines & iumenta prædæ causa exiliebant,Danitas igitur comparari leonibus prosilientibus ex Basan,quo significatur eos fore audaces,robustos, bellicosos violentósque & prædæ auidos pariter ac rapaces. Verùm pergamus ad alia.

SEPTIMA PROPHETIA.

De Gad.

Gad accinctus præliabitur ante eum,& ipse accinget retrorsum. VERS. 19.

140 NON multum differt à sententia nostræ lectionis Paraphrasis Chaldaica,quæ sic habet : de Domo Gad castra armata erunt,quãdo transibunt Iordanẽ ante fratres suos, ibunt ad bellum,& cum multa substantia reuertentur in terram suam. Ita verterunt Septuaginta:Gad,tentatio tenebit eum , & ipse tentabit eum iuxta pedes. Beatus Hieronymus refert hanc lectionem. Gad , latrunculus latrocinabitur eum,& ipse latrocinabitur plantam. Pagninus hoc modo trãstulit:Gad exercitum succidet,& ipse succidet calcaneũ. Secũdùm Montanũ sic legitur,Exercitus superabit eum,& ipse superabit.tandem secundùm Oleastrum;Gad exercitus exercitabit eũ, & ipse exercitabitur in fine,seu à tergo:Et sensus est:Licèt magnã difficultatẽ experturi sint Gaditæ in debellandis Chananæis ; ad extremum tamen eos debellabunt,& eiicient de terra ad quam obtinendã prægredientur ipsi reliquos fratres suos. Videtur autem hîc alludi ad nomẽ Gad,quod significat congregare exercitum. Illud,*accinctus*,significat armatum vel expeditum & ab omnibus impedimentis vxorum,liberorum,gregum, armentorũ,cetereq.supellectilis domesticæ vacuũ:nã hęc omnia Gaditæ dereliquerunt ante trãsitum Iordanis in terra regum Og & Sehon, quam illis assignauerat Moses in possessionẽ. Ac licèt id cõmune fuerit illis cũ Rubenitis & media tribu Manasse ; attribuitur tamen Gaditis, quia Iacob voluit Rubẽ tantùm increpare & incusare ob scelus admissum. De Manasse verò sicut etiã de Ephraim nullũ verbum hîc facit Iacob,sed de solo Ioseph loquitur,qui fuit eorum pater. Illud porrò quod sequitur,*Et ipse accingetur retrorsum*:Hebraicè hanc reddit sentẽtia:ipse ducet exercitũ in vestigio,seu per vestigia,vel retrò siue à tergo. Id autẽ est;Postquã Gaditæ deuicerint Chananæos & terram eorũ fratribus suis subiecerint,tunc ipsi per eadem vestigia seu per eandem viam reducent exercitum suum redeuntes in suam hæreditatem.

141 Verùm excutiamus sententiã nostræ lectionis. Putat Caietanus quæ hîc dicuntur,referri ad Iephte,qui fuit primò dux latronum, tum electus Dux ab Hebræis,expeditiùs pugnauit contra Ammonitas:deinde coactus est etiã pugnare contra tribum Ephraim : lege historiam eius in libro Iudicũ,ca. 11. Probat autem Caietanus eũ fuisse de tribu Gad, quòd in capite quinto prioris libri Paralipomenon scriptum sit,Gaditas habitasse in Galaad & in Basan,Iephte vero fuisse ex Galaad,docet liber Iudicum capite vndecimo. Atenim similius vero est fuisse eũ de tribu Manassis:siquidẽ in libro Iosue ca. 17. scriptũ est terrã Galaad cecidisse in sortem Manassis. Hieronymus igitur &plerique alij hãc volũt esse sententiam huius prophetiæ , Gaditas expeditos & armatos ante alias

Caietanus.

An Iephte fuerit de tribu Gad.

alias tribus intraturos terram Chanaam, nec dimissuros fratres suos, donec debellatis hostibus possideant illi terram suæ quisque sorti assignatam: quo facto reuersuros post quatuordecim annos in hæreditatẽ suam, & grauissima bella cum finitimis sibi gentibus, feliciter tamẽ gesturos. Quocirca illud; *retrorsum accingetur*, sic exponitur; armati & acie instructa redibunt, vel onusti prædis opimis magnísque opibus reuertentur. Reuersio Gaditarum narratur in libro Iosue cap. 22. In priori libro Paralipomenon cap. 5. illustre Gaditis bellicæ virtutis testimoniũ perhibetur, appellantur enim viri bellatores scuta portantes & gladios, & tendentes arcũ, eruditíque ad prælia: & posthæc memoratur celeberrima eorum victoria de Agaræis parta, captis camelorum quinquaginta millibus, ouium ducentis quinquaginta millibus, asinorũ verò duobus millibus, hominum denique centum millibus.

Insignis victoria Gaditarũ.

Expositio allegorica.

Secundum allegoricum sensum hæc prophetia potest ad Christum 142
applicari. Etenim vocabuli Gad duplex est interpretatio: significat enim accinctum, & expeditum, vt interpretatur Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genesim, & quadrat in Christum cui dicitur: *Accingere gladio tuo super fœmur tuum potentissime*; & rursus: *Dominus regnauit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem & præcinxit se*: Est autem præcingere, vestes deorsum prolixè demissas attollere, & ad medium corpus opprimere & adstringere. Multis porrò de causis sese accingunt vel præcingunt homines; vel ad iter faciendũ; vel ad saltandũ; vel ad currendũ; vel ad laborandum; vel ad ministrandum, & seruiendum, vel ad luctandum aut pugnandum. Christus erat vestitus longissimis vestibus gloriæ & decoris, sicut dicitur Ps. 103. *Confessionem & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento.* Christus autem in mundum venit præcinctus vel potiùs exinanitus, præcisis omnibus huius mundi bonis & voluptatibus, pauper, humilis, & passibilis. Sic nempe conueniens fuit nostrum Dauidem, posthabitis Saulis armis, accinctum, cum baculo & funda procedere ad certamen contra Goliath.

Psal. 44. *Psal. 92.*

Cur se præcingant homines.

Philip. 2.

1. Reg 17.

Secundùm alios, Gad significat, exercitum congregare aut ducere: 143
& Dominus noster appellatur Dominus exercituum. Eo nimirum ingrediente in cœlos interrogantibus Angelis, *Quis est iste rex gloriæ?* respondsum est, *Dominus fortis, Dominus potens in prælio.* Significat præterea Gad, felicitatem: nam eo nato dixit Rachel, feliciter. Et quisnam obsecro felicior Christo? nam quâ Deus, felix est secundùm essentiam, & auctor omnis felicitatis: quâ est autẽ homo, etiã felicissimus fuit, is quippe ab exordio suæ creationis perfectam habuit felicitatẽ, quod alij cõtigit nulli, nec homini, nec Angelo. *Et ipse accingetur retrorsum.* Retro Christum est Ecclesia, quæ eum sequitur, credendo eius doctrinæ, sanctimoniam venerando, admirando prodigia & miracula eius exẽpla vitæ morúmque imitando, denique post ipsum crucem suam portando.

Psal. 23.

Genes. 30.

Matt. 16.

Ecclesia, verò accincta est & armata, & est terribilis tanquã castrorũ 144
acies ordinata: cuius figura fuit lectulus ille Salomonis Canticorum 3. quẽ ambibant sexaginta fortes ex fortissimis Israel, omnes tenẽtes gladium,

Cant. 6.

dium,& ad bella doctissimi,vniuscuiusque ensis super fœmur suum propter timores nocturnos.Figura quoque Ecclesię fuit turris illa Dauid quę describitur Canticorum 4.cùm inexpugnabilibus ædificata propugnaculis,ex qua mille pendent clypei, & omnis armatura fortium. Qualia porrò sint Ecclesiæ arma,præclare ostendit Paulus 2.ad Corinth.10.*Arma*,inquit,*militiæ nostræ non carnalia sunt,sed potentia Deo ad destructionẽ munitionum,consilia destruentes:& omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei,& in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi,& in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam.*

145 Accipe paucis sensum moralem.Militia est vita hominis super terram: felix igitur qui semper est armatus & paratus ad pugnam contra tres hominum hostes,Carnem,Mundum,Diabolum.Oportet autem nos accinctos & armatos esse,tam antè,quàm retrò: Antè, vt longè prospiciamus in posterum peccata,in quæ labi possumus,& sedulò præcaueamus: Retro aurem propter præterita peccata quæ subinde repullulant,& ob longam consuetudinem animum reflectunt & retorquent ad mala semel derelicta.Vel accingi retrorsum, est à Deo instrui & armari aduersus insidias & tela inuisibilium hostium,quæ vitari non possunt sine Dei quadã singulari protectione,quam ipse pollicitus est Dauidi dicens: *Intellectum tibi dabo,& instruam te in via hac qua gradieris:firmabo super te oculos meos,* Itaque accinctos nos esse oportet sicut dixit Dominus: *Sint lumbi vestri præcincti*,id est, exsolutos atque expeditos ab omnibus omnium terrenarum rerum curis atque cupiditatibus,quæ sunt velut impedimenta & onera atque vincula,quibus si fuerimus implicati ac præpediti, bene præliari non poterimus;quin per ea Dæmon faciliùs nos capiet& vinctos tenebit. *Tropologia. Iob.7.*

146 Reliquum est vt hîc quoque breuiter explanemus sententiam eorum verborum quibus Moses benedixit Gad Deuteron.33.ita dicens:*Benedictus in latitudine Gad.*quia latissimam regionem in diuisione terræ Chanaam fortiùs possedit,vt patet ex c.13.Iosue.*Quasi leo requieuit*;adeo formidabilis & terribilis erit hostibus, vt nullus eum irritare aut lacessere ausurus sit,non magis vtique quàm cubantem leonem. *Cepitque brachiũ & verticem.*Adeo robusti & strenui gladiatores futuri sunt Gaditæ, vt vno ictu caput simul & brachium abscissuri sint.Fortasse est hyperbolica locutio,sicut in libro Iudicum ca.20.de Gabaonitis scriptum est, fuisse eos tam peritos funditores,vt nunquam ictu aberrauerint ab eo quod sibi feriendum designassent,etiamsi tenuissimus esset capillus.Vel per verticem significantur principes ducésque belli,per brachia verò robusti bellatores & milites:& vtrosque Gaditæ vicerunt atque contriuerunt.*Vidit principatum suum:*cognouit se bellica virtute præstare cæteris,vel hũc habere laudis & gloriæ principatum quod in sua sorte,Mosis esset sepulcrũ; & ideo subditur,*quod in parte sua doctor est repositus.* Vocabulo doctoris per excellentiam significatur Moses,qui sepultus est in monte Nebo pertinente ad sortem Gaditarum,quamuis quo loco eius montis corpus Mosis fuerit conditũ,nulli mortaliũ adhuc compertũ fuit.*Qui fuit cũ princi-* *Locus Deuteronomij c.p.33* *Deut.vlt.*

pibus populi, Gaditæ reliquas tribus transeuntes Iordanem comitati sunt armati, nec eos deseruerunt, quoad illi debellatis hostibus promissam sibi terram possederunt. *Et fecit iustitias Domini, & iudicium suum cum Israel.* Quod enim Gaditæ corã Dño, Mosi & reliquo populo promiserant, vt narratur Nu. 32. id plenissimè eos præstitisse, liquet ex 22. c. lib. Iosue.

OCTAVA PROPHETIA

De Aser.

VERS. 20. Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus.

HEBRAICE est, ex Aser vel de Aser. Vocabulo autem panis significatur omnis cibus & alimentum. Pro pingui, Hebraicum vocabulum significat pinguedinem ex oleo; quasi propter olei abundantiam omnis eorum cibatus futurus sit oleo delibutus: simile est quod de Aser dixit Moses Deu. 33. *Tingat in oleo pedem suum*: significans tantum ei superfuturum olei, vt possit etiam pedes oleo tingere, quemadmodum suprà dictum est de Iuda: *Lauabit in vino stolam suam*, & de se Iob dixit cap. 29. *Lauabam butyro pedes meos, & petra fundebat mihi riuos olei.* Sequitur in Prophetia Iacob, *Præbebit delicias regibus*. Id est, Terra eius procreabit res vsque eò delicatas & pretiosas, vt eas sibi reges tanquam summas delicias expetituri, & comparaturi sint. Alij legunt, & ipse fruetur delicijs regum, sic vertit Pagninus, & itidem habet paraphrasis Chaldaica. Et sensus est; Fruetur bonis terræ suæ optimis, talibúsque, vt vel ipsis regibus deliciarum loco futuræ sint, aut esse possint. Oleaster refert ad oleum, cuius feracissima erat regio Aseritarum. Præbebit, inquit, oleum ad conficienda pretiosa vnguenta, quibus reges pro summis delicijs vtuntur. Vsus enim vnguentorum apud Principes frequentissimus erat in regionibus Orientis; vnde habes in Psal. *Oleũ peccatoris nõ impinguet caput meũ*, & referẽte Luca Dominus dixit Pharisæo; *Oleo caput meum non vnxisti*. Vox Madam, à vocabulo Eden ducta, significat voluptatẽ & delicias, vel potiùs rẽ quæ parit voluptatem aut delicias: namq; est solẽne Hebræis vti actibus pro obiectis, & contrà.

147

Psal. 140.
Luc. 7.

Moyses Deuteron. 33. postquam de Aser dixerat: *Tingat in oleo pedem suum*, subiungit; *Ferrum & æs calceamentum eius*: Significans terram eius tribus, abundantem ac prædiuitem fore venis ferri & æris: cuius rei argumentum est Sarepta eius sortis ciuitas, à metalli officinis, id est, à purgandis conflandísque metallis appellata. Quantum porrò frumenti, olei, aliarúmque deliciarum inibi fuerit, proditum est ab ijs qui ea loca peragrarunt: namque inter alia fertur, vallem, Aser incredibilis esse amœnitatis omnísque generis fructuum frugúmque fertilitatis. Iosephus quoque libro 4. de Bello Iudaico scribit ciues Giscalæ, quæ vrbs sortis fuit Aseritarum, & secundùm B. Hieronymum, patria B. Pauli, pleroſque omnes fuisse agricolas, atque in terrenis fructibus fortunas suas omnes locatas habuisse, quod sanè vbertatis certissimũ est testimonium. Subdit præterea

148

Iosephus.
Hieronymus.

Moses

Moſes, *Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & ſenectus tua.* Significat Aſeritas fore decoros atque robuſtos non ſolùm in iuuentute, ſed etiam in ſenectute. Tulit enim Aſer iuuenes formoſiſſimos, virginéſque pulcherrimas; & ideo ſuprà de eo dixit Moſes *Benedictus in filijs Aſer.* Id eſt omnes laudabunt Aſer propter pulchritudinem, & decorem filiorum eius. *Et ſic placens fratribus ſuis.* Scilicet propter filiarum pulchritudinem. Quidam tamen ſuperiora verba ſic putant ex Hebræo interpretanda: *Quot dies tui, tot animæ tuæ*; quaſi diceret: Futurum eſt tibi omni tempore cum veteribus poſſeſſionum tuarum colonis perpetuum certamen.

Allegoria. Coloſſ. 2.

149 Allegoria huius prophetiæ tam cõmodè, quàm quæ maximè, ad Chriſtũ applicatur. Aſer ſignificat diuitias. Et quis ditior Chriſto, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei? quíque cùm dives eſſet, pro nobis egenus factus eſt, vt nos per illum diuites efficeremur. Rectè Ambroſius: Paupertas, inquit, Chriſti nos locupletat, humilitas glorificat, infirmitas roborat, mors viuificat, ſepultura reſuſcitat. Et quis eſt panis eius, niſi caro ipſius? quam vocat ipſe panem qui de cœlo deſcendit, qui verè cor hominis confirmat; vt quicunque eum manducat, viuat in æternum. Et eſt ſanè panis pinguis, omnium ſcilicet diuinorum chariſmatum abũdantia refertus: pinguis autem ex oleo: nam præcipua ratio condendi ſacramentum Euchariſtiæ fuit immenſa Dei erga hominem charitas & miſericordia. *Memoriam enim fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus eſcam dedit timentibus ſe.* Ergo cum Dauide dicamus: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* Hic panis delicias præbet Regibus; continet enim in ſe omne delectamentum & omnis ſaporis ſuauitatem. Sed enim deliciæ ſunt non ſeruis peccatorum, qui amplexantur ſtercora ſuarum voluptatum tanquam delicias, ſed Regibus qui ſuas regunt cupiditates, eáſque rationi & legi diuinæ ſubiectas & obedientes tenent, quippe canunt illud canticum Apocalypſis, capite quinto, *Feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram.*

Ioan 6. Pſal. 103. Ioan. 6.

Pſal 110. Pſal 62. Sap. 16.

NONA PROPHETIA.

De Nephthali.

VERS. 21.

Nephthali ceruus emiſſus, & dans eloquia pulchritudinis.

150 VARIAT lectio huius loci. Septuaginta, referente Hieronymo ita verterunt: Nephthali, virgultum reſolutum, dans in generatione pulchritudinem: Vel, vt legit Ambroſius, vitis remiſſa porrigens in germine decorem. Hebraicæ Scripturæ, auctore Hieronymo, hæc eſt ſententia: Nephthali ager irriguus dans eloquia pulchritudinis, ſignificans quòd aquæ calidæ in ea naſcuntur tribu; ſiue quòd ſuper lacum Geneſareth & fluẽta Iordanis irrigua ſit. Hebræi volunt propter Tyberiadem quæ legis videbatur habere notitiam, agrum irriguum & eloquia pulchritudinis prophetari. Quanquam verba Hebræa poſſunt verti, vt habet Latina lectio, *ceruus emiſſus*, quæ denotent temporaneas fruges & velocitatem

Varietas lectionum.

Ambroſ.

terræ vberioris. Sed melius fuerit ad doctrinam Saluatoris cuncta referri; quòd ibi vel maximè docuerit, vt ex cap. 4. Matthæi & tertio Marci licet cognoscere. Sic Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Genes.

Triplex interpretatio.

Nostræ lectionis Latinæ triplex interpretatio est: quarum prima est Hebræorum existimantium hæc verba spectare ad Barac, qui ex mandato Debboræ vatis simul & Iudicis Hebræi populi, collectis decẽ millibus ex Nephthalitis tribulibus suis, expeditè magnóque impetu instar cerui ad bellum fuit contra regem Chanaam, & Sisaram eius belli ducem fugauit atque ad interium compulit. Comparatur igitur ceruo emisso propter celeritatem eius in suscipiendo, & conficiendo bello. Quod autẽ sequitur, *Dans eloquia pulchitudinis*: significat pulcherrimum Epiniciũ carmen ob victoriam partam ab ipso Barac & Debbora decantatum. Verùm obijcitur huic interpretationi, Barac non promptè & alacriter, sed cunctanter, timidè atque ignauè id belli suscepisse: nimirum contestatũ, nisi periculi sociam haberet Debboram, in id se belli nequaquam *iturum*, Cui Debbora respondit, ituram se quidem cum ipso, verùm non ipsi victoriam, sed sibi assignatum iri, quo videtur tacitè timiditatem, ignauiam & tergiuersationem eius reprehendere voluisse. Quanquam verba Barac in aliam possent verti & accipi sententiam, vt ea scilicet dixerit Barac, non metu adductus, sed religione quadam, quod speraret si Debbora fœmina Deo perquàm familiaris & cara bello adesset, de victoria nullo modo esse dubitãdum. Namque Barac acerrimo animi impetu ad illud bellum cõtendisse, non obscurè indicãt verba illa quæ sunt in Cãtico Debboræ, Iudicum quinto, *Duces Issachar fuêre cum Debbora, & Barac vestigia sunt secuti, qui quasi in præceps ac barathrum se discrimini dedit.* 151

Andreas Masius.

Altera nostræ lectionis interpretatio est: significari summam terræ eius tribus fertilitatem & abundantiam, in qua illud etiam *singulare* erat, quòd in illa priusquã in cęteris, fructus nascebantur & matureſcebãt: & hoc significat similitudo cerui, emissi qui tãta est currẽdi velocitate & celeritate, vt cursu cęteras animantes facilè antecedat. Et quia ibi fructus ac fruges priùs nascebantur, idcirco ex ipsis potissimùm deferebantur in templum oblationes primitiarum, propter quas sacerdotes pulcherrimas Deo laudes concinnebant. Fauere huic interpretationi videtur paraphrasis Chaldaica, quæ sic habet hoc loco: Nephthali, in terra bona cadet sors eius. & possessio erit fructifera: laudabunt & benedicent super eos. 152

Tertia interpretatio est Andreæ Masij in commentarijs suis super c. 19 Iosuẽ; arbitrantis significari his verbis Iacob, Nephthalitas in tuta atque vbere collocatos regione, exultaturos suaui libertate & deliciarum copia quarum sors eorum referta erat futura: similiter nempe vt ceruos, qui in herbosis amœnísque saltibus liberè versantes pascentésque exsultim ludunt. Quod verò subdit: *Dans eloquia pulchritudinis*: denotat Nephthalitas in omni sermone fore comes, blãdos, elegãtes, affabiles, & humanitatis atq; vrbanitatis gratia omniũ sibi animos & studia facilè cõciliaturos.

Locus Deut. cap. 33.

Cum hac interpretatione satis congruere videtur quod dixit Moses Deuter. 33. huic tribui benedicens: *Nephthali*, inquit, *abũdãtia perfruetur, & plenus*

& plenus erit benedictionibus Domini, mare & meridiem possidebit. Cuius orationis extrema illa verba: *mare & meridiem possidebit*, eo difficilem habent explicatum, quòd Nephthalitæ procul mari Mediterraneo, quod occidentale Iudæis erat, & Meridie remoti, ad diuersam prorsus partem, Aquilonem dico & Orientem, habitabant. Chaldaicus quidem interpres non de mari Mediterraneo, sed de mare Tyberiadis interpretatus est. Verùm illa expeditior & planior est interpretatio, propterea Nephthalitas mare & Meridiem possessuros, dictum esse à Mose, quòd licet illi à locis maritimis & meridianis dissiti essent, tamen per societatem & commerciũ, & quòd apud omnes gratiosi essent, ab aliis tribubus essent participaturi quicquid apud illas boni haberetur. De his tribus expositionibus, cũ omnes sint aptæ ac probabiles, eã quisque deligat quæ sibi magis arriserit.

154 Secundùm allegoricam interpretationem refertur hoc vaticinium ad Christum, qui Euangelium in terra Nephthali prædicare orsus est: vnde doctrina eius quasi ceruus emissus, omnem terrarum orbem incredibili velocitate percurrit: & quia nihil Euãgelico pulchrius & lætius, vnde etiã nomen accepit; ideo subditur, *dans eloquia pulchritudinis*, id est, pulchra: Christi enim doctrinæ pulchritudo, vbi se ostendit, tantos in hominum animis excitauit & incendit amores, vt quò eam adipiscerentur atque tuerentur, innumerabiles omnia quæ possidebant bona, quin etiam sanguinem ac vitam profundere ac perdere non dubitauerint. Christus porrò rectè assimilatus est veloci ceruo, scilicet de eo scriptum est Cantic. 2. *Ecce iste venit saliens in montibus transiliens colles. Similis esto, dilecte mi; capreæ, hinnulóque ceruorum.* Quid autem pulchrius Christo, cuius & formæ & eloquij pulchritudinem prædicauit illis verbis Dauid Psal. 44. *Speciosus forma præ filijs hominum. Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.* Mira verò & inenarrabilis suauitatis plena de Christi formæ, vocis, & eloquiorum pulchritudine sub figura Sponsi, in Canticis celebrat Sponsa.

Allegoria. Matt 4. Esa. 9.

DECIMA PROPHETIA

De Ioseph.

Filius accrescens Ioseph, filius accrescens & decorus aspectu. VERS. 22.

155 QVEMADMODVM supra Iacob in filio suo Iuda, ita nunc in Ioseph copiosus est laudum eius prædicator. Namque & illũ prophetico spiritu sciebat principem futurum populi Hebræi patrémque Messiæ: & hunc eodem spiritu nouerat caput fore duarum tribuum, multorúmque ducũ ac principum Hebrææ gentis parentem, multis item rebus ipsius Messiæ figuram. *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens.* Manifestè alluditur ad nomen Ioseph, significans incrementum, cuius magnitudo denotatur geminatione eiusdem sententiæ. Vehementer sanè Ioseph auctus est: nam in se ipso prouectus est ad principatum non modò fratrum suorum, sed etiam totius Ægypti:

& auctus est in sua progenie ac posteritate, quippe quæ duas numerosissimas tribus Israel, tribū dico Manassis & Ephraim, amplexata est. Pagninus vertit: Ioseph vt ramus crescēs. Mōtanus: Ioseph filius fructescēs. Ratio huius varietatis est, quia vox Hebræa, *ben*, filium quidem significat, verùm cùm non iungitur cum relatiuo reali, vt dicunt Hebræi, id est, cum voce patris vel matris, alias habet varias significationes, & dicitur de paruulo vel paruula in variis rerum generibus. Hîc secundùm Kimhi, significat ramū, & est in fœminino genere. Est autē ramus quasi filius arboris.

Pro eo autem quo Latina lectio habet, *decorus aspectu*, Hebraicè est, su- 156
per vel iuxta fontem, est enim integer sensus, Ioseph auctum iri ad similitudinem ramosæ arboris propter fluenta aquarum satæ: cuius arboris fertilitas describitur Psal. 1. & Ieremiæ 17. Et hanc sententiam expressit paraphrastes Chaldæus hisce verbis; Filius meus Ioseph multiplicabitur tanquam vitis quæ plantata est ad fontes aquarum: duæ tribus egredientur de filiis eius, & accipient partem, atque hæreditatem. De pulchritudine autem Ioseph scriptum est suprà, c. 39. *Erat Ioseph pulchra facie & decorus aspectu.* Fit autem mētio eius pulchritudinis, quòd ea fuit illi magna occasio tentationis & afflictionis, simúlque materies ingentis gloriæ.

Allegoria. Cæterùm tota hæc prophetia de Ioseph apertissimè & aptissimè se- 157
cundùm mysticum sensum ad Saluatorem nostrum accommodatur. Et quidem Ioseph multiplicem Christi Domini prætulit figuram & imaginem, fuit ille Patri super omnes filios dilectus: fuit ab eo veste polymita indutus: venditus est à fratribus suis: ex seruitute atque carcere euectus ad summam dignitatem, ac potentiam: orbem à fame liberauit, & Ægypti Saluator appellatus est. Rectè autem dicitur Christus, filius accrescēs, quippe qui super omnes potentia, sapientia, gratia & gloria creuit, de quo dixit Baptista: *Illum oportet crescere, me autem minui:* cuius auctus figura fuit lapis ille Danielis cap. 2. à primo quidem paruulus, sed mox in tantā excedens amplitudinem, vt omnem terram impleuerit; fuitque Dominus similis grano sinapis quod minimum est olerum; verùm in tantum crescit, vt prope adæquet magnitudinem arborum.

Ioseph figura Christi.

Genes. 37.
Ibidem.
Inf. 39. 40. 41.
Ioan. 3.
Matth. 13.

VERS. 23. Filiæ discurrerunt super murum, sed exasperauerunt eum, & iurgati sunt, inuiderúntque illi habentes iacula.

PRo illo: *Filiæ discurrerunt*, Hebraicè est, filiæ incedebat, in nu- 158
mero singulari, quia more Hebraico fit distributio in singulos, vt si dicas, Quælibet puellarum deambulabat per murum vel per alia loca vnde pulchritudinem Ioseph videre possent. Putat Rupertus hoc referri ad dominam Ioseph, posito numero plurali pro singulari, quæ amore eius capta, vbique eum videre gestiebat. Verbum *discurrendi* significat mulierem vagam atque petulantem, & per loca publica pererrantem, qualis describitur Prouerb. 7. Pro illo, *Exasperauerūt*, Hebraicè est, *amaricauerunt eum*: & pro *Inuiderunt*, Hebraicè est, *odio habuerunt*: Pro, *habētes autem iacula*, Hebraicè est, *domini sagittarum*, quę locutio

Rupertus. Genes. 29.

cutio frequens est Hebræis etiam aliis in rebus, veluti, domini alarum, & domini pennarum dicuntur volatilia & pennata. Sententia horum verborum clara est: pertinet enim ad inuidiam & odium, quo fratres Ioseh insectabantur ipsum, adeo vt, sicut legitur suprà cap. 37. non possent illi quicquam pacificè loqui; & cùm procul viderunt illum, dixerunt: Ecce somniator venit, venite, occidamus eum, & videamus quid prosint ei somnia sua. Iacula verò appellat verba dura & aspera atque mortifera, quibus illum confodere & perimere voluerunt. Alij interpretantur hoc de domino & domina Ioseph, qui eum innocẽtem asperrimè tractarunt detrudẽtes in carcerẽ. Moris autem est in sacris litteris, verba dura, pernicioſa & exitialia, per similitudinem nominare iacula aut sagittas, vt in Psalmis: *Sagitta acuta, lingua eorum.* *Psal. 56.* *Psal. 54.*

159 Quòd si mysticam huius sententiæ scrutemur intelligentiam, per filias discurrentes super murum, non ineptè intelligemus animas sanctas veteris Testamenti, quæ cupientes animo videre pulchritudinem venturi Messiæ, discurrebant super murum, id est, longè transcendebant humanã cognitionem quæ originem & fundamentum habet in sensibus corporis. Est enim corpus humanum quasi murus vndique circundans & concludens animum: istæ igitur spiritu prophetico pulchritudinem Messiæ perspectam habentes, eum videre cupiebant, sicut Dominus dixit: *Multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis*; & de Abraham, *Exultauit*, inquit, *vt videret diem meum: & vidit & gauisus est.* Fuisse autem Dominũ à scribis & Pharisæis ex odio & inuidia vehementer exacerbatum, vel, vt est Hebraicè, amaricatum, id est, fœdissimis iniuriis & blasphemiis onustum vexatúmque, quinetiam felle amarissimo potatum, docet historia Euangelica. Linguæ autem eorum fuerunt iacula, quibus Christum ipsi, si non manibus suis, certè votis & clamoribus crucifixerunt, cùm tam instanter efflagitabant à Pilato, Tolle tolle, crucifige eum. *Allegoria.* *Mat. 13.* *Luc 10.* *Ioan. 8.* *Ioan. 19.*

Sedit in forti arcus eius, & dissoluta sunt vincula brachiorũ & manuum illius per manus potentis Iacob. VERS. 24.

160 LICET fratres Ioseph extremis eum malis opprimere voluerint, Deus tamen ea mala in maximum illius bonum gloriámque conuertit. Ergo sensus est; Arcus eius, id est, omne robur & præsidium eius, sedit, id est, locatum fixúmque fuit in forti, hoc est, in Deo, de quo scilicet scriptum est: *Quis similis tui in fortibus, Domine?* nam esse fortem, est proprium Dei epithetum, de quo solet ipse frequenter gloriari, & à sanctis vehementer commendari. Quoniam igitur omnem fiduciam auxilij & præsidij sui Ioseph in Deo posuerat, idcirco omnia vincula quibus ipse vel à fratribus, vel ab Ægyptiis constrictus fuerat, dissoluta sunt. Pro quo Hebraicè est, *roborata sunt brachia eius*: & significatur annulus aureus, & armilla & currus, & alia principalia ornamenta, quibus à Pharaone ornatus & decora *Exod. 15.*

& decoratus est, vt narrat Scriptura Genes. 41. Atque huc spectauit paraphrastes Chaldæus, sic hunc locum interpretatus: Quia seruauit legem in occulto, posuitque Fortem fiduciam suam, tunc positum est aurum super brachia eius, possedítque regnum & confirmauit. Hoc ipsum expresè dictum est in Psal. 104. *In seruum venundatus est Ioseph. Humiliauerunt in cõpedibus animam eius, ferrum pertransiit animam eius, donec veniret verbum eius. Eloquium Domini inflammauit eum, misit rex & soluit eum, princeps populorum & dimisit eum. Constituit eum Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ: vt erudiret principes eius sicut semetipsum, & senes eum prudentiam doceret.* Similia horum traduntur in c. 10. lib. Sapient. *Sapientia*, inquit, *venditum Ioseph non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum: descenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi sceptrum regni & potentiam aduersus eos qui eum reprimebant, & mẽdaces ostendit, qui maculauerunt illum, & dedit illi claritatem aternam.* Hæc ibi.

Inde pastor egressus est, lapis Israel.

ILLVD *Inde* tripliciter exponitur, Primò quidem, vt referatur ad vincula & carcerem Ioseph, quibus ille solutus & ad principatum assumptus, pastor fuit Ægypti, dira fame eum liberans sua prudentia. Et *lapis Israel*, id est, firmamẽtum domus suæ, quippe qui patrem & fratres suos non tantùm famis tempore aluit, verùm etiam in optima Ægypti terra collocatos, quoad ipse vixit, & post mortem suam fama nominis sui longo tempore sustentauit. Alij illam vocem *Inde* referunt ad Ioseph, interpretantes, Iacob his verbis prædicere 3. Reg. 12. prodituros ex stirpe Ioseph, qui sint pastores & lapides Israel, *id est*, Duces, Iudices ac Reges. Ex Ioseph enim progenie fuesunt Iosue, Debbora, Gedeon, Abimelech, Iephte, Iair, & duo reges decem tribuum, Ieroboã, & Nadab: postquam verò diuisum est ac separatum regnum Israel, id est, decem tribuum à regno Iudæ, caput regni Israel fuit Ephraim. Tertio modo illud *Inde* sic exponitur, vt referatur ad manum & auxilium Dei fortis, cuius mentio proximè antecesserat: & significetur, quia Ioseph omnem suam spem in vno Deo locauerat, idcircò non modò eum cunctis malis & calamitatibus esse liberatum, sed insuper in tantam esse gloriam & potentiam elatum, vt non tantùm populi sui, sed aliarum quoque gentium pastor ac lapis existeret. Huic interpretationi adhæsit paraphrastes Chaldæus, hanc sententiam ita exprimens. Hoc contigit ei à conspectu Dei fortis Iacob, cuius verbo cibauit parentes & filios, semen Israel.

Obseruarunt Hebræi vocabulum *Euen*, pro quo Latinè est, lapis, esse hoc vocem mysticam, quia occultè & inuolutè continet duas dictiones: dicitur enim, *Euen*, quasi *au*, & *ben*, id est, pater & filius. Et verò Ioseph fuit lapis, qui sustentauit & patrem suum, & omnes eius filios fratrésque suos. Ad hunc locum spectat quod est de Ioseph in ca. 49. lib. Eccles. *Ioseph*, inquit, *princeps fuit fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi.*

populi. Rectè autem principes & rectores populorum, appellantur pastores: debent enim ita regere populos suos, vt pastor proprias oues; id quod Aristoteles libro 8. Ethicorum firmat auctoritate Homeri, qui Agamẽnonem, bonum scilicet iustúmque regem appellauit pastorem populorũ. *Aristotel.* Iam verò quàm aptè conueniat in Christum dominum vocabulum pastoris & lapidis, notius est quàm vt Lectori opus sit admonitione nostra, nedum explicatione.

Deus patris tui erit adiutor tuus, & Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus vberum, & vuluæ. VERS. 25.

163 ILLVD *Deus patris tui*, significat Deum fore adiutorem eius tum propter propria eius merita, tum maximè propter merita patris sui: Illud *Omnipotens* Hebraicè est *Shaddai*, quod significat robustum, & fortem, à verbo *Shaddah*, quod est prædari & rapere. Est autem nomẽ hoc vnum de decem nominibus quibus apud Hebræos Deus vocatur: quæ nomina strictim exposuit B. Hieronymus Epistola 136. quam scripsit ad Marcellam, vbi nomen *Shaddai*, interpretatus robustum, & ad omnia perpetranda sufficientem. quanquã Oleaster putat eo nomine hoc loco potiùs significari beneficum seu munificum. Verba porrò quæ sequuntur, continent benedictionem Ioseph in abundantia omnium terra nascentium, & in fœcunditate animalium ac filiorum. Ad efficiendam verò copiam eorum, quæ terra nascuntur, duo maximè concurrunt, & conferunt, supernè quidem cœlum, infernè autem abyssus deorsum iacens. cœlum dico tam astriferum, vnde lumẽ, calor, variíque siderum aspectus & defluxus; quàm cœlum aëreum, vnde imbres, venti, niues, rores. Per abyssum autem iacentem deorsum, intelligere oportet molem terræ & aquæ, quæ se inuicem complexæ vnũ globum efficiunt iacentem circa mundi centrum: Vocabulo autẽ abyssi iacentis deorsum nominantur, vel quia locatæ sunt circa centrum mũdi, locum omnium quæ sunt in mundo profundissimum; vel propter profunditates terræ & aquæ multifariàm impenetrabiles. bonitas verò & felicitas terræ in eo est, vt sit pinguis ac fertilis, acceptáque semina magno reddat cum fœnore: sit quoque copia terrestrium aquarum ex fontibus, fluminibus & lacubus, nec desint commoda quæ per mare deuehuntur. *Hieronymus.* *Oleaster.*

164 Sunt qui existiment Iacob his verbis præsignasse bonitatem cœli, & terrę quam habiturę olim erant duæ tribus, ex vnius stirpe Ioseph proseminatæ Ephraim & Manasses: vt sit sensus; Progenies Ioseph habitabit in terra fertilissima, ob benignitatem cœli, frequentiam imbrium & roris, agros irriguos, numerosósque frugum prouentus, magnámque gregum & hominum fœcunditatem; id quod significatur illis verbis: *Benedictionibus vberum & vuluæ*: nã benedictio vuluæ significat numerosam generationem & sobolem; benedictio autem vberũ, optimã nutricationẽ atq;

educationem. Nonnulli arbitrantur his verbis quatuor res designari, ex quibus solet vulgus homines aliquos laudare & quasi beatos prædicare: Solet enim dicere, Beatus dies, in quo ille natus est: beata terra quæ illum tulit: beatus venter qui illum genuit: beata vbera quæ illum lactauerunt.

Allegoria. Cæterum benedictio hæc Ioseph multo veriùs & cumulatiùs Christo 165
Domino contigit. Etenim ipse super omnes habuit benedictionem cæli & terræ, quia super omnes tam in cælo quàm in terra magnificatus & glo
Matt.28. rificatus est, sicut ipse dixit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Illum in cœlo laudant Angeli, quòd eorum ruinas reparauerit atque im-
Zach.9. pleuerit: illum in terra laudant homines, quòd eos reatu peccati, necessitate mortis & diaboli potestate liberauerit: illum in abysso, id est, in inferno laudarunt sancti Patres quos eduxit de lacu, in quo non erat aqua; vel cœlum significat in Christo animam eius & superiorem animæ partem: terra, corpus & carnem eius. Benedictus igitur fuit in cœlo *desuper*, quia secundùm superiorem animæ suæ partem ab initio conceptionis suę in cœlo fuit beatifica Dei visione fruẽs: benedictus quoque fuit in abys-
Philip.2. sus deorsum iacente, id est, in carne sua quæ appellatur abyssus deorsum
Genes.3. iacens, quod secundùm eam Christus seipsum profundissimè humilia-
Ioan.6. uerit, & vt Pauli verbo vtar, exinaniuerit. 166

Duplex porrò fuit carnis Christi benedictio, altera, quòd sine peccato concepta est, nec vlla concupiscentiæ fœditate inquinata, nec subiecta maledictioni Adæ: altera, quòd caro eius vnita est Dei verbo, & inde facta est cibus hominum viuificus & præstans immortalitatem. Benedi-
Luc.11. *Esa.7* *Matt.1.* ctionem illam vberum & vuluæ Christi declarauit sancta illa fœmina
Luc.1. dicens: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Triplicem porrò benedictionem Christus habuit in vtero matris; primam, quòd generatus est sine semine viri: alteram, quòd nouem mensibus gestatus in vtero est sine vlla matris molestia: tertiam, quòd clauso matris vtero & sine eius dolore editus est. Fuit item benedictus in vberibus, nam cùm sit præter naturam, virginem lacte impleri; sanctissima tamen eius mater, cùm virgo esset, eum lactauit: quocirca Ecclesia canit: Virgo nescіens virum, sine dolore genuit filium, sola virgo lactabat, vbere de cœlo plena. 167

Rupertus. Rupertus refert hoc ad Ecclesiam Christi sponsam: vt Christus benedicendus sit propter vbera & vuluam sponsæ suæ; per vuluam intelligendo fœcunditatem Ecclesiæ quæ innumerabiles filios Christo genuit. Compara vuluam Ecclesiæ Christi cum vulua Synagogæ Mosis, hanc dices sterilissimam, illam fœcundissimam: cuius incredibilem fœcũditatem prædixit Isaias cap. 49. & 60. Duo sunt autem Ecclesiæ vbera diuinę benedictionis lacte plenissima, Verbum Dei & vsus sacramentorum. De
Cant.1. his vberibus dici posset quod est in Canticis: *Inter vbera mea commorabi-*
Ibidem. *tur dilectus meus*; &, *Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* nam licèt hęc dicta sint de vberibus sponsi, eadem tamen sunt, diuer-
Infra.8. sa ratione, vtriusque vbera. Non fuêre talia Synagogæ vbera, de qua dicitur: *Soror nostra paruula est, & vmbra non habet.* Habuit quidẽ Synagoga etiã Sacramẽta; sed quia erãt virtute propria inefficacia spiritualis gratiæ,

dici

dici poterãt vbera arentia & inania, habebat quoque diuinas Scripturas: sed ante Christi aduentum erant illæ pleriſque clauſæ & veluti obſignatæ, nec ſugere ſuauiſſimum lac ſpiritualis intelligentiæ cuique datũ erat.

Benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum eius, donec veniret deſiderium collium æternorum: fiant in capite Ioſeph & in vertice Nazaræi inter fratres ſuos. VERS. 26.

167 PERobscvrvs eſt hic locus, & obſcuritas eius varias ex ingenijs explanatorum interpretationes excudit. Prima interpretatio; Chaldæus Paraphraſtes ſic vertit hunc locum: Benedictiones patris tui addantur ſuper benedictiones quibus me benedixerunt patres mei, quas optauerunt principes qui à ſæculo fuerunt. Eſt autem hic ſenſus: Contingant tibi non tantùm eæ benedictiones quas in te nunc confero, verùm etiam omnes benedictiones maiorum meorum, quę tales fuerunt, vt eas ſibi accidere antiquiſſimi principes optauerint. Illud igitur, *Vſque ad deſiderium collium*, ſic videtur Chaldæus intellexiſſe, Tanti fuêre pretij, támque optabiles benedictiones maiorum meorum, vt eas colles mundi, id eſt maximi quique principes deſiderauerint. *Prima interpretatio. Paraphraſis Chaldaica.*

168 Secunda interpretatio; Rupertus hanc putat eſſe huius loci ſententiam: Noli Ioſeph dubitare de efficacitate & effectu mearum benedictionum quas impertior tibi; ſiquidem benedictiones meæ confortatæ ſunt benedictionibus patrum meorum, id eſt, ex illis habent robur & efficaciam: nam quia maiores mei benedixerunt mihi, propterea ego quoque vim habeo efficacem benedicendi filijs meis; & ſicut benedictiones patrũ meorum completæ ſunt in me, ita benedictiones meæ complebuntur in te, nec deficient, donec veniat deſiderium collium æternorum, id eſt, Meſſias deſtinatus ab initio mundi, ſiue ex quo ſunt colles & montes ſuper terram: vel deſideratus ab antiquis patribus, qui propter pietatis & iuſtitiæ ſublimitatem fuerunt inſtar collium & montium. Meſſias enim non à quibus libet expreſſè cognitus ac deſideratus eſt, ſed ab inſignioribus virtute & ſapientia viris, vt fuêre Patriarchæ & Prophetæ. *Secunda interpretatio. Rupertus.*

169 Plerique tamen illud, *Confortatæ ſunt benedictionibus patrum eius*, accipiunt quaſi dictum comparatè: quam habet expreſſam comparationem lectio Hebraica quæ ad verbum hanc reddit ſententiam: Benedictiones meæ prævaluerunt, ſeu fortes factæ ſunt ſuper benedictiones patrum meorum. Et ex hac lectione duplex interpretatio exſtitit, vt tertia interpretatio quam ſequitur Paulus Burgenſis, illa ſit: Benedictiones quas ego tribui tibi, maiores ſunt benedictionibus quas ego accepi à patribus meis. Iſaac enim, vt narratur hoc libro cap. 27. benedixit Iacob tantùm in rore cœli & pinguedine terræ, non autem in benedictione vberum & vuluæ, id eſt, multiplicatione prolis. Sed profectò vera non eſt Burgenſis *Tertia interpretatio Paulus Burgenſis.*

sententia:namque Isaac cùm dimitteret Iacob in Mesopotamiam, benedicens ei,dixit:*Deus crescere te faciat atque multiplicet,vt sis in turbas populorum;& det tibi benedictiones Abrahæ, & semini tuo post te:* Sicut legitur hoc libro capite 28.Videtur præterea benedictio quam Iacob accepit à patre suo Isaac,eo nomine fuisse maior benedictione quam ipse tribuit filio suo Ioseph,quòd per illam Iacob constitutus est primogenitus & dominus fratrum suorum, quam prærogatiuam non continet benedictio Ioseph.

Quarta interpretatio. Quarta interpretatio:significari illis verbis benedictionem quam ac- 170
ceperat Iacob, fuisse maiorem benedictionibus quas acceperant maiores eius,vt Isaac & Abraham.Et hoc dupliciter exponitur;siquidem He-
Rab.Salomon. braei,vt Lyranus & Thostatus referunt,& patet ex Commentario Rabbi Salomonis,aiunt Deum plura promisisse Iacob quàm promiserat Abrahæ vel Isaac:his enim tantùm promisisse Deum possessionem *terræ* Chanaam,vt videre licet ex capite 13.& 26.libri Geneseos;illi verò promisisse dilatatum iri eum ad Orientem,Occidentem, Septentrionem,& Meridiem;quo significabatur dominatum vniuersi orbis delatum iri posteritati Iacob,maximè in aduentu Messiæ. Atque hoc indicauit Deus per Isaiam capite 50.& 58.dicens:*Cibabo te hæreditate Iacob patris tui*, & non dixit,Abraham vel Isaac.Verùm interpretationem hanc vehementer oppugnat hoc loco Thostatus. Et verò qui legat 28.& 48. caputlibri Geneseos,perspicuè intelliget eandem planè factam esse Iacob promissionem terræ atque priùs facta fuerat Isaac & Abrahæ. Nam illud, *Ad Orientem,& Occidentem,Meridiem,Septentrionem*,non debet accipi simpliciter & vniuersè respectu totius terræ,sed habito respectu ad terram Chanaam,quomodo frequenter vsurpatur in sacra Scriptura.

Quintainterpretatio. Lyranus. Thostatus. Quinta interpretatio, cui potissimum adhęret Lyranus & *Thostatus:* 171
Aiunt isti,benedictionem quam acceperat Iacob,ea *ratione fuisse* maiorē benedictione Isaac & Abrahæ, quod Iacob plures à Deo percepit reuelationes cœlestium mysteriorum pertinentium ad Messiam,& ad æternam beatitudinē. Etenim scientia rerū diuinarū, & fides rerū cœlestium in dies per interualla tēporū increuit,pluráque posterioribus reuelata sūt
Burgensis. quàm fuerant prioribus.Sed hoc refellit Burgensis:neque enim ait credibile esse Abraham inferiorem fuisse quàm Iacob, quantum ad excellentiam fidei & reuelationem mysteriorum pertinentium adMessiam,scientiámque rerum diuinarum:cùm is propter singularem fidei præstantiam
Rom.4. maximè laudatus sit à Mose Genes. 15.meruerítque pater omnium fide-
Luc.16. lium appellari;in cuius sinu dicebātur requiescere omnes qui decedēs ex hac vita,ęternam salutem consequebantur;dequo etiam Dominus no-
Ioan.5. ster dixit: *Abraham exultauit vt videret diem meum:vidit,& gauisus est.* 172

Verùm vtcunque res habeat(neque enim omnia quæ hîc obiter incidunt,ad viuum nobis resecanda sunt)certè negari non potest, plurima Iacob,& horum non pauca,singularia beneficia diuinitus accepisse. Primùm enim cum is non esset primogenitus, reiecto primogenito Esau,
Genes.27. ius primogenituræ à Deo accepit:namque vt Paulus disputat ad Roma-

nos

nos nono, *Cùm nihil dum boni vel mali egissent Iacob & Esau, dixit Deus, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Deinde longè numerosiori prole quã patres eius multiplicatus est, quippe qui duodecim filios procreauit, è quibus vniuersa gens Hebræa proseminata est. Adhæc filiũ suum Ioseph (secũdùm regem) vidit supremum Ægypti principem ac dominum. habuit præterea complures, eásque valdè mirandas visiones; vt illius scalæ à terra vsque ad cœlum pertingentis & in ea residentis Dei, Angelorúmque sursum deorsúmque discurrentium, & illius Angeli cum quo luctatus est vsque ad auroram. Excelluit denique multiplici prophetiæ dono, nec tãtùm per visiones imaginarias, sed (quod summũ prophetiæ genus æstimatur) per solam mentis diuino suffusæ lumine illustrationem; vt in hisce vaticiniis animaduertere licet.

Genes. 28.

Infra 32.

Donec veniret desiderium collium æternorum.

173 PRO voce illa, *desiderium*, vox Hebræa, prout ex varia ducitur radice, significat & desiderium & terminum. Hebræi & Pagninus legunt terminum, ita hunc locum interpretantes: Benedictiones patris tui confortatæ sunt vsque ad terminũ collium sæculi: Quæ verba dupliciter exponuntur. Nã Kimhi ad hunc modum exponit: Benedictiones meæ permanebunt, & firmæ erunt quoad durabunt colles mundi. Rabbi Salomon hanc vult esse sententiam: Benedictiones meæ non concludentur intra vnam regionem Chanaã, sed diffundentur vsque ad omnes terminos montium & terrarum. Sin autem legatur *desiderium* ea quoque lectio duplicem habet explicationem: siquidem Chaldæus paraphrastes legens *vsque ad desiderium collium sæculi*, intellexit significari tantas fuisse benedictiones Iacob, vt etiam Regibus & Principibus mundi maximè optabiles essent. Latini ferè interpretantur de Christo: qui cur appelletur desiderium collium æternorum, suprà dictum est, cùm interpretationem Ruperti enarraremus.

Rabbi Dauid Kimhi. Rabbi Salomon.

Est quoque alia interpretatio huius loci apud Thostatum super ca. 33. *Thostatus.*
174 Deut. vbi explanat ille benedictionẽ Ioseph traditam à Mose: refert enim verba hæc ad terram quæ sorte assignanda erat filiis Ioseph, Ephraim & Manasses, quæ abundatura erat montibus & collibus amœnissimis maximéque frugiferis; quamobrem dicuntur desiderabiles: quæ sententia valdè congruit cum verbis ipsius Mosis, sic enim ait benedicens Ioseph: *De benedictione Domini terra eius, de pomis cœli & rore atque abysso subiacente: de pomis fructuum Solis ac Lunæ: de vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum, & de frugibus terræ, & de plenitudine eius.*

Fiant in capite eius & in vertice Nazaræi inter fratres suos. VERS. 27.

175 OPTAT his verbis Iacob, vt bona quæ precatus est filio suo Ioseph, fiant super caput eius, id est, abundè atque cumulatè ei contingant. Vocat autem Ioseph Nazaræum fratrum suorum (quo modo eum quoque appellat Moses Deut. 33.) significãs

eum ſegregatum & ſeparatum fuiſſe à fratribus : nam id apud Hebræos
Gen 37. ſignificat vocabulum Nazareus. Fuit autem Ioſeph iam inde à puero cùm eſſet in domo patris, ſeparatus à fratribus ſuis, id eſt, ab improbis eorum ſtudiis & moribus, cùm eos crimine peſſimo apud patrem accuſauit: & fratres viciſſim ab eo ſeparati erant, id eſt, alienati & auerſi, ita vt non poſſent cũ eo pacificè loqui. Cùm autẽ à fratribus venditus, & in Ægyptũ ductus eſt, longo tempore ab illis fuit ſeparatus. Ergo vocabulum Nazaræus ad preſens commune eſt: ſpecialiter autem apud Hebræos quidam appellabantur Nazaræi, qui ex voto certis quibuſdam cæremoniis conſecrati Deo, ſeparabant & abſtinebant ſe multis à rebus, quarum rerum vſus aliis hominibus non erat illicitus: huius generis erant, non tondere capillos, non bibere vinum, non accedere ad funera, nec tangere mortuos, etiã parentes, aliáque nonnulla quæ in ca. 6. lib. Numeror. commemorantur.

Sunt qui putent hoc loco vocabulum Nazaræi ſignificare præcipuum 176
decorem atque honorem, ſanctitatíſque profeſſionem atque exiſtimationem: tales enim apud Hebræos erant Nazaræi, vt indicant verba illa Hieremiæ Threnorum 4. *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſaphiro pulchriores.* lxx. Interpres per vocabulũ *Nazaræi* intellexerunt principem, & ducem fratrum ſuorum, ſic enim expreſſerunt hunc locum: Erunt ſuper caput Ioſeph, & ſuper caput fratrum quorum dux fuit. In capite autem 33. Deut. vbi nos habemus, *Super verticem Nazaræi fratrum ſuorum*; ipſi verterunt: Super verticem glorificatus in fratribus: fuit enim tanquam princeps, & dominus fratrum, & ex eius ſtirpe prodierunt Principes, & Reges populi Hebræi.

Moyſes porrò Deut. 33. præter illa, quæ ſimilia dixit Iacob, addit hoc, 177
quod non videtur intactum eſſe prætereundum. *Quaſi*, inquit, *primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua Rhinocerotis cornua illius: in ipſis ventilabit Gentes vſque ad terminos terræ*: Primogenitus tauri eſt pulcherrimus, ſimúlque robuſtiſſimus, ac violentiſſimus, quippe cui robur patris, vt primum, ita maximum tributum eſt. De Rhinocerote autem pauca hæc à
Rhinoceros. Plinius. Solinus. Plinio lib. 8. cap. 20. & Solino cap. 33. prodita cognoſcat Lector: Animal eſſe buxei coloris, vnum in nare, idque repandum habens cornu, quod ſubinde cautibus attritum, limatúmque in mucronem excitat pręliaturus aduerſus Elephantem, par ei propemodum longitudine, breuior tamen cruribus: in qua dimicatione, naturali eo telo aluum Elephanti petit, vt molliorem eius partem, ſolámque ictibus ſuis peruiam. Ergo primogeniti tauri & Rhinocerotis ſimilitudine exaggeratur decor & pulchritudo regalis, robúrque ac fortitudo bellica in poſteritate Ioſeph futura, maximè verò in tribu Ephraim, quæ magnos principes ac Reges, & gloria virtutis militaris inclytos tulit. Quõ ſpectat illud quod eſt in Pſal. 59. *Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes, & Ephraim ſuſceptio capitis mei.* Et huic quidẽ interpretationi affinis eſt valdè paraphraſis Chaldaica quæ eo loco ſic habet: Maior natu filiorum eius (id eſt, Ephraim primogenitus Ioſeph) decorem habet, & magnalia, & quæ facta ſunt à facie Fortis & Excelſi, cuius fortitudine interficiet populos vſque ad fines terræ.

VNDE

VNDECIMA PROPHETIA

De Beniamin.

Beniamin lupus rapax manè comedet prædam,& veſpere diuidet ſpolia.

178 SEPTVAGINTA, referente ſancto Hieronymo, ſic habẽt: Beniamin lupus rapax, manè comedet adhuc, & ad veſperã dabit eſcam. Noſtræ lectionis quintuplex eſſe poteſt interpretatio: duas ponit Rabbi Salomon, nam ait vel eſſe prophetiam de Beniamitis, qui, vt narratur libro Iudicum cap. 21. prodeuntes ex vineis rapuerunt ſibi in vxores filias Silo egreſſas more ſuo ad ducendos choros, quas poſtea diſtribuerunt inter ſe. Vel pertinere putat ad Saulem & ad Mardochæum & Eſther, qui fuerunt ex tribu Beniamin. Saul enim mane comedit prædam, quia in exordio regni Iſrae litici, cuius primus ipſe rex creatus eſt, ampliſſimas egit prędas ex Amalechitis, aliiſque Iudæorum hoſtibus: Veſpere autem, id eſt, multis pòſt ſęculis ex eadem tribu Beniamin progenerati Mardocheus & Eſther, contrito penitúſque deleto Aman, & eius ſectatoribus, omnes eorum opes bonáque, liberalitate regia ad ſe tranſmouerunt.

Quinque interpretationes Rabb. Salomõ.

Eſther 2.

1. Reg. 9.

Eſther 8.

179 Tertiam interpretationem Beatus Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Geneſim aſſignat Hebræis, quorum ſententia eſt, hoc vaticinio Iacob inſinuari templum Iudaicum in quo victimę immolabantur, ídque ſignificari vocabulo lupi rapacis: quòd illud templum innumerabiles animalium victimas quaſi deuoraret, & abſumeret, ob ídque dicitur de eo, manè comedet prædam, quod animalia plurimùm matutino tempore immolarentur. Quod autem ſequitur: *Et veſpere diuidet ſpolia*: bellè quadrat ad hanc ipſam interpretationem: ſiquidem reliquiæ oblationum quæ factæ erant in templo ad ſacerdotes pertinebant, quas ipſi partiebantur inter ſe. Quoniam autem templum Iudaicum, & vrbs Hieruſalem in ſortem Beniamin primò cecidit, vt videre licet apud Ioſue capite decimo octauo, idcirco vaticinium hoc Iacob rectè competit in tribum Beniamin.

180 Et verò ad magnam eius tribus laudem faciebat, quod cùm in omni gente Hebræorum vnum duntaxat templum eſſet, id fuerit intra ſortem Beniamin. Fauet huic interpretationi Chaldęus paraphraſtes, apud quem ſic eſt hoc loco: Beniamin in terra eius quieſcet præſentia diuinitatis, & in poſſeſsione eius ędificabitur ſanctuarium: manè & veſperi offerent Sacerdotes oblationes, & in tempore veſpertino diuident reſiduum portionum ſuarum de reliquis quæ ſanctificata ſunt. Sic ille. Præſentiam autem diuinitatis appellat Chaldæus Arcam fœderis, eíque ſuperimpoſitũ propitia

pitiatorium, vbi quasi residens Deus edendis oraculis reddendísque responsis præsentiam suam declarabat.

Ad hanc quoque interpretationem spectare videtur quod Moses Deut. 33. de tribu Beniamin vaticinatus est: *Beniamin*, inquit, *amantissimus Domini*. Fuit nimirum Beniamin, quòd esset nouissimus filiorum & in senectute patris genitus, ei dilectissimus. Deus quoque singulatem aduersus eam tribum amorem suum ostendit, cùm primum regem Israelitiæ gẽtis delegit Saulem, nec ab ea tribu, si Saul non peccasset, regnum ipse amouisset. Ex eadem tribu multa post sæcula excitauit Esther, & Mardochæum insignes admodum charitate suæ gentis & animi magnitudine; & quòd admirabili prudentia populum suum à suprema internecione liberarũt sæculorum omnium prædicatione dignissimos. His accedit quòd in ea tribu iussit Deus ædificari templum, in quo vno tãtùm sibi à Iudæis cultum adhiberi voluit. Sequitur apud Mosen: *Habitabit confidenter in eo*, id est, in Deo; cùm enim in terra sua haberet templum, in quo Deus singulariter habitabat, ipse quoque singulari protectione & præsentia Dei confisus quasi expers periculi lætus & securus erat. Subdit Moses: *Quasi in thalamo tota die morabitur, inter humeros eius requiescet*. Morabitur scilicet in templo quod vocabitur thalamus Dei. Alludit autem ad situm tẽpli Dei quod erat in sublimi parte montis Moria, non tamen in eius vertice, sed vt placet Hebræis, quatuor & viginti cubitos infra eius apicem.

Genes. 35. 181

3. Reg. 10.

Prophetiã de Beniamin pertinere ad S. Paulum, sẽtentia Patrum.

Ambros.
Hieron.
Chrysost.
Ruffinus.
Theodoret.
Beda.
Rupertus.
August.

Quarta huius prophetiæ interpretatio videtur quidem allegorica potius quàm historica & literalis, sed eam tamen plerique Patrum præ ceteris amplexati sunt, Ambrosium dico, Hieronymũ, Chrysostomum, Ruffinum, Theodoretum, Bedam & Rupertum hoc loco, necnon & Augustin. Serm. 14. de Sanctis, qui est primus Sermonum eius de Conuersione B. Pauli. Horum sententia est, hanc prophetiam spectare ad B. Paulum, cuius duplex status, prior ante conuersionem eius ad Christum, posterior autem post conuersionem hic adumbratus est sub lupi rapacis similitudine, manè rapientis & discerpentis prędam, vespere diuidentis spolia. Fuit sanè Paulus ex tribu Beniamin, vt testatur ipse in Epist. ad Rom. ca. 11. & ad Philip. cap. 3. Fuit lupus rapax, id est, vir ingenio acer & ardens, animo ferox, ore pariter atque opere potens ac vehemens. *Manè*, id est, priusquã ad Christum conuerteretur, rapiebat & comedebat prædam, fuit enim valdè contumelioſus, vt ipse fatetur, & blasphemus in Christum, & atrox Christianorum insectator, atque, vt verbis vtar Lucę Actuum 9. spirans minarum & cędis in discipulos Domini. At vesperè, id est, postquam ad Christi fidem conuersus est, diuisit spolia, id est, fortissimus fuit Christi bellator, acerrimúsque Ecclesię propugnator, & plurimarum gentium quas ad Christum conuerterat, victor ampliſſima retulit spolia. Rupertus per spolia intelligit eloquia Dei, sicut est in Psal. 118. *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa*. Diuidebat autem hęc spolia, quia diuinarum rerum doctrinam pro captu audientium ac discentium tradebat, quibusdam lac tantùm præbens, aliis solidum cibum. 182

Nec

183 Nec in Paulum non aptè cõpetit quod in hoc ipso lib. Gen. c. 35. de Beniamin proditũ est, Rachel matrẽ, Beniamin cùm in eius enixu animam ageret, appellauisse eum Benoni, id est, filiũ doloris mei; at Iacob vocasse eum Bẽiamin, id est, filiũ dextræ. Enimverò vtrunq; nomẽ præclarè conuenit Paulo. Is enim perfidiosæ synagogæ quæ fuerat mater eius, magnorũ dolorum causa fuit, quinetiam interitus: at Christus imposuit ei nomen Bẽiamin, quod significat filiũ dexteræ. Vocabulũ *dexteræ* in sacris literis denotat robur & potentiam. quanta verò potentia polleret Paulus indicauit ipse cùm dixit: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Et quia conuersio B. Pauli fuit valdè miranda, & in qua Christus Dominus vim & potentiam suam clarissimè demonstrauit, & per quam Paulus repentè in magnũ Dei seruũ, egregiumq; prædicatorem Euangelij, & inuictum Ecclesiæ propugnatorẽ ac defensorẽ euasit, rectè de se Paulus illud dicere potuit: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me.* illud item: *Hæc mutatio dexteræ excelsi.* Denique hoc ipsum Dominus significauit, cùm Ananiæ de Paulo dixit: *Vade quoniam vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gẽtibus, & regibus, & filijs Israel. Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.*

1. Cor. 3.

Philip. 4. Psalm. 117. Psalm. 76. Act. 9.

184 Restat quinta & vltima interpretatio, quam libenter equidem cęteris omnibus, quod attinet ad sensum litteralẽ, prætulerim. Hanc sequitur Thostatus; sed multis ante eum sæculis in quæst. vltima in Genesim Theodoretus attigit. Reor igitur, Iacob figurata oratione significasse, fore Beniamitas fortes, robustos & bellicosos: id enim similitudo lupi rapacis indicat, qui cùm valdè vrgetur fame, audax & violentus est ad rapiendam escam. Illud autem, *Manè comedet prædam, & vespere diuidet spolia*: significat eos fore in bellis felices: profligatis enim hostibus onustos prædis diuitésque spoliis redituros. quamquam illud; *manè & vespere* designare potest celeritatem confecti belli, partæq; victoriæ. Græca lectio habet *vesperi dabit escam*, quod refert Theodoretus ad bellum quod gessisse Beniamitas cum cæteris tribubus, narratur in libro Iudicum cap. 20. in quo bello primùm illi bis victores fuerunt, sed ad extremum tamen victi, præda eorum fuerunt quos vicerant.

Quinta interpretatio quæ præ cæteris placet auctori.

Thostatus.

Theodoretus.

185 Verùm quàm fuerint Beniamitæ feroces, fortésq; bellatores, vel vno eo exemplo quod in libro Iudicũ cap. 20. memoratur, manifestum esse potest. Cùm enim Beniamitę immane quoddã scelus à Gabaonitis qui ex ea tribu erant admissum punire noluissent; aduersus eos vindicandi eius flagitij causâ cęteræ omnes tribus arma rapuerũt, & ad quadringenta armatorũ millia coëgerunt: contra verò Beniamitæ aciem suam viginti quinq; mille & septingẽtorum virorum instruxerũt: cúmq; tam dispares numero vtrinq; essent copiæ, vt vni cuilibet Beniamittarũ sexdecim ex aliis tribubus opponerẽtur; tantũ in Beniamitis tamen robur animi; & virtus militaris fuit, vt duplici conflictu aduersarios profligarint: & priori quidem duo, & viginti millia, posteriori autem decem & octo millia ceciderunt. Tandem victi cæsiq; sunt, sed nõ virtute, verùm ex insidiis & per dolos militares. Gabaonitas porrò qui & ipsi erant

(vt diximus) Beniamitæ, narrat Scriptura, viros fuisse strenuos & peritos, ita vt æquè siniſtra manu ac dextera præliarentur; tales verò funditores, vt lapides fundis iacerent sine errore vllo vel ad tenuissimum capillum. Verùm quæ de Benedictionibus Patriarcharum à nobis hoc loco explicanda & disputanda visa sunt, hîc finem habeant.

DE OBITV PATRIARCHAE IACOB.

VERS. 28. Hæc locutus est eis pater suus, benedixítq; singulis benedictionibus propriis, &c. *vsque ad finem capitis.*

HINC apparet superiores non fuisse benedictiones, sed prophetias rerum futurarum, vt suprà docuimus in principio huius capitis: nam & quę dixerat Ruben & Simeoni ac Leui, obiurgationem potiùs & reprehensionem quàm benedictionem continebant; & hîc non obscurè significatur, postquam superiora locutus fuerat Iacob benedixisse eum filiis suis: vt si quid forte in superioribus animos aliquorum pupugerat, id subiunctis ad extremum singulorum benedictionibus valdè mitigaretur. Appellat autem proprias singulorum benedictiones, per quas conuenientia cuique aut etiam ventura bona precatus est; aut salutaribus quemque documentis erudiuit, ex quo magnam illis & vtilitatem & lætitię voluptatem accidisse non est dubitandum. 186

Sequitur: *Et præcepit eis dicens, Sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici, &c.* cur hoc de sepultura præcipit aliis filiis, cùm id ipsum antea rogando petierit à Ioseph, dicens ei; *Si inueni gratiam in conspectu tuo, facias mihi misericordiã & veritatem, vt non sepelias me in Ægypto, sed dormiam cum patribus meis, &c.* Cur inquam, hîc quodammodo precibus vsus est, idem verò mandans cęteris filiis paternæ auctoritatis præceptum adhibuerit? An quia mandatis Iacob magis astricti erant cæteri filij quàm Ioseph, quippe qui semper cum ipso fuerant, & ab eo vxores & bona omnia aceperant; Ioseph autem in Aegypto fuerat & nihil muneris à patre acceperat? An quia Ioseph magno erat in honore ac dignitate cùm esset totius Aegypti gubernator; alij autem fratres priuatæ personæ erant? quare iustũ erat illis præceptũ imponere, huic preces adhibere. An quia funus Iacob valdè sumptuosum erat futurũ, nec peragi sine magnis impensis poterat, quas Ioseph suppeditaturus erat, & effecturus apud Pharaonẽ, & Principes Aegypti, vt nõ solùm se ac fratres suos extra Aegyptum ire ad curandũ funus sinerent, verùm etiam magna põpa & honorifico apparatu funus ipsi comitari & ornare vellent? 187

Genes. 47.

Cur Patriarchæ sepeliri in terra Chanaã tantopere cupiuerunt.

Verùm quærat aliquis, Cur tantoperè cupiuerit Iacob sepeliri in terra Chanaam, vt id primùm sibi interposito iureiurãdo à filio suo Ioseph promitti vellet, deinde idẽ quoq; à cæteris filiis suis fieri præciperet: idemq; sub finẽ huius libri legitur, Ioseph appropinquãte morte voluisse sibi fratres suos promittere ac iureiurando firmare? Multas licet eius rei causas, si quis inuestiget solerter, inuenire. Principiò cupie- 188

bant

bant illi corpora sua esse in ea terra, quam posteros suos sciebant possessuros & longissimo tempore habitaturos, in qua sola omnium terrarum orbis, verus Deus quem ipsi coluerant, publica & sincera religione coleretur.

189 Deinde, vt eorum sepulchra omnibus posteris essent fidei & pietatis quam ipsi erga Deum habuerant & professi fuerant, clarissima monumenta, & ad easdem virtutes maiorum suorum amplectendas & profitendas accerrima incitamenta. Ad hæc, vt essent diuinarum promissionum quas Deus ipsis & posteritati eorũ dederat testimonia: aspicientes enim horum Patriarcharũ sepulcra in terra Chanaam quam possidebant Iudæi, liquidò cernebãt quàm abundè & cumulatè promissa Dei Patriarchis data de possessione terræ Chanaam tradenda eorum posteris, in ipsis essent completa. Nec illud non flagrantissimam eius rei cupiditatem in animis eorum excitabat, quòd prophetico spiritu diuinitus impleti nouerant in ea terra Messiam nasciturum.

190 Accedebat & ille stimulus (si verum est quod refert Thostatus) illos celebres Patriarchas non latuisse, resurgente Christo domino post triduum suæ mortis ad vitam immortalem, vnà quoque multos de sanctis viris inibi sepultis cum eo resurrecturos (quod ita factum esse narrat Matthæus cap. 27.) de quorum numero se futuros esse sperabant. Quid plura? ad hanc terram Deus Abraham euocauerat, posthabito natali solo, omníque cognatione sua derelicta: hanc terram ex omnibus mundi terris delegerat quam daret possidendam populo suo, quem vt filium primogenitum diligebat: hanc denique postea magnis sæpe laudibus commendauerat: appellans terram egregiam, speciosam, excelsam, fluentem lac & mel; quam Dominus Deus semper inuisit, & oculi illius in ea sunt à principio anni vsque ad finem eius.

Thostatus.

Genes. 12.

Deut. 11. & 12.

191 Iam verò de illa spelunca in qua se Iacob sepeliri mandauit, scriptum est Genes. 23. ibiq; dictum, in ea sepultam esse Saram; in eadem autem sepultum esse, nusquam suprà expressè proditum est; sed quia cap. 35. traditur, in loco illius sepulturæ mortuum esse Isaac, & à duobus filiis suis Iacob & Esau sepultum ex eo ipso intelligitur, in ea ipsa sepultura esse conditum. Rebeccam porrò & Liam eodem loco sepultas esse, alibi quàm hìc nusquam in sacris literis legitur.

Genes. 49.

Finitísque mandatis quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectum, & obiit. VERS. 32.

192 QVÆ fuerunt illa mandata Iacob? Illa, opinor, quæ de sepultura sui corporis dedisse eum filiis suis scripsit Moses: nisi etiam iuuat credere, multa sanctissimum illum senem mandasse filiis suis pertinentia ad pacem & concordiam inter eos custodiendam, verúmque Dei cultum perpetuò conseruandum, atque Aegyptiorum, quibuscum longo tempore victuri erant, fugiendam idololatriam. Cùm autem dicitur Iacob collegisse pedes suos

ſuper lectum, ſignificatur, eum ſuperiora locutũ ſedẽtem ſuper lectum, habentémq; pedes extra lectum dependentes: indicatur quoq; quanta animi quiete & tranquillitate, quantaq; corporis compoſitione & decentia ſeſe comparauerit ad mortem. Pro illo verbo *obijt* eſt verbũ Hebræum ſignificans (vt annotarunt Hebræi) molle ac facilè dulcéq; genus mortis per lentam quandam reſolutionem & defectum paulatim labentis ſpiritus; planè contrarium ei quo intereunt multi, longo & moleſto morbo tabeſcentes; aut etiam robuſtos corpore, crudaq; ætate præditi, violenta morte rapiuntur.

Appoſitúſque eſt ad populum ſuum.

Quid ſit cõgregari vel apponi ad populum ſuum.

SVPRA dixerat: *Ego congregor ad populũ meum*: nunc Moyſes 197
ait eum obijſſe, & appoſitum eſſe ad populum ſuum: idémque ſuprà dictum eſt de Abraham & de Iſmaële cap. 25. & de Iſaac cap. 35. de Aaron quoq; in lib. Num. cap. 20. eiuſdémque libri cap. 31. idem proditum eſt de Moyſe. Quis autem *fuerit* populus ille, ad quem Patriarchæ illi dicũtur appoſiti, videtur obſcurũ.

Hiſtoria Scholaſtica.

Magiſter hiſtoriæ ſcholaſticæ in cap. 114. hiſtorię ſuæ ſuper librum Geneſeos interpretatur frequentiam & ſocietatem Angelorum, ita ſcribens: Appoſitus eſt ad populum ſuum, id eſt, ad Angelos, tunc certa ſpe, poſtea tandem in re. Notum quidem eſt, appoſitum eſſe Iacob ab Abraham & Iſaac patres ſuos, ſed tam pauci, populus dici non poſſunt. vel populus dicitur congregatio omnium ab Adam vſque prædeſtinatorum, qui erant in ſinu Abrahæ. Sic ille.

Luc. 16.

Eandem planè ſententiã habet Gloſſa interlinearis ſuper 25. & 49. 194
caput libri Geneſeos, quæ Gloſſa ſumpta eſt ex Auguſtino idem ſentiente atq; tradente in libro Quæſtionum ſuper Geneſim, *quæſt. 168.*

Auguſt.

Auguſtini verba, ſi ea lector noſſe auet, hæc ſunt: Ecce de Iacob iã quidem mortuo, ſed nondum ſepulto dictum eſt quòd *appoſitus eſt* ad populum ſuum: ſed ad quem populũ appoſitus ſit, non *in promptu* eſt videre. Ex Iacob enim populus natus eſt, qui dictus eſt populus Iſrael: qui autem eum præceſſerunt, tam pauci iuſti nominantur, vt eos populum appellare cunctemur. Nam ſi dictum eſſet, Appoſitus eſt ad patres ſuos; nulla quæſtio fieret. An fortè populus eſt non ſolùm hominũ ſanctorum, veùrm & Angelorum? populus, inquam, illius ciuitatis quæ de cęlo eſt, Hieruſalẽ, ſicut Paulus ad Hebr. ſcribẽs c. 12. *Acceſſiſtis*, inquit, *ad montem Sion, & ad ciuitatem Dei Hieruſalem, & ad millia Angelorum exultantium.* Huic populo apponuntur, qui poſt hanc vitam placentes Deo fiunt; tunc enim dicuntur apponi, quãdo nulla iam remanet ſollicitudo tentationũ & periculũ peccatorum: quod intuens ſcriptura: *Ante mortem*, inquit, *ne laudes hominem quenquam.* Sic eo loco Auguſtinus. 195

Eccl. 11.

Atenim verò Lyranus (ignorans, vt opinor, eſſe hãc, & Gloſſæ & Auguſtini ſententiam) oppugnat Magiſtrũ Hiſtorię Scholaſticę, quaſi vnicum, vel certè principem eius interpretationis auctorem: Non, inquit, verè dici poteſt, Sanctos illos Patriarchas appoſitos eſſe ad ſocietatem Angelorũ; quippe cùm omnes deſcenderint in Limbũ, nec ante Chriſti aſcenſum

Lyranus ſuper cap. 20. Geneſ.

ascensum in cœlos, quisquam hominum in cœlestem ciuitatem, & angelicam societetem admissus fuerit. Nec valet dicere, illos esse appositos secundùm certam spē, licet non secundùm rem: similiter enim idem posset dici de iustis qui adhuc in terris versantur, saltē de prædestinatis & confirmatis in gratia: cùm tamen Scriptura id non dicat nisi de moriētibus vel etiā mortuis. Quamobrē Lyranus rectiùs dictu putat, populū illū ad quē apponebātur Sācti, intelligi debere omnes iustos quicūq; ab exordio mūdi fuerūt vsq; ad Iacob, qui vnà omnes erāt in Limbo, vt Adam, Abel, Seth, Enos, Noe, Sem, & Melchisedec, Abraham, & Isaac.

Paulus Burgēsis in Additione ad Postillas Lyrani huius loci ait, Apponi ad patres suos, scripturam ante Abraham de nullo hominum vsurpasse; ob eam causam, quòd, Apponi ad populum suum, significet mori vacuum & purum ab omni culpa quæ purgatorio igne sit expianda, & statim post mortem rectà & sine mora ire ad Limbum. Quanquam igitur iusti qui præcesserunt Abraham, ex hac vita decesserint cum gratia Dei, ferebant tamen maculas & sordes quorundam peccatorum per ignem purgatorium abstergendas: quapropter non est dictum illos esse appositos ad populum suum.

196 Verùm hoc satis inconsideratè videtur à Burgensi dictū, neque enim apponi ad populum suum, significat, sine omni prorsus culpa decedere: siquidem hoc ipsum Moyses supra capite vigesimo quinto dixit de Ismaele, quòd appositus sit ad populum suum: Ismaelem verò neque constat esse saluum, nec si saluus fuerit, credibile tamen est eum omnis expertē culpæ obiisse. Quis autē affirmare audeat, Noe post mortē nō rectà descendisse in Limbū, cuius sanctimoniā, & iustitiā nō minùs diuina Scriptura cōmendat, quàm Isaac & Iacob? de eo nēpe scribēs Moyses c. 6. *Noe*, inquit, *vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit, eique dixit Deus, Te vidi iustum coram me in generatione hac.*

197 Mihi nō displicet quod quibusdā Hebraicè doctissimis viris placuisse video, congregari vel apponi ad populum suum, dormire cum patribus, ingredi viam vniuersæ carnis vel terræ, phrases esse peculiares Scripturæ veteris Testamenti, quibus significetur idem quod, obire vel deserere statum viuentium, & transire seu pertinere ad statum defunctorū: sicut in nouo Testamēto, dormire vel obdormire in Domino, seu trāsire ex hoc mūdo: & apud Latinos excedere, decedere, vita defūgi, facto defungi, demigrare, exuere mortalitatē, vitā cū morte cōmutare. Theodoretus tamen quæstione quæ est vltima super Genesim, & Caietanus super 25. caput Geneseos aiunt ex eo quod Scriptura dicit de morientibus, eos congregari ad populum suum, manifestè significari, & necessaria ratione concludi immortalitatem animorum, quin etiam corporum certissimam spem resurrectionis aliquando futuram. Verùm super hac ipsa quæstione pleniùs & accuratiùs disseruimus in 3. Tomo nostro in Genesim, super cap. 25. in 8. Disputat. ad numerum marginalem. 63. *Burgensis.*

BENEDICTI PERERII COMMENTARIA IN CAPVT QVINQVAGESIMVM GENESIS.

ARGVMENTVM.

Narratur hoc capite funebris apparatus & pompa, quæ ad sepeliẽdum Iacob adhibita est: item benignitas Ioseph erga fratres suos, verentes ne post mortem patris, offensam ab ipsis acceptam vlcisci vellet: ad extremum mors Ioseph, exactis cẽtum & decem vitæ annis, & mãdata eius de ossibus suis in Terram Chanaam, cùm ad eam proficiscerentur, asportandis.

1 QVOD cernens Ioseph, ruit super faciem
2 patris, flens & deosculãs eum. Præcepítq; seruis suis medicis vt aromatibus cõdirẽt
3 patrem. Quibus iussa explentibus, transierũt quadraginta dies: iste quippe mos erat cadauerum conditorum; fleuítque eũ Ægyptus septuaginta diebus. Et expleto plẽ
5 ctus tempore, locutus est Ioseph ad familiam Pharaonis: Si inueni gratiam in conspectu vestro, loquimini in auribus Pharaonis: eo quod pater meus adiurauerit me, dicens: En morior, in sepulchro meo quod fodi mihi in Terra Chánaam, sepelies me. Ascendam igitur, & sepeliam patrem meum, ac reuertar.
6 Dixítq; ei Pharao: Ascende, & sepeli patrem tuum, sicut adiu-

ratus

ratus es. Quo ascendente, ierunt cum eo omnes senes domus 7
Pharaonis, cunctíque maiores natu Terræ Ægyptis: domus Io- 8
seph cũ fratribus suis, absque paruulis & gregibus atque armẽ-
tis quæ reliquerant in Terra Gessen. Habuit quoque in comi- 9
tatu currus & equites: & facta est turba nõ modica. Venerũtq. 10
ad Areã Arad, quæ sita est trans Iordanẽ, vbi celebrantes exe-
quias planctu magno atque vehementi, impleuerunt septem
dies. Quod cùm vidissent habitatores Terræ Chanaã, dixerũt; 11
Plãctus magnus est iste Ægyptijs. Et idcirco vocatũ est nomen
loci illius, Plãctus Ægypti. Fecerũt ergo filij Iacob sicut præce- 12
perat eis. Et portantes eũ in Terram Chanaã, sepelierunt eũ in 13
spelũca duplici, quã emerat Abrahã cum agro in possessionem
sepulchri ab Ephrõ Hethæo contra faciẽ Mãbre. Reuersúsque 14
est Ioseph in Ægyptum cũ fratribus suis, & omni comitatu, se
pulto patre. Quo mortuo, timẽtes fratres eius, & mutuò collo- 15
quẽtes: Ne fortè memor sit iniuriæ quam passus est, & reddat
omne malũ quod fecimus, mãdauerunt ei dicentes: Pater tuus 16
præcepit nobis antequã moreretur, vt hęc tibi verbis illus dice
remus: Obsecro vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorũ, & pecca 17
ti atque malitiæ quã exercuerũt in te: nos quoque oramus vt
seruis Dei patris tui dimittas iniquitatẽ hanc. Quibus auditis
fleuit Ioseph. Venerúntque ad eũ fratres sui, & proni adorãtes 18
in Terrã dixerunt: Serui tui sumus. Quibus ille respõdit: Noli- 19
te timere: num Dei possumus resistere volũtati? vos cogitastis 20
de me malũ, sed Deus vertit illud in bonũ, vt exaltaret me, si-
cut in præsentiarum cernitis, & saluos faceret multos populos.
Nolite timere. Ego pascã vos & paruulos vestros, consolatúsque 21
est eos, & blãdè ac leniter est locutus. Et habitauit in Ægy
pto cũ omni domo patris sui: vixítque centum decẽ annis. Et 22
vidit Ephraim filios vsque ad tertiã generationẽ. Filij quoque
Machir filij Manasse nati sunt in genibus Ioseph. Quibus trãs- 23
actis, locutus est fratribus suis: Post mortem meam Deus visi-
tabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista ad terrã quã iura-
uit Abraham, Isaac, & Iacob. Cúmque adiurasset eos, atque di- 24
xisset: Deus visitabit vos: asportate ossa mea vobiscum de loco
isto: mortuus est, expletis centum decem vitæ suæ annis. Et cõ- 25
ditus aromatibus, repositus in loculo in Ægypto.

PRIMA DISPVTATIO.

De ratione sepeliendi mortuos apud veteres Aegyptios.

Super illis verbis,

Præcepit seruis suis medicis, vt aromatibus condirent patrem.

VERS. 2. ERGO antiquitus apud Ægyptios, in seruorum loco habebãtur medici. Similiter apud veteres Romanos primùm quidem nullo in vsu fuêre medici, tum inducti & asciti, satis humili in loco erant: verùm postea supra quàm credi põssit, & opibus & honoribus aucti sunt. Lege Plinium in exordio libri 29. Videtur tamen hoc loco, non propriè vocabulum Medici esse positum: siquidem Medici officium est, corpus viuum, vel ex ægro facere sanum, vel sanum tueri; non autem mortuorum corporum condituras vel sepulturas tractare. Vetustissimus auctor Herodotus in libro secundo scribit, fuisse apud Ægyptios certum quoddã genus hominum ad condienda cadauera constitutum: idémque tradit Diodorus lib. 2. cap. 5. (Qui funera, inquit, mortuorum apud Ægyptios curant, eo exercitio à maioribus tradito, funeris impensam domesticis demortui ferunt scriptam, sciscitãtes quanto velint sumptu celebrari funus. Tres enim sepulcrorum vel funerum erant species, sumptuosa, mediocris, & humilis ac tenuis. In primam, argenti talentum impendebatur: in secũdam, minæ viginti: tertia, per exiguo cõstabat sumptu. Eorum verò qui corpus mortuorũ curabãt, alij erant scissores, qui lapide quodã Æthiopico latus corporis mortui incidebant, quo aluum exinaniebant & purgabant: hi non solùm contempti, verùm etiam exosi & execrati erant apud Ægyptios: quapropter facta scissura, inde celeri fuga euadebant, validè insequẽtibus qui astabãt, lapidésque cum execratione in eos iacientibus, scilicet æstimantibus, amici corpus, vulnere illato, esse ab illis violatum. Alij erant corporum curatores, quos appellabant salitores, magna sanè in existimatione & honore. Septuaginta Interpretes, quos Latinus Interpres, vocauit medicos, appellarunt ἐνταφιαστάς, id est, sepultores: quamquam nomen sepultoris non exprimit vim illius vocis Græcæ, vt annotauit B. Augustinus in lib. locutionum super Genesim: non enim illi sepeliunt, id est, terræ mandant corpora mortuorũ, sed id agunt illi, quod exhibetur corporibus humandis, vel condiendis, vel siccando, vel inuoluendo & alligando: in quo opere maximè operæ Ægyptiorum præcellunt; nec inuenit lingua Latina quemadmodũ propriè appellaret ἐνταφιαστάς, Romani Libitinarios appellabant eos qui locabant aut vendebant ea quę ad pompam funebrem essent necessaria, vel qui curam habebant sepeliendorum funerũ, tracto nomine à Libitina Dea, in cuius æde asseruabantur quæ ad instructionem funebrium pompa-

Plinius.

Herodotus.

Diodorus.

pomparum erant necessaria. Habebant autem Libitinarij domi seruos, quorũ opera vtebantur ad polincienda, hoc est ad abluenda, vngenda, & consuenda cadauera, qui Polinctores nominabantur, à poliendis cadaueribus: Designatores autem dicebantur, qui ordinabant pompam funebrem, cuique locum & modum incedendi præscribentes.

2 Circa illud, *vt aromatibus condirent patrem*, monẽdus est Lector, quomodo hîc dicitur, Iacob & Ioseph fuisse aromatibus cõditos, eo modo neminem legi in Scriptura veteris Testamenti fidelium & cultorũ Dei fuisse conditum ac sepultum, nec ante Iacob & Ioseph, nec post eos vsque ad Asa regem Iuda, quem traditur lib. 2. Paralipom. cap. 16. post mortem, positum esse super lectũ suum plenum aromatibus & vnguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, quæq; super eum ambitione nimia combusta sunt. Mos igitur ille, primùm Aegyptiorum fuit, tum ab illis manauit ad cæteras gentes. Vsum certè lauandi & vngendi corpora mortuorum, fuisse Troianis etiam temporibus apud Græcos & Troianos, testis est Homerus in funere Patrocli, & Virgilius in funere Misseni Troiani, quinetiam idem moris valuisse à primo apud Romanos, Ennianus ille versus declarat:

Tarquini corpus bona fœmina lauit & vnxit. *Ennionus.*

3 Quemadmodũ autẽ Ægyptij defunctorum corpora aromatibus condirẽt, disertis verbis exponũt Herodotus lib. 2. & Diodorus libro item 2. Ante omnia, inquit Herodotus, incuruo ferro cerebrum per nares educunt, vt quamq; partem educentes, ita locũ eius medicamentis explentes. Deinde acutissimo lapide Æthiopico, circa ilia conscindunt, atque illac omnem aluum extrahunt: quam vbi repurgarunt, ac vino Phœnicio expleuerunt, rursus odoribus contusis reficiunt: tum omẽta complentes cõtusa myrrha pura & casia, & cæteris, excepto thure, odoribus, iterum consuunt. Vbi hęc fecerunt, saliunt intra abditum septuaginta dies, nam salire diutiùs non licet exactis septuaginta diebus. cadauer vbi abluerunt, sindone byssina, totum incisis loris inuoluunt, gumi illinientes, quo & ipsi glutinis loco plerumque vtuntur. Eo deinde recepto, propinqui ligneam hominis effigiem faciunt, in quam mox inferunt mortuum, inclusúmque thesaurizant, id est, reponunt. Sic Herodotus: secundùm quem, mortuorum corpora septuaginta diebus saliebantur apud Aegyptios. Diodorus verò scribit eos pretiosis vnguentis solitos vngere mortuorum corpora, dies ampliùs triginta. *Ratio cõdiendi cadauera apud Ægyptios ex Herodoto ac Diodoro.*

4 Cur autem Ægyptij defunctorum corpora non cremauerint, vt apud multas gentes factitatum legimus, rationem reddens Herodotus lib. 3. Neq; apud Persas, inquit, neque Aegyptios moris fuit, cremari cadauera: apud Persas quidem, quoniam illi arbitrantes ignem esse Deum, nefas ducebant cadaueribus pasci Deum: apud hos verò, quod persuasum illi haberent, ignem animatam esse bestiam, & omnia quæ nascuntur, deuorare: & postquam deuorãdo fuerit expleta, vnà cum rebus deuoratis, ipsam quoq; emori; & idcirco non esse apud eos consuetudinis mortuos tradendi belluis, sed saliendi; tum ob id, tum ne humatus de- *Cur Aegyptij non cremarent cadauera, ex Herodoto.*

uoretur à vermibus. Similiter, nec apud Romanos mos cremandi fuit vsque ad Scyllam, vt indicat Cicero lib. 2. de legibus, & Plin. li. 7. inde perduraſſe videtur vſque ad Antoninorum Imperatorum tempora, poſtea exoleuit; certè Macrobij tempore nullus erat. In populo Hebræo morem cremandi mortuorum corpora nunquam fuiſſe legimus. Apud Chriſtianos eiuſmodi mortis genus, probroſæ & infamis pœnæ loco, nefandæ libidinis, & obfirmatæ hæreſeos reis infligitur.

Cicero. Plinius.

Diuerſas autem variarum gentium tractandi poſt mortem corpora hominum conſuetudines & ritus, partim ſuperſtitioſos & fœdos, partim etiam immanes atque impios, magiſque feris quàm hominibus conuenientes, Silius Italicus libro Punicorum decimo tertio his verſibus breuiter, nec ineleganter expoſuit.

Varij mores Gentium in tractandis mortuorum corporibus ex Silio Italico.

----namque iſta per omnes
Diſcrimen ſeruat populos, variátque iacentum
Exequias: tumuli & cinerum ſententia diſcors.
Tellure, vt perhibent, is mos antiquus Ibera,
Exanima obſcœnus conſumit corpora vultur.
Regia cùm lumen poſuerunt membra, probatum eſt.
Hyrcanis adhibere canes: Ægyptia tellus
Claudit odorato poſt funus ſtantia ſaxo
Corpora, & à menſis exanguem haud ſeparat vmbram:
Exhauſto inſtituit Pontus vacuare cerebro
Ora virûm, & longum myrrhata reponit in ævum.
Quid? qui recluſa nudos Garamantes arena
Infodiunt? quid? qui ſæuo ſepelire profundo
Exanimes mandant Libycis Naſamones oris?
At Celtæ vacui capitis circumdare gaudent
Oſſa (nefas) auro: & menſis ea pocula ſeruant,
Cecropidæ ob patriam Mauortis ſorte peremptos
Decreuêre ſimul communibus vrere flammis:
At gente in Scythica, ſuffixa eadauera truncis
Lenta dies ſepelit putri liquentia tabo.

Tranſierunt quadraginta dies: iſte quippe mos erat cadauerum condiendorum.

Hiſtoria Scholaſtic.

PETRVS Comeſtor Hiſtoriæ ſuæ ſuper Geneſ. cap. cxiiij. hunc locum tractans, ita ſcribit: Mos erat Ethnicorum, corpora mortuorum incondita ſeruare nouem diebus, per ſingulos dies plangendo, eáque fouendo calida aqua, quo explorarent vtrum anima penitus egreſſa corpore, an tantùm in eo ſopita eſſet: condita verò, per dies quadraginta ſeruabant. Hebræis mos erat incondita ſeruare diebus ſeptem, condita autem diebus triginta. Seruauerunt igitur & ipſi corpus Iacob diebus triginta, more ſuo, quemadmodum more Aegyptiorum ſeruati fuerant dies quadraginta.

Itaque

Itaque sub vtriusque gentis obseruatione propriæ consuetudinis, transierunt dies septuaginta. Christiani autem quia mortuos suos fide & virtutibus conditos credunt triginta diebus eos plangunt, id est, speciales Missas sub tot dierum numero pro ipsis celebrant. quidam tertiam diem maximè celebrant pro spiritu, anima & corpore: Alij septimam, quia transeunt mortui ad septimam quietis, vel pro septenario animæ & corporis: illa nempe triplici potentia rationali maximè insignitur, hoc autem quatuor ex elementis coagmentatum est. Sic ille.

Verùm ab illo numero quadraginta dierum quia pud Aegyptios in conditura corporum transigebantur, discordare videntur tum Herodotus, tum Diodorus, vterq; lib. 2. suæ historiæ: hîc affirmans apud Aegyptios in vnctura cadauerum insumi dies ampliùs triginta: ille verò scribens post condituram, saliri corpora intra domus penetralia per dies 70. Sed nulla hîc subest, si quis attendat animum, discrepantia. Moses enim loquitur hîc de vnctura & conditura corporum; sicut etiam Diodorus, qui dicens in ea transigi solitos dies ampliùs triginta, vel eundem quem Moses quadragenarium numerum significauit, vel certè ab eo proximè abfuit: Herodotus verò loquitur de consuetudine saliendi corpora, quę post eorum vncturam & condituram separatim adhibebatur. Quanquam non vana fuerit coniectura, morem curandi corpora mortuorum etiam apud eandem gentem Ægyptiacam, sæpiùs quantum ad locum, tempus & modum variasse, scilicet pro temporum & principatuum diuersitate.

7 *An Herodotus & Diodorus discordent à Mose.*

SECVNDA DISPVTATIO.

De more lugendi mortuos.

Super illis verbis,

Fleuítque eum Ægyptus septuaginta diebus.

VERS. 3.

8 NOn est intelligendum, Aegyptios per septuaginta dies continenter lacrymas fudisse, nam ne ipse quidem Heraclitus, etiamsi totus lacrymis exstillasset, tandiu lugendo esse potuisset. Vocabulo igitur *luctus* significatur totum id quod circa funus exhiberi solet: nempe cùm homines habitu, & persona, cultúque funebri amicti prodeunt: quod hodiéque apud Christianos solenne est, vt à morte, maximè propinquorum & charorum hominum, atrati pullatíque aliquandiu incedant. Quoniam igitur tanto tempore lugubrem illum habitum cultúmque gesserunt Aegyptij propter mortem Iacob, propterea mortem eius eo tempore luxisse dicuntur. Quemadmodum autem Aegyptij necessariorum suorum mortem lugerent, distinctè satis & enucleatè breuitérque narrant Herodotus & Diodorus, vterque libro secundo.

Quomodo Ægyptij mortuos lugerent.

Defuncto, inquiunt, aliquo domestico & necessario, præsertim alicuius momenti, omnis muliebris sexus familia caput sibi & vultus oblinunt luto. Deinde relicto domi cadauere, ipsæ per vrbem vagantes se plangunt, succinctæ, nudatísque mammillis: altera ex parte viri & ipsi expectorati se verberant, lugentésque, ciuitatem quoad mortuus sepeliatur, circumeunt, interim neque lauantur, neq; vinum aut cibum, nisi vilem sumunt, neque vestibus vtuntur splendidis.

Laudabilem esse luctum mortuorum si modicus sit. Cic. lib. de senectute.

Luctus porrò & planctus qui super mortuos fit, nisi extra rationem modumq; procedat, inculpatus est: namque eum humanus & naturalis affectus exprimit homini. Solonis, vnius de septē Græciæ sapientibus elogium est, vt apud Ciceronē, inquit Cato, quo se negat velle mortem suam dolore amicorum & lamentis vacare. Ad hoc probādum satis argumenti esse debet consensus, &, quasi magistra, ducéq; naturâ, cōsuetudo omnium gentiū, præter nescio quas natalē hominis diem *lacrymis excipientes; supremum autē, gaudio & lætitia prosequentes. Hanc* maximè firmat consuetudinē diuinæ Scripturæ auctoritas, quæ lugeri mortuos non tantùm non vetat, sed iubet etiam: *Super mortuum*, inquit, *plora; defecit enim lux eius*: & rursus: *Fili, in mortuū produc lacrymas, & quasi dira passus incipe plorare, & secundùm iudicium contege corpus illius, & non despicias sepulturam illius, & fac luctum secūdùm meritum eius.* Certè Hieremias quibusdā improbis hominibus, pro magno malo, probro, ac dedecore, minatus est fore, vt mors eorū à nemine esset lugenda: *Morientur*, inquit, *grandes & parui in terra ista: non sepelientur neque plangentur, & non se incident, neque caluitium fiet pro eis, & non frangent inter eos lugenti panem ad consolandum super mortuo: & non dabunt eis potum calicis, ad consolandum super patre suo & matre.*

Locus Ec. 22. & 38.

Simulatus & conductus super mortuos luctus. M. Tul. Plato.

Atq; is quidē mos lugendi mortuos, adeo visus est Antiquis necessarius, vt etiam alienos & histriones quosdam conducerent, qui simulatis lacrymis mortuos deplorarēt. Mulierū hoc potissimè munus erat, quas Romani Præficas, eiulantes, & lessum habentes appellabant, quarū Cicero lib. 2. de legib. mentionē facit: faciūt quoq; scriptores sacri. Eundémq; morem fuisse apud Græcos, Plato indicat in Minoe illis verbis: Antequam funus efferebatur, hostias mactabant, & Præficas accersebant. Vnde verò ea hominibus acciderit opinio, vt mortuos etiā fictis & conductis lacrymis deplorādos esse putarent, mihi quidē non liquet: nisi fortè eò spectauerint, vt sicut exordiū humanę vitæ à fletu ducitur, sic eius finem & interitum existimarint lacrymis cōsummari oportere.

Quandiu lugendi sunt mortui. Plutarc. in Numa.

Quanto autē tempore lugendi sint mortui, diuersa fuēre non tantùm apud diuersas gētes, sed apud easdē quoque diuersis tēporibus instituta & consuetudines, Numa Pōpilius luctum qui super mortuos fit, certis ætatibus & tēporibus definiuit, vt puerū trimulo minorē nequis lugeret, maiorē ne plures menses quàm ille annos vixerat, neminē tamen vltra decē menses; quo spatio tēporis voluit post mortē viri abstinere viduas à secundis nuptiis. Nonnullos tamen eximios, & de Republica optimè meritos viros annuo luctu ornatos legimus, vt Iuniū Brutum

& va

& Valerium Publicolam & Augustum. In sacris literis non æquale tempus luctus traditur; nam hîc dicitur Ægyptios mortẽ Iacob primò luxisse septuaginta dies, cum autem peruenissent ad areã Arad, rursus plãxisse eum septẽ dies. In lib. Numer. c. 20. & extremo ca. Deuteronomij proditum est, Hebræos per triginta dies luxisse Aaron & Mosen. Notúmque est ex lib. 2. Paralipomenon cap. 35. quàm magno & diuturno planctu deplorata sit mors regis Iosiæ, super quã etiã Hieremias lamẽtationes edidit, quas cõplures annos à cãtoribus lugubri luctu decãtatas legimus: Iudã quoque Machabæũ & Ionathã magno diuturnóque planctu esse honoratos, docet primus liber Machabæorum cap. 9. 13.

12 Verùm Rupertus bene perpendẽs quod hîc scriptum est, Ægyptios septuaginta dies fleuisse Iacob, ad hunc modum scribit; Non est hoc imitandum exẽplum ijs qui se peregrinos & hospites super terram esse profitentur, qui hîc manentem non habent ciuitatem, sed futuram inquirunt. Nam quòd filij quoque Israel Mosen & Aarũ tricentis diebus fleuisse dicuntur, hoc ex Ægyptia consuetudine populo nondum erudito supererat, deinceps quippe melioribus paulatim assuefactus, ab illa superstitione desciuit, scriptura dicente; *Modicum plora super mortuũ, quoniam requieuit: luctus autem mortui septem dies*: Planctus autem & fletus in huiusmodi non semper propriè dicitur: sunt namque & ludi funerei, qui planctus nomine significantur. Cæterùm veri planctus & veri fletus viris dignis mediocriter exhiberi conceduntur. Vnde & quidam Sapiens dicit: *Fili, in mortuum produc lacrymas, & fac luctum secundùm meritum eius vnodie vel duobus*: Nec mirum, Ægyptios adeo fleuisse plãctu magno & vehementi, vt inde locus ille cognominatus fuerit Planctus Ægypti: Etenim verum est quod dixit Horatius:

Rupertus li. 9. Comment in Genes. cap. 41. Numerorũ 20 Deuteronom. vlt. Eccles. 22. Eccles. 38.

Horat. in Artẽ Poetica.

At qui conducti plorant in funere, dicunt
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo, Sic
Derisor, vero plus laudatore, mouetur.

Hactenus ex Ruperto.

TERTIA DISPVTATIO.

Quomodo intelligendum sit, Iacob fodisse sibi sepulchrum in terra Chanaam.

Superillis verbis,

In sepulcro meo, quod fodi mihi in terra Chanaam. VERS. 5.

13 OBSCVRVM habet intellectum, quomodo, vel quando Iacob sibi foderit sepulchrum in terra Chanaam: numquam enim tale aliquid proditum est in hoc libro, in quo tamen vniuersa eius peregrinatio memoratur, & ipsemet moriens, vt supra dictum est sub finem capitis 49. mandauit sepeliri corpus suum in spelunca duplici, quam in sepulcrum sui

suorúmque emerat Abraham ab Ephron Hethæo. B. Augustinus quæstione CLXX. ponit dubitationem, quomodo verum sit Iacob fodisse sibi illud sepulchrum; cùm id nusquam alibi legatur, & locum illũ fuisse emptum & ad vsum sepulturæ comparatum ab Abraham, perspicuè scriptum sit in cap. 23. huius libri. Respõdet Augustinus, pro certo credendum esse, Iacob sibi fodisse eo loco sepulcrum, cùm id expresse hîc dicatur: neque obstare quòd alibi non fiat huius rei mẽtio; neque enim omnia quæ gesta, dictáve sunt à Patriarchis, neque eo ordine quo acta sunt, scriptis prodidit Moses.

Genes. 23.
Lyranus.

Quidã nostri seculi diligentes & docti sacrarum litteratũ explanatores putant, verbum illud *fodere* secundùm proprietatem & vsum sermonis Hebræi idem valere, atque, emere vel cõparare sibi: hanc enim vim habet apud Oseam cap. tertio illud, *Et fodi eam mihi quindecim argenteis:* id est mercede comparaui & possedi eam mihi. Et Deuteronomij cap. secundo: *Aquam emptã haurietis & bibetis:* Hebraicè est, Aquas ab eis fodietis argento. Putant igitur intelligendum esse de sepulcro in Sichem, quod sibi Iacob designauerat in agro quẽ emerat à filijs Hemor, de quo sic est Iosue vltimo; *Ossa Ioseph quæ tulerant filij Israel de Ægypto, sepelierunt in Sichem, in parte agri quem emerat Iacob à filiis Hemor patris Sichem centum nouellis ouibus:* Idémque proditum est in libro Geneseos cap. 33. Verùm isti lapsi sunt, nõ quidẽ per insciti ã, sed per incuriã atque incogitantiam. Iacob enim mandauit corpus suum sepeliri non in agro Sichem, sed in agro Ephron Hethæi quem Abraham emerat, vt sub finẽ quadragesimi noni capitis Genesis scriptum est; atque eo ipso in loco fuisse Iacob sepultum à filijs suis, in hoc 50. capite confirmat Moses illis verbis, *Sepelierunt Iacob in spelunca duplici, quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulchri ab Ephro Hethæo contra faciem Mambre.*

14

Lyranus.

Quemadmodũ igitur exsoluendus est hic nodus? Mihi quidẽ nõ displicet duplex eius solutio quam attingit Lyranus; Altera, vt hîc, fodere, positũ sit pro emere, namque hanc vim & significationem habet id verbum apud Hebræos, dicatur autẽ Iacob emisse eũ locum, quòd eũ emerat Abrahã eius auus, cuius erat ipse hæres, & iure hæreditario idẽ ipse in eum locum ius & potestatẽ haberet. Altera solutio est, vt propterea dicatur fodisse sibi sepulchrũ, quia multo ante designauerat sibi in eo agro certum locum ad sepulturam sui corporis: erat enim spelunca illa ampla & latè patens, multorúmque capax sepulcrorum.

VERS. 10.

Venerúntq; ad aream Arad quæ sita est trans Iordanem.

Hieron.

DE hac Area Arad B. Hieronymus scribens in lib. de locis Hebraicis, sic ait: Area Arad, locus trãs Iordanem est, in quo plãxerunt quondam Iacob, tertio ab Hierico lapide duobus millibus ab Iordane, qui nunc vocatur Betagla, quod interpretatur locus gyri, eo quòd ibi more plangentium circumierint in funere Iacob. Vocabulum autem Arad non est nomen proprium sed cõmune significans carduum & spinam grandiorem quæ nominatur rhãnus;

15

nus;vnde est illud in Psalmo lvij: *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhãnum:* quæ verba explanans accuratè Genebrardus, Rhamnus, inquit, est spina maior, quæ speciem arboris ferè gerit, nostris dicitur rubus, aculeis acutissimis & præduris in rectum extensis, vnum è generibus sentum asperrimum, cùm spinæ ipsæ teneriores sint. Fruticem spinis horridum facit Dioscorides, duorúmque generum, album & nigrum semper virentem, Theophrasto, instar lauri, vt sensus sit: Priusquã spinæ vestræ crescant in mensuram, acutiem & duritiem rhamni, id est, antequam perueniatis ad prouectam ætatem, firmúmque robur, Deus vos perdet ac delebit: sic Genebrardus. Ergo locus ille appellatus est area Arad, quòd esset illiusmodi spinarum & rhamnorum sepimento vallatus, vel illis spinis obsitus.

Genebrard.

Dioscorid.

Theophrastus.

15 Glossa interlinearis habet hoc loco, idémq. memorat Historia scholastica, aream illã fuisse eundem ipsum locum, in quo multis annis post, Hebræis contra Dominum in deserto murmurantibus, multa eorum millia igne consumpta sunt. Quare planctus ille non tam ad mortem Iacob pertinuit, quàm ad lugendam Hebræi populi futuram & impietatem & cladem. Verùm huic interpretationi non constat ratio Chorographie: Siue enim loquamur de incendio Hebræorum quod narratur in lib. Numer. cap. 11. siue de eo quòd memoratur eiusdem libri ca. 16. neutrius locus conuenit cum area Arad quæ erat trans Iordanem, vnde remotissima erant illa loca, vt manifestum est considerate legenti historiam Mosis in illis duobus locis.

Historia Scholastica.

16 Sed quærat aliquis, cur illum planctum & exequias septẽ dierum nõ fecerint in duplici illa spelunca vbi sepeliendum erat corpus. Respõdemus, Ægyptios & Hebræos noluisse tot dies manere in terra Chanaã, verẽtes ne fortè armata manu in eos irruerẽt Chananęi: in illa verò area Arad, cùm esset in principio terræ Chanaam, si quid periculi à Chananæis ingrueret, poterãt facilè tutóque pedem referre; quamobrẽ inibi septẽ dies, peragẽdis exequijs cõsumpserunt, quos in loco sepulchri trãsigere debebant. Paululùm diuersa, eòdem fermè spectantia scribit Augustinus quæst. 171. in Genesim: Quorsum, inquit, cùm irent ad sepeliendum Iacob in spelunca duplici quæ erat contra Mambre, venerunt ad aream Arad quæ erat trans Iordanem, ibíque septem dies luctum & planctum fecerunt? Prætergressi enim sunt locum illum in quo mortuus erat, milia passuum, sicut perhibent qui nouerant, plusquam quinquaginta: tantum quippe spatij est plus minus ab eo loco vbi sepulti fuerãt Abraham & Isaac; & cum ipsis postea Iacob, vsque ad eum locum quò eos venisse narratur. Vnde peracto septem dierum planctu, redierunt ad locum quem præterierant, rursus Iordane traiecto. Nisi fortè quis dicat aliquorum hostium vitandorum causâ, per eremum eò venisse, qua via etiam Hebræos duxit Moses ab Ægypto liberatos. Illo quippe itinere vt plurimum circumitur, & per Iordanem venitur ad Mambre. Vt autem trans illa loca ad orientem versus tam longè iretur, & inde ad ea per Iordanem veniretur, significationis causa factum esse credendum

Augustin.

credendum est, quòd ad Iordanem venturus esset ad eas terras postea Iacob cum filijs suis.

Super eo autem quod dicitur luxisse ibi Iacob septem dies, Nescio, 17
inquit Augustinus, an in scripturis vspiam legatur celebratum esse lu-
Nouend. ctum alicui Sanctorum nouem dies, quod apud Latinos Nouendial appellant. Vnde mihi videntur ab hac consuetudine prohibendi, si qui
Christianorũ istũ in mortuis suis numerũ seruãt, qui magis est in Gẽti-
Eccles.22. liũ cõsuetudine. At septẽ dierũ luctus auctoritatem habet in Scriptura: scriptũ enim est: *luctus mortui septẽ dierũ*: etenim septenarius propter sabbati sacramentũ, præcipuè quietis indiciũ est: vnde meritò mortuis tãquam requiescentibus exhibetur: quẽ sane numerũ in luctu Iacob decuplauerunt Ægyptij, septuaginta eum diebus lugentes. Sic Augustinus.

QVARTA DISPVTATIO.

De more sepeliendi mortuos extra Vrbes.

Super illis verbis,

VERS. 13. Sepelierunt eum in spelunca duplici quam emerat Abraham cum agro, in possessionem sepulcri, ab Ephron Hethæo.

Thostatus. Vtrum ante Christianos fuerit alicubi mos sepeliendi mortuos intra ciuitates.

HAEC verba explanans Thostatus, ait signatè dici spelun 18
cam illam emptam in ius sepulcri, fuisse in agro & extra ciuitatem, quia nunquam fuit mos sepeliri corpora mortuorum intra ciuitates, nisi apud Christianos, qui intra ciuitatem & prope tẽpla habent loca in vsum sepeliendi mortuos sacrata, quæ appellant cœmeteria, & secundùm dispositionẽ Ecclesiæ, pars aliqua pœnæ remittitur bonis fidelibus ibi sepultis. Ex quo illud boni accidit, vt fideles qui Ecclesias visitant propter vsum Sacramentorũ & celebrationẽ Missarũ atque horarũ Canonicarũ, conspectis ibi mortuorũ sepulcris, cõmoueantur ad preces pro illis apud Deum fundendas: quoniã *Sancta & salubris cogitatio est pro defunctis orare, vt à peccatis soluantur*: quemadmodum traditur lib. 2. Machabęorũ cap. 12. Hæc Thostatus, qui cætera quidẽ rectè, illud tamen non rectè, quòd putat, ante Christianos nullo tempore, nullâque in gente morem fuisse sepeliendi mortuos intra ciuitates, viuorúmque domicilia. equidẽ non
Cic. lib. 4. Ep. Fam. inficior, id quod ait Thostatus, & antiquissimum, & in plerisque gentibus vsitatissimum fuisse. Quocirca Seruius Sulpicius, vt scribit ipse in quadam Epistola æd Ciceronem missa, ab Athenienſibus locum sepulturæ intra vrbem vt darent, impetrare non potuit, quòd religione impediri se dicerent, nec id antea cuiquam esset concessum. Idem moris fuisse apud Sicyonios, Plutarchus tradit in Arato.

Plato

Plato. Plato verò libro secundo de legibus non modò in agris iubet mortuos sepeliri, sed agros etiam steriles nullíque alij futuros vsui destinat sepulturis, vt quæ sine detrimẽto viuorum, recipit mortuos, ea potissimùm terra compleatur: quæ autem terra fruges ferre, vt mater cibos homini suppeditare possit, eam vetat mortuorum corporibus occupari: non enim esse consentaneum, vt mortui viuorum minuant vtilitates. His addit Cicero libro secundo de legibus, Athenis vsque ab ipso Cecrope, eum permansisse morem & ius, vt cùm cadauer terrâ iectâ & obductâ esset cõditum, ea deinde fructibus obsereretur, vt sinus & gremium quasi matris tribueretur mortuo, solum autem frugibus expiatũ viuis redderetur. Cicero.

20 Apud Romanos quoque intra vrbem sepeliri mortuos, lege xij. tabularũ prohibebatur; in qua sic erat: Hominẽ mortuũ in vrbe ne sepelito, ne ve vrito. Ex quo illa verba de mortuis in vsũ loquẽdi venêre, educere, efferre. Huic etiam rei fidem faciunt antiqua Romanorum sepulchra extra vrbem in agris iuxta vias publicas, Flaminiam præsertim & Latinam constructa, quorum inscriptiones & Epitaphia ferè appellant viatorem: erant præterea certis quibusdam signata notis, quot agri pedes, quódque sepulcrum teneret, significantibus.

Cur apud omnes fermè gentes extra ciuitatẽ sepelirentur mortui, tres causæ. Cur autem in id consenserint ferè gentes, vt extra domicilia viuorum mortui conderentur, tres potissimùm reperio causas: primam, ne tetro cadauerum odore & homines infestarentur, & aër corruptus pestilens & exitialis existeret: Alteram, vt illac transeuntes, ad clarorum hominum memoriam reducerentur & imitationem accenderentur: tertiã, ne ciues paterentur in maiorum suorum monumenta grassari hostes; quocirca eos alacriori animo à mœnibus arcerent atque propulsarent.

Quod etiam antiquitus mortui intra vrbes, & infra ædes religiosa sepelirentur. Isidorus. Diodorus. 21 Non igitur inficias eo, sepulturas extra vrbes exstruendi morem fuisse antiquissimum, & à plerisque gentibus seruatum; sed illud equidem abnego quod affirmat Thostatus, sepeliri mortuos intra domicilia viuorũ, ita proprium esse Christianorum institutum, vt ante Christianos à nulla gente vnquam vsurpatum sit: quin apud Romanos primùm in more fuit intra vrbem & domum corpora defunctorum condere. Namque hinc extitit religio larium, qui ea de causa domi ab illis colebantur. Idémque firmat Isidorus libro xv. Etymologiarum, capite xj. Diodorus quidem certè libro 2. de Aegyptijs scribens: sepeliunt, inquit, quisque suos vel in proprijs sepulcris, vel quibus ea desunt domi apud firmiorem parietem arca corporis erecta: qui autem crimine aliquo aut fœnore sepultura prohibentur, domi absque arca ponuntur; quos posteri ditiores facti, & debita atque crimina luentes, honorificè sepeliunt; gloriantur enim Aegyptij, parentes suos, maiorésque magnificè sepultos esse. Quibus id quoque moris est defunctorum parentum corpora dare in pignus creditori: summa eos qui non redimunt sequitur infamia, ob idque sepultura priuantur.

Sepultura Aethiopum. Aethiopas mortuos per vnum annum domi tenere, post id temporis extra vrbem monimentis condere solitos, testis est Herodotus libro 3. Post-

Herodotus. Plutarch. quam, inquit, mortuum arefecerunt, totum gypso inducunt, picturáque exornantes repræsentant quoad fieri potest, effigiem eius: deinde cippum

ei è vitro quod apud illos multum est,& facilè effoditur, circumdant: in cuius medio mortuus interlucet,nihil odoris ingrati aut fœtidi exhibens. Hunc cippũ propinqui intra ædes annum tenent, offerentes ei omnium rerum primitias,hostiásque:anno exacto,efferunt.circáque vrbẽ statuũt.

Lycurgus voluit sepeliri mortuos intra ciuitatem, & prope templa.

Verùm nihil ad hanc opinionem vel muniendam, vel illustrandam aut firmius,aut luculentius adferri potest,quàm institutum Lycurgi legislatoris,concessu omnium,prouidentissimi cautissimíque.Is, vt in Lycurgo tradit Plutarchus,omnem circa mortuos superstitionem sustulit,& sepeliri mortuos in vrbe,eorúmque sepulcra prope templa esse minimè vetuit,vt eorum aspectus condocefaceret iuuenes:non timere mortem, nec putare,inquinari homines,qui vel mortuum corpus cõtingerent, vel per sepulcra transirent;& vt recordatione virtutum, rerúmque à claris viris, quorum sepulcra intuebantur,gestarum,ad eorum imitationem incitarẽtur.Hanc Lycurgi de condendis corporibus sententiam,legémque veteribus Christianis placuisse certum est,qui mortuos intra viuorum domicilia condi terra,piè instituerunt,non quemlibet promiscuè ad vsum sepulturæ locum deligentes,sed aream consecrato templo vicinam, quem locum vocabulo Græco,appellarunt *cœmeterium*,nimirum voce fidei ac pietatis plena, resurrectionis videlicet spem testificante; declarantéque Dei omnipotentiam, qui tanta facilitate possit mortuos ad vitam reuocare,quanta potest quilibet nostrum,excitare dormientem. Cœptũ verò esse iam ante Augustini tempora fidelium defunctorum corpora inferri templis & prope Martyrum monumenta condi,vt Ecclesiæ precibus & sacrificijs,martyrúmque suffragijs mortui apud Deum iuuarentur, docet ipsemet Augustinus in capite quarto eius libri quem de cura pro mortuis agenda conscripsit. *Augus.*

VERS. 9.& 20. Quibus ille respondit, Nolite timere:Num Dei possumus resistere volũtati? vos cogitastis de me malum:sed Deus vertit illud in bonum.

VIDETVR his verbis Ioseph excusare voluisse quod fratres eius aduersum ipsum fecerant,quasi non id ex eorum maleuolentia & malignitate profectum esset, sed potissimùm ex Dei voluntate ac decreto accidisset;ac proinde iniquum esse propter id succensere se illis,quòd voluntate Dei, cui resisti non potest constitutum esset;præsertim verò cùm id & ad ingentem sibi dignitatẽ atque gloriam,& ad illorum incolumitatem ac salutem profecisset. Videtur,inquam,hac oratione Ioseph,scelus illud fratrum eius,alioqui grauissimum,non tantùm eleuari,sed etiã excusari. Verùm multo secus esse videtur.Rectitudo enim & prauitas alicuius facti spectari atque æstimari debet ex consilio ac voluntate faciẽtis:non autẽ ex eo quod factũ ipsum, deinde,per accidens,id est præter mentẽ & voluntatẽ facientis cõsecutũ est.Certũ autẽ est,fratres Ioseph peruerso animo, pessimóque consilio & voluisse

Vnde rectitudo vel prauitas eorum quæ ab homine fiunt, æstimari debeat. Gen. 37.

voluisse eum occidere,& in cisternam deiecisse,atque in finem vēdidisse Ismaelitis,scilicet id cupientes & agentes vt is vel è medio tolleretur, vel certè ad præmōstratam ei per somnia fœlicitatem, (quæ res eorū inuidiæ & odij in ipsum causa fuit) nullo modo peruenire posset. Neque Deus ad id faciendum eos vel coegit vel incitauit:in ipsis fuit & facere & non facere;& ad faciendum propria voluntate adducti sunt. Quod autē mala quæ machinati sunt Iosepho, in eius dignitatem & gloriam Deus cōuerterit;id non eorum virtutis & prudentiæ fuit, sed diuinæ bonitatis & potentiæ:cuius est, ex quamlibet magnis malis,& posse & velle maxima bona elicere:quemadmodū ex proditione ac venditione Iudæ & Iudæorum parricidio,summam Christi gloriam, & optatissimam humani generis libertatem,ac salutem extulit. Verissima quippe illa est de Dei prouidentia Boetij sententia:*Sola*,inquit,*est diuina vis,cui mala quoque bona sint*:cùm eis competenter vtendo,alicuius boni elicit effectum. Ordo enim quidam cuncta complectitur,vt quod ab assignata ordinis ratione discesserit,hoc idem,licèt in alium,tamen ordinem relabatur,ne quid in regno prouidentiæ liceat temeritati.

24 Affine est huic nostræ interpretationi,quòd Rupertus hæc ipsa verba Ioseph tractans libro ix. Commentariorum in Genesim,capite xlij. sic ait, Ingenitæ clementiæ laus est Ioseph, quòd auditis verbis fratrum suorum humiliter & dolenter veniam sceleri ab ipsis commisso implorātium,non solùm eis ignouerit;verùm etiam dolorem & fletum cum illis communicauerit. Sanctissimum profectò remissionis genus hoc est, ijs qui peccauerunt,non flentibus,sed tantùm confitentibus,solùm flere illum qui peccatis offensus indulget; & orantibus pro indulgentia, pias quoque reddere lacrymas cum venia. Attamen vbi mulcet pietas,illic pariter pungit veritas;ne sic de remissione eius qui læsus est,fratres gaudeāt vt à sollicitudine iudicij Dei mentis oculos claudant:*Nolite*, inquit, *metuere:num Dei possumus resistere voluntati?* Hoc planè pietatis est. Sed quod subdit:*Vos cogitastis de me malum,& Deus vertit illud in bonum:* hoc asperæ veritatis est. Vtile omnibus qui præsunt hinc exemplum sumendum est;vt citò quidem in se peccantibus remittant,& insuper bona pro malis retribuant, verùm de iudicio Dei peccatores nimiùm securos esse non sinant.

25 Ceterùm sentētia illa,*Num Dei possumus resistere voluntati?* multo aliter videtur esse in Hebræo,quam tamen variè admodum in Latinum sermonem conuerterunt interpretes. quidam sic:*quoniam nonne sub Deo ago?* id est,Si Deus qui dominus est,ignoscit delinquentibus,quanto magis ego seruus eius sub potestate eius cōstitutus,vobis debeo ignoscere? Alij hoc modo,*quod si in loco Dei ego?* quasi dicat,An sum ego Deus vt debeā ignoscere? si quid peccastis,veniam à Deo petite,cuius est peccata condonare. Alij verò ita:*nū pro Deo ego sum,vel vice Dei?* id est, Num Deus ego sum, vt potuerim dispositionē & ordinē rerū inuertere,& quod cōstitutū erat vt fieret impedire ne fieret. Et hæc lectio satis cōgruit cū nostra Latina quæ habet:*Nū Dei possumus resistere volūtati?* Caietanus hāc secutus lectio

Varietas Lectionis Heb.

Caietanus.

nẽ ex Hebræo: *quod si loco Dei ego?* sensus, inquit, intentus: quia ego partes Dei ago (rationem enim reddit quare nihil timere debeant) quia è regione disponentibus vobis & Deo; vobis quidem aduersus me malum, Deo, autem pro me bonum ad communem salutem; ego partes Dei sequor, & ad id quod Deus fecit attendo, non ad id quod fecistis vos. Ne autem arrogans videretur, noluit affirmatè dicere, *quia loco Dei ego sum*, sed per interrogationem, moderatus est sermonem, dicens: *quod si loco Dei ego?* quasi ingerendo, Quid diceretis, si ego vices Dei ago? modestè per hoc significans, se Dei sententiam & voluntatem, non illorum mentem & cõsilium attendere. Chaldaicè sic est, *dixitque eis Ioseph, Ne timeatis, quoniã ego timeo à facie Dei*, id est, quia ego Deum reuereor, qui vetat iniurias iniurijs, mala malis rependere; propterea nihil vobis à me timendum est. Et ad hanc sententiam spectare videtur translatio Septuaginta sic habens: *Dei enim sum ego*: hoc est, Dei seruus ego sum, nihil contra eius voluntatem facturus sum, quare nihil vobis timendum est.

Mendosa Iosephi narratio huius historiæ.

Non est hîc prætereundum, mendosè Iosephum in libro secundo Antiquitatum historiam huius loci narrare; ait enim, fratres Ioseph noluisse ex terra Chanaam, vbi sepelierant patrem, reuerti cum eo in Aegyptum; veritos, ne ipsorum iniurię atque offensæ memor, eos vti meriti fuerant, vlcisci vellet. Fratribus, inquit, recusantibus cum eo reuerti, quòd timerent ne defuncto patre in se vindicaret, cùm non ampliùs esset in cuius gratiam daturum veniam sperarent: iussit eos, posito metu, nihil suspicari; & reductis secum, magnas possessiones largitus est; nec vnquam eos summa beneuolentia prosequi destitit. Verùm hanc Iosephi narrationem falsitatis coarguit narratio Mosis, qui & timorem fratrum, & consolationẽ Ioseph, post reditum eorum in Aegyptum fuisse, docet perspicuè illis verbis: *Reuersus est Ioseph in Aegyptum cum fratribus suis, & omni comitatu, sepulto patre. quo mortuo timentes fratres eius, & mutuò colloquentes, Ne fortè memor sit iniuriæ quam passus est:* & cætera quæ sequuntur. nec est credibile, noluisse reuerti in Aegyptum, cum ibi vxores, liberos, omniaque bona sua, vt scribit Moses, reliquissent. 26

QVINTA DISPVTATIO.

De chronologia vitæ Ioseph.

Super illis verbis,

VERS. 22. Vixit autem Ioseph centum decem annis.

Chrysostom. Homilia. vltima in Genes.

QVR Moses tam subtiliter, exactéque annos Ioseph expo- 27
suit? An (quemadmodum annotauit Chrysostomus) vt lector intelligeret, mala & calamitates quas nullo suo merito innocentissimus Ioseph passus fuerat, quàm Deus abũdanter cũmulatéque, etiã in terris, cõsecuta deinceps felicitate

citate compensauerit? Ecce tibi, per annos quatuordecim in magnis periculis & ęrumnis versatus fuerat, ab anno scilicet decimo sexto quo venditus & ductus est in Ægyptũ, vsque ad annũ trigesimum quo ex carcere ad prętecturã Ægypti prouectus est. Verùm hinc vsque ad extremũ spiritum per annos octoginta, continua & illibata felicitate potitus est. Itaq; felicitatis tempus sex fermè partibus laborum & miseriarum tempora superauit. Interrogatus Iacob à rege Ægypti annos vitæ suæ, respondit: *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt, pauci & mali, & non peruenerunt ad dies patrum meorum quibus peregrinati sunt:* Vixit autẽ postea Iacob septem & decẽ annos. Quanto magis hoc dicere potuit Ioseph; cuius vita breuior fuit quàm patris sui Iacob triginta septem annis; quam aui eius Isaac septuaginta; quàm proaui Abraham sexaginta quinque? Quinetiam creditur, vitam, omnium suorum fratrum breuissimam vixisse: videtur enim, sibi eos reliquisse superstites; quippe cùm moriens mandasse dicatur fratribus suis de ossibus suis ex Ægypto transportandis in terrã Chanaam; omnes autem fratres Ioseph, excepto Beniamin, grandiores natu erant quàm Ioseph. Leui certè vixisse centum triginta septem annis, in lib. Exod. ca. 6. proditum est. Sed cur tam breuis fuit vita Ioseph? An quia viridem ætatem, eam dico quæ à decimo sexto anno procedit vsque ad trigesimum, maximis vitæ periculis atque calamitatibus contritam traduxit, reliquum autem vitæ spatium, vt amplissima cum dignitate, gloriáque, ita pariter grauissimis cum laboribus, & anxiis curis, quarum plena est, publicarum rerum & imperij administratio, peregit? Enimverò quod ait diuina Scriptura, verissimum est: *Omnis potentatus, breuis vita.*

Gen. 47. Ioseph breuiorem vitã quã eius maiores, ac fratres etiã vixit.

Cur tam breuis vita Ioseph.

Eccl. 10.

28 Sed age, Chronologiam vitæ Ioseph hoc loco paucis explicemus, Cùm Ioseph esset sexdecim annorum, venditus est Ismaelitis & ductus in Ægyptum, Gen. 37. Inde per quatuordecim annos in laboriosa & periculosa seruitute fuit, scilicet vsque ad trigesimum annum, quo anno productus ex carcere ad summam secundùm Regem dignitatem ac potestatem in Ægypto euectus est, Gen. 41. Post id temporis vsque ad excessum ex hac vita, per annos octoginta cũ magna gloria & felicitate vixit. Vir, inquit Iosephus, admirabili virtute præditus, in omnibus negociis prudẽtissimus, & summa potestate optimè vsus: quibus artibus factum est, vt neque genus externum, neque prior eius calamitas quicquam offecerit, quo minùs ille ad summã dignitatem eueheretur. Decessit porrò Ioseph annis centum quadraginta quatuor ante egressum Hebræorum ex Ægypto, duce Mose, & ante ortum ipsius Mosis, sexaginta quatuor annis. Cuius temporis rationem facilè ad hunc modũ inire licet. Ab ortu Isaac vsq; ad exitum Hebræorum ex Ægypto numerantur quinque & quadringẽti anni, vt ostendimus in 3. Tomo Commentariorum nostrorum in Genesim, cùm explanaremus cap. 15. Geneseos. Ab ortu autem Isaac vsque ad ingressum Iacob in Aegyptum præterierunt centum nonaginta anni: namque Isaac sexagenarius erat cùm genuit Iacob, Genes. 25. hic autem annos triginta & centum natus erat, cùm intrauit Aegyptum, Genes. 47.

Chronologia vitæ Ioseph.

Iosephus li. 2. Antiquita.

Restant igitur vsque ad exitum Hebræorum ex Ægypto anni ducenti quindecim. Ex his deme vnum & septuaginta ab ingressu Iacob in Aegyptum vsque ad mortem Ioseph exactos, erat enim Ioseph nouē & triginta annorum cùm Iacob intrauit Aegyptum, Genes. 45. Vixit autem vsque ad centesimum decimum annum, Gen. 50. Ergo post mortem Ioseph vsque ad exitum Hebræorum ex Aegypto superfuerunt anni centum quadraginta quatuor. Hinc detrahe octoginta annos Mosis, octogenarius enim erat. Moses cùm eduxit Hebræos ex Aegypto, Exod. 7. relinquentur sexaginta quatuor anni, qui inter mortem Ioseph & ortum Mosis interfluxerunt.

Thostatus. Ex his apparet, lapsum esse Thostatū hoc loco in computatione huius temporis, affirmantem à morte Ioseph vsque ad exitum Hebræorum ex Aegypto excurrisse annos centum quadraginta sex; ad ortum verò Mosis, sexaginta sex; & illi quidem causa erroris fuit, quod à trigesimo nono anno ætatis Ioseph, quo anno ingressus est Iacob in Aegyptum vsque ad obitum Ioseph, id est, ad annos ætatis eius centum decem, non plures cōputat annos quàm sexaginta nouem, cùm manifestum sit vnum & septuaginta computari debere.

Quatuor mēdacia Iustini historici de Patriarcha Ioseph. Lubet hîc adscribere quæ Iustinus historicus libr. 36. de patriarcha Ioseph vel inscienter, vel malitiosè, atque impudenter prodiderit mendacia: vt sub hoc exemplo intelligat lector quàm infideliter Ethnici tam Græci quàm Romani scriptores de rebus Iudaicis scripserint, vel ignoratione, vel odio, contemptúque gentis. Iustinus igitur de filiis Iacob siue Israelis loquens, ita scribit: Minimus inter fratres ætate Ioseph fuit, cuius excellens ingenium veriti fratres, clam interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt. A quibus deportatus in Aegyptū cùm magicas ibi artes solerti ingenio percepisset, breui *ipsi Regi* percharus fuit. Nam & prodigiorum sagacissimus erat, & somniorum primus intelligentiam condidit, nihilque diuini iuris humanique ei incognitum videbatur: adeo vt etiam sterilitatem agrorum ante multos annos prouiderit: periissétque omnis Aegyptus fame, nisi monitu eius rex edicto seruari per multos annos fruges iussisset: tantáque experimenta eius fuerūt, vt non ab homine, sed à Deo dari viderentur. Filius eius Moses fuit, quem etiam præter paternæ scientiæ hæreditatem, formæ pulchritudo cōmendabat. Sic Iustinus, cuius in tam paucis verbis quatuor licet deprehendere mendacia, primum, quòd Iosephum facit minimum natu omnium fratrum, cùm post eum natus fuerit Beniamin. Alterum, quòd ait fratres propter excellentiam ingenij eius vendidisse eum, cùm causa venditionis fuerit, quòd præ cæteris diligeretur à patre, & se futurum principem fratrum suorum, diceret sibi in somnis præmonstratum. Tertium, quòd mira quæ dixit & fecit, assignat magicarum artium, quas excellenter ille calleret, scientiæ ac potentiæ. Quartum, quòd filium eius facit Mosen, cum Ioseph, vt paulò suprà diximus, sexaginta quatuor annis mortuus sit ante ortum Mosis, constétque Mosen pronepotem fuisse Leui qui frater fuit Ioseph. Leui enim genuit Caath, ex quo ortus est Amran pater Mosis.

Quibus

Quibus transactis, locutus est Ioseph fratribus suis, Post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista ad terram quam iurauit Abraham, Isaac & Iacob. Cúmque adiurasset eos, atque dixisset, Deus visitabit vos, asportate ossa mea vobiscum de loco isto. Mortuus est expletis centum & decem vitæ suæ annis. VERS. 23. 24. & 25.

30 CVR tantopere cõcupiuerint Patriarchæ sepeliri in terra Chanaam, suprà expositi aliquot causas sub finem c. 47. & 49. Cur autem Ioseph noluerit statim post mortem corpus suum trãsferri in terram Chanaam, sed differri eius translationem vsq; ad id temporis quo Hebræi ex Aegypto discederent, tres causas adferre licet: primam vt ea ratione vehementiùs firmaret spem fidémque promissionum Dei, qui promiserat tribus illis Patriarchis daturum se posteris eorum possessionem terræ Chanaam; & idcirco Ioseph noluit ante reditũ Hebræorum in terram Chanaam eò transferri ossa sua. Alteram, quia si fratres Ioseph tentassent corpus eius ex Aegypto transportare in terram Chanaam, valdè offendissent Aegyptios, quinetiam id fieri fortasse illi nõ essent passi, volentes apud se habere monumẽtum Ioseph, quem propter singularem eius sapientiam mirificè coluerant, & cuius memoriam, propter eximia eius in Aegyptios beneficia atque merita, magno honore & pietate conseruabant: Tertiam, quia præuidebat Ioseph, id magis fore ex vsu & vtilitate fratrum suorum, quibus sperabat Aegyptios, beneficiorũ quæ ab ipso acceperant memores, dum in eorum animis vigeret ipsius memoria forè beneuolos ac beneficos. Fidem porrò quam fratres Ioseph iureiurando firmatam ei dederunt, posteri eorum, cùm Hebræus populus ex Aegypto, duce Mose, egressus est, planè liberarunt, vt scriptũ est Exo. 13. *Tulit*, inquit Scriptura, *Moses ossa Ioseph secum, eò quòd adiurasset filios Israel dicens: Efferte ossa mea hinc vobiscum:* Nã licèt fratres Ioseph qui adstricti fuerant iureiurando, iampridem excessissent, quippe cùm à morte Ioseph vsque ad egressum Hebræorum ex Aegypto, centum quadraginta quatuor anni præteriissent, attamen quia fratres Ioseph id promiserant ei non suo tantùm nomine, sed totius etiam posteritatis suæ, iccirco eorum posteri, eodem illo iureiurando obligabantur, & id æquè atque illi obseruare debebant. *Cur Ioseph nõ mandauit fratribus suis vt statim post mortem suam corpus suũ transferrent in terram Chanaã.*

31 Vbi autem ossa Ioseph sepulta sint in terra Chanaã, docet liber Iosue, in cuius extremo capite sic est: *Ossa quoque Ioseph quæ tulerant filij Israel de Aegypto, sepelierunt in Sichem in parte agri, quam emerat Iacob à filijs Hemor patris Sichem centum nouellis ouibus: & fuit in possessionem filiorũ Ioseph:* Sed cur ossa Ioseph reposita fuerũt in Sichem? Nimirum, illam agri partẽ voluerat Iacob esse Iosephi extra, sortẽ, solemne autẽ fuit priscis illis patribus, vt quisque in suam inferretur possessionem, quin etiam opinatur Kimhi, Iacob sepulturæ causâ dedisse eum locũ Iosepho, cùm eius animũ vellet modis omnibus ab Aegyptiacarum rerũ amore prorsus abalienatũ, in *Cur ossa Ioseph sepulta sint in Sichẽ.*

in promissæ terræ cogitationem, amorémque traducere. Putat item hic Rabbinus, Ioſephum ſibi locum illum quo humari vellet, delegiſſe, fratribúſque ſuis de eo in mandatis dediſſe. Verùm quia ſuæ opinionis nullâ ad fert rationem, fidem nequaquam meretur. Alij doctores Hebræorum ſcribũt, idcirco Hebræos exiſtimauiſſe, Ioſephi oſſa in Sichem condenda eſſe, quòd eo ipſo loco venditus ille fuiſſet à fratribus ſuis, & inde deportatus in Ægyptum. Atenim in lib. Geneſ. cap. 37. ſatis apertè ſignificatur, non in Sichem, ſed apud Dothain diuẽditum eſſe Ioſephum, quò nempe greges ſuos ex Sichem abegerant fratres.

An oſſa vndecim Patriarcharum ſint aſportata in terram Chanaam, & in Sichem ſepulta.

Illud quoque in quæſtionem vocari poſſet, an vt Ioſeph oſſa, ſic etiam cæterorum vndecim Patriarcharum extulerint in terram Chanaam Hebræi, cùm Ægypto profecti ſunt. Ac ipſa quidem Scriptura de ſolius Ioſephi oſſibus aſportatis ex Ægypto & ſepultis in Sichem mentionem facit: de cæterorum autem Patriarcharum oſſibus vel aſportatis *vel ſepultis*, nullum in veteri Teſtamento verbum fit. Et verò diuina Scriptura peculiarem cauſam reddit cur oſſa Ioſeph ſint aſportata; Quia, inquit, filij Iſrael de hoc ab eo adiurati, id ei promiſerant, quaſi niſi iureiurando illi eſſent adſtricti, non fuiſſent id facturi. Cùm igitur talis cauſa non fuerit aſportandi oſſa aliorum Patriarcharum, probabile videtur ea non fuiſſe aſportata. Verumtamen contraria ſententia omnino probãda eſt. Etenim B. Stephanus Actorũ 7. teſtificatur, Patriarchas ſepultos eſſe in Sichem, *Hieron.* idémque confirmat B. Hieronymus in Epitaphio Paulæ ad Euſtochium, & de Optimo genere interpretandi ad Pammachium. Ergo credibile eſt, ſui quamque tribum Patriarchæ oſſa aſportaſſe in terram Chanaam, & ſepeliiſſe in Sichem, vbi erãt condita Ioſephi oſſa, vt omnium duodecim fratrum & Hebræi populi Patriarcharum vnus locus oſſa teneret. Quod autem dixêre quidam, ante egreſſum Hebræorum ex Ægypto, aliorum Patriarcharum oſſa fuiſſe deportata in terram Chanaam, minimè fit credibile. Cur enim ſepelirent in Sichem, ac non potius in Hebron, vbi primorum trium Patriarcharum oſſa fuerunt ſepulta? Nõ me fugit, *Ioſephus.* Ioſephũ lib. 2. Antiquitatum tradere vndecim Patriarcharum oſſa fuiſſe condita in Hebron; Verùm ſuper ea re nos accuratè diſputauimus in 3. Tomo noſtrorum Comment. in Geneſim ſuper cap. 23. ad marginalem numer. 49. & 56.

Et conditus aromatibus repoſitus eſt in loculo in Ægypto.

NON eſt illatus ſepulcro, ſed ad ſimilitudinem depoſiti, loculo 33 incluſus, vt in tempore exportari nullo negocio poſſet. Loculus autem ſignificat capſam vel arcam ſiue conditorium, quo mortuorũ oſſa & reliquiæ cõduntur, qua ſignificatione vlus *Plin. lib. 7.* eo vocabulo eſt Pli. cũ de rege Pyrrho loquẽs ita ſcribit, Quorũdã corpore, partes naſcũtur ad aliqua mirabiles, ſicut Pyrrho regi pollex in dextro pede, cuius tactu lienoſis medebatur, hũc cremari cũ reliquo corpore nõ potuiſſe

tradunt: conditumq; loculo in templo. Caietanus verisimile putat, loculum illum, siue vt interpretatur ipse, thecam, fuisse marmoream: at enim mihi similius verò fit, fuisse ligneam, quo scilicet cùm opus esset, minori labore maioríque facilitate quocunq; libitum esset, transportari posset. Veteres Hebræi commentati sunt duas fuisse arcas vnà incedentes in deserto, alteram diuinitatis, alteram Ioseph, illam scilicet arcam fœderis; hanc verò, locolos quibus Ioseph ossa ex Aegypto asportabantur in regionem Chanaam. Vetùm cuius dementiæ est, conditorium mortui corporis, & arentium ossium, cum Dei sacrario comparare, vt ex æquo incederent? scilicet id religiosissimus Moses fecisset, aut etiam facere passus esset. *Caietanus.*

34 Non est hîc tacendum, quod prodidit auctor Historię Scholasticæ enarrans historiam lib. Exod. c. 37. Cõtigit semel, inquit, vt Nilus plus solito excrescens inundaret terram, vbi erat loculus ille Ioseph, cumq; locum aquis totum obrueret: obstricti autem fuerant iureiurando Hebræi, cùm Aegypto discederent, ossa eius vnà secum deportare. tunc igitur Moses scriptum in lamina aurea nomen Dei tetragrammaton in aquas ingessit, quibus supernatans lamina ferebatur, quoad stetit supra locum vbi erat loculus Ioseph: indéque sustulerunt Hebræi eius ossa: quæ prophetasse dicuntur difficultatem itineris quam perpessuri erant. Sed illud fabulosum ac ridiculum, quod nugantur quidam Hebræi, cum conditorium Ioseph non reperirent Hebræi, repentè illis astitisse ouem, quæ humano modo locuta eius conditorij locum demonstrauit, quocirca Hebræi secum multo tempore eam ouem duxerunt per desertum, appellantes ouem Ioseph, de qua intelligi volunt quod in psal. 79. scriptum est: *Qui deductis velut ouem Ioseph.* Verùm hæc & alia innumera Hebræorum figmenta, eo commemorari non est planè alienum, vt excæcationis eorum clarissimum sit argumentum, quòd mendacij, & falsitatis amantes, veritatem auersentur, nugísque ac fabulis mirificè oblectentur atque pascantur. *Historia Scholastica.*

35 Quod autem legitur in libro Ecclesiastici cap. 49. ossa Ioseph post mortem prophetasse, non ita est accipiendum, vt credatur, ossa eius humano sermone locuta oraculum seu vaticinium aliquod edidisse; sed illud tãtùm significatur, cùm Moses asportauit ex Ægypto ossa Ioseph, tunc esse completum & re ipsa comprobatum vaticinium Ioseph, qui morti proximus, fore prædixerat vt aliquando Deus visitaret filios Israel, eductósque Aegypto in terram maioribus eorum promissam induceret: simulq; adiurauerat eos, vt tunc ossa sua eò secum asportarent. Quoniam igitur vtraque prædictio Ioseph completa fuerat, propterea dictum est ossa eius prophetasse. *Locus Ecclesiast. cap. 49.*

FINIS.

Hunc quartum Tomum Auctor ipse primùm edidit Romæ, annum sexagesimum tertium agens, & ab ortu Domini nostri, Anno 1598.

Laus Deo, & Dei Genitrici semper Virgini Mariæ.

INDEX

ALPHABETICVS MEMORABILIVM RERVM ET VERBORVM, QVAE TRACTANTUR in hoc quarto Tomo.

Nota prioris numeri significat caput libri Geneſis; ſecundi, paginam; poſtremi verò, ſiue i^s vnus ſit, ſiue plures, ſignificat numeros marginales adiectos ad Cõmentariũ illius Cap.

A

Abimelec Rex, de quo Geneſ. 20. & 26. an fuerit idem numero: & quòd tale nomẽ fuerit commune olim Regum Paleſtinæ. 26.61.2

Abrahæ quatuor eximia fuerunt merita, ob quæ tam magnifica illi promiſſe à Deo ſunt data. 26.65.8

Abrahã num benedixerit filio ſuo Iſaac. 27.162.87.

Accinctum eſſe, quid in Scriptura ſignificet. 49.699.104

Adorationis exterioris quinque modi. 33 351.2.

Aduentus Chriſti duplex quomodo expectatus & deſideratus fuerit à Gentibus. 49.787.25

Adulatorẽ eſſe ſimilẽ ſpeculo. 45.695.4

Aegyptij ignaui atq; imbelles. 42.633.10

Aegyptus inacceſſa, & vndique munita eſt. 42.633.10.

Ægyptij cur tantopere auerſarentur conuiuia Hebræorum. 43.664.14

Apud Aegyptios multiplex genus eorum qui cadauera præparabant ſepulturæ. 50.864.1

Aegyptij quomodo condirent aromatibus corpora ex Herodoto & Diodoro. 50. 865.3

Aegyptij quemadmodum mortuos lugerent. 50.867.8

Aetatem triginta annorum incipere iam maturam & idoneam eſſe docendo, & regendo. 41.619.31

Aetatem perfectam ad docendũ & prædicandum qualem requirat B. Gregorius. 41.620.32

Agri pleni odor laudatus ab Iſaac, qualis ſit. 27.149.67

Agriculturæ laus. 25,41.61

Alienati vel irati homines quibus rebus placari & conciliari poſſint. 33.350.1

ALLEGORIA.

Allegorizandi optima ratio, quænam ſit. 26.101.62

Super Iſaac ioco cum Rebecca allegoria. 26,68.15

Allegoria ſuper puteis foſſis ab Iſaac in terra Palæſtinorum. 26.77.79.80.30. 33.34

Allegoria ſuper diſſidio & pacificatione Abimelec, cum Iſaac. 26.85.43

Ager odoriferus, laudatus ab Iſaac quid allegoricè ſignificet. 27.150.68

S. Gregorij allegoria ſuper agro odorifero. 27.150.68

Allegoria ſuper illo, Det tibi Dominus de rore cœli. 27.154.75

Allegoria ſuper benedictione, quã Iſaac dedit Iacob. 27.156.78.79

B. Gregorij allegoria ſuper ſomno Iacob ſuper lapidem. 28.184.14

Ambrosij sententia vindicantis à peccato quod fecerunt fratres Ioseph in ipsum, an sit probabilis. 37.480.59

Ana vtrum inuentor fuerit generationis mulorum fusè disputatur. 36. 422. 423.3. *& seq.*

ANGELVS.

IN Angelis quomodo sit vita actiua, & contemplatiua. 28.191.192. 24

Angelorum custodia viros iustos mirificè recreari, & confirmari. 32. 314.1

de Angelis, qui in similitudinem militum & castrorum, apparuerunt Iacob, Inculenta Ruperti disputatio. 32. 315.2

de Angelorum ministerio non solùm erga homines, sed etiam animalia, Rabbi Moysis Aegyptij non contemnenda sententia. 32.315.316.3

Angelum fuisse non filium Dei, qui luctatus est cum Iacob. 32. 322.323. 14

Angelum fuisse, qui apparuit Moysi in Rubo. 32. 322.323.14

Angelum fuisse, qui apparuit Moysi in Sina, & dedit legem. 323.23.324.16

Angelorum ministerio factas esse in veteri testamento omnes apparitiones & visiones, quæ narrantur, B. Dionisij Areopagitæ valdè obseruanda sententia. 32.324.17

Ab Angelis quomodo gratiam & pacem postulauerit S. Ioannes in primo capite Apocalypsis. 19.325.19

per Angelos, siue spiritus septem memoratos in Apocalypsi & alibi, quid intelligere oporteat. 32.325.19

Angelum non potuisse luctando superare Iacob, quomodo sit intelligendum. 32.331.27. *& seq.*

Angelus cur in luctando percusserit neruum Iacob. 32.333.31

Angelus luctans cum Iacob cur voluerit discedere ante auroram. 32.339.39

Angelis non esse imposita nomina secundùm eorũ naturas, sed secundùm eorũ operationes & ministeria. 32.340. 40

S. Gregorij disputatio quomodo idem dicatur, & Angelus & Deus, sine mendacio. 32.323.15.

Animum hominis morti proximum, naturaliter præuidere futura, opinionem fuisse plurium Ethnicorum, sed falsam. 49.776.777.b

Animæ vox num aliquãdo in Scriptura ponatur pro corpore, vel cadauere. 37. 509.103

Annonæ publicæ quanta cura Principibus esse debeat, & de Præfectis annonæ apud Romanos. 41.604.11

Annulorum vsus quàm antiquus sit, & an fuerit tempore belli Troiani, disputatio contra Plinium. 41. 608.609.b

Annulis ad quem finem vsa sit antiquitas. 41.608.609.16

Antichristũ præsignificatum esse per prophetiam Iacob de tribu Dan. 49.836. 837.131.134

Antigono occiso, & Herode inuadente regnum Iudaicum, tum primum fuisse ablatum sceptrum Iuda. 49.804.62

Apim colendi quæ fuerit, & quando origo apud Aegyptios. 46.704.2

Apis Argiuorum rex, quo tempore in Ægyptum venerit. 46.704.2

Apostolos tribus de causis rectè appellari oculos Ecclesiæ. 49.803.60

Arad area vbi planxerunt Iacob quis locus fuerit. 50.871.16

Arcam fœderis significari vocabulo præsentiæ Dei. 49.855.10

Arcus cur inter arma Hebræorum tam frequenter nominetur in Scriptura 48.770.20

Argumentari ex ordine narrationis sæpè non esse firmũ in Scriptura. 25.48.59

Vide sensus Scripturæ.

Ascensionis Christi præclara prophetia. 49.801.57

Auguriũ, & Augurari, quomodo vsurpantur in Scriptura. 30.271.26
Augurandi verbum quomodo accipiatur & apud sacros, & prophanos auctores. 44.679.6
Augurum quanta fuerit auctoritas apud Romanos. 44.679.6
Augurari per scyphos morem fuisse apud Aegyptios, & quomodo id fieret. 44.680.8
Aulicorum morem esse, bene dissimulare & inuidere alijs. 45.695.4

B

Benedictiones Christi, vide Christi benedictiones.
Benedictio Isaac collata in Iacob cùm per errorem, & deceptionem data ei fuerit, an esset valida. 27.160.84
B. Paulus quomodo neget non obtinuisse Esau benedictionem à patre, nec inuenisse locum pœnitentiæ, cùm videatur contrarium scribi Geneſis. 27.167.96
Beniamin cur numeretur inter filtos Iacob natos in Mesopotamia, cum natus fuerit in terra Chanaam. 35.416.49
Beniamin & Benoni nominum expositio. 35.410.41
Beniamin quinque partibus excessisse alios fratres, quomodo intelligendũ, subtilissimè disputatur. 43.667.19. & seq.
Beniamin posteri aliter memorãtur à septuaginta, quã est in lectione Hebraica & Latina, sine falsitate tamen. 46.714.15
Bethauen an fuerit locus diuersus, & quãtum distans à Bethel. 28.219.60
Bethel locũ esse longè diuersum ab Hierusalem. 28.78.6
Bethel & Luza an fuerint duæ vrbes an vna disputatur. 28.216.55. & seq.
S. Hieronymus mutauit sententiã suã de tribu, in qua erat Bethel. 28.217.56
Andreæ Masii opinio de Bethel excutitur in. 28.217.57
Bethel cur in Scriptura dicatur Bethauen. 28.219.6
Bethel memorata Geneſis 35. an fuerit Ierusalem, disputatio in Thostatum. 35.405.32. & seq.
Bonos cadere in faciem, malos retrorsum cadere, egregia disputatio S. Gregorij. 49.837.135
Vir bonus quanta in gratia sit apud Deum. 30.270.25.

C

Cadauera hominum tractãdi varij mores apud diuersas gẽtes. 50.585.3
Caro in Scriptura quid significet. 29.233.8
Castitas viri magnum est vxorij amoris coagulum. 7.7
Castitatis insignia exempla apud Ethnicos. 39.553.1
Castitas memorabilis Spurinæ adolescentis. 39.ibid.
Ceruo cur cõparetur Christus. 49.845.154
Charistia quale fuerit conuiuium apud Rom. 43.663.12
in Conuiuiis quanta fuerit reuerẽtia iuniorum erga seniores apud Romanos. 43.664.13
Christi benedictiones de cœlo, de abysso, de vulua, & de vberibus, quales fuerint & quemadmodũ intelligẽdæ. 49.850.165
Christo quemadmodũ pulchrè accommodetur, quod vaticinatus est Iacob de filio suo Iuda. 49.800.54 & sequent.
Christi seu Messiæ dies, cur dicantur in Scriptura nouissimi. 49.816.89
Circumcisionis & aliorum vulnerum cur tertia die esset grauissimus dolor, ampla disputatio. 34.372.373.12.
Cisterna, in quã demissus est Ioseph, qualis fuerit. 37.484.64
Claues quatuor propriæ ipsius Dei, quænã sint secundùm Hebræos. 30. 258.259.5
Clericis pro bonis spiritualibus quæ tradunt, rependi oportere bona tẽporalia, B. Augustini Disputatio. 27.109.9

Clericorum libertrtem & immunitatem maximè consentaneã esse rationi, & æquitati naturali. 47.739.12
Coccum quid significet in Scriptura. 38. 548.549.38
Comparatiui vsus non est Hebræis, sed eius vice vtũtur præpositionibus a, vel ab, vel super. 32.316.4
Coniugio quæ ætas matura & idonea cẽseatur, ex sententia Aristotelis. 25.4.3
Coniugium vnius fœminæ cũ pluribus viris an fuerit vnquam licitũ. 29.250.34
in Contẽplatiuæ vitæ exercitio quãto magis eleuatur, & vegetatur spiritus, tãto magis caro deprimitur & debilitatur, pulchra Gregorii disputatio. 32.337.36
Contemplationis exercitio miram sentiri vicissitudinem tum proficiendi, tum deficiendi. 32.337.37
Contemplationis quanta sit dulcedo & efficacia. 32.337.36
in Conuiuiis mos sedendi antiquior fuit, quàm recumbendi. 43.665.15
in Cõuiuiis mittere partes aliis etiã absentibus moris fuisse apud Principes. 43. 666.16
in conuiuiis quantus esse soleret numerus ferculorum, 43.666.17
in Cõuiuiis morẽ dãdi singulis cõuiuiis singulas partes, antiquiorem fuisse, quàm in commune ac de eadem patina vescendi. 43.666.17
in Conuiuiis priscorum hominum temperãtia cũ pietate coniuncta. 43.672.26
Conuiuii tempus idoneum esse reconciliationi amicorum, & ignoscentiæ offensarum, 26.89.47
Epularẽ conuinctũ cur Græci, & Hebræi à potãdo appellauerint: 26.89. 48
Conuiuium Isaac quid allegoricè significet. 26.91.101.50.& 62
Sanctorũ hominũ cuilibet ab intio vsque mundi suam fuisse crucem. 37.484.64
Crucis supplicium quàm fuerit antiquũ, & quàm atrox & infame. 40.584.9
Crux Christi, quando primùm præsignificata. 48.763.8.

D

Deboræ mortẽ cur memorauerit Moyses, tacens mortem Rachelis. 35. 394.395.16
Darij Regis Persarum execrabilis sententia de mendacio. 27.132.42
Dexteram potiorem haberi quã sinistrã, ex ipsa natura prouenire, vt docet Aristoteles. 48.761.4
Dexteræ octo significationes in Scriptura. 48.761.5
Dexterã minus fuisse honnorabilẽ apud veteres Persas, quàm sinistram auctore Xenophonte. 48.762.7
Consulebatur Deus in veteri Testamento quatuor modis, per Prophetas, per somnia, per sortes, & per Sacerdotes. 21. 14.21.& seq.
Modi consulendi Deũ in veteri testamento, & mirabiliter aceipiendi respõsũ ab eo, quãdo defecerint. 25.17.26
Cur Deus in Scriptura præcipuè ac propriè appelletur Deus Abrahæ. 26. 83.38
De diis propriis variarũ gentiũ. 26.83.39
Deum omni tempore cõtra nouas hæreses, exorientes excitasse nouos etiã & egregios Doctores, & propugnatores catholicæ doctrinæ. 26.99.69
Deum nec auctorem, nec suasorem mendacij esse posse. 27.133.44
Deus cur in veteri Testamento beneficijs dignis mercede æterna, temporalia tãtùm bona promittebat. 27.131.40
Dei cognitionis per fidẽ à cognitione ipsius dẽ secundùm domum caritatis, differentia secũdùm B. Gregorium. 32.343
Deus cur dicatur esse timor & terror hominis. 33.309.35
Qui luctatus est cũ Iacob, eum fuisse filium Dei sub specie humana, Theodoreti opinio. 32.325.28
In veteri Testamento numquam Deum Patrem

Patrem apparuisse sanctis, sed filium Dei, complurium Patrum sententia excutitur. 32.321.11.& seq.

Dei cognoscendi triplex ratio & gradus. 32.335.33

Deum nemini mortaliũ, circa eius mortẽ apparuisse, nisi per miraculum, communem fuisse veterũ Hebræorum opinionem. 32.343.44

Deum cum aliquo ascendere vel descendere, vel proficisci, quomodo sit interpretandum. 46.707.7

Dies nouissimi quid significent in Scriptura. 49.777.8.

Dinam fuisse decem annorũ, cum vitiata est, prodidit Alexander Polyhistor, sed refellitur. 34.362.1

Dinam fuisse sex annorum in discessu Iacob ex Mesopotamia, quindecim verò, cum est violata. 34.363.3

Dinam esse violatam nouem annis post regressum Iacob ex Mesopotamia in terram Chanaam. 34.364.3

Dinæ curiositatem, mali, quod ei accidit, fuisse causam. 34.365.4

Dinã blãditiis fuisse delinitã à Sichẽ, S. Gregorius luculẽtè interpretatur secũdũ tropologicã intelligentiã. 34.367.6

Dirimendi verbũ præcipuã quandã significationẽ habere in Scriptura. 32.330.26

Discretionis virtus quã sit necessaria doctori, & rectori aliorũ, B. Gregorii disputatio non solùm legenda, sed ediscẽda. 43.656.1.& seq.

Diuinationis superstitiosæ per aquas, varia exempla veterum, 44.680.8

Diuitias festinatas, nec esse inculpatas, nec diuturnas, nec sine inuidia. 26. 72. 21

Diuitiarum mediocritatem vtiliorem esse homini, quàm affluentiam. 28.223. 224.66.67

Doctores Ecclesiæ, quomodo assimilentur dentibus. 49.803.61

Dolum quo vsi sunt filii Iacob cum Sichimitis, malum fuisse, & culpandũ, cõtra opinionem Hebræoum. 34.368.369.8

Domus vocabulũ, quid significet in Scriptura. 30.273.28.

Dotem antiquitus viri dabant vxoribus, siue earum parentibus. 29.235.11

Super dotibus matrimonalibus varia quondam Gentiũ institutà. 29.236.13

E

EBrietas an nonnunquam deceat sapientem, copiosa disputatio Philonis. 43.670.24.& seq.

Ecstasis quid sit: & quotuplex. 27.157.80

Entaphiastæ qui essent ex D. August. 50. 864.1

Ephod quid fuerit in veteri testamẽto, & quid applicare Ephod. 25.16.24

Ephratæ ac Bethleem nominum origo & causa. 35.411.42.& seq.

Equum animal esse symbolum fastus & superbiæ mundi, disputatio S. Gregorii 49.837.135

ESAV.

ESau tribus modis seruiisse ipsi Iacob, secundùm expositionem B. Thomæ, 25.27.40

Esau. vide Iacob.

Tria illa nomina, Esau, Edon, & Seir declarantur. 25.38.55.

Seir mons exponitur. 25.38.55

Esau propter solum edulium lentis, & nõ propter aliud ingens pretiũ, vt nugãtur Hebræi, vendidit sua primogenita. 25. 45.74

Esau quot modis peccauerit vendendo primogenita. 25.54.82

Esau duodecim rebus præfigurauit conditiones, & mores repreborũ. 25.56.85

Esau dedit⁹ venationi, quomodo figura fuerit amatorũ huius mũdi. 25.43.64

Esau quando iuerit habitatum in montẽ Seir. 36.421.2.& seq.

Eunuchi vox quid significet, & de variis Eunuchorũ generibus & de multiplici modo Eunuchizãdi. 37.512.109.& seq.

Eunucho

Eunuchorũ octo munera antiquitus apud principes. 37.315.111
Eunuchorum illorum duorum, qui erant cum Ioseph quodnam fuerit peccatũ. 40.580.3
Exploratorũ hostilis terræ, quale sit munus. 42.633.9

F

FErtilitas aliquarum regionum mira. 26.71.19
Fertilitas illa, & sterilitas septennis Aegypti, quàm fuerit præter ordinem cursumque naturæ disputatur. 41.600.7.& seq.
Filiorum irreuerentia in parentes, quàm graue peccatum, & à Deo punitum. 27.113.14
Fornicationis triplex species ex Cassiano. 38.529.10
Filij minores cur ferè præpositi sint maioribus apud priscos illos patriarchas, exponitur quadruplex ratio mystica, 48.760.2
Fulgor nouus lapidum in rationali quomodo præmonstraret futura secundùm Iosephum. 25.16.25
Fratris nomen, quot modis vsurpetur in Striptura. 31.307.13
Fraterna beneuolenta & concordia quãtum sit bonum: contra verò odium, & discordia quantum malum. 37.458.30
Inter fratres & amicos cur atrociora odia & dissidia esse soleant, quàm inter extraneos. 37.465.466.31
Fratrum Ioseph cõspiratio in necem eius, cuius rei figura fuerit. 37.480.58
Fũdatores & quasi patriarchæ ordinũ religiosorũ quãtæ gratiæ & meriti fuerit apud Deum, respectu ordinis sui. 26.65.9
Funera curandi triplex modus apud Aegyptios secũdùm hominum facultates ex Diodoro. 50.864.1
Verba futuri tẽporis in Scriptura sæpe significeant debitum siue officium. 35.404.31

G

GAlaad montis, situs, longitudo, altitudo, fertilitas, origo atque causa nominis, 31.310.17.& seq.
Genethliaci redarguuntur argumẽto Iacob & Esau. 25.44.45.66.& 67
Gentilium superstitiones super vnctionem lapidum. 28.214.37
Germanicus Imperator galli gallinacei neque aspectum, neque vocem ferre poterat. 37.460.32
Gulæ peccatum sex modis explicatur, auctore Beato Gregorio. 25.342.2

H

HAbitatores terræ in Scriptura vocari solere peccatores, non autem iustos, auctore S. Hieronymo. 47.732.2
Hebraismos esse non paucos in Scriptura plenos mysteriorum. 35.387.4

HEBRÆI.

HEbræorum fabula: cũ prophetæ vaticinantur in Idumæos significat os fuisse eo nomine Romanos. 25.19.29
an Hebræis fœminis illicitũ fuerit nubere viris incircumcisis ante legem, & post legem. 34.376.9
Hebræi cur recens egressi Aegypto, in idolatriam lapsi caput vituli adorauerint potius, quam aliud quippiã. 46.711
Non solos Hebræos, sed mixtim cum Aegyptiis habuisse terram Gosen. 47.738.8
Hebræo populo quemadmodum cõueniat maledictio Ruben, & Simeonis, & Leui. 49.786.792.21.37
Hebræi quando primùm Iudæorum nomen habuerint. 49.822.161

Hebræi populi quadruplex fuisse regimen. 49.804.805.63
Heliopolis an condita fuerit ab Hebræis, vt tradunt septuaginta Interpretes. 41.616.27
Her peccatum quale fuerit disputatur. 38.528.9
Her ante congressum cum vxore effundendo semen in terram peccasse quinque modis. 38.529.11
Her peccatum an fuerit grauius quam fratris eius Onam. 38.534.17
Her & Onam cur memorentur inter intrantes Aegyptum, qui ante multos annos mortui fuerant. 46.710.11
Herculem fuisse eodem prope tempore, quo Samsonem. 49.833.121
Hierusalem nunquam fuit nominata Bethel. 28.180.9
Homo boni pedis, quid prouerbialiter significet. 30.272.27
Honestus & honestare, pro locuples & locupletare, interdum vsurpat Latinus Interpres. 28.186.16
Honorum insignia & ornamenta qualia fuerint apud antiquos. 41.610.18

I.

IACOB.

IAcob natus est quindecim annis ante mortem Abrahæ: licèt ortus eius narretur à Mose post mortem Abrahæ. 25.2.1
de Iacob cur tam multa scripserit Moses & tam pauca de Isaac. 25.3.2
Iacob cum fuerit prædestinatus, & generatio eius promissa à Deo, quomodo dicatur cõcessa precibus Isaac. 25.7.8.9
Iacob collisio cum Esau in matris vtero num naturalis. 25.9.12
Iacob non ob præuisa bona eius opera futura, electum esse à Deo. 25.20.21.31
Quatuor signa singularis dilectionis Dei erga Iacob. 25.28.41.29
an Iacob sanctificatus fuerit in vtero matris suæ. 25.42
Iacob electio & reprobatio Esau, quomodo præfigurauerint electionem & reprobationem hominum respectu gratiæ & vitæ æternæ. 25.32.46
Iacob cur dictus sit supplãtator. 25.39.57.
Iacob retinens planta Esau egredientem ex vtero, quid significauerit. 25.40.58
Iacob vtrùm peccauerit inducendo Esau ad vendenda sibi primogenita. 25.41.61. & seq.
Iacob simulans habitũ Esau, quid significauerit allegoricè. 27.115.17. & seq.
Iacob simulans habitum Esau, an peccauerit. 27.117.20. & seq.
Iacob mentitum esse patri suo, & venialiter peccasse, qui auctores dixerint, & quibus argumentis. 27.134.135.45.46.
Iacob mendacium an fuerit perniciosum ipsi Esau, & iniuriosum patri suo. 27.136.48
Iacob vindicandum esse à mendacio, qui Auctores senserint, & cur, quibus astitur Auctor. 27.137.49. & seq.
An dixerit sine mendacio Patri suo. Ego sum Esau; *& item*, Feci sicut præcepisti mihi, comede de venatione mea. 27.140.54. & seq.
Iacob simulatione, & fraude Patris, obtinere benedictionem eius cur voluerit Deus. 27.147.63
Iacob septuaginta septem annorum erat, quando profectus est in Mesopotamiam. 28.175.176.1
Iacob non habuit visionem illius scalæ in monte Moria vbi postea fuit templum Ierosolymitanum. 177.4. & seq.
Iacob cur incomitatus & inops missus sit à parentibus in Mesopotamiam. 28.181.10. & seq.
Iacob paupertas & humilitas figura fuit Apostolorum euntiũ in vniuersum orbẽ ad prædicandũ Euangeliũ. 28.181.11
Iacob dormiens supra lapide, quid allegoricè significet. 28.14
Iacob vngens lapidem, & erigens titu-

lum, nihil fecit superstitiosè. 28.184.52
Iacob votum expenditur. 28.160.61. & sequentib.
Iacob cuinam daturus erat decimas, quas vouit. 28.122.64
Iacob an honestè ac decenter osculatus fuerit Rachelem puellam, nunquam ante sibi notam. 29.220.1
Iacob osculans Rachelem iuxta puteum, quid allegoricè significauerit secundùm Augustinum. 29.230.5
Iacob matrimonium cùm Rachele quando confectum fuerit, initióne prioris septennij an in fine. 29.237.15
Iacob seruitus septennis cum Rachele, quid allegoricè significauerit. 29. 238.16
Iacob quomodo per totam noctem non agnouerit Liam, & hoc esse castitatis Iacob magnum argumentũ. 29.246.27
an Iacob intemperantiam arguat quòd simul habuerit quatuor vxores. 29. 249.33
Iacob coniugium cum duabus sororibus Lia & Rachele, quid allegoricè significet. 29.249.36
Iacob quomodo citra iactantiam prædicauerit suam iustitiam. 30.278.37
Iacob an peccauerit faciens suo illo artificio versicolores fœtus in damnum Laban. 30.279.38.& seq.
Iacob opponens versicolores virgas aspectibus ouium concipientium, quid allegoricè figurauerit. 30.294.63
Iacob cur tantoperè timuerit Esau. B. Augustini, & Lyrani sententia. 32.318. 319.6.7
Iacob luctatum esse non cum bono Angelo, sed cum Dæmone significare videtur S. Hieronym. Origenem secutus. 32.32.721.& seq.
Iacob luctam fuisse corporalem & cum bono Angelo probatur. 32. 328. 23. & seq.
Iacob non potuisse in lucta superari ab Angelo, quemadmodum intelligendum sit. 32.331.27.& seq.
Iacob luctans cum Angelo, quid allegoricè significauerit secũdùm Philonem, S. Augustinum, & S. Gregorium. 32.334.33.& seq.
Iacob vidisse Deum facie ad faciem quomodo sit intelligendum. 32.342.43
Iacob dicens vidisse se faciem Esau tanquam faciem Dei, an per adulationem mentitus sit, & peccauerit, disputatio. 33.352.353.33 & seq.
Iacob cum dicitur emisse agrum centum agnis pro quo Hebraicè est vox Chesita disputatur an ea vox significet agnum, vel potiùs genus quoddam pecuniæ: & Latina versio acriter inficiditur aduersus multos. 33.357.358.22. & seq.
Israelis nomen quid propriè significet, ampla disputatio, vbi & Iosephi, & S. Hieronymi, & complurium Patrum & Pagnini atque Oleastri, & Caietani, & Eugubini aliorumq; opiniones subtiliter examinãtur. 32.344. 46.& seq.
In nomine Israelis contentam esse benedictionem, quam Iacob petijt ab Angelo. 32.347.52
Iacob ascensus in Bethel quid allegoricè significauerit, pulchra Ruperti disputatio. 35.392.13
Israelis nominis impositio facta Iacob in Bethel, fuerítne diuersa, an eadem ei, quæ narrata est Geneseos. 62.35.398.21
Israelis nomen an bis impositum fuerit Iacob, an tantùm semel. 35. 398.22. & seq.
Quomodo dictum sit, non vltra nominatum iri Iacob, sed Israel, cùm postea tempore frequentiùs appellatus sit Iacob, quàm Israel. 35.27.402.& seq.
Iacob dicitur Israelis nomine vocandus potiùs, quàm Iacob non propter appellationem nominum, sed propter res

nomis

nominibus illis significatas. 35.403. 30
Iacob vitæ & rerum gestarum Chronologia. 35.417.50
Iacob vtrum intellexerit significationem somniorum Ioseph, cum ab eo narrata sunt. 37.477.54
Iacob an vnquam reprehenderit filios suos de eo quod peccauerant in Ioseph 37.498.84
Iacob luxit filium suum Ioseph per viginti tres annos, nec tamen tantus luctus erat culpandus. 37.501.90
Iacob cur tantopere timuerit ire in Ægyptum, exponuntur quinque causæ. 46.706.6
Iacob ingressus in Ægyptum tempus quemadmodum interpretetur S. Augustinus. 46.713.719.17.22.23
Iacob quomodo dicatur à Mose primùm intrasse Ægyptum cum sexaginta sex, mox verò cum septuaginta. 46. 714.19.
Iacob decem labores & dolores insignes, quos in vita sua toler auit. 47.734.7
Iacob atas centum triginta annorum cum intrauit Ægyptum, quinque res aperit ad sacram Chronologiam pertinentes. 47.733.4
Iacob totius vitæ rerúmque ab eo gestarum Chronologia explicatur. 742.47. 16. & seq.
Iacob tempore stellam Veneris mutatam esse. 47.443.19
Iacob mors quot annis præcesserit egressum Hebræorum ex Aegypto & ortum Mosis. 47.744.20
Iacob tam sollicitus de sepultura corporis sui, an fuerit culpandus, latè disputatur. 47.745.21.& seq.
Iacob cur voluerit filium suum Ioseph, quod sibi promittebat de sepultura sui Ia corporis, iureiurando firmare. 47. 750.27
Iacob cùm conuersus ad caput lectuli adorauit; vtrum adorauerit Ioseph an Deum, disputatur. 47.750.27.& seq.
Iacob cur benedicturus Ephraim & Manasse, cõmutauerit manus conformans in similitudinem crucis. 48. 759.1 & seq.
Iacob in illa commutatione manuũ præsignasse crucẽ Christi, & tunc primùm fuisse præsignificatam crucẽ Domini, quantum ad eius similitudinem & figuram. 48.763.8
Iacob quomodo acquisierit in arcu & gladio partem illam, quam dedit Ioseph; & quæ fuerit illa pars. 48.764.9. & seq.
Iacob nouissima verba, quæ dixit filiis suis, appellarine debeant benedictiones, an prophetiæ. 49.774.1.& 2
Iacob prophetia qua prædixit futura filijs suis, qualis fuerit. 49.777.8
Iacob quomodo dixerit se fodisse sibi sepulcrum in terra Chanaam cùm locus ille emptus fuerit ab Abraham in vsum sepulturæ. 50.866.13
De Idolis Iacob, quæ narrat historia scholastica, esse mira magis quàm vera. 35. 590.10.
Idola quæ reperit Iacob apud suos; an fuerint Idola Laban surrepta à Rachele, an in præda Sichimitarũ ablata. 35.389.6
Idola cur Iacob appellauerit Deos alienos. 35.389.7
Idola quomodo Iacob defoderit subter therebinto, an integra & comminuta vel liquefacta. 35.390.10
Idumæi quandiu permanserint sub iugo Iudæorũ, & quoties seruierint illis. 27. 822.100
Quando Idumæi, & quamdiu dominati sunt Iudæis. 28.822.101
Iephthe an fuerit ex tribu Gad. 49. 839. 141
Imaginatio vehemens quantam vim habeat immutandi corpus. 30.289.54
Imaginatio quatenus & in quibus possit

immutare corpus. 30.291.56
Imaginatio vehemens concipientis, cur fœtum reddat similem rei imaginatæ, quæritur ratio physica. 30.291.57
Immundicia, siue mollicies cur dicatur peccatum contra naturam: & huiusmodi peccatum quotuplex sit ex B. Thoma. 38.529.10
Imprecari mala impiis quomodo sæpe soleant Sancti. 49.784.17
Impij quomodo sancti imprecentur mala. 49.784.17
In, præpositionis duodecim reperiri significationes in Scriptura. 32.317.5
Inebriandi verbum & cum vitio, & sine vitio, vsurpari in Scriptura. 43. 669.21.*& seq.*
Inferni nomen in scriptura an semper significet fossam vel sepulcrũ, an etiam locum animarum apud inferos, qui triplex tunc erat, amplissima disputatio. 37.503.92
Infernus non semper significat locũ damnatorum, sed interdum etiã limbum, in quo detinebantur Sanctorum hominum animæ. 37.511.107
Innocentiæ species duplex. 27.114.16
Inuidia, quale malum & quantum. 26. 74.24.*& seq.*
Inuidia non est aduersus bruta, odium autem esse potest. 37.461.32
Inuidiam nimius excessus tam aduersitatis, quàm posteritatis, obruit & tollit. 37.459.132
Inuidus odit benefactorem suum. 37. 459.32
Inuidia valdè nocet inuidenti, sæpè autem prodest ei, cui inuidetur. 37. 462.33
Inuidiæ comes vel effectus est multiformis simulatio. 37.463.33
Inuidere est pusilli & abiecti animi. 37. 464.34
Inuidia, & animum, & corpus turbat & affligit. 37.464.35
Inuidiæ remedium præsentissimum, est contemptus bonorum temporalium, secundùm Basilium, & Gregorium, & amor rerum cœlestium. 37.467.39
Inuidorum consuetudo & conuictus auctore Basilio est fugiendus. 37.466.38
Inuidiæ atque odij exponuntur complures differentiæ. 37.459.32.*& seq.*
Inuidia similis ophthalmiæ. 37.460.32

IOB.

IOB an genus duxerit ab Esau, vt habet communis opinio Patrum, an verò à Nachor fratre Abrahæ, vt tradiderunt Hebræi, quos sequitur Sanct. Hieronym. amplißima disputatio. 36.427.10.*& seq.*
Iob fuisse Regem, & tres illos eius amicos, à quibus visitatus est fuisse reges. 36.433.18
Iob sepulcrum fuisse in confinio Palæstinæ, & Idumææ. 36.433.18
Iob quonam tempore vixerit, fusè disputatur. 36.435.22:*& seq.*
Iob esse natum circa id tempus, quo Iacob descendit in Ægyptũ. 36.435.23
Iob per septem annos fuisse in illa calamitate. 36.ibid.23.
Iob vixisse octoginta annos post ortum Mosis. 36.ibid.23
Iob vixisse annis ducentis decem & septem. 36.ibid.22

IOSEPH.

IOseph venditio quid præfigurauerit secundùm allegoriam, & tropologiam tam secundùm Philonem quàm secundùm Ambros. 37. 519.18. *& seq.*
S. Ioseph castitatis Encomium. 39.5[illegible]
Ioseph constantia in resistendo lasciuæ, & importunæ mulieri declarat nullam esse excusationem peccandi, non ætatem, non opportunitatem, non præmia peccandi. 39.565.20
Ioseph in illa sua tẽtatione comparatur à Chryso

Chrysostomo tribus pueris in igne fornacis positis. 39.567.23
Ioseph certamen cum domina impudica, quomodo Philo referat allegoricè ad virum ciuilem. 39.568.25
Ioseph historiam hanc reluctantis dominæ suæ, quemadmodũ Rupertus egregie secundùm allegoriam accommodet ad Christũ. & synagogã. 39.570.571.26
Ioseph accusatus tẽtati adulterij apud dominum suum cur non sit ab eo occisus. 39.573.29
Ioseph in carcere inueniẽs gratiam apud Principem carceris, & multum iuuãs vinctos, quomodo secundùm allegoriã figura fuerit Christi, pulchrè declarat Rupertus. 39.576.32
Ioseph an peccauerit commendando se pincernæ, vt putauit S. Augustinus, disputatur ab Auctore. 40.582.5
Ioseph quomodo verè dicantur fratres eius furati esse. 40.583.7
Ioseph interpretans somnia pincernæ & pistoris, secundùm Philonem allegoricè significat virũ ciuilem optimũ rerũ humanarum interpretem 40.586.588. 12. *& seq.*
Ioseph sapiẽtiam Ethnici tribuerunt magicis artibus. 41.597.3
Ioseph quando natus fuerit. 30.269.23
Iosephi natiuitatis tempus bene notatum, esse quasi clauem quandam Chronologiæ Iacob. 30.270.24
Ioseph historiã curtam subtiliter & diligẽter perscripserit Moyses. 37.440.2
Ioseph ætatem cum est venditus à fratribus, cur signanter expresserit Moyses. 37.440.7, & 8
Ioseph fuisse præ cæteris filiis dilectum à Iacob, quia esset genitus in senectute eius, quomodo sit intelligendum, variæ opiniones & expositiones. 37.452.21. *& seq.*
Ioseph fuisse perfectam imaginem viri ciuilis fusè declaratur à Philone. 37. 453.22
Ioseph vestis polymita qualis fuerit: & quid allegoricè secundùm Philonem significauerit, & secundùm S. Gregorium. 37.457.458.28. & 29
Ioseph somnia magnam habere similitudinem cum parabolis Christi, auctore Ruperto. 37.469.42
Ioseph narrando somnia sua, an peccauerit per vanam gloriam. 37.470.44
Ioseph quando adoratus fuerit à Patre & matre sua, vt significabatur in visione solis & Lunæ, ampla disputatio. 37.471.45. *& seq.*
Ioseph fuerit ne venditus Ismaelitis, an Madianitis, an vtrisque simul, copiosè disputatur. 37.487.488.71. *& seq.*
Ioseph fuerit ne venditus viginti an triginta argenteis, vel aureis, vel minis. 37.487.75
Ioseph an ter fuerit venditus, vt tradunt Hebræi. 37.492.77
Iosephi historia mendaciter narrata à Iustino, siue Trogo. 37.453.78
Ioseph præfectura in Aegypto, quid allegoricè significet secundùm Philonem. 41.607.14
Ioseph ætas triginta annorum, cum est ad præfecturam Aegypti euectus, cur exposita fuerit à Mosê, traduntur quinque causæ. 41.618.2.
Ioseph cur per tot annos non fecit certiorem patrem de statu suo, pulchra disputatio B. Augustini, & Theodoreti. 42.625.1. *& seq.*
Ioseph cur tam durè & asperè exceperit fratres suos ampla disputatio. 42.529. 4. *& seq.*
Ioseph quinque de causis non fuisse agnitum à fratribus suis. 42.632.8
Ioseph vocans fratres suos exploratores, num mentitus sit, & peccauerit saltem venialiter, fusè disputatur. 42.634. 11
Ioseph dicens fratribus suis, Per salutẽ Pharaonis exploratores estis, *an*

periurium admiserit disputatur. 42. 63.918 & seq.
Ioseph cur triduana custodia fratres suos afflixerit. 42.640.20
Ioseph cur Simeonẽ potius, quàm alium fratrum suorum retineri iusserit. 42. 641.22.
Ioseph cur fratribus suis conuiuium exhibuerit. 43:663.12
Ioseph quinque ferculis excepit fratres suos in illo conuiuio. 43.666.17
Ioseph cur struxerit calumniam illam fratri suo Beniamin de surrepto scypho, & an in eo peccauerit. 44.976.1.& seq.
Ioseph quomodo sibi tribuerit scientiam auguralem sine mendacio etiam pernicioso, fusè disputatur. 44.681.9.& seq.
Ioseph quibus artibus tantam apud Aegyptios beneuolentiam, & gratiam sibi comparauit. 45.695.5
Ioseph cur dixerit abeuntibus fratribus suis, Ne iraſcamini in via. 45.697.8
Ioseph posteros cur Septuaginta & plures quàm memorat Moses, & qui nõdũ erant nati commemorare voluerint. 46 712.713.15.16
Ioseph cur tantopere cuperet fratres suos existimari pastores ab Aegyptijs. 46. 723.31
Ioseph an iustam legẽ tulerit Aegyptiis, cogens eos quintam partem frugum annui tributi nomine reddere Pharaoni. 477.48.13
Ioseph prophetia per partes aptissimè applicatur ad Christũ 49.845.155.& seq.
Ioseph cur comparetur Rhinoceroti, & Tauro. 49.854.177
Ioseph totius vitæ Chronologia exponitur. 50.876.27
Ioseph breuiorẽ vitam vixit quàm maiores ipsius, & cur. 50.877.27
Ioseph cur noluit corpus suum statim post mortẽ transferri in terram Chanaam. 50.879.30
Ioseph ossa cur sepulta sint in Sichem. 50. 879.31
Patriarcharũ duodecim ossa num asportata sint in terram Chanaam, & ubi sint illa sepulta. 50.880.32
Ioseph ossa post mortẽ prophetasse, vt legitur Ecclesiastici 59. quemadmodum sit intelligendum. 50.881.num.vltimo.
Iosephum Hebræum sæpe sacras historias haudquaquam fideliter in suis scriptis referre. 27.151.70
Iosephus arguitur infidelitatis in commemorandis sacris historijs. 34.370.9
Iosephi Hebræi aientis Ioseph fuisse venditum viginti minis, examinatur sententia. 37.491.76
Iratorum hominũ duo genera secundùm Aristotelem. 27.172.105
Irascentes & dolẽtes cur clamare soleant, timentes autem conticescere. 45.681.2

ISAAC.

Isaac vtrum ob monogamiam præferẽdus sit polygamo Abrahæ. 25.7.8
Isaac iocus cum Rebecca, quem vidit rex Abimelec qualis fuerit. 26.67.12
Isaac conuiuium factum regi Abimelec, quid allegoricè significet. 26.91.101.50. & 62
Isaac quoto anno ætatis benedixerit filio suo Iacob. 27.105.1
Isaac cur benedicturus filio suo Esau, requisierit ab eo cibatum ex venatione. 27.108.8.& seq.
Isaac cur tactus maximè indicio explorare voluit, an loquens secum, esset Esau. 27.144.17
Isaac decipi circa benedictionem filij sui primogeniti cur passus sit Deus. 27.145.146.61.62
Isaac cur post benedictionem Iacob, non itidem potuerit benedicere Esau. 27. 162.163.86.88
De centuplo, quod percepit Isaac in terra Palæstina. 26.70.18

Isaac cur prohibitus fuerit à Deo ne iret in Aegyptũ, & de præcipua prouidentia Dei erga seruos suos. 26.63.64.6. & 7.
Iudas an habuerit legitimam potestatem damnandi capitali pœna nurum suam Thamar. 38.542.30
Iudæ sententiam in Thamar fuisse iniquam. 38.544.35
Iudæos principibus Christianis subiectos, durè ab illis tractari debere, Ruperti & aliorum sententia. 42.631.7
De timore extremi Iudicij egregia Basilij oratio. 39.563.17
Iurandi duplex modus. 42.638.17

L

Laban peccatum quàm graue fuit & multiforme, pro Rachele supponentis Liam. 29.247.25
Lachrymarum effusione leuari dolorem pulchra Basilij disputatio. 37.501.502. 90.91
Lens Aegyptiaca, qualis fuerit. 25. 46.69.
Lenticula Zenonis. 25.46.69
Leonis Catulus quomodo præfiguret resurrectionem Christi. 49.802.57
Liam num peccauerit dum se pro Rachele dedit Iacob. 29.244.24
Liber cur appellatus fuerit inuentor vini apud Ethnicos. 26.90.48
Libitinarij qui essent apud Romanos, & quod eorum munus. 50.864.1
Lippitudinis duplex genus. 20.233.9
Super lippitudine & albugine spirituali pulchra disputatio S. Gregorij. 27.233.10
Liquorum inter se differẽtia. 48.783.16
Loca quædã certa præcipuè sacrata fuisse Deo in omni tẽpore, licèt Deus vbique sit, atque vbique colẽdus & inuocandus. 28.207.42
Luctæ certamen quàm sit antiquum, & de vsu arenæ in eo. 32.326.20
Luctus mortuorum an sit laudandus. 50.868.9
Luctus mortuorum quamdiu durare debeat. 50.868
Consueuisse etiam viros præstantissimos relaxandi animi gratia descendere ad ludos etiam pueriles, aliquot exemplis ostenditur. 26.78.31

M

Madianitas & Ismaelitas & inuicem confundi, & nonnunquam Arabes & Aethiopes appellari. 37. 489.73
Magistros & pædagogos puerorum apud Hebræos, fuisse ex tribu Simeonis. 49.790.33
Quomodo mali licèt potentiores, seruiant tamen bonis. 25.20.30
Mali cur plures sint bonis, disputatio Nazianzeni. 25.21.33
Malorum hominum inter se dissensio sæpè multum prodest viris bonis. 37. 482.62
De Mandragoræ virtutibus & effectis ampla disputatio. 30.261.9. vsq; ad 20
An Plinius, quæ similia scripsit Dioscoridi, ea sumpserit ex illo. 30.262.10
Mandragoræ radices an repræsentent humanam effigiem. 30.263.13
Mandragoram cur Pythagoras vocauerit Anthropomorphon. 30.263.13
Mãdragoram fabulosè dictam esse Circæam, quòd vim haberet conciliandi amorem. 30.265.16
De Mandragora dictum Epiphanij in Philologo excutitur. 30.265.16
Mandragora licèt per se non conducat fœcunditati mulierum, peraccidens tamen potest conducere. 265.266.17. & 18

Mandragoræ vera natura, & proprietates, & virtutes, & effecta traduntur ex Auctoris sententia. 30.266.19

Manipulorum visio Ioseph, quid præfigurauerit allegoricè secundum Rupertum. 27281.42

Manethonis antiqui scriptoris rerum Aegyptiacarum tria notabilia errata circa ingressum Hebræorum in Aegyptum. 46.723.30

Marsilius Cagnatus insignis medicus laudatur. 30.262.10

Matrimonium per coemptionem quale fuerit, 29.560.12

Matutini temporis quanta opportunitas ad multa. 26.90.49

Platonis opinio de aliquo mendacio interdum licito. 27.124.29

Origenes secutus est Platonem de mendacio interdum licito. 27.125.31

Eusebij opinio super sententia Platonis de mendacio nonnunquam licito. 27. 124,30

Cassiani opinio de mendacio. 27.125.32.

Chrysostomi sententia de mendacio excutitur. 27.126.127.33.34

Mendacium omne esse per se malum, nec vnquam fieri posse licitum, probatur. 27.127.128.35.36

Innocentij Tertij sententia de mendacio. 27.127.35

Arist. egregia sententia contra mendacium. 27.129.37

B. Gregorii sententia de mendacio obstetricum Aegypti expenditur. 27. 129.39

S. Thomas quomodo interpretatur dictum B. Gregorij de mendacio obstetricum. 27.131,41

Mendacium officiosum an possit esse meritorium apud Deum alicuius boni temporalis. 27.131.41

Regulæ aliquot internoscendi quæ sint in Scriptura pro mendaciis, habēda, quæ autem minimè. 47.122.57

Mori aliquem vel mortuum esse quibus phrasibus enunciare soleat Scriptura. 49.861.198

Moses num discrepet ab Herodoto & Diodoro in numero dierum quibus Aegyptii curabant mortuorum corpora. 50.866

Quantopere cauendi sint oculi fœminarū & de tribus telis, quæ lasciuæ mulieres vibrant in vecordes amantes, egregia oratio Ambrosii. 39.559.10.& 11

Mulieris lasciuæ insigne exemplum, domina Ioseph. 39.560.12

Mulieris tactum quasi contagiosum & venenatum esse viro fugiendum, ex S. Hieronymo. 39.567.23

Mulorum generationis vtrum primus inuentor fuerit Ana, ex stirpe Esau. 36. 322.3.& seq.

Mulorū generatio an sit secundùm naturam. 36.423.8

Mulorum generationem non esse diuina lege vetitam. 36.426.9

Mundi amatorum stultitia declaratur pulcherrima similitudine. 42.652.34

Mures cur oderint Magi, & Aethiopes & Arabes. 37.459.32

N

NAbuchodonosor Regis tempore impletum fuisse illud vaticinium, Non auferetur sceptrum de Iuda, & opinionem fuisse quorundam Hebræorum, & Iuliani Apostatæ, sed falsam. 49.807.69

Natalem diem celebrandi, & suum & aliorum, quàm fuerit antiqua consuetudo. 40.585.10 seq.

Natalem diem suum in Scriptura neminem piorum virorum celebrasse legimus. 40.586.31

Natalem diem trium dumtaxat Christiani celebrant; Christi Domini, B. Virginis, & S. Ioannis Baptistæ, & cur

cur. 40. 587.11
Natalem diem sanctorum hominum, cur vocet Ecclesia eorum mortem. 40. 587.11
Nilum aquè causam esse fertilitatis, & sterilitatis Aegypti, sed diuersa ratione. 25.63.5
Nouẽdial, quid fuerit apud Latinos, & an in luctu mortuorum obseruari debeat à Christianis, disputatio S. Augustini. 50.872.17
Cum nouerca incestus crimen quàm graue sit. 35.415.47
Nuptialis conuiuij sumptus quemadmodum diminuerit Plato. 29.243.22
Nuptiarum conuiualis celebritas quàm fuerit antiquitus solẽnis, & quot diebus ageretur. 29.242.247.21.28.29
Nuptiale cõuiuium Alexandri Magni. 29.243.22
Nutricis nomen & nutritij quam habeant significationem, præter vulgarem. 35.394.15
Nutrix qualis esse debeat, & quãta fuerit olim erga nutrices vel nutricios pietas alumnorum. 35.94.13.15

O

OCulos claudendi morientibus mos exponitur. 46.708.8
Oculos claudere morientibus cur persona vel sanguine coniunctæ, vel dilectæ præcipuè solerent. 46.708.9
Oeconomicam gubernationem compendium esse politicæ gubernationis pulchrè tractatur à Philone. 39.555.4
Ogygis diluuium contigisse eo tempore, quo Iacob versabatur in Mesopotamia. 47.742.17
Iulius Aphricanus dicens, diluuiũ Ogygis contigisse ætate Mosis refellitur. 47.743.18
Orationes Sanctorum rectè in Scriptura appellari arma. 48.766.13
Os, caro, & sanguis in Scriptura quid significent. 29.233.8
Opusculorũ sex genera reperiri in Scritura. 29.229.2
Quas partes corporis osculari mos fuerit apud antiquos, & cur. 29.230.4
Oues candidæ & nigræ magnifiebant in Mesopotamia, sicut versicolores in Palæstina. 30.277.34
Oues quomodo conspectu virgarum versicolorum, concipiebant versicolores fœtus. 30.285.46
An coloratio fœtuum ouium ex aspectu virgarum, sit naturaliter facta, an præter naturam. 30.285.47.52
Ouium colorem mutari potu aquarum. 30.289.53

P

PAcis vocabulum quàm varias habeat significationes in Scriptura. 26.88.46
Panis vocabulum quot modis sumatur in Scriptura. 28.223.65
Parere super genua alicuius, quid sit in Scriptura. 30.260.8
Partus huminis in caput & in pedes sit ne naturalis. 25.39.56
Partus dolores in muliere, quibus ex causis accidant. 35.408.39
Parẽtes quemadmodum suum erga filios amorem declarare debent. 27.111.11
Parentum imprecatio aduersus filios irreuerentes, non est inefficax, neque contemnenda. 27.114.14
Pastores cur fuerint Aegyptijs abominabiles. 46.724.726.32.36
Persæ morem scindendi vestem in dolore, accepisse videntur ab Hebræis. 37. 500.87
Pharaonem non solùm habuisse illa somnia, verumetiã eorum intelligentiam, cuius tamen postea oblitus sit, tradit Iosephus, & refellitur. 41.597.3
Pharaonem non fuisse prophetam, licèt somnium eius fuerit propheticum. 41. 591.5. & seq.
Pharaoni cur Deus miserit duo somnia

idem prorsus significantia. 41.602.9.
Phares & Zare generatio, cuius rei figura fuerit. 38.548.40.& seq.
Phares filij cur memorentur à Mose inter eos, qui cum Iacob intrauerunt Aegyptum, cum post id temporis nati fuerint. 46.710.12
Phutiphar Aegyptius, qui emit Ioseph, an verè fuerit Eunuchus. 37.512.109
Phutiphar an fuerit Princeps coquorum an militum disputatur propter diuersitatem Latinæ lectionis à Græca. 37.516.114.& seq.
Phutiphar socer Ioseph, an fuerit idem, atque emptor eius, eodem appellatus nomine, disputatur. 41.25.& seq.
Pilorum copia in homine, cuius rei sit indicium. 25.315.533
Pincernarum muneris magna fuit tum antiquitas, tũ dignitas. 40.580.2.& 3
Pistorum vsus apud alias gentes fuit antiquissimus, non tamen apud Romanos. 40.580.2
Pœnitentiæ vocabulum quid denotet in Scriptura. 27.166.94
Idumæorũ ingenia & mores. 27.167.96.
polygamia an sit cõtra naturã. 29.249.32
Polymita vestis qualis fuerit. 37.426.27
Prædestinatio & prouidentia Dei an per causas secundas iuuari possit, & quomodo. 25.7.9
Prædestinationis hominum, & reprobationis illustrem fuisse figuram, quod accidit duobus illis Eunuchis in carcerem detrusis ob peccata; quorũ cum esset par causa, alter nihilominus est liberatus, alter damnatus, præclarissima disputatio Rup. 40.589.14
Prædicatores qui sint optimi, maximéque idonei ad docendos alium secundùm B. Gregorium. 47.740.14
Præficas cur Romani conducerent ad lugendos mortuos. 50.868.10
Prægnantibus qualis exercitatio corporis prosit secundùm Aristotelem. 25.11.15
Prægnantis mulieris damnatæ differri pœnam quoad peperisset, in more fuisse apud multas gentes. 38.545.36.& sequent.
Primogenitus cur dicatur fortitudo patris: & cur principium doloris. 49.781 11.12
Primogenitorum ante legem Mosis, ob quas prærogatiuæ memorantur. 49.712.14.
Propagatio numerosa posterorum ex vno homine viuente. 46.722.9
Prolis desiderium in fœmina, vnde tam ardens. 30.257.1
Prophetarum variam fuisse animi affectionem, cum ab alijs cõsulebantur. 25.15.22
Prophetia Iacob qualis fuerit. 49.777.3
Prophanus, & prophanare quid significent. 25.52.79
Protectionis diuinæ quanta sit gratia, & de quatuor eius modis. 26.84.44
Prouidentiæ Dei varij modi. 28.188.20
Prouidentiæ diuinæ quanta sit fortitudo, similque suauitas. 28.189.21.& sequent.
Cum prouidentia Dei exactissima rerum omnium, quomodo cohereant, tam multa mala, quæ cernuntur in mũdo. 28.189.21
De prouidentia Dei præclarissima Dionysij Areopagitæ sententia. 28.190.22
Prouidentiæ diuinæ principales administros esse Angelos. 28.190.23
Prouidentia mundi an pendeat à solo Deo, an etiam ab alijs causis. 28.192.193.26.27
De prouidentia Dei falsa opinio Manichæorum. 28.193.27
Prouidentia Dei sæpè per contraria producit seruos suos, quos destinauit. 37.512.108
Prouidentiæ diuinæ efficacitas etiam mala vertentis in bonum, præclare declaratur à Boetio. 45.693.2

Pulchritudinem niuam corporis plus habere periculi, quàm boni. 39.557.6

R

RAchel cur furata sit idola patris sui. 31.302.5
Rachel an coluerit idola. 31.304.305.8.9
Catharini contra Caietanum disceptatio. an Rachel fuerit infidelis: & an coniugium fidelis cum infideli, sit vetitum iure naturæ. 31.305.9
Rachel furripiens idola patris sui, quid allegoricè significauerit, pulchra disputatio B. Gregorij. 31.306.12
Rachelis sepulcrum vbi fuerit. 35.408.37
Rachel vtrum mortua fuerit, cum Ioseph vidit illa somnia. 37. 474. 50. *& sequentibus.*
Rameſſes fuerítne eadem terra, ac terra Geſſen. 47.735.8
Rebecca quōmodo cōſuluerit Deum, & ab eo reſponſum acceperit. 25.11.15
Reſpondere, ſæpe in Scriptura idem ſignificare, quod reddere cuipiam pro eius merito. 30.277.36
Rinoceros quale animal ſit. 49.874.117
Roris ſōlius & non pluuiæ, niuis & aliorum cur meminerit Iſaac in benedicēdo Iacob. 27.152.72
In Palæſtina non ferè, niſi duobus anni temporibus pluere, ſed rorem ibi gerere vicem pluuiæ. 27.153.72
Rufus color quis ſit. 25.37.53

S

SAcerdotium an fuerit ante legem Moſis ſemper coniunctum cum primogenitura. 25.51.77. *& 78*
Sacerdotum Aegypti immunitas, & victus ex publico, diligenter explicatur. 47.737.9
Sacerdotes Aegypti quales fuerint antiquitus, tum continentiæ, tum doctrinæ fama, ex B. *Hieronymo, Herodoto, & Diodoro Siculo.* 47.737.9
Sach vox Hebræa ſaccum ſignificans, multis in linguis ſimiliter vſurpata. 37.500.88
Sacco vel cilicio indui cuius rei eſſet ſignum. 37.501.89
Samſonem decem rebus figuram fuiſſe Chriſti. 49.835.129
Sanguis in Scriptura quid ſignificet. 29. 233.8

SCALA.

SCala Iacob ſecundùm literalem ſenſum figura fuit diuinæ prouidentiæ. 28.187.18. *& ſeq.*
Scala Iacob ſimilis fuit aureæ Catenæ, quam Ioui tribuit Homerus 28.188.19
per Scalam illam Angelorum aſcenſus & deſcenſus quid ſignificauerit. 28. 191.23
Scala illa quomodo fuerit figura Eccleſiæ Chriſti. 28.197.31
Scala Iacob quomodo præfigurauerit vitam & diſciplinam religioſorum hominum. 28.198.32. *& ſeq.*
Scalæ illius triplex interpretatio allegorica Philonis. 28.203.38. *& ſeq.*
Scalam illam Origenes interpretatus eſt de deſcenſu animarū è cœlo in humana corpora. 28.203.39
Scala ſymbolum fortunæ. 28.206.41
Scalæ illius viſio, quomodo pertinuerit ad præcipuam eruditionem & conſolationem Iacob. 28.193.28
Scala illa Iacob, quomodo præfiguraverit incarnationem Chriſti, & humilitatem conuerſationis & paſſionis eius. 28.194.195.29.30
Sceptrum & virga quid ſignificent in Scriptura. 49. 796.808.45.74
Sciſſio veſtium apud Hebræos quid denotaret. 37.500.87

Scripturæ consuetudo in dandis promissionibus. 27.155.77

Scriptura solet interdum dicere aliquid esse tale, non quia tale sit, sed quia videtur esse tale. 31.303.7

Scripturæ mos est, quod pluribus conuenit, quasi omnibus conueniret, enunciare. 46.721.26

Scriptura interdum solet tribuere filijs ea quæ propriè ad patres eorum pertinent. 46.721.27

Scyphorum vsus, antiquitas & honor apud Principes. 44.678.4

Sem filius Noe, quando mortuus sit, & refellitur Thostatus. 26.96.57

Senatus septuaginta virorum à Mose institutus. 49.813.83

Sexdecim mala & incommoda senectutis. 27.106.2

Senectutis viridis ac vegetæ rarũ exemplum disertissimè à B. Hierony. expositum. 27.106.3

Senectutem delicatioribus cibis esse fulciendam. 27.108.7

An B. Paulus ad Romanos 9. locum Geneseos de Iacob & Esau, citauerit secundùm historicum sensum, an mysticum. 25.30. 43.& seq.

Pauli argumẽtationẽ ex electione Iacob, & reprobatione Esau, etiam secundùm sensum mysticum esse validam. 25.29.46

Quisnam sensus mysticus sit principaliter intentus à Spiritu sancto, sitq; validus ad argumentandum. 25.34.49

Vter sensus in exponenda Scriptura potior habendus sit, historicúsne, an mysticus. 25.36.52

Sepeliri aromatibus & vnguentis condire, vtrum mos fuerit in veteri Testamento. 50.8652

Sepeliendi mortuos extra ciuitatem vel intra, vel in propriis ædibus, vel in templis varij gentium mores. 50. 872.18

Sepelire mortuos extra ciuitatem cur apud pleraſque gentes vsurpatum sit. 50.873.20

Septuaginta Interpretum translatio habens Iacob adorasse summitatem virgæ eius, id est, Ioseph, nullo modo est mẽdosa, sed grauissimis Patribus probata, & B. Pauli firmata auctoritate, nec Hebraicæ ac Latinæ lectioni contraria. 47.752.30.& seq.

Septuaginta Interpretes dicentes Iacob intrasse Ægyptum cum septuaginta quinque, num falsitatis, & erroris arguendi sint, amplissimè disputatur. 46.720.20

Tituli sepulcrales. 35.413.41.& seq.

Sepultura corporis vel sui, vel alterius, vtrum parui pendenda sit, an sollicitè & anxiè procuranda, per duas disputationes tractatur. 47.743.21. & sequent.

Sepultura carere, nihil habere mali, sententia fuit plurium Ethnicorum. 47. 748.23

Serapis vnde sit dictus. 46.704.2

Seruitutis hominum, quæ fuerit origo, & quæ sit iusta ratio & causa secundùm Augustinum. 46.724.32

Philo tripliciter interpretatur scalam Iacob secundùm allegoricam intelligentiam. 28.203.38.& seq.

Simulationis quinq; species ex Scoto. 27. 120.25

Scotus tradens quinque species simulationis, docet quænam sit, & quæ non sit peccatum. 27.121.21

Simulatio & deceptio an possit esse aliquando licita. 27.[illegible]

Simulationis quatuor species traditæ ab Auctore. 27.121.26

Vocabulum simplex quam significationem habeat in Scriptura. 25.42.62

Socer & socrus, quantopere coli & amari debeant à nuru & genero ex Homero & Aristotele. 26.97.58

Socrates quemadmodum iurare consueuerit. 42.637.15
Solitudo & secretum loci, magnum ad peccandum incitamentum. 39.566.22
Somni vocabulum tribus modis accipi in Scriptura. 28.532.14
Somniorum sex causæ ex S. Gregorio. 37. 477.53
Somnia esse vigilantium, & vitam, & res omnium mortalium, doctè philosophatur Philo. 40.560.12.& seq.
Sponsa cur vesperi ducebatur in domum viri. 29.243.23
Cur complures fœminæ percelebres in veteri testamento fuerint steriles. 25.5.5
Sterilitatis mulieris causæ naturales & supernaturales exponuntur. 30.284.45
Sternutamentum cur ab Aristotele vocatum sit augurale signum. 44.679.7
Supplantandi verbum, quid propriè & metaphoricè significet. 25.39.57
Suscitare semen fratris demortui, quàm fuerit antiqua consuetudo. 38.532.14. & seq.

T

TAlares tunicas gerere, erat olim apud Romanos turpe. 29.248.31
Terræ optimæ quæ signa tradiderit Cato & Plinius. 27.153.73
Terræ cum cœlo maximam esse societatẽ, & quasi coniugium respectu generationis terra nascentium. 27.14.74
Terra per se ipsam quando suauissimum exhalet odorem. 27.149.67
Thamar incestum cum socero suo Iuda proditum esse scriptis à Mose ad retundendam Iudæorum arrogantiam, & in commendationem humilitatis Christi. 38.523.1
Thamar quomodo dicatur fuisse iustior quàm Iudas. 38.536.21
Thamar & Iudæ, quæ fuerint peccata. 38. 537.22.& seq.
Chrysostomum & Ambrosium, qui excusare videntur à peccato Iudam & Thamar, quomodo interpretari oporteat. 28.192.26.& seq.
Thamar non fuisse filiam Melchisedech sacerdotis, vt nugantur Hebræi. 38. 542.31
Thamar cur damnata fuerit pœna ignis. 38.542.31.& seq.
Theraphim vox Hebræa, non semper idola Gentium significat: & de eius significatione variæ opiniones. 31.302.4
Thomæ Mori martyris scitissimi versus. 30.288.51
Timor quatenus accidere etiam possit sapienti, secundùm Stoicos præclara Epicteti sententia. 32.230.9
Timor magnus cur taciturnos reddat. 45.691.1
Timentium atque iratorum hominum differentiæ. 45.691.1
Tituli vocabulum habet quatuor significationes in Scriptura. 28.212.49
Tribulatio variis rebus in Scriptura celebratis comparari potest. 42.643.23
Tribulatio tria facit hominem cognoscere, & Deum, & seipsum, & mundum. 42.643.24.& seq.
In tribulatione, qui respuerint, illustria memorantur exempla. 42.644.24
Tribulatio de tribus modis vocationum hominis ad Deum, an præcipuum locum teneat. 42.644.25
Tribulationem plus conducere homini quàm doctrinam philosophorum, egregia Plinij sententia. 42.646.27
Tribulatio quomodo notificet homini vanitatem, instabilitatem, amaritudinẽ, fallaciam, & malitiam mundi. 42. 647.28.& seq.
De tribus vinculis, quibus astrictos se agnoscunt viri sancti, ne possint contra Deum peccare, hæc sunt reuerentia diuinæ maiestatis vbique præsentis: & beneficiorum eius recordatio & timor

diuini iudicij. 39.563.17. *& seq.*
Turris Ader siue gregis, nominata in Scriptura, quæ fuerit. 35.414.46

V

Vasis nomẽ in Scriptura quàm varias habeat significationes. 49.787.25
Venari & venatorem esse, ferè in Scriptura sumuntur in malam partem. 25.40.59
Venationis laus. 25.41.60
Venationis varia genera, & quod eorum optimum secundùm Platonem. 27.107.5
Veneris stellam in cœlo mutasse colorem, figuram, & magnitudinem atque cursum, traditum est à veteribus referente S. Augustino, id quod euenit in ætate Iacob. 47.743.19
Verba in quem finem instituta sint, & data homini facultas loquendi. 27.128.36
Verbum Dei, quomodo prædicandum. 49.807.69. *Pythagoræ præclara sententia de veritate & beneficentia.* 27.129.37
Vestibus pretiosis & odoratis indui primarias personas, quàm sit antiquum. 27.747.64
Videre facie ad faciem, & loqui ore ad os, phrasim esse Hebraicam, & quid ea significet. 32.342.43
Vini virtus variè afficiendi animos hominum. 26.89.41
Vini quatuor laudes. 49.803.61
Victus simplicitas quanta fuerit apud antiquos. 25.45.61
Virtutis sectatores qualis deceat vita ratio. 28.383.13
Vita hominum cur dicta sit à Iacob peregrinatio. 47.731.2
Quid sit Vrim, & Tumim Hebraicè, & Latinè, Doctrina, & veritas, quæ erant in pectore Pontificis. 25.8.27

Z

Zabulon tribus, habuisse tempore Christi tria ad laudem valdè insignia, & quæ loca in ea fuerint nobilia. 49.828.109
Zeli triplex ratio. 30.256.1. *In Zorobabelis posteritate permansisse sceptrum Iuda vsque ad Herodem, opinio est B. Cyrilli, sed non probabilis.* 49.810.75

LVGDVNI,

Ex Typographia Claudij Morillon. Anno Domini 1600.

EGo Claudius Aquauiua Societatis Iesu Præpositus Generalis quartum Tomum in Genesim P. Benedicti Pererij tribus eiusdem Societatis nostræ Theologis commissi videndum, qui omnes cùm eum approbauerint, probo etiam vt possit imprimi, si ita placuerit Reuerendiss. D. Vicesgerenti, ac Reuerendiss. Patri Magistro sacri Palatij. Datum Romæ die nono Septembris. 1598.

Claud. Aquauiua Præp. Gen. Soc. Iesu

TOmum quartum Benedicti Pererij Commentariorum in Genesim, expositionem à cap. 25. vsque ad 50. complectentem, ex commissione Reuerendissimi Magistri sacri Palatij, qua potui diligentia, & attentione vidi, nihilque in eo bonis moribus dissonum, aut à fide Catholica alienum inueni. Sed omnia, disputationibus quibusdam ac difficultatibus ita referta, & Sanctorum Patrum sententiis, aliorúmque grauissimorum Doctorum dictis, eleganti, ac perpolito stilo ita exposita sunt, vt auctoris modestiam, ingeniique acumen, ac in exponendis diuinæ Scripturæ difficillimis locis, ex longo vsu & exercitatione, diuersorúmque Auctorum lectione, comparatam sibi dexteritatem & singularem eruditionem plurimum commendent. Nam ne nouitate nimia Lectoris animum deterreat, aut ne veritatis fonte omisso opinionum riuulos consectetur (Hieronymum imitatus) aliorum grauissimorum Doctorum vestigiis inhærendo, suam quandoque sententiam statuit, & rationibus confirmat. Quapropter dignum censeo, vt in communem omnium vtilitatem, sanctæque vniuersalis Ecclesiæ, quæ vt Regina in vestitu deaurato, circundata varietate à dextris Regis assistit, ornamentum & decus, ac Concionatorum omnium, ad literalis sensus intelligentiam in primis quærendam, ingens commodum, typis, prælóque mandetur.

Ego Fr. Michael Liot à Ribera ordinis Prædicatorum in Sacra Theologia Magister, ita manu propria fidem feci.

Imprimatur

P. Episc. Rauellen. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Dominicus Pag. sustit. R.M.S.P.